
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
H
20
NAPOLI

LAMPAS,
SIVE
FAX ARTIUM LIBERALIUM,
HOC EST
THESAURUS CRITICUS,
QUEM EX OTIOSA BIBLIOTHECARUM CUSTODIA
eruit, & foras prodire jussit
JANUS GRUTERUS.
In eo infinitis locis Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poetarum, Grammaticorum scripta supplentur, corriguntur, illustrantur, notantur.
TOMUS PRIMUS
CONTINENS ADNOTATIONES VARIAS
LAURENTII ABSTEMII MACERATENSIS, ET VALENTIS ACIDALII
DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES
IN PLAUTI COMOEDIAS:
ACCESSIT HIS
CAROLI NEAPOLIS
PATRICII PANORMITANI
ANAPTYXIS
AD P. OVIDII NASONIS FASTOS;
ET HORUM OMNIUM ADDITAMENTUM
JOANNIS FELICIS PALESII PATAVINI
T. D. ACADEMIÆ RECUPERATORUM SOCII, ET IN REGIO PANORMITANO Borbonico Nobilium Collegio RR.PP.Teatinorum Humaniorum literarum Professoris.
Scriptæ sunt præterea singulorum Criticorum Vitæ. Index vero Locorum, & Memorabilium in Tomum secundum brevi proditurum justis de caussis erit conjiciendus.
AD ILLUSTRISSIMUM, ATQUE EXCELLENTISSIMUM VIRUM
FRANCISCUM
BONANNUM, ET BOSCUM,
CATHOLICÆ, ET ROCCÆFLORIDÆ PRINCIPEM, MISILMERII, ET MONTISALBANI Ducem, Liminæ Marchionem, Vicaris Comitem, Magnum Sicullanæ Baronem, Item Canicatini, Ravanusæ, Pricii, Mancinæ, Fradalis, Vulturis, Casarum, Celestrá, Forestæ, Zaffarani, S. Basilii, Cucci, Castellanæ, Pancaldi, Quintequintanæ, Salinæ, S. Nicolai, Traversæ, Montis Canum, Falconis, & sui Onerarii Portus Siculianensis Magistrum Portulanum, Regis a cubiculis Aurea Clavi donatum, Hispaniarum Optimatem, & Aurei Velleris Equitem &c.





FLORENTIÆ, Sumtibus Societatis, MDCCXXXVII.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

ILLUSTRISS.MO ATQUE EXCELL.MO VIRO

FRANCISCO
BONANNO

CATHOLICÆ, ET ROCCÆFLORIDÆ PRINCIPI

JO: FELIX PALESIUS PATAVINUS F.

IMpedimentis bene multis superatis; apparet jam in tuo nomine, Vir Illustrissime, atque Excellentissime, Tomus Primus Thesauri Critici Gruteriani; apparebuntque deinceps reliqui ex officina nostra exituri. Neque vero putes operosum hoc spissumque opus in apertum proferentem ea movisse me, tibi ut inscriberem, quæ hoc litterarum genus quum scribunt, plerique omnes jactare solent; positas nimirum majorum imagines, ab his minoribus traditam nominis amplitudinem, monumentis clarissimis illustratam generis nobilitatem: Hæc enim, atque alia ejusmodi tanti fieri a te intelligo, quan-

✠ ti so-

ti solent a Viris prudentibus, & honestis: nullam enim hæc si cum virtute habent conjunctionem, nullum momentum afferunt ad bene, beateque vivendum. Fit hinc, ut cum tua minime esse putaveris, quæ sua sibi virtute majores tui decora pepererunt, in eo vires animi contenderis omnes, ut veræ, solidæque gloriæ insignia tibi per te, ac ornamenta omnium pulcherrima comparares.

Quid est igitur, quod in Hugonis Bonanni, ac Nepotum ejus ditione plura Hetruriæ loca fuisse prædicem? atque Anno CIƆCCLXXX. pacis auctoribus inter Guelfos, & Ghibellinos conciliandæ Gennium socium, ac adjutorem datum fuisse referam? Quid est, quod Spilliatos, Accuntios, & Jacobos publica, & splendidissima munera objisse, & in Pisana Republica clarissimos tui Generis Viros Magistratus summos non sine integritatis, & prudentiæ laude singulari gessisse dicam? Quid est, quod ab Avis, Atavisque tuis aucta Familiæ decora in Sicilia non minus, quam in Hetruria illustria, ceteraque litteris jam tradita, & hominum memoriæ commendata hic inculcare contendam? Prætores Panormo clarissimum Bonannorum Genus dedisse, & rerum capitalium Quæsitores permultos: delectos Baronem Canicatini Franciscum Bonannum, & Franciscum Calogerum, quorum alter ad Regem Martinum, alter vero ad Ferdinandum Catholicum legaretur, atque hunc ab eodem Ferdinando II. Regium Militem lectum, & militari cinctu ornatum fuisse commemorem? Quibus addo, si libet, Philippos apud invictum Carolum Quintum honestissima Legatione functos, Gerardos, Jacobos, Aloysios, ac Philippum Parentem tuum Virum clarissimum, Caroli Secundi Hispaniarum Regis a Cubiculis aurea Clavi donatum, & invictissimo Regi Philippo V., Neapolim quum venisset ad Panormitanæ Civitatis officia exhibenda Senatus auctoritate missum. Sed decora hæc ipsa, atque Generis insignia majorum tuorum virtus ad hæc usque tempora per plura sæcula propagavit. Sunt enim in te collecta omnia, quæ non jam majores tui, sed tuus in te animus, tua in te prudentia contulit. Quod igitur Regni, ut ajunt Deputatus juri Siculorum tuendo iterum, ac sæpius renuntiatus, quod bis, permissa tibi Sicilia universa, Vicariam Proregis operam gesseris; quod Prætor quartum miserorum levamen, Populorum præsidium, Patriæque decus salutatus fueris,

ris,

ris, quod Comitiis præstanti Viro ad Victorium Amedeum legando habitis unus omnium delectus fueris, qui in amplissimum negotium ingredereris, tibi hæc uni laudi tribuenda, tua hæc sunt singula, nihil tibi ex ista laude aut Genus, au Fortuna decerpit. Fama itaque, quam per te, de te collegisti frequentem maxime, ac illustrem, acceptæ Nobilitati, & Nomini quod accedit, dignum efficit, quem exteræ, dissitæque Gentes suspicere jure se, ac diligere oportere profiteantur. Ista igitur pati potes (neque enim ab hac justa, debitaque tibi laude animi tui moderatio singularis abhorrere debet) ut a bonis, & æquis rerum æstimatoribus de te prædicentur: Neque me impedias, quo minus ista exeunti Operi Gruteriano committam, diligenter, ac tuto, ad quas pervenerit Urbes, perferenda; Domum tuam miserorum Arcem tutissimam, honestis Hominibus unis esse, & doctis viris apertam. Apud te Pietatem, Religionem, Æquitatem, Sanctimoniam, Pudorem, domicilium habere, jactatam apud te, ut usuvenire solet, veritatem locum tranquillissimum invenire, ubi consistat: nihil cogitari, nihil suscipi in hac Urbe vel Civium felicitati, vel Patriæ ornamento, vel Bonorum saluti opportunum, aut necessarium, quod nemo non intelligat ductu, auspicioque tuo affici, conficiq; oportere: nihilque posse multum procedere, nisi tu consiliis omnibus aut intersis, aut præsis. Macte igitur ista virtute tua, ista tute tibi decora gratulare, atque felicitate, quam cum paucis communem habes, lætus fruere; & litteras nostras, quod pro benignitate tua facis, perge fovere, ac juvare; officiumque erga te meum, laboresque, qualescumque sunt, meos pro singulari humanitate dilige. Vale.

O: FELIX PALESIUS PATAVINUS
LECTORI.

QUA mente ad *Thesaurum Gruterianum*, qui & *Fax & Lampas Liberalium Artium* inscribitur, edendum me comparaverim, non est cur pluribus dicam, quippe qui Lectorem Benevolum satis alias jam monui, quum ad callidos rerum æstimatores litteras dedi, per quas totius Operis & instituti mei ratio plane exposita, & explicata est.

Quum enim (quæ à me tum demonstrata sunt) librum diligentius versaverim, eorum partem maximam in ipso contineri animadverti, quæ cum Nobilissimis Adolescentibus *Regii* hujus *Borbonici* PP. Teatinorum Collegii Sodalibus soleo perquirere, & ad communes Studiorum nostrorum usus in medium proferre. Multa etenim σχόλια affabre elimata in eo passim inveniuntur, proponuntur loci fere innumeri Græcorum, Latinorumq; Scriptorum diligentissime emendati, indagata perquisitius est pulcherrimarum rerum eruditio, & ex optimis Fontibus hausta, Interpretum peccata fere semper feliciter deprehensa sunt, & obscuriora paullo ac reconditiora commodius hic multo, quam alibi explanata. Quod enim *Gruteri* studio, quæ Viri ejus temporis eruditissimi pro sua quisque industria, & facultate, litteris commendarunt in Thesaurum conjecta sunt, multa propterea apud eum veluti apud Condumpromum posita Nobiles adolescentes habituros esse putavi ad optimos usus facta, & ad præclara eruditionem idonea, quibus ubi libuerit, aut necesse erit, uti possint; Quæ igitur ejus memoriæ Viri præclarissimi, Doctorisq; Nobilissimi è libris Philologorum, Rhetorum, Poetarum, Historicorum, Philosophorum, Jurisperitorum, ac Theologorum Græce Latineq; scriptis hausta declararunt, emendarunt, inculcarunt, illustrarunt, in *Gruteriano Opere* luculenter exhibentur ut jure censeas *Janum* nostrum Lampada *Illud*, singula Facemque bonarum artium omnium, ac scientiarum appellavisse. Desiderantur quidem aliqua (quod candide dicere nunquam gravabor) sed hæc ipsa (si fata patientur) per me amicosq; meos diligenter perquisita in eam partem conjicientur, quam supplementum inscribere in animo nobis est, & litteratorum commodo in lucem educere. Sed quando in eum locum incidi, ubi quæ ipse in *Thesaurum* contuli, oporteat indicari, hæc ipsa breviter attingam non ad ostentationem quidem industriæ, sed ad significationem eorum, quæ huic *Operi* per me accessere, ut auctius quam antea, ornatiusq; appareret.

Certum itaq; mihi fuit Criticos, qui opibus suis pro suo quisq, censu Gruterianum Thesaurum cumularunt eo ordine producere, quo primæ eorum Nominum litteræ in Alphabeto, quod dicunt, disponuntur: quum enim rerum nulla, quæ ab ipsis tractantur à *Jano Grutero* ad certa capita revocetur & sæpe fiat, ut in *Opere* nec caput, ut ajunt, nec pedes, curavi, quod in me fuit, ut saltem studiosus Lector in Scriptorum Nominibus conquirendis haberet aliquid, quod sequeretur: Et quoniam navasse me operam puto, quod fecerim, faciam etiam in posterum reliquos deinceps Tomos unum post alium quum eduxero. Adnotationes præterea de meo adjectæ sunt, quas quam in partem accepturi sint homines, minus laboravero, paratus sponte mea manum dicto citius ab improbo labore amovere, quam, quod institui, pervicacius persequi, & Diis hominibusq; reclamantibus ingratiis, & misere laborare.

Jam vero quæ ad Criticorum Vitas pertinentia mihi suboluerint diligenter perscripta eorum libellis per me accedent, ut possit quivis facile cujusvis mores, indolem, ac studia cognoscere, cujus scripta legenda sumserit, & quid sibi de doctrina ingenioque scribentis polliceri possit in primo quasi limine conjicere.

Præ-

Præterea quem *Gruterus* Italis, Germanis, aliisq; aliarum Gentium ornatis hominibus, & doctis honorem habuit, quod eos è Florentissimis Civitatibus ad opus suum componendum, illustrandumq; delegit, hunc mihi Siculis habere in animo semper fuit, qui quo tempore reduces Litteræ, bonæq; Artes fuere, eas non humaniter modo excepere, sed & foverunt liberaliter, & diligenter coluere. Quorum igitur opera in scriniis delitescentia summo cum animi sensu, ac dolore vidi, e tenebris in lucem prodire jussero ad *Thesauri Gruteriani* libros singulos, singula in manum ubi venerint, adjecturus: neque enim ordinem sequi in his distribuendis mihi licet, quem in *Gruterianis Criticis* collocandis institui.

Sed nunc jam aliqua de hoc omnium primo *Thesauri Gruteriani Tomo*. Continet hic *Laurentii Abstemii Maceratensis Adnotatiunculas* haud quidem magna cum re, sed commodas tamen ad obscuros aliquot Ovidiani Carminis in Ibin locos intelligendos, & ad Grammaticorum lites pauculas de rebus levioribus componendas. Sequuntur graviores multo, majorisq; momenti *Divinationes, & Interpretationes Valentis Acidalii Vvistochensis in Plauti Comœdias*, ad quas Vir Doctissimus, omnium optimum judicium qui attulit, locos obscurissimos explanavit, intricatissimos in lectionibus nodos solvit, celebriorum Interpretum, *Lambini* maxime, fœdissimos errores deprehendit, ut eam aliquando fuisse scribentis Plauti sententiam vel juratus affirmaverim, quam homo ingeniosissimus ex obscurissimis tenebris sæpe educere conatus est.

E *Siculis* delectus est *Carolus Neapolis Panormitanus* qui Vir, bone Deus! qua bonarum artium prudentia! qua Græcarum, Latinarumq; litterarum peritia! Unus hic omnium *Ovidianis Fastis* sua *Anaptyxi* facem prætulit, malosq; Interpretes (quos quidem novimus, sed nomini parcimus) suas sibi nugas habere jussit, eximiiq; ingenii, veterumq; historiarum, & Græcæ Latinæq; Eruditionis adjumento sex alioquin obscuros Fastorum libros, retrusosq; eorum sensus in lucem protulit, & feliciter explanavit.

Hæc, quæ alias indicavi, de *Gruteriano Thesauro* generatim, & universe; deq; iis singillatim, quæ Tomo primo continentur, eo à me animo dicta sunt, ut litteratorum voluntati satisfacerem, tuæq; in primis, Lector Benevole, quem æqui boniq; labores meos facturum esse spero, meq; de studio, & diligentia mea plurimum amaturum. Vale.

CANDIDO LECTORI

Nihil est in caussa cur nos interpelles exactius de libro, quem tuo commodo, studio, emolumento recusum te præ manibus libenter habere nos volumus: Qui sapiens, qui eruditus, qui scientissimus es rei litterariæ, vel ex ipsa paginæ fronte, noscis aperte quid istuc negotii sit: nobis ergo neque supervacanea, neque acta jam res iterum agenda nunc est: Docto Homini Gruterianam editionem qui demum offerimus, eidem Grutero præmittenda neutiquam ducimus verba, & inconsulto sermoni parcimus, quod abunde satis necnon eleganter Gruterus ipse denuo productus in lucem luculentiora de se pandat, ac uberiora. Quidni ergo, acrius fortasse conclamas, prolixius loquutio protenditur? longiore sane oratione non inviti modo abstineremus, verum nostri nobis honoris ratio est habenda, eaque dubio procul depellenda est accusatio, qua injuriose culpamur Gruterianæ editioni vitio nostro moram fuisse interpositam; a secundo videlicet Tomo plus æquo spatium grande dilapsum est, nimioque distans est intervallo Tomus alter qui multo antea fuerat absolvendus: belle sane dictum, & ad rem satis apposite, atque ex animo, & ex sententia mentem nostram aperientibus nobis, neque injusta, neque contumeliosa videtur accusatio, quæ cæteroquin non difficulter apta & accommoda responsione ingenue diluitur: justis equidem incitati rationibus ad agendum in hunc usque diem evulgandum Gruterianum Tomum protulimus: Consulendum valetudini nonnunquam fuit, quę ægra atque adversa in eas non est passa nos incumbere cogitationes, quæ Gruterianum Opus propius attingebant: Interdum etiam serviendum fuit necessitati, quæ in maximis occupationibus vel nolentes ab eodem Grutero nos revocavit; intermissa non tantum in paucos dies, verum & in multos menses, quæ litteratarum Gentium votis certatim expetebatur Gruteriana Collectio istas habuit, aliasque nonnullas, quas data opera prætcrimus, moræ caussas, quæ vitio nobis non sunt omni ex parte tribuendæ: Æquum te studiorum nostrorum Judicem, necnon æstimatorem appellamus, ipsique vel jurati affirmamus non mediocri nosmet affectos esse molestia, quod evulgando per nos Grutero plurima interponerentur impedimenta, quæ superare prorsus, prorsusque de medio tollere nostrum nec semper fuit, neque esse semper potuit: fronte tandem exporrecta tibi nos sistimus, ac de nostro labore, verbo absit invidia, hilares, vel ipsi nobis plaudimus, quod hunc Gruterianæ facis Tomum ad finem demum non inauspicato perduxerimus: in quem priusquam oculos defigas, ne tibi grave sit obtestamur quę ad illum referuntur intelligere: in illo sa-

ne toti fuimus, ut præfixum Gruterianis Tomis ordinem alphabeticum diligenter ac sedulo servaremus, quamobrem eos Auctores huc loci collocavimus, quos litterarum series recta sibi vindicabat: primum quidem duximus exordium ab eo quod Bar-ptolomæi Barrienti Adnotationum sylvam complectebatur: eximium videlicet hominem, accuratum veritatis investigatorem prope oculis non sine ingenti animi nostri voluptate obversari gaudemus, quem pone subsequitur illud, quod eleganter ad Antonii Bendinelli locorum historicorum adnotationes accedit: historiæ virum peritissimum unaque locupletissimum nobis obtulit antea Gruterus, eundem ad tuum admovemus obtutum,, id apprime mente percipientes, te summa perfruendum oblectatione, ubi historicam rem, quæ certa trutina explorato examinatur aperte deprehenderis: occurrit subinde latini sermonis nitor, venustas, concinnitas, nempe Johannis Brantl breves notas in Plautum Grutero Duce tibi pervolvendas exhibemus, consiliumque auctoris tibi erit acceptius, quo major, quo ardentior, quo acutior hominis est sollicitudo de Plauti mente dilucide explananda: Domitii Calderini Observationes postmodum attinges, latino decore non indignas, patebuntque ejus auctoritate nonnulla vocabula, resque nonnullæ cum græcis, tum latinis paginis non inglorie adjungendæ: Josephi Castalionis varias lectiones postremo animadvertes, viri doctissimi rerum pene universarum scientiam, sermonis elegantiam, argumentorum gravitatem, miraturus. Atqui multo fusius quam instituti nostri postulare ratio videbatur, de Gruterianæ Collectionis Auctoribus vel temere ac inconsiderate hic a nobis modo disputatur? nequaquam profecto extra rem quidquam nos aperuisse putamus: noscenda sunt hominum lucubrationes, noscendi homines ipsi quorum lucubrationibus in eruditionem quisque deducitur, quin etiam fide pridem interpolita singulis Gruterianis Auctoribus Vita erat addenda, quæ doctissimorum Virorum Patriam, Naturam, Indolem, Mores, Studia, eaque omnia, quæ ad eos spectarent, historice declararet, quod prius est factum in primo, & altero Thesauri Gruteriani Tomo, neque propterea hac ex parte promissis standum sumus arbitrati quod coarctatio plurimum displiceret ea in re, quæ dilatanda per se latius, uberiusque explicanda, Gruterianos Auctores in hunc Tomum redactos, pressius, breviusque per temporis angustias contemplatura, & expositura legentibus, in angustiores tendebat terminos quam litteratorum Hominum nunc temporis consuetudo patiatur, quæ Vitæ quadam veluti effigie præmissa, Scriptorem unumquemque inlustriorem clarioremque pro viribus reddit: dabunt boni Superi, quod ardemus, ac perficiemus in posterum, cum per otium licebit singulis Gruterianis Auctoribus amplificatam vitæ seriem adjungere: quod si culpæ nobis detur ac vitio præteriisse quod nostrum erat, Auctoribus Gruterianis nec ullo quidem vitæ indicio notatis, non erimus porro culpan-

pan-

pandi, quod in illos mente tota, omnique animi impetu non incubuerimus: id operæ potissimum pretium duximus, quod nulla fuit ratione cæteris posthabendum, curæ scilicet nostræ, cogitationisque occupatio ut errores tollerentur, nitidique Codices iis non apparerent indigni Scriptoribus, a quibus fuerant ante luculenter, egregie, acuteque descripti: atque ipse Gruterus, Vir cæteroqui doctissimus, in his prodendis ingeniosorum hominum laboribus id evitare non potuit, ut a Librariorum incuria esset immunis: multis propterea in locis quæ incuriosis Librariis exciderant, quoad solertius per nos fieri potuit, emendatione purgavimus, in qua, ne laberemur, singula per partes expendimus, eo semper consilio ut tuæ faceremus eruditioni satis; quod autem vereamur ne leviuscule vel ipsi correctionibus inhærentes dormitaverimus, quod tuæ est humanitatis, errores siquos offenderis tua diligentia studiose corrigas, quod vel præstare facilius poteris eo vel maxime quia nonnihil duntaxat aliquando potuerit irrepere, quod cum perfectis orthographiæ legibus adamussim non consocietur, dictionis enim sententiæque recognitio numeris omnibus absoluta ad correctionis trutinam non videtur ulterius esse revocanda: at quod illud præterea nobis fuerit exploratum Gruteriano Thesauro dantes operam, eos nobis Auctores fuisse præ manibus, qui sanioribus exquisitioribusque Critices legibus cæteris longe præstarent, eorum verba præferentes quasdam continuo subjecimus adnotationes, quibus liber sibimet constaret, Auctoresque existimatione, judicio, doctrina clarissimi spectatissimique, vel imperitis ultro paterent: emunctæ itaque qui naris es, summæ auctoritatis, & amplitudinis homo adnotationes Gruterianæ Facl additas ne fastidias, quæ ex probatissimorum virorum ut plurimum sensu decerptæ iis præsertim sunt scriptæ, qui sive primitus ad literas accedant, sive multiplici rerum indagine veritatem perscrutentur, tibi vero si ingens forte ac immodicus adnotationum numerus tædio sit futurus, Gruterianum Opus præsto erit, cujus exemplar adhuc usque valde vehementerque expetitum te sine dubio est oblectaturum, displicebitque fortassis in eo totum quantum est Josephum Castalionem non esse plene distributum, aliaque permulta ejusdem desiderari Capita quæ universam variarum lectionum seriem compleant, absolvantque: De industria certe Operis istius finem omisimus, quod ex consuetudine nostra liberius agere non possemus: adnotationibus prorsus fuisset abstinendum, quæ nostræ institutionis ex more, in Castalionis lectionibus, nonnulla debuerant explanare dilucide, quæ peritissimus antiquitatis homo primoribus vix labiis attigisset: Urgebamur indesinenter litteratorum expectatione, cunctatores obliviosi rem Gruterianam funditus perdidisse reprehendebamur, prohibiti iccirco sumus ne Castalioni vacaremus, quem non post multum temporis intervallum subsequuturus quartus Gruterianæ Collectionis Tomus excipiet: neque Indice abstinuimus, qui primo, alte-

roque

roque Gruteri Tomo adjectus, Capita singillatim designet; alternis Tomis satius est, & opportunius Indice prospici, idque est quod nos impulit, ut quæ hic concluduntur, cum iis colliganda, quæ Tomus Quartus est complexurus, una simul per Indicem illic in Capita diducenda duxerimus: Desunt, ad hæc inquis, Alphabeticæ regulæ Græcæ rei amatores ante alios Alphabeti lege statuendi: Eos autem ne prætergressos absque consilii ratione nos existimes: apponentur illi, verum seorsum, ut Græcarum litterarum oblectatio percipiatur intentius. Redundat postremo Tomus his magis quam par erat Auctoris Siculi scriptis: id nobis ultimo tu das crimini, quod parum in Gruterianos Criticos, plus æquo in Siculum Scriptorem ingenium Operamque contulerimus: Tuam attamen fidem hic etiam obtestamur, Panhormitæ Epistolæ tibi sunt oblatæ, notus est Auctor, perspecta tanti Auctoris est gloria a Gruterianis Auctoribus non longe diversa; Voluminis præterea moles Epistolarum copia eo excrevit, ut Gruteriano Thesauro locum propemodum ademerit, quem Tomus post hunc proditurus, Gruteriani Operis Critici sunt latius occupaturi. Singula te pro diligentiæ nostræ ratione monitum voluimus, illudque abs te obsecramus interea, ut nos pro tua benignitate comiter foveas, hærentesque perhumaniter confirmes ac recrees. Vale.



IND. Cap.

INDEX CAPITUM TOMI PRIMI.

ACIDALII
In Plauti Asinariam Divinationes, & Interpretationes.

In Plauti Epidicum.

In Plauti Bacchides.

In Plauti Mostellariam.

ACIDALII
In Plauti Menaechmos.

in

Explicit Index Capitum Tomi Primi.



INDEX

GRUTERIANI COLLECTORES
LECTORI.



Everam quidem & gravem Optimi Viri dixere ſententiam, quum recte & ordine judicantes, ſæculum, quod vocant, ſextumdecimum cum Auguſti Ævo conferendum rati, eorum res divinis laudibus ornarunt, qui inſtructos magnarum Artium diſciplinis Adoleſcentulos ad omne Officiorum munus inſtituerunt. Norunt illi hominum ſapientiſſimi per id ferme tempus innatum in omnibus cognitionis amorem & ſcientiæ, diu perturbatum diſcerptumque, ſcite diſertorum Scriptorum opera innovatum, reſtauratumque, ac priſca verba & conſuetudines in libros diſtributas iis Auctoribus prodiiſſe, quibus imperitorum Juvenum animi ad exquiſita ſtudia incitarentur. Nec quiſquam ſane, tam ignarus eſt rerum, cui nunquam libelli illi in manus inciderint, ipſorumque nomina nunquam ſit admiratus, quorum ſingularibus in Rempublicam literariam meritis honores ſunt habiti, gratiæque relatæ; Invectam barbariem, erroreſq; turbulentos coarguere non tantum, verum in maximarum rerum ignoratione eripere contendentes, in tantis inſcitiæ tenebris clariſſimum lumen prætulerunt, in eamque curam cogitationemq; incubuere præcipue, ut ſcientiarum, Latinæq; Linguæ ornamenta, vel pene collapſa, vel in dies collabentia reſtituerent. Mirum propterea qua ſuavitate ac delectatione genus hoc exercitationum Adoleſcentes deguſtarint, cui abſolvendo Virorum doctiſſimi cenſuerunt indignum:

. . . . *Quod non*
Multa dies & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.

Ea ratione, quæ turpiter obticuerat latina venuſtas ac lepor, cœpit honorifice conſurgere, ac omnino corroboratis ingeniis convaleſcere; quod equidem

Scribendi recte ſapere eſt & principium & fons,

Habuit quiſque *omnes Philoſophiæ notos, & tractatos locos*, nihilq; prætermiſſum aut relictum eſt, quod ad copioſe *loquen-*

tem Sapientiam referri videretur, idoneorumq; ope Præceptorum, Institutis Majorum compertum fuit:

Quid deceat, quid non, quo Virtus, quo ferat error.

Ne vero negotium facesseretur indoctis, difficultates, in quas incurrere delabive pridem consueverant, sublatæ depulsæq; limæq; labore & mora pleraq; a tenebris eruta, quæ aut deleverat oblivio, aut vetustate consenuerant, quo studium, vigilantia, diligentia spectat, explanandis, augendis, ornandisq; locis obscurioribus compluribus, accurata Interpretum lectione sedulo adhibita, qui famæ servientes, plena errorum volumina non recusarunt

Corrigere, & longi ferre laboris onus.

His legibus liberales artes, maturioresq; facultates excultas habuimus, quæ eo majore in existimatione sunt habitæ, quo illas magis ad Criticen, ut vulgo dicitur, finxit industria. Proh Deum immortalium fidem, quæ accomodatior ad veritatem investigandam via, ac facillimus ad multis eamdem rem modis haud injucunde versandam aditus! Eas sanioris doctrinæ occupationes, ut communi quodam in usu atq; in hominum more & sermone versarentur, in medium positas ad sempiternam temporis memoriam propagavit *Janus Gruterus* Vir laude major, cum institutus optime, tum etiam perfecte eruditus

Vehemens, & liquidus, puroq; simillimus amni

immensas opes fudit, studiososq; Adolescentes lingua divite beans clarissimorum hominum sententias solerti cura collegit, ac, quod bene iis verteret, in operosum, aureumque Opus, *absit verbo invidia*, digestas, divulgandas censuit, quæ omni laude cumulatæ, ita per animos hominum brevi pervasere, ut ad illas inflammato quisque studio raperetur; in iis, tametsi Grajæ, latinæq; linguæ splendidum decus præstantissime appareat, quidpiam tamen perfectius optarint nonnulli:

Verum opere in longo fas est obrepere somnum,

quin etiam . . . . . *Quandoq; bonus dormitat Homerus*;

num ergo maledico dente quis carpere, eosq; libros pervellere audeat, quos immortalitatis memoria persequitur, perinde ac si levibus inanibusq; mendis, quæ raro cœteroquin irrepsere, vitiosi nimium evaserint? Non equidem adduci pos-

possumus, ut id credamus, quum neq; is habendus sit *Janus Gruterus*, qui se contumeliis vinci patiatur:

. . . . . Non omnes pensantur eadem
Scriptores trutina, non est quod multa loquamur;
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

neq; tanti eorum facienda sit Auctoritas, qui ore durissimo sunt, nec veritati acquiescentes ordine rerum perturbato eruditorum hominum sapientiam, consilia, sententias, abjiciunt, irrident, aspernantur, ac novo plane more inusitata atq; omnino inaudita portenta rerum sequuti, repudianda emendandaq; suscipiunt, quæ veritatis amor suo loco conservanda, pronunciat. Non hac profecto audacia & impudentia nos sumus, qui morem gerentes imperitis, magis quam par est ingenio velimus fidere, ac perditos, siqui fortasse deprehendantur, obtrectatores, imitati censura, & animadversione notandum existimemus optimum & exquisitum *Jani Gruteri* judicium: *Nodum*, ut vulgò fertur, *in scirpo quærere* videbimur, seu in apertis rebus difficultatem facere, si cavillandi studio exiguos in *Gruteriana Collectione* errores, qui nec facile apparebunt, convellere aggrediamur, quin etiam in odium hominum incurremus, quod imparibus subeundo oneri viribus quæ corrigere volumus, mentis imbecillitate depravemus, injurioseq; corrumpamus; difficile quidem factu est animos novitate commovere, & inflectere

Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho major Homerus erat.

Qua autem præsertim de caussa hæc in rem nostram proferuntur, aliquis interpellabit, quibus nihil prorsus est cum *Grutero*? Nostro quidem judicio multum interesse putabamus animum aperire, ac quæ facienda pro instituti ratione proponimus dilucide exponere: Gruterianumque Opus, quod in nostras manus incidit, ab omnium querimoniis vindicandum fuerat & defendendum, ne susceptum consilium reprehenderetur, ac vellicaretur in circulis, quod ingenuæ Juventuti consultum apte non sit, cui cerebrum excutient immensa volumina, quæ Gruterus a summis amplissimisque viris decerpta digessit, paravit, instruxit; Verba flocci plane ducenda, quæ levissimis argumentis refutantur diluuntur,

ac

ac corruunt. Superi boni nos ament, juventq;, ac nulla ſane via magis idonea atq; expedita ad ſapientiam imbuendos, informandos, inſtituendoſq;Adoleſcentes cenſemus. Mediusfidius næ obtrudet acutæ naris homo ſententiarum gravitatem, verborum pondera, dicendi majeſtatem illi conferendam, qua nemini ſecundos Auctores ingenioſis Adoleſcentibus præſtantiſſimus Gruterus offert pervolutandos: Cogitanti primum qui ad rationem prudentiamq; adjungatur animus, eæ ſapientiſſime exaratæ tibi rem

. . . . . Poterunt oſtendere chartæ,
Verbaq; proviſam rem non invita ſequentur.

Illa hinc ſecernuntur & amoventur, quæ ab inani laude, & vulgi ſermonibus ſunt remota, ſtudia enim quæ reconditis in artibus verſantur, interiores literæ, exercitationes penitus abditæ patefiunt, exhibentur, produntur, ac mens infirma reviviſcit, & recreatur, quod illi ante oculos Virtutis dignitas obverſetur ex eorum ſenſu depromta, qui nil intentatum reliquere, ut quæ utiliora, ſelectioraque judicarent, perſcrutarentur, ac copioſiſſime dicerent. Scriptores propterea, qui accuratiſſima *Gruteri* opera editi prodiere, quum cœteros ſuperemineant,non modo non contemnens,ſed etiam vehementer admiratus, ingenti moleſtia afficior, indignorq; ſiquis, cogitatu quidem indignum, non tantum creditu, eos minimi pendat, plurimiq; faciendum opinabimur hominem ſanioris conſilii, mentiſq; prudentioris compotem:

Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licino commiſerit.

quod nempe videns meliora, non probet, ac quod inſaniæ eſt dementiæq; ſequatur deteriora; eoq; ſiquis morbo detineatur, incorrupta ſanitate deinceps incolumis fiet, cum ei ſapiet cor, ac palatus ſapiet, poſtquam expulerit:

. . . . . Helleboro morbum, bilemq; meraco,

nec unquam ſatietate defatigatus miro ſpectatæ eruditionis deſiderio teneatur, & uſuram longi temporis, qua caruit, crebritate & magnitudine officiorum ſarciat, omnibus opibus viribuſq; elaborans, ut honeſtum famæ decus aſſequatur. Quamobrem verſet diu multumq;, quoad per tempus liceat, quæ rerum Divinarum, atq; humanarum ſcientia ſit, ac lectiſſimas artes perpendat, quas ex obſcuriore loco promptas ador-

adornavit *Janus Gruterus*, Auctoribus animadversionibusq; compluribus. Qua de re sensisse præclare, ac luculente scivisse *Joannem Felicem Palesium* vel juratus dixerit, qui artem, labores, studia amplissimi viri perceperit, industriamque præcipuam, qua *Gruterianum Thesaurum Criticum* in Siciliam invexit, accurateq; edendum curavit; Ac eloquentissimi hominis vitam longius boni Superi produxissent, studiosæ enim Juventutis Institutor clarissimus, quo valebat ingenio, numeris omnibus absolutum Opus omnium Gentium linguis, & laudibus celebratum hominum sempiternæ memoriæ tradidisset, iis completum & confertum Adnotationibus, quæ ad rerum delectum, Auctorumq; latinorum sensus diligenter penitusq; cognoscendos erant accomodatæ: Proh Deum hominumq; fidem quo mentis animiq; ardore ad laborem propemodum singularem se comparaverat Vir in optimarum facultatum cognitione versatus. Qui fueramus illi contubernales, necessitudinemq; ad illum adjunxeramus, diserte plerumq; *Gruterianam Collectionem* prædicantem audivimus, qua non tantum ad humaniores literas, verum ad penitiores facultates via sternitur; Quæ tamen mortalium rerum conditio est, plurima in dies liberalium Artium utilitati excogitanti, ac de literaria Republica merito optime, probo viro doctissimoq; inopina morte sublato illacrymari compellimur, nec labori interea vigiliisq; parcendum remur, ut hominis famæ qua par est ratione prospiciamus: *Lampada* ideo *Gruterianum*, quod in lucem producendum ille susceperat *foras ipsi prodire jubemus*, eo fere consilio quo pridem *Palesius* eduxerat, ad quod equidem obeundum munus nos impulere præsertim cum Nobilium Adolescentulorum, qui in *Collegio Borbonico* bonis artibus & disciplinis instituuntur nunquam intermissæ exercitationes, cum literatorum hominum Auctoritas, quæ magno *Gruteriani Operis* desiderio afficiebatur, cujus tamen alterum hunc Tomum undiq; aptum atq; perfectum, expletumque omnibus suis numeris & partibus uni *Palesio* acceptum referimus, qui per eam tempestatem occubuit, qua supremam editioni manum imponere constituerat. His accessit eruditissimi Jurisconsulti Antonii Pantò consilium: Civilis, Pontificii, ac publici Gentium Juris Antecessor omni virtute, & doctrina ornatissimus, dolos,

machinas, fallacias explicavit, quibus impudentes plerumque Causidici leges a veritate detorquent, *umbrasq; & imagines juris, germanæq; justitiæ, quæ feruntur ex optimis naturæ, & veritatis exemplis*, non sequuntur, quæ *Grutero* interdum fuerant adjicienda, ut forensium Cavillatorum mendacia comperirentur, quæ cœteroquin Auctores nunquam prætermisere, quorum animadversiones *Gruterus* pervulgavit. His argumentis adducti, qui nobismet nostræ eramus infirmitatis conscii animum, mentemq; ad Gruteriani Operis Tomum alterum prodendum sedulo admovimus, ac nobis ipsi in hoc gratulabimur, si literariæ Republicæ in maximis gravissimisq; rebus, quod plus æquo fortasse audaciores peractum esse confidimus, per *Gruterum* adjumenta sint importata. Habeant hæc sibi complura viri doctissimi, ac quæ secundum *Gruteri* volumen complectitur breviter intelligant. Quod reliquum fuerat ex Valentis Acidalii Divinationibus, atq; in Plautum Interpretationibus persequuti sumus, ac ut, quod nostri muneris erat, Auctores, quo in Alphabeto litteræ, ordine collocaremus, ab Acidalio ad Antonium Bartolinum processimus: Is legisperitus haud obscuri nominis, tametsi nec permulta conscripserit, nec stylo copiosiore, solerti tamen studio nonnullas Civilis Juris sententias obscuras, corruptas, & mutilatas, explicat, restituit, & corrigit: De illo non est cur plura dicamus, ac num sit iis annumerandus, qui prima legum lumina habita sunt aut inficiari, aut dicere nolumus: Incautos legulejos unum monemus, ut *contentione deleta* vel isto Auspice discant verborum sensus investigare, atq; exponere, ut rejectis involucris legum ordo consistat. Subsequuntur *Philippi Beroaldi* Adnotationes in varios Auctores; cujusmodi eæ sint, ac qua in existimatione habendæ ipsi non affirmamus, eas doctorum hominum judicio ultro permittentes; quis tantum *Beroaldus* fuerit, qua Patria & genere Joannis Gherardi Vossii sermone declaramus, quem eruditi Viri audiant:

PHILIPPUS BEROALDUS natus fuit Bononiæ anno MCCCCL, *Id. Nov. Inclaruit Frederici, & Maximiliani temporibus. Mythicas historias duas, unam de Gisippo, & Tito, alteram de Galeso Cymone, e Joanne Boccaccio Latine transtulit, ac Mino Roscio, Senatori Bononiensi, dicavit. Prodiere Basileæ*

cum

cum aliis Beroaldi opusculis anno MDXIII. *Fuit e summis sui sæculi viris, lectionis pene infinitæ; sed in quo subinde judicium desideres. Indignus tamen, qui* maxime garrulus, & verbosissimus Interpres *dicatur a Florido Apologia adversus Linguæ Latinæ calumniatores. Sepultus Bononiæ, ubi talis ei inscriptio*: Philippo Beroaldo seniori, civi Bononiensi, viro omnium quos ætas sua tulit eruditissimo, atque eloquentissimo, eidemq; humaniores literas Parmæ, Lutetiæ, atq; in patria summa cum ingenii laude, atque audientium admiratione professo, Phil. & Vinc. filii hæredes ex ipsius testam. P. P. Vixit Annos LI M. VIII. Obiit anno MDIV.

Emendandus hinc error, qui librariorum incuria penes nos irrepsit *Philippum Beroaldum* Senensem fuisse, quum Bononiæ ortus cognoscatur, atq; a Patre filius sejungendus, cui & *Philippo* nomen, de quo Erasmus in suo Ciceroniano, quum Patrem *hominem de literarum studiis optime meritum* dixisset, Juniorem tamen, ut inquit, *in Ciceronianorum catalogum citius receperit, quamvis perpauca misit in literas*, ac *reconditorum verborum sectatorem* non fuisse liquet ex Phauleciis, quæ epistolis Plinii a Parente emendatis ipse addidit:

. . . . . . Haud sequaris istos,
Qui portenta vomunt reconditorum
Verborum: mage qui videntur esse
Docti inter sciolos: apud disertos
Nil insulsius est, ineptiusque.

Postremo quod ad Siculos Scriptores pertinet *Antonium Beccatellium* vulgo *Panormitam* exhibemus *De dictis & factis Alphonsi Regis*, quo lepore, qua elegantia, ac venustate! Summo Vir ingenio alia complura prodidit, quæ nos in admirationem traduxere, neq;, quum haud ad rem nostram faciant in medium proferuntur: mores egregii Viri descripsit idem Vossius, quo Auctore hominis nobilissimi vitam proponimus:

ANTONIUS PANORMITA, Siculus, vir Philippo Mediolanensium Principi gratissimus, publice docuit studia literarum. Postea, ut quoque est apud Raphaelem Volaterranum, Alphonso Regi epistolarum magister fuit: deque ejus dictis ac factis edidit libros IV. *Eos verò Æneas Syl-*

vius,


vius, qui iisdem temporibus vixit, commentariis illustravit. In quibus dicta, factaq; Alphonsi memorabilia singillatim comparat, cum Cæsarum, Principumq; Germanorum, & aliorum apophthegmatis. Utrumq; opus, seorsim antea excusum [Greek], *atq; emendatius in Germania prodiit cura Marquardi Freberi, V. Cl. Panormita hic a Bartholomæo Facio initio lib. de humanæ vitæ felicitate* Poeta, atq; Eques præclarus *nominatur: & mox*, clarus, & singularis Poeta, & Jurisconsultus. *Ac paullo post ait Sigismundo Imp. laurea donatum corona, more majorum, quæ res usque ad id tempus contigisset nemini. Exstat ad eum Philelphi epistola anno scripta* CIↃCCCCXL, *& alia anni* CIↃCCCCLVIII. *Elegantiarum Pater vocatur a Joviano Pontano, qui & eleganti carmine mortui memoriam est prosequutus.* Dum gravi morbo decumberet versiculos tumulo inscribendos mandavit, quos subjicimus:

Quærite Pierides alium qui ploret amores,
Quærite qui Regum fortia facta canat;
Me Pater ille ingens hominum Sator atq; Redemptor
Evocat & sedes donat adire pias.

Singula hæc in secundum Gruterianum Tomum conjecta, cui tamen aliquis acrius Indicem Rerum universum apponendum clamabit; At nos, qui mos est ingenuus de jure postulanti respondebimus, uberiore Indice singula complexuros, quem numeris absolutæ Gruterianæ editioni, si juverint Superi, justis de caussis superaddemus; coeterum, si literatorum hominum commodo aptius est serviendum, locorumq; præcipuorum Index expetatur, nec improbo labore in altero Tomo propediem prodituro abstinebimus. Plura parantibus adest excusor, urgetque gravissime ut finem imponamus: Docti viri libenter præ nostris, *Palesii* malim dicere lucubrationes excipiant, ac plurimum literarum utilitati, quoad per nos liceat, nos morem gerere intelligant.



DEPROMTA
EX
ABSTEMIO.



QUUM Criticorum nomina ante prænomina eo ordine ponere constituerim, quo initiales eorum literæ in alphabeto collocantur, ab Abstemii annotationibus variis initium duco. Decerptæ sunt ex lib. 1. obscuror. locor. Venetiis edito. Laurentius Abstemius Maceratensis Urbini Grammaticam docuit; & Bibliothecæ Guidi Ubaldi Urbini Ducis præfuit, in quem Valla vehementissime invectus est. Quatuor explicat Ovidii locos in Ibin; unum emendat Valerii Maximi; attingit aliqua ad Orthographiam pertinentia; Lucani versum lib. 2. Phars: corrigit; Ætnam, pro Ennam in vulgatis libris prave legi ostendit. Hæc cum Ursello, quem contra differentem inducit, ut est Dialogorum consuetudo, disputando persequitur.

Ovidii locus primus v. 485.

Ut quos Dux Pœnus mersit putealibus undis;
Et jacto canas pulvere fecit aquas.

Non placet Abstemio Domitii Calderini explicatio, qui, eo deceptus Valerii Maximi loco (*a*), ubi pontem in (*b*) Gello fluvio ab Annibale tradit ex cadaveribus captivorum fuisse constructum, oblitus est, Acerranorum Senatum per inducias extra mœnia fide Punica evocatum puteis immersum fuisse; quod literis prodidit non Appianus (*c*) modo, verum etiam ipse Valerius Maximus (*d*): hæc autem historia cum versiculo Ovidiano, quod mire consentire videtur, ideo putealibus, pro fluvialibus, legendum esse putat, nec quantitate, neque historia repugnante.

Ov.

(a) Lib. 9. De crudelitate in exter. cap. 2. num. 2.

(b) Alii Vergellum scribunt: videndus est Florus lib. 2. cap. 6. de bello Punico 2. *Pons de cadaveribus jussu Ducis factus in torrente Vergelli; modii duo annulorum Carthaginem missi, dignitasque equestris taxata mensura.* Hæc ultima verba (quod dicis causa) ita explicat Anna Tanaquilli Fabri filia præstantissima Femina. *Nemo quod sciam hunc locum intellexit. Hic dignitas equestris dicitur pro Equites, ut apud Poetas vis Herculea pro Hercules: equites autem taxati fuere mensura, hoc est per mensuram annulorum notum fuit, quot equites occubuerint.*

(c) Libro de bellis Punicis num. 33. qui Parisiensi Henr. Steph. Edit. respondet, ut in nostro.

(d) Lib. 9. de Perfidia cap. 6. in exter. n. 2.

Ov. locus 2. v. 618.

Inclususque necem cavea patiaris, ut ille
Non profecturæ Conditor historiæ.

Chœrilum hic ab Ovidio significari docet Calderinus, contra differit Abstemius. Pessimum quidem carminum scriptorem fuisse Chœrilum, quod docuit Horatius (*a*), & (*b*) Curtius in gestis Alexandri, concedit; hinc tamen confici posse negat, Chœrilum in cavea mori jussum. Sequutus enim malus hic Poeta (si qua Acroni fides habenda est) Alexandrum, ejus gesta conscripsit: cui regem dixisse tradunt: *malle se Thersiten esse Homeri, quam hujus Achillen*: hunc depactum cum Rege esse, ut pro singulis bonis versibus aureo numismate donaretur, pro malis vero colapho cæderetur; cujus tot mali reperti sunt versus, ut colaphis enectus sit. Non fuit igitur in cavea inedia extinctus. Itaque de Callisthene Olinthio mentionem fieri ab Ovidio affirmat Absthemius, quem Justinus (*c*) abscissis auribus, ac naso, labiisque, deforme, & miserandum cadaver redditum, in cavea cum cane clausum ad metum ceterorum circumlatum fuisse, narrat, quod ejus superbiam, sese hominem esse obliviscentis, liberius reprehenderat; (*d*) casu vero tanti viri Lysimachum valde commotum, qui ipsum audierat, venenum in remedium ei dedisse. Hunc præterea ab Alexandro accitum ad ejus acta conscribenda refert Justinus: *Callisthenes hic, si non omnia, ea certe, quæ ante exitum vitæ suæ Rex præclare gesserat, conscripsit*. Cujus historiæ mentionem facere videtur Tullius: (*e*) *Denique etiam a Philosophia profectus Princeps Xenophon Socraticus ille; post ab Aristotele Callisthenes comes Alexandri scripsit historiam*. Plutarchus in vita Syllæ non jam veneno, sed morbo pediculari, quem Græci phthiriasin appellant, extinctum scribit; atque alii alia de ejus morte, sed nihil ad rem: (*f*) Neque enim inficiandum, cæsum Clitum (*g*) inter pocula, in cavea Callisthenem extinctum, Lysimachum (*h*) Leoni objectum: Telesphorum Rhodium in caveam conjectum a Lysimacho scribit Seneca, (*i*) sed quum nullam hic, quod sciam, historiam scriptitarit, nihil ejus viri mors ad hujus explanationem loci pertinet. Ovidium igitur de Callisthene loqui, cui conscripta Alexandri historia minime profecit, credendum est.

Ov.

(a) Epistola ad Pisones, & lib. 2. ep. 1. Horatius huic Chœrilo quædam tribuit, quæ prioris cujusdam Chœrili sunt. Fuit enim Chœrilus quidam Samius, vel (ut aliis placet) Halicarnasseus, qui relatam ab Atheniensibus de Xerxe Victoriam Carminibus celebravit, cui Athenienses pro singulis versibus stateres totidem in præmium eximii operis erogarunt, facto etiam decreto, ut cum Homero legeretur. Putavit autem Horatius, Alexandrum, quod Athenienses fecerant, imitatum, conditum de se carmen regali numismate remuneravisse: Ecce tibi Horatiani versus.

Gratus Alexandro Regi magno fuit ille
Chœrilus, incultis, qui versibus, & male natis
Rettulit acceptos, regale numisma Philippos.

(b) Lib. 8. cap 5.

(c) Lib. 15.

(d) Lib. 12.

(e) Lib. 2. de Orat. cap. 14. Ejus mortis mentionem facit idem Tullius in Orat. pro Cajo Rabirio Postumo cap. 9. *Virum unum totius Græciæ facile doctissimum Platonem iniquitate Dionysii Siciliæ Tyranni, cui se ille commiserat in maximis periculis, insidiisque esse versatum; accepimus; Callisthenem doctum hominem comitem Magni Alexandri, ab Alexandro necatum.*

(f) Sunt qui scribunt Callisthenem leonibus objectum anno 427. ab Urbe condita, Olympiade 113. ante Alexandri interitum an. 3. Ad Chœrilum vero quod pertinet; versus bonos vix septem ferunt confecto opere inventos fuisse; quidam hunc inedia periisse narrant.

(g) *Orta inter Ebrios rerum a Philippo gestarum mentione, Alexander se Patri prætulit, rerumque suarum magnitudinem exaggeravit majore convivarum parte assentante. Clitus regia amicitia confisus memoriam Philippi tuebatur, ejusque gesta laudabat; iratusque Rex, telo a satellite rapto, in convivio trucidavit.* Justin. lib. 12.

(h) *Objectus quidem Leoni Lysimachus, sed quum in eum tamen concitatus Leo impetum fecisset, manum amiculo involutam Lysimachus in os Leonis immersit; arreptaque lingua: feram exanimavit, quod quum nunciatum Regi esset, admiratio in satisfactionem cessit, carioremque eum propter constantiam tantæ virtutis habuit.* Idem lib. 15.

(i) Lib. 3. de ira. cap. 12.

Ov. locus 3. v. 405.

Nataque ut Æacide jaculis moriaris adactis.
Non licet hoc Cereri dissimulare sacrum.

Heracliam Hieronis filiam ad Cereris sacrarium labente re Syracusana telis confixam significari hoc loco putat Domitius, negat Abstemius: neque enim Heraclia ex Æacidarum genere nata dici potest: quamvis enim Heris e stirpe Pyrrhi Virum habuerit Geronem Heracliæ fratrem, non inde tamen probabiliter confici potest Æacidaru m sanguine satam. (a) Livius vero, quem Auctorem habere se narrat Calderinus, in sacrarium ad Penates cum duabus Virginibus filiabus Heracliam confugisse scripsit, non vero ad sacrarium Cereris. Laodamiam intelligit Ovidius, ut colligitur ex Justini historia. (b) Locum ipsum Justini afferre libet. *Quum ex gente regia sola Nereis Virgo cum Laodamia Sorore superesset, Nereis nubit Geloni Siciliæ Regis filio. Laodamia autem quum in aram Dianæ confugisset, concursu populi interficitur.* Laodamia igitur nata est Æacide, hoc est Alexandro Pyrrhi filio, (c) qui natus ex Æacidis fuit; omnes enim, quorum generis initium ab Æaco Jovis, & Æginæ filio genitum & propagatum fuit, Æacidæ dicti sunt. Pyrrhi autem Epirotarum regis genus Æacidarum esse, testis certissimus est Tullius (d) ubi responsum Pyrrhi laudans.

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis, ita exclamat; *regalis sane, & digna Æacidarum gente sententia.* At enim non in templo Cereris, sed ad aram Dianæ Laodamiam interfectam fuisse narrat Justinus; (e) sed sciendum Ovidium scelus hoc in æde Cereris patratum fuisse omnino significare: Dea enim frugum quum sit, Ætolos fame consumsit, Milonemque ipsum, qui Laodamiam interfecerat, in furorem egit. Cereris autem proprium erat furorem immittere; qui autem acti in furorem erant, Ceriti appellabantur. Jam vero Dianam ipsam Cererem appellatam narrat Servius ad eum Virgilii locum (f)

. . . . Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem Cælo, quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres . . . .

Stoici enim eamdem Lunam, & Dianam vocasse, Cererem eamdem, & Junonem, proindeque Poetam, Solem, & Lunam, Liberum, & Cererem, appellavisse. Nil igitur mirum, si Ceres facinus ad aram Dianæ commissum punire voluit: quum eadem modo Diana, modo Ceres appelletur;

Ov. locus 4. v. 645.

Ut puer Harpagides referas exempla Thyestæ;
Inque tui Patris viscera cæsus eas.

Credidit Calderinus Harpyagem nomen viri fuisse, qui exemplo Thyestæ filium absumsit: Boccatius vero Theodontium quemdam sequutus, Harpagidem, sive Harpyagem proprium Thyestæ filii nomen esse putavit: utriusque testimonium elevat Abstemius: & historiam hanc ab Herodoto, (g) Justinoque (h) descriptam homines non vidisse miratur; Ita autem cum his Abstemius: Harpagus, a quo Harpagides patronimicum derivatur, amicus fuit Astyagis Medorum Regis, cui Rex iratus, quod Cyrum ex Filia nepotem vivere comperisset, quem illi, ut fido, & arcanorum participi, necandum tradiderat, proprium filium epulandum apposuit. Hic est ergo ille Harpagides, idest Harpagi filius, qui absumtus a Patre exempla Thyestæ retulit, cui Atreus frater liberos epulandos apposuerat.

Pauca quædam capita ad Eruditionem, Grammaticam, & Orthographiam pertinentia in hunc locum conjecta, & ex Valerio Maximo deprompta.

CAP.

(a) Lib. 24. cap. 26.
(b) Lib. 28.
(c) Quod videre est in eodem lib. 28. sub initium.
(d) Tul. Offic. lib. 1. cap. 13.
(e) Lib. 28.
(f) Georgic. 1. Id ipsum disputat Moretus ad Catulli versum de Nuptiis Pelei, & Thetidos: *Sæpe vagus liber Parnassi vertice summo*: Ubi Bacchum, unum eumdemque Deum esse affirmat, habetque auctorem Macrobium lib. 1. Saturnaliorum, qui fusius de re hac differit, & firmissimis rationibus, & nobilissimorum scriptorum testimonio Deum unum pro variis officiis varia nomina habuisse probat, eumdemque & Apollinem, & Bacchum dictum fuisse, eamdem Cererem, & Dianam, quæ quivis facile videre poterit, qui Macrobii locum consuluerit.
(g) Clio. lib. 1. cap. 119.
(h) Lib. 1.

C A P. I.

Narrat Valerius Maximus lib. 1. Memorab. Athenienses callidissimi Aristomenis Messenii cor dissecuisse, pilisque refertum invenisse. Errorem deprehendit Abstemius, quod non ab Atheniensibus, sed a Lacedæmoniis id factum sit: testimonium indicit Plinio, qui libro 2. natur. histor. hæc habet: *Hirto corde gigni quosdam produnt, neque alios fortiores esse industria; sicut Aristomenem Messenium, qui trecentos occidit Lacedæmonios, ipse convulneratus, & captus semel per cavernam Latomiarum evasit, angustos vulpium aditus sequutus: iterum captus sopitis custodibus somno, ad ignem advolutus lora quum corpore exussit: tertio capto Lacedæmonii pectus dissecuere caussa videndi: hirsutumque cor repertum est*: confirmat Abstemius auctoritate Scriptoris Græci, qui de Andavia Messeniæ urbe hæc literis commisit: *ex hac Aristomenes fuit insignissimus bellator, quem Lacedæmonii, quod ab eo sæpius victi essent, admirantes, quum in Messeniacis bellis magna difficultate cepissent, dissecuere, speculatique sunt, si quid præter ceteros haberet, & invenerunt intestina ejus aliusmodi, ac ceterorum hominum esse consueverunt, & cor hirtum*, ut Herodotus, & Plutarchus memoriæ prodiderunt. Hujus Aristomenis justitiam, & continentiam singularem, ita laudat D. Hieronymus in opere contra Jovinianum: *Aristomenes Messenius vir justissimus, victis Lacedæmoniis, & quodam tempore nocturna sacra celebrantibus, quæ vocabantur hyacinthina, rapuit de choris ludentium Virgines duodecim, & tota nocte gradu concito fugiens excessit de finibus Spartanorum. Quumque comites ejus vellent violare, monuit quantum potuit, ne hoc facerent, & ad extremum quosdam non parentes interfecit, ceteris metu coercitis. Redemtæ postea a cognatis puellæ, quum Aristomenem cædis reum fieri viderent, tamdiu ad Patriam non sunt reversæ, quamdiu judicum advolutæ genibus defensorem pudicitiæ suæ cernerent absolutum.*

C A P. II.

Conjux non conjunx scribendum ostendit Abstemius contra Priscianum, affertque testimonium ipsius Prisciani omnium gravissimum; licet enim lib. 7. in unx commune, hic, & hæc conjunx hujus conjugis, esse affirmet, esse tamen lib. 5. refert plures, qui hujus nominis nominativum sine *n* scribendum putent. In vetustissimo codice Ovidiano conjux absque *n* semper scribitur, itemque in antiquissimo Lucani codice lib. 3.

Me non lethææ conjux oblivia ripæ
Immemorem fecere tui . . . .

Præterea conjux rectius a *conjugo as* derivari videtur, quam abjecta *go*, & addita *x*, a conjungo.

Instar enim boum conjuges jugo colla subjiciunt: fit hinc, ut in Horatiano carmine Seculari legamus:

Diva producas sobolem, Patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, plorisque novæ feraci
Lege marita.

Fœdera quoque matrimonii vincula jugalia appellat Virgilius 4. Æneid. Jugarius etiam vicus fuit Romæ sic nuncupatus teste Festo, quod ibi Junonis Jugæ ara fuerit. Idem autem esse jugare, & jungere significat Tullius lib. 3. Tusculan. Quæstionum: *Hoc quidem est commune virtutum; omnes inter se jugatae sunt*. A jugare igitur fit conjugare, unde conjugium, conjugatio, & conjux. Levissima vero est Prisciani ratio illa, qua in obliquis *n* abjici differentiæ caussa conatur ostendere, ne cum verbo confundat: multa enim alia nomina in Latio sunt, quæ a verbis neque literatura, neque syllabarum quantitate dissentiunt: Contemplator enim nomen est, & verbum; amor item, & caligo: quid ni igitur esse potest casus obliquus conjungis, qui a nominativo conjunx ex analogia sit derivatus? non ergo conjunx, sed conjux scribendum est.

C A P. III.

Eos decipi ostendit Abstemius, qui omnes codices emendant, ubi *Spoletinos* legunt pro *Spoletanos*: in omnibus enim Martialis exemplaribus se legisse ait:

De Spoletinis, quæ sunt cariosa lagenis,
Malueris, quam si musta Falerna bibas.

Affert etiam locum Plin. lib. 3. natur. histor. *Santinates, Sarsinates, Spoletini.* Cicero item de claris Oratoribus: *Publium Comatium Spoletinum, quo accusante, defendi C. Cornelium*. Neque vera semper est Prisciani regula: *in um neutra, consonante antecedente*

dente um, derivativis habent A ante nus: Nam Tarentum, Surrentum, Bruxentum, Grumentum habent quidem consonantem ante um, ab his tamen Tarentinus, Surrentinus, Bruxentinus, Grumentinus derivantur. Martialis in Xeniis.

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clusa dato.

Idem ibidem: *Surrentina bibis? nec myrrhina picta, nec aurum*
Sume: dabunt calices hæc tibi vina suos.

Plinius item lib.3. Natur. histor. hæc habet: Lucanorum autem hinc Atinates, Bruxentini, Eburini, Grumentini, Potentini: huc accedit, quod in tribus Græcis Ptolemæi exemplaribus, quæ in Bibliotheca Guidi Ubaldi Urbini Ducis servabantur, & in historia Longobardorum, vetustissimis exarata literis, & in aliis latinis vetustis codicibus Spoletium quadrisyllabum reperit Abstemius: conficitur ergo ex analogia, ut ex Aretio Aretinus, sic ex Spoletio vocem Spoletinus formari.

C A P. IV.

Carthaginienses cum I litera inter primum *n* & *e* scribendum conficit ex Prisciano, cujus hæc sunt verba lib. 4. *Si tertiæ sunt declinationis abjiciunt extremam s genitivi, & assumunt ensis, ut Pistor, Pistoris, Pistoriensis. Carthago, Carthaginis, Carthaginiensis*

C A P. V.

Tortelius quotidie per *q* non cotidie per *c* scribi putat, & Quintiliani testimonio se tuetur, quod tamen contra ipsum Tortelium facit, ita enim Quintilianus: *Frigidiora bis alia, ut quicquid* e *quartam habere, ne interrogare bis videremur, & quotidie non cotidie, ut sit quot diebus. Verum hæc jam inter ipsas ineptias evanuerunt.* Non sunt igitur a Tortelio verba Quintiliani: præterea Marius Victorinus vir doctissimus in libello de Orthographia cotidie per *c* scribendum præcipit, *quamvis enim* (inquit) *coquus, a coquendo, & quotidie, a quoto, & die derivata sint, per* c *tamen, non per* q *scribenda sunt*: addit etiam Abstemius affinitatem, quæ est inter *c*, & *q*, ex qua fit, ut sæpe *q* in *c* mutetur (ut videre est in vetustis æneis Tabulis) &, *pequniam*, quam pecuniam dicimus, legamus: quapropter idem in *quotidie* factum esse contendit Abstemius.

C A P. VI.

Mediolanium sex syllabarum dictionem fuisse, non ex græcorum modo Strabonis, Stephani, Ptolemæi, verum etiam latinorum codicum scriptura probat Abstemius: tres etiam Ptolemæi codices ex bibliotheca clarissimi Ducis sui profert; codices etiam Valerii, & Osorii, librumque Confessionum S. Augustini, quem Anconæ viderat, ubi pluribus in locis Mediolanium scriptum invenit.

C A P. VII.

In Lucani versiculo

Crustumiamque rapax, & junctus Sapis Isauro.

Legendum putat Abstemius Isapis ex opinione græcorum, veterumque codicum auctoritate fluvium hunc, quem Isapim appellat, Strabo haud longe a Cesena fluere narrat Geographiæ lib. 5. Plinii, & Boccatii, qui Sapim scripsit, testimonium elevat, quod hic fatali latinæ linguæ sæculo vixit; ille vero temporum culpa corruptissimus, & mendosissimus est; nec dubitat, quin in emendatis exemplaribus Isapis reperiatur.

C A P. VIII.

Ennam urbem Solinum sequutus ita describit Abstemius: In eadem Insula (Sicilia) circa medium Urbs est Enna nomine, edito in loco, & undique præcipiti sita, & a Syracusanis condita, quæ umbilicus Siciliæ dicitur. Hæc imminet circumstantibus campis ubertate, & florum varietate conspicuis: unde Solinus (a) scribit: *Campus Ennensis in floribus semper, & omni vernus die.* Tantam esse in his locis fragrantiam, quæ ex florum frequentia halat, alii tradiderunt, ut sagaces canes sensu careant odorandi, naturam sensus florum odore vincente. Hinc raptam a Plutone Proserpinam Cereris filiam dixit anti-qui-

(a) *Polihistor. de Sicilia, & Peloriade terra, & de aquis memorandis, & montibus cap. 10. in aliqua tamen hujus libri editione legimus* Ætnensis.

quitas, dum cum Diana, & Minerva flores legeret in pratis: haud procul est foramen prægrande longe sub terram penetrans, per quod fabulantur raptam (*a*) Proserpinam curru a Plutone ad Inferos esse deductam. Propterea in hac Urbe Cereris sacra (*b*) mira celebritate fiebant, unde Romanos ea vexisse, testis est Valerius Max. (*c*) atque Lactantius. (*d*) Addit Ovidianum locum (*e*)

Grata Domus Cereri, multas ea possidet Urbes,
In quibus est culto fertilis Enna solo.

Claudiani etiam versiculum ex libello de raptu Proserpinæ sumtum.

Viderat herboso sacrum de vertice vulgus
Enna parens florum . . . .

Sub hunc subjicit versus Silii Italici de specu, raptuque Proserpinæ (*f*)

Enna

(a) *Eruditissimus Vir Claudius Gaspar Bachetus ad eum locum Epist. 4. Heroid. Phæd. ad Hippol.*

Tẽpore quo vobis inita est Cerealis Eleusin,
Gnossia me vellem detinuisset humus.

Sollemnia Cereris inter Eleusinos instituta fuisse narrat, quo tempore Ceres raptam ad Ennam a Dite Proserpinam quærens, ad eos populos pervenit, a quibus humaniter habita, ac liberaliter quum fuisset apud Celeum hospitio suscepta, gratam se benemeritis de se Gentibus præbens Triptolemum Agriculturam docuit: Eleusini vero ob accepti beneficii memoriam Deæ Templum dedicarunt, Eleusinaque sacra celebrare cœperunt: Eleusis autem Græce, latine adventus quum sit ob Cereris adventum, locus ipse Eleusis appellatus est, ut docet Sciptor magni Etymologici. Testimonium dicit secundum hæc Julius Firmicus. Ad Atticæ Urbis locum pervenit. Illic hospitio recepta, incolis incognitum adhuc triticum dividit. Locus ex Patria, & ex adventu Mulieris nomen accepit. Nam Eleusin dictus est, quod illuc Ceres, relicta Enna, venerat.

(b) *Libet ad hunc locum afferre, quæ de Enna literis tradidit Claudius Marius Aretius in lib. de situ Siciliæ, qui inter varios positus est, quos in partem primam Collectionis amplissimæ,* ubi de situ Siciliæ, *conjecit Nobilissimus, atque Eruditissimus Vir Jo: Baptista Carusius, cujus immaturum interitum non literæ modo, literatique homines, verum & ii vehementissime doluerunt, quibus graves Optimorum Virorum casus omnium maxime luctuosi esse solent.* Hæc eadem Ceres antiquissima, & Princeps fuit omnium sacrorum, quæ apud omnes gentes, nationesque fiebant; Atque Cererem Siculorum Reginam constat leges statuisse, frumenti item usum homines docuisse, ejusque filiam Proserpinam ab Orco Molossorum Rege, quem Ditem dixerunt, raptam. Erat in Templo, cujus pars adhuc stat, simulacrum Cereris e marmore, & in altero Liberæ. Præterea quoddam ex ære modica amplitudine, ac singulari opere cum facibus perantiquum. Ante ædem in aperto, ac propatulo loco signa duo erant, Cereris unum, alterum Triptolemi pulcherrima, & perampla. Insistebant in ipsius Cereris dextera simulacrum pulcherrime factum Victoriæ. Philonides Ennensis medicus fuit celeberrimus: Oppidum vicinum hodie *Calathasibetta* valle ingenti ab Enna discretum: Asserum olim ampla Civitas fuit, nunc Assarum. In ipso Crisa amne (de quo paullo ante memoriam fecimus) & in ea via, qua Assaro itur Ennam, erat Fanum, tunc singulari religione Crisæ consecratum (is apud Asserinos habebatur Deus) & in eo ipsius Crisæ simulacrum præclare factum. *Horum multa a Verrinis Aretius descripsit.*

(c) *De observata a Roma. relig. cap. 1. n. 1. Locum afferre etiam poterat Abstemius lib. 4. Verrinarum cap. 48. 49. 50. 51. ubi luculenter omnia ad id pertinentia, dilucide narrantur.*

(d) *De origine erroris lib. 2. Divin. institut. cap. 4. ubi Ennensem Cererem, sive Catanensem appellat: qui locus a Petro Carrera Cive Catanensi esse videtur. Hic enim in lib. de veteribus monumentis Catanæ Urbis, Cererem Catanensem dicendam esse vehementissime contendit.*

(e) *Lib. 4. Fast. vers. 421.*

(f) *Lib. 14. vers. 238. Fusius narrationem raptus persequitur Ovid. eodem Fast. libro, gemitumque Cereris, ejusque Cursum a campis Ennæ cœpisse narrat vers. 455.*

Attonita est plangore Ceres, modo venerat Ennam,
Nec mora: me miseram, filia, dixit, ubi es?

Et vers. 56.

Sic Dea, nec retinet gemitus, & concita cursu
Fertur, & e Campis incipit Enna tuis.

Enna Deûm lucis sacram dedit ardua dextram;
Hic specus ingentem laxans telluris hiatum
Cæcum iter ad manes tenebroso limine pandit,
Qua novus ignotas Hymenæus venit in oras:
Hac stygius quondam stimulante cupidine Rector
Ausus adire diem, mæstoque Acheronte relicto
Illicitas egit currum per inania terras:
Tum rapta præceps Ennæa Virgine flexit:
Attonitos cœli visu, lucemque paventes
In styga rursus equos, & prædam condidit umbris.

Bellum servile præterea refert, quod Eunus Syrus concitaverat, fugamque servorum ad hanc urbem; ubi a Perpenna Rom. Imper. obsessi, & fame consumti sunt. Hæc narrat Abstemius, quæ a Strabone descripsit: *Intra Insulam est Enna modicis quidem possessa inquilinis super collem jacens; in qua sacra Cereris ædes est: ea montanas amplectitur planities totas arabiles. Eunus cum fugitivis obsidione pressus illam præcipuis affecit cladibus, vixque tandem a Romanis evulsi sunt. Eadem mala perpessi Catinenses, & Taurometani, aliique complures.*

Postquam Testimonia hæc sumsit Abstemius, id asumit, quod sibi facile concedendum esse videtur, deceptos fuisse bene multos ea similitudine, quæ est inter Ennam, & Ætnam, locumque illos Flori, Valerii, Lactantii, & Solini maxime corrupisse, emendare quum conarentur. (a)

Opponitur tamen Abstemio Lucani auctoritas, qui in primo Pharsaliæ bella servilia sub Ætna ardenti gesta fuisse cecinit. Ardentem autem quum dixit, aut Ætnæ Oppidulum, aut Ætnam omnino ipsum, qui flammarum globos emittit, neque plane Ennam significavit. Verum enim vero, aut versum Librariorum inscitia vitiatum fuisse respondet Abstemius, aut Ennam ardentem dici ob incendia bellorum, eo quidem pacto, quo insignis Poeta dixit.

. . . *Relliquias Troja ex ardente receptas*
& . . . . *Flammis Asiam, ferroque carentem.*

Sed esto, neque mendum est, neque ita locus explicandus, at Synecdoche esse potest, at ponitur pars pro toto. Conficitur hinc Lucanum, Ætnam quum dixit, Insulam universam significasse, quæ servorum incursionibus vastata, ac direpta fuit (b) Ita Florus: *Quum Eunus illo simulato furore quadraginta millium fecisset exercitum, castellos, vicos, oppi-*

(a) *Redarguit Petrum Bembum Virum alioquin eruditissimum Jacobus Bonannus Columna Dux Montis Albani, Vir generis nobilitate, & doctrina clarissimus eo loco, ubi de Enna verba facit, Veterum Syracusarum lib. 1. quod eo libro, quem de Ætna scripsit, prodiderit literis Cardinalis amplissimus, templum Cereris in Ætna fuisse, Scriptoribus fere omnibus, iisque gravissimis refragantibus. Addit Bonannus, a Siculis* Castro Janni *nunc appellari Sicula voce, ab illa veteri* Castrum Ennæ *detorta. Imperiti quidam Homines* Castro Giovanni *appellant, aniles quidem fabellas cum Christophoro Scanello narrantes, qui de Rege Joanne multa prodidit, quæ rerum præteritarum peritis Hominibus, & doctis nullo pacto probari possunt.*

(b) *Invenies quidem apud Florum lib.3.c.19.* Siciliam multo cruentius servili, quam Punico bello esse vastatam, Syrum quemdam nomine Eunum fanatico furore simulato Syriæ Deæ comas (*comas alii, explicantque saltationis genus, alii ceremonias legunt, quorum tamen lectio, bona eorum pace, haud satis probatur*) jactasse, & ad libertatem, & arma, servos quasi Numinum imperio concitavisse: Et id, ut divinitus fieri probaret, in ore abditam nuce, quam sulphure, & igne stipaverat, leniter inspirantem flammam inter verba fudisse: sexaginta amplius millium fecisse exercitum, Regisque (ne quid malis deesset) decoratum insignibus, castella, oppida, vicos, miserabili direptione vastavisse, castra Prætorum Maninii, Lentuli, Pisonis cepisse; Perpenna Imperatore supplicium de iis sumtum fuisse, hunc, victos, & apud Ennam novissime obsessos, quum fame quasi pestilentia consumsisset, reliquias Latronum compedibus, & catenis religavisse, crucibusque punivisse, Insulam respirasse. *Hæc quidem invenies, sed verba tamen, quæ Abstemius, ut a Flori Epitome descripta, recitat, nusquam invenies.*

oppida miserabili direptione vastavit; cepitque multorum castra Prætorum. Quare fugitivorum rabies non in unius tantum Urbis, sed in totius Insulæ mala grassata est.

Jam vero Ætnæ Situ Boccatium (a) redarguit, & errorem refellit. Hic enim nominum similitudine deceptus Ætnam Montem in media Sicilia collocavit: nam Ætna Mons (b) cum ejusdem nominis Oppidulo littori Catanensi imminet Strabone teste: Qui igitur in media Sicilia esse potest? aut si in media Sicilia est, qui tanta potest vi æstuare, ut Catinam usque erumpat incendium? Quum enim, & ingens, & triangularis Insula sit, umbilicum ejus longe a littore, ubi Catina, distare necesse est. Dicendum igitur vocum similitudine Boccatium æque deceptum, atque illos fuisse, qui Valerium, Lactantium, Florum, Solinum corrupere. Ad Ennam igitur fugitivorum Exercitus obsessos, & fame consumtos fuisse, eoque legatos a Romanis missos ad Cererem propitiandam, cujus Simulacrum, Templumque vetustissimum singulari religione per ea tempora colebatur; Ætnamque ab Enna multum distare ratum, firmumque sit. Quid si bellum illud servile ab Euno concitatum huic Lucani loco non convenit? Quid si nihil minus Lucano propositum fuit, quam hujus Euniani belli mentionem facere? Bella enim civilia ceteroqui detestanda, atque execranda, id boni attulisse, ait, quod per ea a Julio Cæsare gesta, deinceps ab Augusto, Imperium constitutum fuit, quod ad Neronem pervenit, in quo Cæsarum progenies, (c) ut scribit Svetonius, defecit. Minus igitur dolenda esse, Lucanus ostendit, quod tot bellorum mala poterant tanto Principe compensari.

Quid est igitur Euno cum Julio Cæsare? quid cum Augusto, & Nerone? quid in hujus Imperium conferre potuit, quum bellum servile ab Euno concitatum, multo ante bellum Cæsarianum, gestum sit? Quid ergo est? Decepti fuere Interpretum aliqui, bellum Eunianum a Lucano significari existimantes. Loquitur enim de bello civili, quod Augustus adversus Sextum Pompejum Cn: filium gessit, servile autem ideo dicit, quod Sextus servis maxime ad id usus est. Enumeratis enim tribus maximis bellis civilibus a Cæsare in Thessalia gestis contra Cn: Pompejum, in Africa contra Scipionem, in Hispania contra filios Pompeii Magni, ad ea descendit, quæ gessit Augustus Perusiæ contra L. Antonium, Mutinæ contra Marcum Antonium, in sinu Ambracio contra eundem, ac tandem ea describit, quæ in Sicilia fecit contra Sextum Pompeii filium omnium gravissima: hæc autem ideo servilia appellat, quod, ut dictum est non ita multo ante, ad hæc Sextus Pompejus servos armavit: bella vero civilia tantum Lucanum demonstrare voluisse, vel ex eo facile intelligi potest, quod in iis versiculis legimus.

Multum Roma tamen debes civilibus armis (d)
Quæ) vel ut alii legunt) *Quod tibi res acta est* . . . .

VA-

(a) *Libro de Montibus*.

(b) *Virgil. lib. 3. vers. 570.*

Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse, sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis.

(c) Cæsarum progenies, *Familia Augusti: ita Eutropius lib. 2. cap. 11. Adscribit Orosius*; atque in eo omnis familia Augusti consumta fuit, *Tacitus in Nerone*, ut qui unus superesset e Familia summum ad fastigium genita. *Perperam itaque Juvenalis Sat. 4.*

Quum jam semianimum laceraret Flavius Orbem
Ultimus, & calvo serviret Roma Neroni.

Calvum quum dicit, Flavium Domitianum intelligit, in quo originem Cæsarum defecisse falsum est.

(d) *Quid enim Roma debet bello Euniano? Quid cum hoc habet Perusina fames? quid Mutinæ labores? quid Leucas? Sed jam locum ipsum afferamus, quo lecto, recte poterit eruditus Lector de Abstemiana interpretatione judicare.*

Quod si non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque æterna parantur
Regna Deis, cœlumque suo servire Tonanti
Nonnisi sævorum potuit post bella Gigantum,
Jam nihil, o Superi, querimur; scelera ista, nefasque
Hac mercede placent. Dira Pharsalia campos
Impleat, & Pœni saturentur sanguine Manes:
Ultima funesta concurrant prælia Munda;
His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæq; labores
Accedant fatis, & quas premit aspera classes
Leucas, & ardenti servilia bella sub Ætna.

VALENTIS ACIDALII
VITA.

Acidalius Valens Wistochensis primas inter Criticos obtinuisset, diutius in vita si fuisset, sed immaturo ejus interitu expectatio ingenii, atque industriæ, quam, dum viveret, sustinuit, decepta fuit. Postquam Alemaniam, Italiam, aliasque regiones obivit, ut plures Academias inviseret, Bressawil in Silesia diu constitit, futurum sperans, ut sibi honestum aliquod, ac utile munus assignaretur; sed spe tandem desertus ad Catholicam Ecclesiam confugit, atque ab ipsa exceptus, scholæ cuidam regendæ præfectus fuit; cui quatuor menses, aut non ita multo secus, quum præfuisset, cœlestem, divinumque panem, qui in pompa ferebatur, dum sequeretur, phrænesi repente correptus puncto temporis mortem occubuit. Ferunt alii tertium post diem morbo, naturæque cessisse. Ipse sibi mortem consciviSse ab aliquibus perhibetur. Annotationes scripsit in Q. Curtium, in Tacitum, in duodecim Panegyricas Orationes, & in Vellejum Paterculum. In scribendis carminibus, quorum multa in Delicias Germanorum Poetarum conjecta sunt, Borrichius mediocrem fuisse censet. Ejus Disertatio *de Constitutione Carminis Elegiaci* Barthio valde probatur. In libello quodam anno 1695. edito, feminas ratione, ac mente carere, eum contendisse, rerum æstimatoribus callidissimis falsum esse videtur. Scioppius, qui eum medicum appellat, annotationes in Agellium fuisse fortasse editurum, tradit, diutius si vixisset: ex ejus certe literis in Apuleii scriptis laboravisse intelligimus. In celeberrimi nominis pueros a Bailleto refertur; quod decimumseptimum annum agens, vel circiter decimum octavum non latina modo carmina, sed & in Plautinas Comœdias observationes, animadversionesque scripserit. Primum omnium ejus operum Vellejus prodiit Patavii anno 1591., quem fructum præcocem ipse dictitans, denuo a Gallis editum fuisse miratur. Sed jam ad divinationes ejus in Plautum veniamus, in quibus studium nimis acre, vehementemque operam quod collocavit, labore ipso (si qua de Thou fides) obrutus, occubuit. Has præ manibus habemus; reliquas hominis lucubrationes diligentissime conquisituri, & in secundam partem hujus Operis in loco conjecturi. Illud non videtur prætereundum, de eo virum gravissimum Justum Lipsium sic scripsisse: *Ipse Valens (non te fallam Augur) gemmula erit Germaniæ vestræ, vivat modo*. Hæc nos ex Morerio, quæ ex Dictionario Critico Bayliano, ex Tesserio, atque ex Elogiis Thouanis Morerius ipse decerpsit.



DEPROMTA
EX
ACIDALIO.

Plauti, Nævii, Pacuvii Epigrammata, sive Epitaphia apud Agellium, Censura Volcatii Sedigiti apud eundem ab Acidalio emendata.

CAPUT I.

Unde initium capiat addubitans Acidalius id Plauti Manibus dare instituit, ut ipsius de seipso epigramma, quod sepulcro suo incidendum reliquisse fertur, primum omnium emendet. Id Varro frustra posteritatis memoriæ commendare conatus est, quod tamen Agellius conservavit; veruntamen mutatum adeo ac deformatum, ut vix ab ipso Plauto, ab inferis si redeat, dignosci possit; adeo confusi sunt numeri, mutata verba, perturbatusque ordo. Sic autem id vel ab iis accepimus, qui omnia omnium rectissime, sibi, facere posse, videntur.

Postquam est mortem aptus Plautus, Comœdia luget
Scena est deserta, hinc ludus, risusque, jocusque (a)
(b) *Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.*

Valens nullo pacto adduci potest, ut credat heroicis carminibus usum fuisse Plautum: hunc vero dicendi modum, *mortem aptus*, a Plautina elegantia quam longissime abhorrere, confirmat. Quidvis aliud probatur Valenti, atque adeo ipsius Stephanicæ lectionis editio *morte datus* (id enim fortasse eo sæculo in usu fuit, pro *morti datus*) (c) quam id loquendi genus. Numeros igitur Senarios fuisse putat, ac in verborum mutatione Prænomen Poetæ, Nomenque latere. Ex illa igitur voce, *mortem*, *Marcus*, elicit; ex illis vero sive *aptus*, sive *datus*, sive *raptus*, sive *captus*, *Attius*; his ita eductis, versum primum sic farcit;

Postquam Marcu' Attius Plautus est demortuus, vel demortuu'st,

quem numerum mensuram pati demonstrat alio versu, quem in Asinariæ Prologo ita legit,

Diphilus scripsit, Marcu' Attius vortit barbare.

Ita enim exscribendum e M. S. docuit Janus Gulielmius, de Plauto optime meritus. Alterum vero verborum trajectione ita emendat,

Deserta scena est, & luget Comœdia

Tertium præterit, neque enim alia verba supersunt, nisi *numerus*, *risus*, *jocus* Quartum autem ita facile restituit,

Et

(a) Plautini joci adeo sæpe obscœni, ut honestas aures, non possint, non offendere. Illud Varronis ex Ælii Stolonis sententia de Plauto judicium, *Musas Plautino sermone loquuturas fuisse, si latine loqui voluissent*, lepidissime notat Muretus variarum lect. lib. 16. cap. 13. eruditissimo Burmanno subscribente: *Si Plautino ore loquerentur Musæ, Meretricio sæpius, quam Virginali ore loquuturæ essent, & plebejo, quam honesto*: de ejus salibus hæc Horatius, conferens Poetas Græcos cum Latinis ep. ad Episones v. 268.

. . . . . . *Vos exemplaria Græca*
Nocturna versate manu, versate diurna:
At nostri Proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere Sales: nimium patienter utrumq;
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego, & vos
Scimus, inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumq; sonum digitis callemus, et aure.

(b) Postquam veteri, mediæque Comœdiæ nova successit, ac sublato nocendi jure, chorus obticuit, suaviores, ac jucundiores ludi comici, jocique fuere. Factum hinc est, ut *hilares amorum Comites, Theatrorum Syrenes, Magistrique dulcioris vitæ* Comicorum aliqui fuerint appellati.

(c) Morti dare. Locutio est notissima, a Decemviris in XII tabulas traducta, ut aliqui arbitrantur. Est autem lex, homicidia coercens, fortasse hæc: *Si quis liberum hominem dolo sciens morti duit* &c. *duit* pro *dederit*; ex *duo* factum *do*: hinc hominem morti dare.

Et numeri innumeri simul omnes collacrumant.

Sub Plautinum, Nævianum, Pacuvianumque Epitaphium, subjicit. Ita de se Nævius apud Agellium, (*a*) ut levi mutatione facta profert Acidalius:

(*b*) *Mortaleis immortaleis flere si foret fas,*
Flerent divæ Camœnæ Næviom Poetam:
Ita, quei postquam est Orcino traditus Thesauro,
Oblitei sunt Romæ loquei lingua latina.

(*c*) Ita vero Pacuvius

(*d*) *Adolescens, tametsi properas, te hoc saxum rogat,*
Uti ad se adspiciens, endo quod scriptum est legas:
Heic sunt poetæ Marcei Pacuviei sita
Ossa. Hoc volebam, nescius ne esses: abei.

Factum præterea de Plauto judicium a Volcatio Sedigito, (*e*) in elocutione Plauto, in Argumentis Cæcilio, principatum deferente, omnino non improbat. Nævio deinceps, Sedigitum tertias concedere facile patitur, verba tamen ejus emendat:

Dein Nævius, qui (f) servet, pretio in tertio est.

Quid sibi velit ly, *qui servet*, omnino non intelligit: qui autem legunt cum Stephanicis libris, *qui servet pretium, tertius est*, videntur, indolem latini sermonis non esse assequuti. Ita vero Acidalius. *Dein Nævius, si quis erit, pretio in tertio est.* Sicuti enim latine dicimus in pretio esse, ita etiam in primo, secundo, & deinceps in tertio pretio esse. Plautus in Pœnulo, Sce. Negotii

...*pri-*

(a) Apud Agellium lib. 1. cap. 24.

(b) Idem, sed paucis immutatis, in Collectaneis Veterum Tragicorum Petri Screverii legimus, ubi de Cn. Nævio Veterum Scriptorum Testimonia referuntur.

Immortaleis mortaleis si foret fas flere,
Flerent Divæ Camœnæ Næviom Poetam:
Itaq; postquam est Orcino traditus Thesauro,
Obliti sunt Romæ lingua Latina loquier.

(c) Apud eundem Agellium lib. 1. cap. 24.

(d) Affertur etiam ab eodem Screverio Pacuvianum Epitaphium, sed pluribus immutatis.

Adolescens, tamenetsi properas, hoc te saxum rogat
Uti se adspicias: deinde, quod scriptum est, legas;
Heic sunt Poetæ Pacuvii Marci sita
Ossa: hoc volebam, nescius ne esses: vale

Quod ut verecundissimum, & purissimum, dignumque elegantissima Pacuvii gravitate ab eruditissimis viris commendatur.

(e) Varro Parmenone apud Nonium, in Poscere, idest accipere: *In Argumentis Cæcilius poscit palmam, in Ethesi Terentius, in Sermonibus Plautus.*

(f) Miror equidem neque Acidalium, neque Stephanum vidisse, unius mutatione literæ locum hunc corruptum fuisse: fervet, enim legendum, ut in Screverianis Collectaneis: sed locum ipsum proponamus.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poetæ Comico quoi deferant:
Eum meo judicio errorem dissolvam tibi,
Ut contra si quis sentiat, nil sentiat.
Cæcilio palmam Statio do Comico;
Plautus secundus facile exsuperat ceteros;
Dein Nævius, qui fervet, pretio in tertio est;
At si quid quarto detur, dabitur Licinio;
Attilium post Licinium facio insequi;
In sexto consequetur hos Terentius;
Turpilius Septimum, Trabea octavum obtinet;
Nono loco esse facile facio Luscium;
Antiquitatis caussa decimum addo Ennium.

Fervere igitur dicitur Nævius, quam vocem ad vehemens scribendi genus Scriptorum optimi transtulerunt. Ita Tullius in Bruto cap. 28. Appii Claudii volubilis, sed paullo fervidior erat Oratio: Idem ibidem cap. 68. & C. Stajenus, qui se ipse adoptaverat, & de Stajeno Ælium fecerat (vel ut Pigh. Fastis ad An. 667. Pætum fecerat) fervido quodam, & petulanti, & furioso dicendi genere: Fervere igitur recte dicitur Nævius, quem in Comœdia vehementius arsisse accepimus, & acriore morsu honestissimos homines, ac nobilissimas Familias petivisse; ejus rei Judicio damnatus pœnas dedit. Quas indicavisse Plautum putant aliqui in Milite glorioso actu 2. sce. 2. vers. 56.

Nam os columnatum Poetæ esse inaudivi barbaro,
Quoi bini custodes semper totis horis accubant.

Hæc tamen alii ad obscœnam, ac flagitiosam sententiam detorquent.

. . . . *primum prima salva sis,*
Et secunda tu secundo salve in pretio, tertia
Salve extra pretium.

Secundum Sedigiti versum sic legit: *Si quid quarto debetur, dabitur Licinio*: Neque tamen eos reprehendit, qui scribunt: *at si quid quarto detur, dabitur Licinio*: acquiesceret, Henrico Stephano, nisi omitteret verbum detur. Sic autem Stephanus. *Si erit quod quarto, dabitur Licinio.* Mutatiunculas, ac turbas reperit in sequentibus, veruntamen in iis immorari, non esse, ait, tanti, ut a re sua se abduci sinat: ad caput igitur secundum progreditur.

Flocco ne, an frustra habere dixerit Plautus. Frustrari. Latus; Hilaris, Pace, Ennius apud Agellium correctus.

CAPUT II.

(a) QUod argumenta, quæ singula singulis Comœdiis, nonnullis etiam bina præfiguntur, studiose ad Plauti exemplum efficta esse videt Acidalius, ipsosque integros versus, vel paullum immutatos deprehendit, vel ex iis certe leviter adumbratos, hinc eorum nullum Plauti esse conjicit Acidalius,

Penultimus hic in Acrostichide:

Uter sit, non quit Amphitruo decernere.

Factus est ex illo, qui in fragmenta conjectus tamdiu omnes fefellit, quoad Gulielmius suo loco reddidit,

(b) *Quid opus est me advocato, qui utri sim advocatus nescio,*
Qui nequeo, vostrorum uter sit Amphitruo, decernere.

Contentus itaque Acidalius hoc uno in loco id indicavisse, quod in multis demonstrare poterat, id breviter hic monet: aut *decernere* in Periocha retinendum contra eos, qui *discernere* apponunt, aut *decernere* contra Nonium in fabula ipsa mutandum esse. Quod ipse sibi eâ assentitur vel maxime, quod & hujus, & aliorum Scriptorum loci bene (c) multi Nonium facile decepere.

De lectione hujus versus ejusdem Periochæ.

Is advenientes servum & Dominum Flocco habet.

non potest a Gulielmio suo, sibi alioqui dulcissimo, non dissentire. Descripserat hic e Membranis Baptistæ Pii *Flocco habet* pro *frustra habet*. Quod Acidalio probaret Gulielmius, si ejus loci sententia de contemtu, despectuque esset, vel si ejus loquutionis vis ludificationem, ludibriumque significaret. Quod vero in hanc partem valere censuit, nihil confecit, quum nullum satis idoneum exemplum afferre potuerit. Idipsum vero Plauti exemplum quod affert, nihil probat; quod se pluribus alias demonstraturum pollicetur. Sensus igitur hujus loci frustrationem, ac irrisionem omnino poscit, cui, frustrari, vel frustra habere, aptissimum esse videtur. Commode hic occasionem nactus est corrigendi. (a) Ver-

(a) Acrosticha, Comœdiarum argumenta complectentia, Prisciano tribuuntur a nonnullis. Hic enim eas literarum ordine digessisse perhibetur, ut facilius evolvantur singulæ, & commodius inveniantur. Quod tamen incertum est: conjiciunt alii e stylo, vel ipsius esse Plauti, vel alterius prope æqualis, ut visum Bocharto Hierozoici T. 1. p. 664.

(b) Sub versum quartum act. 4. sc. 4. statim subjiciendum esse contendit Acidalius. Quamquam luctari non audeo, me tamen haud parum movet, quod narratur a Friderico Taubmanno V. C. in fragmentis Comœdiarum, quæ extant, se ea in suis Codicibus nusquam reperisse.

(c) In Nonio (fragmenta Veterum Scriptorum si excipias, quorum multa nusquam essent, nisi ab eo fuissent diligentius asservata) cetera, quæ habentur, ne mediocri quidem laude digna esse videntur. Neque eruditionum, neque rerum delectus magni habendus. Optimum judicium, ac diligentia desideratur. Ad verborum significationem, & interpretationem quod pertinet, nihil præ Festo; quod est de Nonio eruditissimorum virorum judicium Joan. Mercierii Præf. edit suæ an. 1614. Vossii de Philolo. cap. 5. Baillet. de Lati. Gram.

(*a*) Versus Ennianus, quibus venustissime in varia hujus vocis significatione luderetur, si emendate in Agellio descripti essent.

Nam qui lepide postulat, alterum frustrat,
Quem frustratur, frustra eum dicit frustra esse:
Nam qui sese frustrari quem frustra sentit,
Qui frustratur, is frustra est, si non ille est frustra.

Hos ex editione recentissima & optima suorum temporum recitat Acidalius; veruntamen Tò *nam* alienum esse putat, atque ex initiali pede versus tertii repetitum: excidisse vero putat voculam *se*, quod literæ pene similes essent in capite vocis sequentis (*lepide*) quæ & ad sensum facit, & ad priscam loquendi consuetudinem: Tò *frustrat* item non placet quum in vetustioribus libris *frustrari* legatur. In ultimo versu τὸ *si* versum turbat. Omnia igitur expedita esse putat, si in hunc modum reponantur

Qui se lepide postulat alterum frustrari
Quem frustratur, frustra eum dicit frustra esse:
Nam qui sese frustrari quem frustra sentit,
Qui frustratur, is frustra est, non ille est frustra.

Ex hoc igitur veteri hujus vocis usu assumit Valens frustra habere esse retinendum. Mercurius enim non tam flocci facit Amphitruonem & Sosiam (etsi hoc etiam facit) quam ludificat & frustratur.

Ut vero Gulielmius *flocco habere* non satis bene, ita rursus optime explicat in prologo *Lætum* propitium ac faventem, cui *Tristem* pro irato opposuit. Ita usus est his vocibus Cœcilius, qui tamen *bilarum* pro læto posuit, hasque non sine mediocri (*b*) elegantiæ laude ita conjunxit

Hi sunt inimici pessimi, fronte bilari, corde tristi,
Quos tu neque apprehendas, neque vitare scias.

eos autem notat, qui benevolentiæ speciem, amorisque dum præbent, animo interea malevoli, aversique sunt. In ejusdem Prologi versu:

Propterea pace advenio, & pacem ad vos affero,

quod numeri simplex *fero* requirunt, nisi legatur extrito sibilo ad *vo' affero*. Fero reponit. Jam vero ne versus claudicet, & in ultimo versu Periochæ de qua egimus

Omnem

(a) Lepide *Frustra esse* est decipi, errare, fallere. Lepide igitur significat Ennius. *Qui student alios fallere eos gloriari non posse se statim quos conantur fallere fefellisse.* Popma de differ. verborum lib 2. Par. in Lexico Critico. Idem est hujus locutionis usus apud Sal. de bello Jugur. cap. 85. *ut neque vos capiamini, neque illi frustra sint.* Et apud Plautum Persa act. 1. sc. 3. v. 60.

Nunquam hercle hodie hic prius edis (ne frustra sis)
Quam te hoc facturum, quod rogo, affirmas mihi.

(b) Magnam Elegantiæ laudem horum versiculorum antithetis *fronte bilaro*, *corde tristi* non immerito tribuisse credimus Acidalium. Quamvis enim a Tullio malus latinitatis auctor dicatur Cæcilius, non inde tamen confici posse credimus, nihil boni Comicum Poetam habuisse, eique defuisse veneres omnino omnes, elegantiasque latini sermonis. Natum enim in Vico Mediolanensi barbariem aliquam infuscavisse pro certo habemus: *Latinæ enim, emendatæque locutionis laus, inquit Tullius in Bruto cap. 74. penes quos adhuc fuit, non fuit rationis, aut scientiæ, sed quasi bonæ consuetudinis. Mitto C. Lælium, P. Scipionem: ætatis illius ista fuit laus tanquam innocentiae, sic latine loquendi, nec omnium tamen: nam illorum aequales Caecilium, & Pacuvium male locutos videmus; sed omnes tum fere, qui nec extra Urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat recte loquebantur.* Comœdiæ principatum, ut dictum est, huic detulit Volcatius, & ante Volcatium alii, neque vero hac possessione laudis hominem Tullius exturbat: *Itaque*, inquit, *licet dicere & Ennium summum epicum Poetam; Si cui ita videtur, & Pacuvium Tragicum, & Cæcilium fortasse Comicum.* De Opti. Gen. Orat. cap. 1.

Omnem rem noscunt, geminos Abemena enititur.

sibilum elidendum esse contendit, quod sæpe in Plautinis versibus usuvenire quis ignorat? Ceterum in eodem versu (*a*) *pace* quidam in *pacem* mutare conati nihil agunt, neque enim ad pacem se Mercurius advenire dicit, sed per pacem, ut in act. 1. sc. 1. v. 232

Obsecro, ut per pacem liceat te alloqui.

Idipsum est pace adverbiali formula: nam id genus alia sæpe in Accio nostro reperiuntur, ut *Salute boriae*, *& Nostrum salute socium*, in Tullio etiam & aliis *silentio* reperitur, ut apud Græcos σιγῇ & ἠρεμῇ.

C A P. III.

Παρηχήσεις *in Plauto crebras: In eodem Prologo quædam emendata, & explicata.*

(*b*) ΠΑρηχήσεις Accio nostro in deliciis fuisse ex eo satis intelligere quivis potest, quod crebræ, & multæ ejus comœdiis intextæ sunt. Harum tamen nulla aut longior, aut varia earumdem vocum iteratione copiosior usquam reperitur, quam in Pseudoli Prologo: sunt enim reliquæ passim dispersæ, & multo breviores. Eam libuit Valenti hic adscribere, quæ elegantissima esse videtur.

Studete hodie mihi, bona in scenam affero:
Nam bona bonis ferri reor aequum maxime,
Ut mala malis, ut qui mali sunt habeant mala,
Qui boni, bona. Bonos quod oderint mali
Sunt mali; malos quod oderint boni, bonos
Esse oportet, vosque ideo estis boni, quandoquidem
Semper odistis malos, & lege, & legionibus
Hos fugitastis, Quirites, successis bonis.
Huic vos nunc pariter bonam boni operam date Gregi,
Qui bonus est, & hodie ad bonos affert bona.

Longe brevior hæc in scena principe ejus Comœdiæ præ manibus quam habemus *Optume optumo optumam operam das*: paullo longior ea quæ est in Prologo

Justam rem, & facilem esse oratum a vobis volo:
Nam juste ab justis justus sum Orator datus:
Nam injusta ab justis impetrari non decet,
Justa autem ab injustis petere insipientia 'st.

Nihil usquam offendit Acidalius, ubi sibi sit immorandum, versum si excipias:

Nam juste ab justis justus sum Orator datus.

Lubentius enim ita legeret

Nam juste ad justos justi sum Orator datus.

Mercur. enim Justum a justis juste se oratum venisse narrat: Placeret vel ipsa vulgata lectio si Τὸ *datus ab justis* disjungeres, jungeresque ita: *Orator ab justis* non *datus ab justis*, ita tamen ut Τὸ *justi* addatur: justum enim oratorem dicere pro rei justæ Oratore duriu-

---

(a) Pax, sed in alia significatione usurpatur, ut adverbium a Comicis: estque silentium quietemve imperantis. Plaut. Mil. act. 3. sc. 1. Pal: *hoc facito: Miles domum ubi advenerit,*
Memineris, ne Philocomasium nomines.
Pl. *quam nominem?*
Pal. *Glyceram*. Pl. *nempe eamdem, quæ dudum constituta est*. Pal. *pax, abi*.
Terentius item Heautontimorumenos act 4. sc. 3. Sy. *Unus est dies, dum argentum eripio, pax; nihil amplius.*

(b) Παρηχήσεις invenies venerum gratiarumque plenissimas etiam apud Græcos poetas. Brevem quidem, sed elegantissimam huc afferre libet. Ex hisce Menandri versiculis, quorum primus apud Stoboeum legitur, duos reliquos subjicit Plutarchus in lib. de Tranquillitate vitæ ex *Fidicine*.

Ἀμ' ἐστὶ συγγενὲς τι λυπῇ, καὶ βίος
Τρυφερῷ βίω ἐνδέξῳ βίω σύνεσιν
Παίζουσιν, ἀπόζῳ συγκατασπουδάσκαι βίῳ.

riusculum esse videtur. Justi igitur Oratorem ab Justis interpretandum esse putat. Incurrit deinceps in eum locum:

Sed mos illic nunquam fuit Patri meo,
Ut exprobraret quod bonis faceret boni.
Gratum arbitratur esse id a vobis sibi
Meritoque vobis bona se facere, quæ facit.

In eo versu *Gratum arbitratur &c.* hæret maxime, atque impeditur, neque Tò *Gratum* intelligit, neque Lambini (a) *Gnatum*. Veteribus utens editionibus, ubi *Datum*, facile se expedire posse putat: ita enim interpretatur *Juppiter in bonos beneficia conferens ipse sibi ab illis accipere videtur*, juxta Mimi versum.

Beneficium dando accepit, qui digno dedit,

Ipse ita legeret:

Grave arbitratur esse id vobis, ac sibi

Veruntamen, inquit, *non acquiesco, & aliorum maneo feliciorem medicinam.*

In eadem Prologo non ita multo post v. 52.

Quid contraxistis frontem? quian' tragœdiam
Dixi futuram hanc? Deus sum; commutavero
Eandem hanc, si voltis: faciam ex tragœdia
Comœdia ut sit omnibus iisdem versibus.

Sic vero distinguendum censet Acidalius iis qui Plautinum dictum probius norunt:

. . . . . *Deus sum, commutavero.*
Eandem hanc, si voltis, faciam ex Tragaedia
Comaedia ut sit. . . . .

Ad ea quæ subjiciuntur: *Utrum sic, an non vultis?* præfert (b) *sit* quod legitur in veteribus libris: hoc est *Utrum vultis sit, an non sit Tragœdia?*

Quam liber harum rerum multarum siet v. 105.

Simplicius exponere mallet, quam alii. Scit enim & ipse Acidalius adulteria & stupra intelligi, veruntamen ita simpliciter verba accipienda esse putat, ut multarum ejusmodi rerum liberum Jovem interpretemur, qui libere multa talia facit.

Levius est quod notat in versu 114. ejusdem Prologi: *Dum ille (c) qua cum volt voluptatem capit.* Addit enim *Dum ille quam, qua cum volt, voluptatem capit.* Sed sensus in superiore perfectissimus est, & nihil numeris deest, si vox & syllaba prima non elidatur.

CAP. IV.

Excitare, Implere an Impluere aliquem telis sive flagris legendum sit. Hospitium pugneum. Fragmentum in ipsa fabula ostensum. Varia lectio.

EX emendatione & interpretatione Gulielmii confirmat exemplis *excitare* in his versibus primæ hujus & omnium fabularum longissimæ scenæ.

Haec heri immodestia coegit, me qui hoc
Noctis a portu ingratiis excitavit.

idem

(a) Recte Lambinus: & sine dubio antique *gnatum* pro *natum* dicebant, sed num recte hic reponatur videtur esse valde dubitandum. Hunc enim dicendi modum *id ipsi a vobis natum est* id significare, quod ille contendit *vos promeriti estis, vos meruistis, ut vobis benefaceret*, vix concoqui potest, aut ne vix quidem. Rectius itaque cum vulgatis Noster, quod Mimi versu commode confirmatur *datum* legit; prodit hinc enim vero sua sponte sententia, mireque consentit cum sequenti, *quae in vos contulit beneficia, dignis quod contulit, sibi data esse putat.*

(b) Assentitur huic lectioni Vir Cl. Fridericus Taubmannus.

(c) Vulgaris lectio:
Dum Ille qua cum volt voluptatem capit.
Acidaliana elegantior & expeditior mihi esse videtur. Inficiari non possumus minutam nimis aliquando esse Valentis nostri subtilitatem.

idem esse ac *exigere pellere*. Affert versus Turpilii in Epiclero apud Priscianum.

S. *Quaeso Aedepol, quo ante lucem te subito rapis*
Here, cum uno puero? H. *nequeo esse intus Stephanio*
S. *Quid ita?* H. *ut solent, me curae somno segregant,*
Forasque noctis excitant silentio.

Qui usus vocis satis frequens est apud latinos scriptores: Mart. (*a*) de Mannejo

Sedere primo solitus in gradu semper,
Tunc quum licebat occupare, Mannejus
Bis excitatus, terque transtulit Castra

Plautus idem in Rudente

Nam vox precantum me huc foras excitavit.

Non sunt dissimilia Ciceronis ista (*b*) *Qui in caussa perorandu non dubitavit excitare reum consularem, & ejus diloricare Tunicam*, & ad Att. ep. 1. lib. 2. *Ac nunc quidem ocium est: sed si paullo plus furor Pulchelli progredi posset, valde ego te istbinc excitarem.* Curt. (*c*) *Non contentus musica Artificum, quos e Graecia excitaverat*. Ad hunc versum 93.

Vortentibus Telebois telis complebantur corpora

Palmerium imitatus legit compluebantur: ita enim ille olim in Aulularia a. 3. s. 3. v. 6.

Tempore postquam impluisti fustibus istorum (*d*) *caput.*

Nam ibi vulgo implevisti; confirmaturque Casinæ loco

Quæ nisi erunt semper plena, ego te implebo flagris. A. 1. v. 35.

Sed pro *compluebantur* alius est locus in Mostellaria

Malum quum impluit ceteris, mihi ne impluat. a. 4. sc. 1. v. 15.

Alia est translatio in epidico

Quem quidem hominem irrigatum plagis pistori dabo. a. 1. sc. 2. v. 18.

Quamvis autem utrunque tueri nos posse censeat, ubi tamen opus minime sit, novam lectionem veteri cavet, ne præferamus, quod sibi apponi posce suspicatur, quod in eo versiculo 139.

Certe advenientem me hic hospitio pugnæ accepturus est

reposuerit *pugneo* pro pugnæ. Sed adeo sibi placet in hac lectione Acidalius, ut & in eam jurare paratus sit, neque Plautum scripsisse aliter affirmare: id eo vel maxime facit, quod in eadem voce similiter lusisse videt in Rudente act. 3. sc. 4. v. 52. *Si attigeris ostium.*

Jam hercle messis in ore fiet mergis pugneis

De iisdem pugnis egregius infra locus, ubi expeditis manibus Mercurius ad feriendum se comparat v. 158.

. . . . Mer. *pessimum est*
Facinus, nequiter ferire malam male discis manus,
Alia forma esse oportet, quem tu, pugne, legeris

Alii alia ad hunc locum afferunt, aliique aliis rectius, nemo eorum tamen, quæ affert Valenti probat. Hæc ipse de hoc loco statuit.

Mer.

(a) Lib. 5. ep. 14. v. 1. *Uterque transtulit castra* lego in aliquibus, sed perperam.

(b) De Oratore libro 2. cap. 28.

(c) Lib. 6. cap. 2. Sed hic locus alius apud alios. In meo lego: *non contentus artificum, quos e Græcia excitaverat, turba.*

(d) In optimis ita legitur. *Tempori: postquam implevisti fustibus istorum caput.* Cur non temperi? eadem siquidem vocum est comphrensio *temperi & posquam*, quæ est in Casina a. 2. sc. 6. v. 60. Sth. *Malo, Chaline, tibi cavendum censeo.* Cha. *Temperi, postquam oppugnatum est os.* Scio equidem *Temperi*, & *Tempori* idem esse, atque eundem usum ac significationem habere, sed eadem tamen utrobique lectio ejusdem comprehensionis magis placuisset.

. . . . Mer. *pessimum en*
Facinus! nequiter (a) *ferire mala discit* (b) *manus*,
Alia forma oportet esse, quem tu, pugne, laseris.

Ita corrigit ex antiqua scriptura, nisi tamen verius fortasse *tetigeris*, aut ferendum *legeris* videatur, de quo nihil certi constituit.

Locus primæ scenæ errore vario turbatus in numeros, ordinem, nitoremque suum, quantum quidem fieri potuit, restitutus.

CAP. V.

PArtem eam scenæ hujus, qua prælium narratur, senariis (quod in narrationibus fieri solet) conceptam fuisse suspicatur: *sed magnæ* (jocando inquit) *inibi turbæ, verbis bis laceris, illis trajectis, toto denique loco sic turbato, & confuso, ut interfuisse ipsi prælio, de quo agit, videatur, & vulnera tam varia accepisse. Quæ fuit aliquando, quum sanare meditarer, & per tentamentum versus istos omnes in senariorum lege reponerem; simul quæ trajecta in locum suum reducerem; ad hoc non genuina etiam quædam de aliorum exemplo ejicerem.* Veniam deinde, ut sibi videtur non audacissimi conatus petit, & sperare se, ait, operam suam benevole esse omnes accepturos, qui cogitabunt melius esse hujus loci partes, ita tandem compositas, quam divulsas proferre: sed jam locum ipsum proponamus. v.64.

Postquam exitum est utrinque copia maxima (c)
Nos nostras more, modoque nostro instruximus
Vel (*nos nostras more nostro instruximus, & modo*)
Legiones: contra item hostes suas suo instruunt
Dispertiti viri, dispertiti ordines.

Dein-

(a) Frustra laborat Simeo Bosius, ut ly *ferire* ad id, quod dictum est a Sosia versu 138. *Illic hoc homo denuo volt pallium detexere*, referat, efficiatque hinc vocem esse non ex usu proprio, sed translato sumendam; ea quidem ratione qua Textores pectinis dentibus telam ferire dicuntur, quod etiam dixit Varo de L.L. lib.4. *Densum a pectinis dentibus, quod feritur*, paullo enim attentius consideranti satis manifeste patet ex versu ipso, & ex iis quæ a Sosia, & a Mercurio in sequentibus dicuntur *ferire*, quod est hujus loci, proprie esse *cædere*, *male mulcare*, pugnis aliquem, ac verberibus male habere.

(b) *Pessimum est*
Facinus, nequiter ferire malam maledicis manus. Ita Gruterus,
Quem miror lectionem alioquin corruentem iis minime fulsisse, quæ a Sosia, Mercurioque non ita multo ante dicta sunt. v. 126.
Sos. *Credo ædepol equidem dormire Jolem, atque appotum probe.*
Mira sunt, nisi invitavit sese in cœna plusculum.
Merc. *Ain vero, verbero? Deos esse tui similes putas?*
Ego pol te istis tuis pro dictis, & malefactis, furcifer,
Accipiam. modo sis, veni huc: invenies infortunium.
Quid enim hic haberent, nisi hæc antecessissent maledici? Quid esset quod genus hoc potius, quam aliud pravorum hominum manum suam os nequiter ferire Mercurium, quereretur? quid esset equidem non video.

(c) Quod hic divitis venæ specimen dare, uberesque fontes Acidalius aperire, ideoque pugnam senariis carminibus describere voluit, fecit, ut Eximium hominis ingenium miraremur. Ita enim feliciter singula narrata sunt, & concinne adeo collocata, clareque exposita, ut quam boni Poetæ laudem carmina scribendo sibi comparare optavit in omni vita, jure & hoc loco ei concedendam esse censeamus. Sed hæc ita concinnari ab illo oportuisse, quod quæ in aliis codicidibus exarata sunt, mutila esse videantur, ideoque sententiam, quæ subest, claudicare, id bona Valentis nostri pace assentiri non possumus. Sua itaque laude contentus, haud ægre, quæ a veritate esse sentimus, ut par est, libere Nos dicere, & profiteri, patiatur.

Deinde Imperatores utrique in medium exeunt
Simul extra turbam colloquuntur ordinum,
Convenit, utri victi fient eo prælio
Urbem, agrum, aras, focos, seseque uti dederent
Postquam actum id est, utrinque canunt tubæ, efferunt
Clamorem utrinque: terra contra consonat,
Induperatores utrique hinc illinc Jovi
Suscipere vota: hortari utrinque exercitum.
Pro se quisque ibi cadit, ferit: tela fragunt
Boat Cælum fremitu virum, eque spiritu
Anhelituque nebula constat: vulnerum
Vi crebri hostes cadunt, nostri contra ingruunt:
Sed enim fugam in se nemo tamen convertitur,
Nec decedit loco, quin statim rem gerat.
Animum amittunt priusquam demigrent loco.
Uti quisque steterat, jacet, atque ordinem obtinet.
Hoc ubi Amphitruo herus conspicatus est meus
Dextra illico jubet equites inducere,
Equites citi parent: ab dextra maxumo
Cum clamore involant, alacrique impetu
Fædant, & proterunt ita hostium copias
Jure injustas: nostra, ut voluimus, denique
Superat manus: feroces vi, vi vincimus.
Merc. *Nunquam etiam quicquam &c.*

Non hæc (inquit) *nativa omnium fateor facies est: sed ex medici membris aliquando fractis quum pristinam reparare figuram nequeunt, reparant quam minime indecentem possunt; & cum multis gratiis laudamus eos, adeo non vituperamus. Liceat & mihi in hoc medicinæ genere eodem jure frui.*

Detexere an extexere pallio? Igitur; tum igitur; igitur; tum igitur demum, demum igitur, tum igitur demum, post igitur demum, harum particularum usus exemplis confirmatus. Hu olfacientis. Lassus e Navi. Nescio quis jocose fictum nomen. Scin' quomodo? minantis. Qui, quæ vocaris? Simili 'st, similest. Multa Plauti correcta, illustrata. Quorundam censura castigata. Fruteriana Catulli emendatio comprobata.

C A P. VI.

LAmbini Douzæque (a) Patris explicationem laudat hujus versiculi 138.
Illic hoc homo denuo volt pallium detexere.
Consimile Plautinum dicendi genus, quod ex incerta fabula affertur a Servio, laudat Douza: *Ego hunc hominem detexam Pallio* h. e. *exuam, spoliabo*. Quod in dubium vocat Acidalius: atque haud scit, an in hac phrasi extexendi potius verbum fuerit usurpaturus, quam detexendi. Hæc est vocis significatio in Bacchidibus.
Extexam ego illum pulcre jam, si Dii volunt.
Sed ut hoc ambiguum, sic illud certum Acidalio est, retinendum versum, ut vulgo scribitur, pulcra enim translatio assumitur a textrina ab illis explicata.
Ad eum locum v. 145. *Igitur magis modum in majorem in se concipiet metum.*
Mi-

(a) Mentem Plauti ex iis, quæ Mercurium Plautus ipse dicentem, quasique agentem inducit, videtur Douza ingeniosissime esse assequutus. Neque enim Τὸ *detexere*, adeoque translatio ipsa huic loco apte conveniret, nisi, quod Douza acutissime olfecit, sese ita Mercurius ad pugnam jactando compararet (id enim & loquendi, ac minitandi ratio, & scena ipsa per se satis indicat) ut brachia huc illuc projiciens laborantium textorum morem, habitumque imitaretur.

Mirari se ait tamdiu ita lectum, quanquam non putat esse ineptissimum. Ipse se aptius affirmat

Igitur demum magis majorem in sese concipiet metum.

Qui enim, vel leviter in Plauto versati sunt, facile intelligunt, quam sæpe inter se vices mutent modum, & demum. Sub hæc subjicit *igitur demum* vocem esse omnino Plautinam. Actu 1. scen. 2. v. 11.

. . . . . . *Igitur demum omnes scient*

in Most. act. 2. sc. 1. v. 32. *Miserum est opus*, (a)

Igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet

Aliquando *post igitur demum* habet. Amphit. act. 3. sc. 1. v. 16.

Post igitur demum faciam res fiat palam.

Etiam *tum igitur demum* Trinum. act. 3. sc. 3. v. 50.

Tum igitur demum id adolescenti aurum dabis,
Ubi erit locata virgo in matrimonium.

In Mostellaria *igitur tum* legitur act. 1. sc. 2. v. 51.

Unum ubi emeritum est stipendium, igitur tum
Specimen specitur, quo eveniat ædificatio.

quod alii mutant & vel *tum* objiciunt, vel reponunt *demum*: utrumque perperam. Anastrophe est pro tum igitur, ut contra Mercator: *Demum igitur* legas, quod alias *igitur demum*: ibi act. 3. sc. 2. v. 9.

Demum igitur quum senex vir tunc in ocium &c.

Nec vero ad Anastrophen confugendum; sic enim iterum Mostel. act. 3. sc. 1. v. 159

Igitur tum accedam hunc, quando quid agam in venero.
Igitur etiam pro *tum* reperies in *Casina* act 2. sc. 2. v. 39.
Mox magis, quum otium mihi, & tibi erit:
Igitur tecum loquar, nunc vale.

In Milite act. 3. sc. 2. v. 177. *Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo.*

Quem usum hujus particulæ Fruterius quum viderit, ita Catulli locum emendavit:

(b) *Cui faveam potius? Cæli tibi: nam tua nobis*
Perspecta est igitur unica amicitia,
Quum vorana meas torreret Flamma medullas.

Ad hanc eandem scenam. Qui versus sincerus hujus scenæ maxime esse videtur; non est.

Mer. *Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris*

In veteribus editionibus non est *os*, recte quidem. Neque enim *os*, sed totum hominem vult exossari. Patet ex iis, quæ a Sosia subjiciuntur. Quod vero versus labat, transpositione fulcit

Exos-

(a) Proverbium in eos, qui inertes, desidiosique quum sint, tum demum sibi adjumenta ad aliquid comparare conantur, ubi necessitas gravis est, nec res tempus patitur. *Igitur* & hoc loco, ut non ita multo post, pro *tum* ponitur. Hæc est enim mens Philolochi adolescentis, qui ebrius quum esset, timeretque de adventu Patris, quid faceret frustra quærebat: *Miserum esse tum demum Puteum fodere ad aquam hauriendam, quum sitis urget, & fauces uruntur.*

(b) Aptius multo, & clarius Muretus, quam Scaliger, cui probationes, perspectionesque operum

Cui faveam potius? Cæli tibi: nam tua nobis
Perspecta exigit hoc unica amicitia.

a latinis Scriptoribus sunt repetendæ, ut translationem in hunc locum deducat, cujus ope, & *exigitur* quod legit, suam explicationem confirmet. Dum vero Vir cæteroqui laudandus totus est in in Magistellis, *spinosos* quos vacat, perstringendis, incaute præter gressus est, quod e veteribus M. S. olfecit Achilles Statius, qui si *perspecta* reposuisset pro perfecta loci optime concinnati gloriam vel optimis interpretibus præripuisset. Ita igitur Statius: *In manuscriptis etiam perfecta est igitur.*

Ita enim ea nihil translatione opus est, quæ per verbum *exigitur* ad versiculum Catullianum affirmitur ex opere quod ad regulam libellamque *exigi* solet, quum Plautinus usus particulæ *igitur* ipsi Cæsari non ignotus (Ita enim Cæsar: *Mox magis quum ocium erit, igitur tecum loquar*) nativum depravato loco nitorem, elegantiamque restituat.

Exossatum oportet esse, quem probe percusseris

Non longe hinc *Olet homo quidam malo suo: hu! S. numnam ego obolui?*

Particula *Hu* ex Aristophane olfacientis est, & quasi naribus venaturam facientis: Neque adfirmat hic tantum positum Acidallus, sed tam apte poni potuisse censet, ut nihil aptius. Veruntamen & *hei* trepidantis quum sit, sibique Sosia valde metuat, non alienum ab hoc loco esse videtur.

Ad versum 174. *Lassus sum hercle e navi, ut vectus huc sum: etiam nunc nauseo;*

Præpositio *e* si retineatur, ita legendum censet

Lassus sum hercle e navi; ut vectus huc sum, etiam nunc nauseo.

Alibi enim *lassus de via* dicitur. Lambinus præpositionem tollit, cui Noster assentitur, dummodo ita interpungat.

Lassus sum hercle: navi ut vectus huc sum, etiamnunc nauseo.

Plautus alibi præpositione in utitur. Bacchid. Act. 1. sc. 1. v. 73.

Nam ut in navi vecta es, credo timida es.

Ad v. 177. SOS. *Salvus sum, non me videt,*

Nescio quem loqui autumat: mihi certo nomen Sosia est.

Vel id referendum arbitratur ad mutationem nominis, de qua non ita multo ante versu 148.

SOS. *Formido male,*

Ne ego hic nomen commutem meum, & Quintus fiam e Sosia.

Vel ad ἔτυμον nominis ipsius Sosiæ ἀπὸ τοῦ σώζειν, vel σώζειν latine *servare*, eo quidem pacto apud Græcos, quo apud latinos a servando servi communi opinione dicuntur. Hæc cum Lambino; quocum tamen minime facit. Neque enim inde efficitur non loqui Mercurium de Sosia, quod de ignoto homine loquatur: Neque poterat notus esse, neque necesse erat ut esset. Jocum potius subesse censet in τῷ *Nescio quem*; ut crediderit Sosia τὸ *Nescio quis* nomen esse ejus, quem Mercurius loqui dicebat. Infert inde igitur, quum *Nescio quis* ipse minime sit, sed *Sosia*, ad se verba Mercurii nulla ratione spectare posse, quod præcipue confirmatur per ly *certe*, quod repetit ex Mercurii sermone. Addit exemplum Cyclopis Homerici, cui οὖτις ridicule imponebat.

Ad v. 20. *Hic, inquam, habito ego, atque horum sum servus.* MER. *scin' quomodo*

Faciam ego hodie te superbum, ni hinc abis?

Sic mutat MER. *at scin' quomodo?*

Faciam ego hodie te superbum, ni hinc abis

Scin' quomodo Minantis formula est Plauto familiaris; quam habet idem Plautus

In Rud. act. 3. sc. 5. v. 6. LAB. *Tangam hercle vero.* DÆM. *tange, sed scin' quomodo?*

In Pænulo act. 1. sc. 2. v. 162.

ADEL. *Abscede hinc sis sycophanta.* MIL. *pareo.* AD. *scin' quomodo?*

In Aulul. act. 5. sc. ult. v. 21.

STR. *Soleo hercle ego garrire nugas, ita loquar* LYB. *At scin'*

Ibid. act. 1. sc. 1. v. 8. *Quomodo?* STR. *vel hercle enica.*

At scin' quomodo tibi res se habet?

Ad v. 226. M. *Quid igitur? qui nunc vocare?* SO. *Nemo, nisi quem jusseris.*

Monet ne τὸ *qui* ad verbiali formula capiatur, sed pronominali. Ita in Bacchid. act. 3. sc. 3. v. 68.

MNE. *Ubi ea mulier habitat?* LY. Hic. MN. *unde eam esse ajunt?* LY. *Ex Samo*

Quæ vocatur.? LY. *Bacchis.*

Terentius Adelphis act. 5. sc. 6. v. 3. DEM. *ob qui vocare?* GE. *Geta.*

Ad v. 248. *Nonne hac noctu nostra Navis ex portu Persico*

Venit, quæ me advexit?

Legit potius, quod syllaba versui deest

Nonne nostra Navis hacce Noctu ex portu Persico

Vel *Nonne hac noctu nostra Navis huc ex portu Persico*

Ad v. 273. ME. *Cadus erat vini: inde implevi cirneam.* SO. *ingressu' st viam.*

ME. *Eam ego, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri*

Simplicem in apertis verbis sententiam esse contendit, Gulielmio repugnante, qui in argutiis jocatur. Intelligendum enim est *eam cerneam*, vel ut alii malunt *hirneam vini*, ut *poculum vini*. Versum ait claudicare si ultima vini elidatur, rescribendum potius ex M.S. *eduxi clam meri*.

Ad v. 287. *Etidem habet petasum, ac vestitum, tam consimile'st, atque ego.* Malunt alii *similist*, & *consimilist*, vel consimil'est; quasi quicquam intersit. Nonium notat qui *Similest*, *Qualest* somniavit Neutrorum Flexu pro *similis qualis est*. Veteres enim extrito Sibilo *prob'es*, & *optum'es* scribebant, nos etiam sequentis syllabæ prima litera extrita *probu't optumu'est*, quod & in aliis, ubi ultimam præcedentis syllabæ *us* cum prima sequentis *es* & *est* coeuntem reperimus.

Tis. Timidus. Tumidus: Percutere. Illi. Parcere. Pascere, compescere: Polla Paulla. Plauti versus unus e fragmentis exemtus. Varronis duo in integrum restituti. Scena ordine sequens varie correcta, & interpretatione, & aliorum auctorum collatione illustrata: denique a quorundam emendatione defensa.

CAP. VII.

AD v. 1. sc. 2. *Bene, prospereque hoc hodie operis processit mihi.* Hodie delet numerorum caussa. Si cui vero libet relinquere *Bene prospere* legat hoc est (a) *valde prospere*, ut hoc adverbium sæpe sumitur. Ita igitur legamus:

Bene prospere hoc hodie operis processit mihi.

Huc quasi postliminio e fragmentis revocat hunc versiculum

Uno ut labore absolvat ærumnas duas.

Ad v. 26. JUP. *Ædepol quod tui me, neque domi distædeat*

Scripturarum varietate reputata sic forte scribendum censet:

JUP. *Ædepol haud quod me domi, neque quod tis tædeat.*

Reponit antiquum genitivum *tis* pro *tui*. (b)

Ad v. 53. *Ædepol nae illa. Si istis rebus te sciat operam dare.,*

Ego Faxim te Anphitruonem esse malis, quam Jovem.

Acumen sententiæ Lambinum decepit, quæ nihil quicquam pertinet ad Junonem, sed omnino ad Alcumenam. Ita autem probe eruitur. Si te talem Alcumena novit, male adeo te profecto habebit, ut mutationis, ac simulationis hujus te pœniteat, malisque Juppiter esse, quam Amphitruo. Sed nae particula e primo versu exigenda est, & ad secundum transferenda hoc pacto.

Ego faxim Anphitruonem næ esse malis, quam Jovem.

Ad v. 28. ME. *Facitne ut dixi? timidam palpo percutit.*

Ita Mercurius ad spectatores, sed *tumidam* dixisse arbitratur, non *timidam*. Quis enim timidam Jovem placasse unquam credat? *Tumidam* igitur, quippe quæ irata erat, quod simulatus Amphitruo præpropere vellet discedere: dixerat enim non ita multo ante:

Verum quod tu dicis mea Uxor, non te mihi irasci decet.

Tumere vero, ut & *in fermento esse* pro irasci millies apud Plautum. Testimonium subjicit Statii Papinii 2. Silv. Epicædio in Glauciam Melioris (c) *Accensum quis bile feret, famulisque tumentem Leniet?*

Sed

(a) Juvat huc alios afferre usus, quos hæc particula (bene) habet apud Latinos Scriptores. Ita enim lego apud Tul. v.4.169. *Is bene penitus in istius familiaritatem se dedit.* 5. Famil. 12. *Qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene & naviter oportet esse impudentem.* 2. Tusc. 44. *Sed si est tantus dolor, quantus Philoctetæ, bene plane magnus mihi quidem videtur.* Et cum nominibus adjectivis *bene peritus* dicitur *bene sibi fidens*, *bene robustus*, *bene multi*, *bene magnus &c.*

(b) Alvarez *mis* & *tis* Dativos esse plurales censet: Rectius autem Noster antiquos esse Genitivos. Confirmat Vossius lib.4. de Analog. cap. 4.

(c) Testimonio graviore multo quam ut sit Papinius Statius, uti poterat Acidalius; Tullium dico, qui 3. Tusc. 19. hæc habet: *Sapientis animus nunquam turgescit, nunquam tumet* & 1. de D. 13. *Inflatum mare cum subito, penitusque tumescit*

Inflatum enim mare dum tumescit irasci intelligit, & iratum mare per translationem dicimus, ut videre est apud optimos poetas, qui sæpe rebus sensu carentibus actus quosdam, & animos dare solent.

Sed contra luctari videtur locus alterius Statii in Synephebis, quem habet Cicero lib. 3. de Nat. Deo.

Aut tu illum fructu fallas: aut per literas
Avertas aliquod nomen: aut per servulum
Percutias pavidum.

Sed nugas agas, inquit: Alia enim ibi percussio in fallaciis, & circumventione quomodo & ferine, & tangere, & circumducere *Tò* & id genus alia. Nec *pavidum* facit ad hoc *timidum*. Jam vero ad *tumidam* quod legerat mentem mutat, & *timidam* retinet: quippe explicat cum Donato *timidum* id. *ægrum*, & *perturbatum*. Dolet siquidem conjux abitu viri præpropero, id enim mox subjicitur: *Lacrumantem ex abitu concinnas in tuam uxorem*, quam solatur Juppiter: *tace: ne corrumpe oculos; redibo actutum*. Vocem autem hanc sæpe Plautus hac mente capit. Bacchid. act.1. sc.1. v. 72.

Nam ut in navi vecta es, credo timida es.
Curcul. *Ego pertimesco: tum ibi me nescio quis arripit*
Timidam, atque pavidam, nec vivam, nec mortuam.
Rud. Prolo. v. 75. *De Navi timidæ desiluerunt in scapham.*

Ad v.36. sc. 3. *Nunc tibi hanc pateram, quæ dono mi illic ob virtutem data est.* Numerus *illi* postulat, quod Plauto *illic* sæpe est.

Ad v. 41. *Pergin' autem? nonne ego possum furcifer te perdere?* Nihil hic esse mutandum censet contra id, quod vir doctissimus contendebat *parcere* legendum esse pro *compescere*. Primum enim modus est dicendi Plauto usitatissimus. Asin. act.2. sc.4. v.14. *Abscede, & sine me hunc perdere, qui me semper incendit ira*, & hic infra: *Certum est mihi hunc scelestum perdere*. Deinde, quæ a Festo assumuntur de *pascendi*, *parcendique* vocibus non omnia probanda esse arbitratur. Pascere pro parcere dictum fuisse concedit Noster, non contra. Quum enim veteres caninam literam odissent, atque huic sibilum libenter supponerent, qui fieri potest ut eadem canina litera oblectati eam supponerent loco sibili? Hinc *Valesius*, *Fusius*, *Quæsere* &c. vix e diverso quicquam. Præterea num compescere a pascendo, & pascuisse recte derivari possit valde est dubitandum. A parco igitur canina litera mutata, & *pasco* ex ejus cognata deducit, & veteres cum accusativo struere consueverant.

Curcul. *Qui homo mature quæsivit pecuniam*
Nisi eam mature parsit, mature esurit.
Virgil. Æn.10. v.31. *Argenti, atque auri memorans quæ multa talenta*
Gnatis parce tuis.

Symmachus lib. 1. ep. 33. sub finem *Ego tamen, quantum per commeantes licebit, istius muneris operam non reparcam*. *Pasco* pro compesco apud Varronem legas, sed corrupto loco. Sesquiulysse. *Ubi nitidi Ephebi, veste pulla candidi modeste amictus pascunt pectore*, quem Noster emendat, quum *Tò* viridi cum *veste pulla* cohærere non possit. Perstricto igitur jure Nonio aut veste pura legendum docet, aut *pulla* pro *polla*, idest *paulla*, sive *parvula*. Sequentia enim licet depravata de modico amictu sunt, quæ ita restituenda esse putat, ut cum reliquis senarii versus conveniunt quibus ad integram dimensionem pes unus desit. Ita igitur Noster

Ubi nitidi ephebi veste polla candidi
Modico, & modesto amictu pascunt pectora.

Hic certe pascere *compescere*, *coercere*, *contegere* est.

Ad v. 44. JUP. Nunquid vis? ALC. *ut quum absim, me ames, me tuam absentem tamen.* *Absim* contra eos, qui *absis* legunt retinendum contendit.

Ad v. 48. *Nunc te nox, quæ me mansisti, mitto, ut concedas die*
Ut mortalibus illucescas luce clara, & candida.

Ineptum noctem illucescere luce clara & candida, quia potius scribis *illucescat?* id. dies.

Ad v. 55. *At quanto nox fuisti longior hac proxuma*
Tanto brevior dies ut fiat, faciam æque disparet,
Et dies e nocte accedat: ibo & Mercurium subsequar.
Sic Noster: *At quanto nox fuisti longior hacce proxuma,*
Tanto brevior dies ut fiat: faciam utraque æque disparent.
Sed dies e nocte accedit: ibo & Mercurium sequar.

Dies e nocte accedit lucescere est. Apulejus lib.1. Asi. *Et nox ibat in diem*. Idem lib.11. *Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, æterna mihi nuncupavit Religio*. Veruntamen

sibi

ſibi non placet. Priſtina manente ſcriptura ultimum *Tò dies* mutat, legitque *diei. Et diei e nocte accedat. Sequar* numerorum cauſſa retinet. Exigua igitur mutatione clarior fit locus, qui obſcurior Lambino videbatur. Hæc enim vera ſententia (*a*). Ut dies, *tanto fiat brevior, quanto longior nox fuit, æquam faciam*, inquit Juppiter, *banc diſparitatem, atque ita, ut quod nocti ſupereſt diei accenſeatur.*

Quid boc bominis, an ominis? Expetere alicui, in aliquem. Apud hoſtes ſedere; hoſtes, vel hoſtibus aſſidere. Domi de me ſcio, conjicio. Se, παρέλκει; Sarrire. Sartor in obſcenis. Terentius, & Cicero tentati. Martialis & Varro emendati. Plaut. Amphitruo pluries correcta, explicata.

CAP. VIII.

AD act. 2. ſc. 1. v. 21. AMP. *Rogas me improbe etiam, qui ludificas me?*
SOS. *Merito maledicas mibi, ſi id ita factum eſt.*

Leve eſſe peccatum, ſed tamen eſſe contendit. Quamvis enim hanc poſſis ſententiam eruere ſi ita factum eſt, ut te ludificem inficetior tamen eſt, & durior. Pro *ſi* lege *niſi* & multo clarior'erit, & aptior, nempe niſi ita factum eſt, uti narro. Quæ cum ſequent' mire cohæret: *Verum baud mentio, reſque uti facta dico.* (*b*)

Ad v. 26. SO. *Nuſquam equidem bibi.* AMP. *Quid boc ſit hominis?*
Dubitat num *ominis* potius legat, ut & in ea, quæ huic proxima v.
SO. *Neque ædepol ego dixi, neque iſtam vidi niſi tecum ſimul*
AMP. *Quid boc ſit ominis?* AL. *vin' proferri pateram?*

Sed quum videat formulam hanc adhiberi in eodem perturbationis affectu a Terentio act. 3. ſc. 4. v. 8. *Is eſt an non eſt? ipſus eſt, quid boc bominis? quis eſt bic ornatus? Quid illud mali eſt? nequeo ſatis mirari, neque conjicere.*
haeret, nihilque mutat.

Ad v. 42. *Quojus ego hodie in tergo faxo iſta expetant mendacia.*
Nihil dubitans cum Lambino aut *in tergum* ſcribit, aut *in* exigit. Latine enim aut *alicui aliquid* expetere dicimus, aut *in aliquem*: pro utroque innumera præteriens, exempla aſſumit ex hac ipſa Comœdia *Suaque culpam in mortalem expetere, ut ſinat*
Item *Nam mea ſit culpa, quod egomet contraxerim,*
Id Alcumenæ ſi innocenti buic expetat.

Nova ad uſum hujus verbi quod pertinet, facies locutionis videtur Noſtro, quæ eſt in Oratione *de Provinciis Conſularibus*: ita enim Tullius. *Miſerandum in modum milites Pop. R. capti, necati, deſerti, diſſipati ſunt, incuria, fame, morbo, vaſtitate conſumti: ut quod eſt indigniſſimum, ſcelus Imperatoris in pœnam exercitus expetiſſe videatur. Tò pœnæ* quum ſignificationem habeat ipſo *expetendi* verbo, contemtum gloſſema eſſe ſuſpicatur. Neque tamen affirmat id temere, neque eam in eo loco vocem eſſe ſingularem: maxime vero quod aliæ huic verbo addi ſolent *in caput, in tergum alicujus* &c.

Ad

(a) Attingit id, quod colligimus ex Piſtoriana lectione: verumtamen hæc & clarior, & apertior eſſe videtur. Ita enim legit eruditiſſimus Interpres: *Ut æque diſpartes bæc dies & nox accidant* hoc ſenſu: *Quia bæc nox longitudine ſua proxime præcedenti non reſpondet, faciam ut nec dies præcedenti diei reſpondeat: ſed tanto ſuperiore die brevior ſit, quanto bæc nox fuit longior, atque ita fiet, ut æque diſpares bæc nox, & inſtans dies a præcedentibus nocte, & die evadant.*

(b) Delicatior paullo, ac moroſior quam quod par eſt aliquando videtur eſſe noſter Acidalius, qui eo ſæpe adducitur nimia in rebus diſquirendis ſubtilitate, ut non raro nodum quærat in ſcirpo. Satis enim clara vulgaris hæc lectio eſſe videtur:
Am. *Rogas ne, improbet etiam, qui ludas facis me.*
Soſ. *Merito maledicas mibi, ſi id ita factum eſt.*
Verum baud mentior, reſque uti facta dico.
Hoc eſt *merito maledicas mibi, ſi id ita factum eſt, ut ludificaverim.* Injuria vero maledicis, ſi nec mentior, & res uti facta eſt, aperte dico.

Ad v. 52. *Ordine omne uti quidque actum est, apud hostes dum sedimus Edissertavit.*

Apud *hostes sedere* est *hostes, vel hostibus assidere*. Plinius Panegyr. *Qui sciant te assedisse ferocissimis populis eo ipso tempore*. Silius

(a) . . . . . Ut qui Castella per altos
Oppugnat munita locos, atque assidet arces;

Virg. Cir. *Ille videt nostris qui mœnibus assidet hostis*

Valerius Max. *Ad ultimam ei senectutem apud mœnia Cantabriæ armato sedendum foret*. Idem Silius *Assessos Capuæ muros*..(*b*)

Ad sc.2.act.2.v.7. *Nam ego id nunc experior de me, atque ipsa de me scio, cui voluptas Parumper data est.*

Muretus mutavit prius *de me* in *domo*. Noster mutandum putat, ut non *domo*, sed *domi* Plautino more reponatur. E frequentioribus id genus exemplis, quæ in Plauto occurrunt, selegit duo. Caf. act. 2. sc. 3. v. 8.

Hanc ego de me conjecturam domi facio, magis quam ex auditis.

Cist.act.1.sc.1.v.2. *Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram.*

Ad v. 30. *Atque id si vult experiri suum abitum, ut desiderem,*
Aecastor med haud invita se domum recipit suam.

Hos versus ita cum superiore interpungit.

. . . . AL. Nam quid ille revertitur,
Qui dudum properare sese ajebat? an ille me tentat sciens,
Atque id se vult experiri, suum abitum ut desiderem?

Levi correctione particulam *si* mutata in *se*, quod licet abundare videatur, frequens tamen esse solet. Hinc occasione quasi data mutandi, *si* in *se* emendat Martialis versiculos. (*c*)

Gaudes ducentas nupturire post mortes,
Virumque demens cineribus tuis quæris
Prurire: quid sarrire si velit saxum?

In ultimo versiculo menda deprehendit duo in particula si alterum, alterum vero in interrogativo *quid?* reponit igitur *se* pro *si quis* pro *quid*, legitque

Quis sarrire se velit saxum.

Quod mire convenit cum sequenti: *quis conjugem, quis te vocabit uxorem? Sarrire* autem, ut & *scalpere* ad obscœna detortum est. (*d*)

Quod si cadaver exigis tuum scalpi.

Addit Varronis locum apud Nonium in *Sartores*. In Vinalibus, ut Juvenalibus Varro περὶ ἀφροδισίων: *Etenim sic vide, utrum mercedem accipit is, qui meas venit segetes, ut sarriat, an ego ab illo. Sic ego centussim sartor, si tu plus laboras, quam ego, do*. Expostulat cum Amica, quæ mercedem postulat, quæ sibi potius debeatur, assumta a sartore similitudine. Querelæ id genus passim reperiuntur apud Ovidium, & alibi. Sed hæc verecundiæ, pudoremque custodientes, missa faciamus: versus Varronis, qui octonarii fuerunt sic constituit

Etenim hoc vide: utrum mercedem accipit
Is, qui meas venit segetes, ut sarriat, an ab illo ego?
Sic age, quum tuus sim sartor, ni tu plus laboras, quam de ego.

Quam

(a) Nulla in re nobis magis laborandum, est in hoc Opere, quam in citatis ab Acidalio locis exquirendis: quum enim neque librum, neque versum, neque capita ad numerum quæque suum referat, magna sæpe molestia legentes solet afficere: ut igitur huic gravissimo incommodo occurramus, cujusque loci numerum hic describimus. Silius *ut qui Castella* &c. lib. IX. & XII.

(b) Valerius Maximus lib. VII. I. IV.

(c) Lib. 3. ep. 93. in Vetustinam.

(d) Rarus usus est, & maxime observandus hujus vocis *Scalpo*, quæ ad obscœna detorquetur; quem usum in optimis Lexicis minime observari video. Translationem (excepto quod obscœna est) optimam esse censeo ob similitudinem, quæ est inter rem, a qua sumitur, & eam, ad quam adsumitur. Scalpo enim, si qua eruditis hominibus fides, qui de vocum, nominumque notatione, sive Etymologia scripsere, est a græco σκάλλω, quod latine est *Fodio*. *Fodio* autem ad obscœna etiam translate referri posse intelligimus, eo quidem pacto, quo *cædere*, & *concidere*, ut videre est in Plaut. cas. III. I. XIV. Utque animadvertit Lipsius Epist. Quæst. Lib. V. Epist. XIV.

Quum, priusquam. Haud vidi magis. Istic. Intus foras.

CAP. IX.

AD ejusd. sc. v. 36. AM. *Gravidam illam hic reliqui, quum abeo*
Gulielmius mutat *quum* in *quam*, subauditque *prius*, quod omissum. Noster non abnuit, quamvis Plautus *quum* utatur etiam in extrema fabula
Act.5. sc.2. v.7. . . *Tu gravidam item fecisti, quum in exercitum Profectus.* . . . .
nisi *quam* & illic rescribendum, ut in Prologo v. 102.
Is priusquam hinc abiit ipsemet in exercitum
Gravidam Alcumenam fecit uxorem suam.
Ad sc. ejusd. v.47. *Valuistin' usque? expectatusne advenio?* SOS. *Haud vidi magis Expectatum. Eum salutat magis haud quisquam, quam canem.*
Laudatur Muretus qui formulam eam *haud vidi magis* & explicat, & illustrat, tametsi oblitus est eamdem separare a proxima voce *Expectatum*, atque ita interpungere (a)
. . . . *Expectatusne advenio?* SOS. *Haud vidi magis.*
Expectatum eum salutat magis haud quisquam, quam canem.
Sic enim acerbior est, ac amarior irrisio.
Quamdudum istuc factum est? AL. *Tentas. Jamdudum, pridem, modo.*
Ita legit Noster AL. *Tentas. Dudum, jam, pridem, modo*
Confirmat versiculis e supposita scena *Di vostram fidem* petitis v. 59.
. . . . . . AMPH. *Quis te misit*
Furcifer? SO. *qui me rogat.* AM. *Quando gentium?* SO. *Dudum, jam, pridem, modo.*
Addit alterum sequentem alterum, ut priori respondeat sic rescriptum:
Qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis, dudum, jam, pridem, modo
Hic enim mirabundus Amphitruo repetit eadem Conjugis verba *dudum, jam pridem, modo.*
Immo mecum caenavisti, & mecum cubuisti, AM. *quid est?*
AL. *Vera dico.* AM. *non quidem hercle de hac re, de aliis nescio.*
Languet priori versu, *quid est?* in tam gravi plaga, quam e mentione concubitus accipit Amphitruo, nec erigit, immo dejicit magis, quod è manuscripto, vir doctus supponit, *quid id est?* quod neque numeri ferunt. Legit, AM. *quid? hem.* Inopinato percutitur, & hem, quid ais? inquit, egone tecum cubui? Posteriore, sic ejusdem verba interpretabere: non quidem hercle de hac re, scilicet vera dicis: de aliis, nescit Noster, supple, an vera dicas. Id quoque monuit, ne aliter, & male caperetur: de aliis, at non de hac re, nescit quasi dicat, utcunque de aliis sit, hoc certo scit minime ita se habere.
AM. *Egone istuc dixi?* AL. *tute istic, etiam astante hoc Sosia.*
Non interpretatur *istic* isto in loco, sed accentu demto habet idem cum *iste*; ut eadem *illic* & *ille*. Scena, *Age, i tu*:
Vers. 25. AM. *Optas, quae facta.* SO. *egone?* AM. *tu istic; ubi bibisti?*
Perge ulterius:
AM. *Quin nunc mulier audin' illum?* AL. *ego vero, ac falsum dicere.*
Literula una minus hoc sanum est. Scribit, *Quid* vel *Qui nunc mulier? audin' illum?*
Elegans autem ἀκουω, *Ego vero*, scilicet audio: quae & paullo post:

AM.

(a) Tametsi Lectorum judicio sententiam nostram permittimus, tamen & hoc loco omnium interpretum curiosissimum Acidalium nostrum esse censemus, qui plus diligentiae, quam oporteat acerbiori, & amariori irrisioni per interpunctionem adhibet more suo: egregie quidem Muretus, qui clare, & dilucide nec de affectata ulla investigatione sollicitus horum Versiculorum sententiam ab ipso Plauto expiscatur. Sed ipsum audiamus: *Quum Amphitruo salutasset uxorem, neque illa quidquam responderet; quod virum a se paullo ante abiisse, seque ab illo illudi arbitraretur, Jocans, qui eis adstabat, Servus Sosia,* inquit, ... *Haud vidi magis expectatum. Quod vetustissime dictum est; & ex contrario intelligendum.*

Act.2 sc.2.v.126.AM.*Tun' me heri advenisse dicis?* AL.*tun' te abiisse hodie hinc negas?*
AM. *Ego enimvero, & me advenire nunc primum ajo ad te domum.*

Etsi veteres hic non minus eleganter, *Nego enimvero*: quod isti Noster pæne prætulerit hoc in loco; nam fortius est in contentione. Etiam ulterius:

AL. *Fiat, tu Thessala intus pateram proferto foras.*

Hiant numeri, nisi tale aliquid inseras: *Fiat; heus tu Thessala*: vel potius, *Fiat; i tu*. Nam adfuit ei sine dubio ancilla. Sed ibidem non junxerit *intus pateram*, τὸ ἐν τῷ οἰκίᾳ, ut quidam volunt: verius est, *proferto intus foras*. Habet enim *intus* etiam motum de loco: quod aliis pridem dictum, & infra iterum tangetur. Hic unum Plauti suffecerit exemplum. Bacchidib. (a)

Ego tibi argentum jam jubebo intus efferri foras.

Cui Varronis addit: Epitaph.

Donec foras nos intus evallaverant,

Porro etiam ulterius:

AM. *Ubi tu cubuisti?* AL. *in eodem lecto tecum una in cubiculo.* (b)

Melius *uno* fuerit: quando & infra sic:

Meus Amphitruo uno cubiculo Alcmenam complexus tenet.

Parum tamen hoc retulerit: nec illud multo plus, quod mox sequitur:

AL. *Quid jam? amabo.* AM. *ne me apella.* SO. *quid tibi est?* AM.*perii miser.*

si legatur, *Quid ita?* etsi & ipsum melius putat. A paucis versibus ille:

AM. *Tute edictas facta tua, ex me quæris quid deliqueris?*

rectius sine interrogatione legetur. Et qui continuo hunc sequitur:

AL. *Quid ego tibi deliqui, si cui nupta sum, tecum fui?*

Venuste in eo *tibi* παρέλκει: neque invenustius tamen aliquot veteres legunt *ibi*. Et ab hoc alter,

Saltem tute, si pudoris egeas, sumas mutuum.

sic distinguendus: *Saltem, tute si pudoris egeas, sumas mutuum.*

Evanescit alioqui vis illius *tute*. Etiam ab isto alter:

Tu si me impudicitiæ captas, non potes capere:

bene a Mureto verbis transpositis correctus, *capere non potes*: sed non optime. Deest enim una numeris adhuc syllaba, quam absorpsit ultima verbi *captas*. Reponit Noster:

Tu si me impudicitiæ captas, at capere non potes.

Gradum hic Muretus ad verum fecerat, non item in eo, qui post paucos:

Namque de illo subditivo Sosia mirum nimis est.

Voluit idem, *mirum est minus*: frustra; verbum tamen *est* præponi non frustra maluit, etsi potest suo etiam loco ferri, si per apostrophum scribatur *nimi'st*. De quo utcunque statues, *nimis* accipies Comico more pro valde: sed ut sensus ipse totus elucescat, nectes versum hunc sequenti, cujus initio corrigendum etiam *cetero*, pro *certo*:

Namque de illo subditivo Sosia mirum est nimis:
Cetero de isto Amphitruone jam alterum mirum est magis.

De Sosia, inquit, est sane valde mirum: sed multo magis de Amphitruone. *Ceterum* autem & *Cetero* promiscua veteribus, ut hodieque nobis *primum* & *primo*, taliaque infinita. Porro in illo:

AM. *Satis audacter.* AL. *ut pudicam decet.* AM. *tu verbis probas.*

amplecteretur Noster eruditissimi Gruteri conjecturam *proba es*, nisi neque sententiam admodum, & versum prorsus non juvari sic videret. Claudicat hic etiam: qua caussa mavult *ut te verbis probas*. Oratio contentiosa est & præsenti litigio aptissima: ut pudicam decet; ut te verbis saltem probas. Jam ille quidem integer:

Quid si adduco tuum cognatum huc a navi Naucratem?

ta-

(a) Suum sibi Hellenismum habeat Douza, neque enim ad græcam loquutionem decurrendum, ubi ex usu latinorum scriptorum (apud quos *intus* motum de loco significat) claram sententiam eruimus, & latinæ linguæ indolem, formamque videmus.

(b) Putant aliqui τὸ *cubuisti* referendum esse ad *lectum convivalem* sed perperam. Etenim repugnat versui superiori, & sequentibus:

Te dormitare, ajebat; mensa ablata est, cubitum hinc abiimus?

tamen plenior, inverso duum verborum ordine, *cognatum tuum*. Nec in illis sane quidquam vitiosum:

. . . . . . atque is si denegat
Facta, quæ tu facta dicis, quid tibi æquum est fieri?

paullo tamen aliter editio quædam vetus, *te ibi*, pro *tibi*: quod non verius dixerit, sed ejusmodi, ut dubiam facere possit alterius veritatem. Familiaris enim locutio ista quoque Plauto, Terentioque, & aliis, *Quid me fuit? quid te factum? quid illo futurum est?* quæ tam nota omnibus, ut exemplis nullis astruenda. *Ibi* autem æquivalere sæpe *τῷ tum*, neque pueri sunt docendi. Atque ita scenam hanc percurrit, cujus e superiore capite reliqua omnia in hoc congessit, levia maximam partem, & eo potissimum juncta sic & stipata, ut quæ singula ponderis habent nihil, aliquid haberent multa simul.

CAPUT X.

Cæli cœnaculum. Alcmena verecunda. Abstinere se facto. Madidus sobrius. Atque. Plautus non pluribus locis emendatus, explicatus, ejusdem Enniana imitatio.

Cum novo actu caput jam novum orditur. Hic scena prima de se Jupiter:

Act. 3. v.3. *In superiore qui habito cœnaculo.* (a)

quod ut accipiant Turnebus, & Lambinus, est in commentariis eorum promtum: nec ipse negaverit, ambiguitate sententiæ captatum quem alter vult jocum: tamen quia tam constanter in multis editionibus priscis, inter has Aldina & Coloniensi, mirifice sæpe bonis, est vox *cæli*; videri hæc ipsa possit injuria neglecta. Acidalium quidem movit, quasi quædam ejus miseratio, nec pati potest amplius sic destitutam. Rescribit:

Qui in superiore habito cæli cœnaculo.

Perit ita jocus, inquies: pereat potius (etsi non omnis perit) ille, quam hæc venustas dictionis. Equidem nihil dubitandum puto, quin Plauti sit hæc compositio *cæli cœnaculo*: quem sonum antiquitas omnis in deliciis habuit, & Plautus maxime, qui nisi fallitur Acidalius, hoc ipsum habuit ab Ennio. Illius enim hemistichium tale laudat adversus Valentinianos Tertullianus,

. . . . . cœnacula maxima cæli.

ubi consimilis quidam scriptoris ejus jocus in Deum nescio quem ad summas tegulas in cœlorum tabulatis, id est, Plautinis hisce verbis, in superiore vel supremo cæli cœnaculo habitantem. In eo, quod sequitur, vix audet Noster viris doctis dissentire:

Huc autem quom extemplo adventum apporto, illico
Amphitruo fio, & vestitum immuto meum.

Jam enim recepta locutio *adventum apporto*, & approbata exemplo similis Lucretianæ. Durior illa Acidalio tamen & crudior, quam ut concoquat, non adjuvat hunc tam debilem stomachum ista similitudo, quam a se non spernit. Quin omnino cupit in Plauto mutari: quod sibi videtur non inepte facturus:

Huc autem quum extempulo advento, a porta illico
Amphitruo fio.

Ait, huc advenientem, se, simul ac limen egrediatur cœli, mutari in Amphitruonem. Licuerit hoc verecunde posuisse, non confidenter adfirmasse. Proxima huic scena pendet sententia istius versus.

Quan-

(a) Non omnino dissentit a Nostro Lambinus, quamvis sentiat etiam jocum esse pauperculi histrionis, qui Jovem agebat: ita enim ipse ad hunc Plauti locum: *Locus ex ambiguo: nam vel ad verum Jovem referri potest, quem in Cælo poetæ dicunt habitare, quod hic significatur per superius cœnaculum, vel ad histrionem, qui personam Jovis sustinet, qui fortassis erat pauperculus, neque habebat domum suam, in qua habitaret, sed conducebat alienam, & ejus quidem partem superiorem; tegulisque proximam &c.* Superior placet interpretatio. Divinandum enim primum est pauperculus ne esset, an non; deinde non video, quid sit, cur a recta, planaque sententia recedamus, ut jocum exquiramus.

Sc. 2. v. 12. *Quando ego quod feci, id factum Amphitruoni obfuit.*
& deesse videtur alter, qui absolvat: nisi tamen ipse cum sequenti, mutata vulgari interpunctione, jungendus, quod commode poterat, si porro, ubi *autem* est, *adeo* legeretur. Sed nec *autem* illud impedit omnino. Ceterum *illi* cum veteribus in sequenti, quam *ille* mavult.

Atque illi dudum meus amor &c.

Deinceps pulcre nugatur Nonius, quum isto versu:

JUP. *Nimis verecunda es.* AL. *potin' ut abstineas manum?*

verecundam, audacem & confidentem interpretatur: quod ei nemo credit, & interpolare quidam in Plauto maluerunt, *iracunda*: sive quod in hoc sensus clarior, sive quod illud excludere numeri viderentur. Noster etiam tentavit aliquando, *Nimis vero tumida es*, quod esset, superba, vel irata. Scit alium, qui *Nimis ferocula es*, exemplo Turpilii apud Nonium in *Attigas*:

Ne me attigas, atque aufer manum. Eja, quam ferocula es!

Qui sane versus huc mirifice facit. At omnes falsos esse affirmat. Et numeri *verecunda* ferunt, extrito *s* in præcedenti *Nimis*: & sententia non repudiat. Inverecunda fuisset Alcumena, si adversus illum humana: nunc per inhumanitatem verecunda, ut matronam decet: etsi nimiam ille verecundiam ait, qui majorem in se velit comitatem. Simile aliquid habet huic loco Seneca Pater in Controverf. ult. lib. 1. *Ferat jacentes in terram oculos: adversus officiosum salutatorem inhumana potius quam inverecunda sit.*
Mox ibidem:

JUP. *Si dixi, nihilo magis es, neque esse arbitror.*

versui consulas, si *te* inseras, *neque te esse arbitror*. Cui proxime hærentem Coloniensis liber sic plenius, quam vulgo, legit:

Et idhuc revorti, ut me de hoc purgarem tibi.

Quod porro is hic:

Nunc quando factis me impudicis abstines,
Ab impudicis dictis avorti volo:

ita interpretantur *abstines*, alienam ab iis ipse confiteris: nescit si voluit hoc Alcumena, Sensus certe melior fit, *abstineo* si rescribas. Nam quod versus hic supra mensuram trahet absorbebit sequens, ut solet in Plauto sæpe. Vita mea, inquit, criminationes tuas refutat: & quando a factis impudicis procul absum, abesse pariter a dictis volo. Tacet Noster, quod insitatum prorsus *abstinere* significatu, quem illi faciunt: vulgatissimum eo, quem & quo ipse reddit. Ibidem statim:

Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero:

numeri vacillant, & trochæus contra leges ingreditur jambum. Mutato verborum ordine vites *comitem duxero pudicitiam*: ut tamen extremæ syllabæ in unam coalescant. Ad finem ejusdem scenæ mutilum versum,

Is adeo impransus ludificabitur

Gulielmius explevit pridem adjectione voculæ *dolis*: apte sane, nisi Nostro verisimilius hoc Incidit, in verbo *ludificabitur* latere coalita tria, *ludis hic satiabitur*. Sententia venustior fit: at verba nescit si pro germanis habenda. Scena deincipe, *Amphitruo assum*: transpositionem videre sibi videtur isto versu:

SO. *Jam hic ero, quum illic censebis esse me.* JUP. *actutum huc redi.*

Nam prius oporteat mandare Jovem, *Actutum huc redi*, quam ille respondeat: Scribit igitur:

Sc. 3. ejusd. act. v. 12. JUP. *Tu gubernatorem a navi huc evoca verbis meis*
Blepharonem, ut re divina facta mecum prandeat.
Actutum huc redi. SO. *jam hic ero, quum illic censebis esse me.*
AL. *Numquid vis.*

Versui nulla injuria fit, sententiæ vero quam optime consulitur. Scenæ, quæ hanc sequitur 4. v. 5.

Ille aut navem salvam nuntiat, aut irati adventum senis.

Argumenta fabularum suadent, *ingrati* potius scribendum, quam *irati*. Ingratus enim plerumque adventus senum, non ipsi semper irati: quod in medio tamen sic relinquit. Eadem scena:

Ver-

De supero quum huc accesserit, faciam, ut sit madidus sobrius. (a) Elegans ambiguitas in voce *madidus*, quæ & ebrium aliquando signat, uti contra *ebrius* madidum: atque ita Casina cœnam ebriam legimus pro madida, & bene cocta. Sed quod sobriam ebrietatem hic Mercurius minatur, inde est, quia effudit in Amphitruonem postea matellam aquæ: quod ex fragmento colligitur apud Nonium in *Matella*

Ne tu postules matellam unam tibi aquæ infundi in caput.

Quem adeo versum miratur inferre quosdam voluisse inferius inter illa dubia: quum neque structura hæreat, etsi sententia quidem convenerit, isti loco; & stultum sit, germana Plauti fictitiis assuere. Claudit hoc caput leviore notatiuncula in sequentem scenam:

Act. 4. sc. 1. v. 4. *Apud emporium, atque in macello, in palæstra, atque in foro*: (b) iterato repetenda forte particula *atque*, & ibi inserenda etiam, *atque in palæstra*. Quum numeri sic pleniores, tum ipsa per se venusta iteratio: quam ejusdem particulæ videntur in deliciis habuisse prisci. Cato certe Censorius apud Gell. lib. 7. c. 3. in Oratione pro Rhodiensib. *Scio plerisque hominibus rebus secundis, atque prolixis, atque prosperis animum excellere, superbiam, atque ferociam augescere, atque crescere.*

CAPUT XI.

Fores increpare digito. Magna mira. Quod Dii faciant. Stomachum decoquere. Quin, pro quidni? Pugnis satur, plagis ebrius. Scenæ in hac fabula suppostitiæ examinatæ: in iis multæ superiorum imitatione, turbæ etiam in Oeconomia notatæ. Correcta ibidem, & explicata similium collatione loca plura; tum emendationes & notæ quorundam refutatæ.

VEnit nunc ad ea, quæ non immerito diversis characteribus excusa, ut magis a Plautinis dinoscerentur. (c) Nec tamen adhuc repertus, qui damnare penitus sustineret: nec is vero Acidalius, qui tantum sibi sumere præ ceteris, aut audeat, aut velit. Plauti quidem pleraque non esse non dubitat affirmare: tam insunt multa inepta, languida, & putida: quorum aliqua turbant Oeconomiam fabulæ, plurima de superioribus inscite adumbrata sunt, ut imitatio, falsitasque ipsa manifesto appareat. E diverso non sunt nulla Plau-

(a) Lambinus ad hunc locum, *ut sit ebrius, qui sobrius est tamen.* Miror virum alioqui doctum jocum in ambiguitate non deprehendisse: bene Noster, cui Pistoris assentitur, qui etiam brevius totum hoc quicquid est, ita expedit præmisso versu Plauti ex Nonio assumto in Matella. *Jocus est in ambiguitate vocis madidus, quod ad exteriora, & interiora refertur.*

(b) Frigidiuscula Buxhornii, ac misella adnotatio. *Emporium locus, in quo frequentes sunt Mercatores ex GL. MIS. PL.* plura enim erant addenda, quæ ad studiosos literarum adolescentes erudiendos maxime valent. Cur non addidit & Forum Nundinarium dictum a Plinio VIII. 51. & Græcam eamdem vocem fuisse civitate Romana donatam ab optimis scriptoribus; & variarum mercium locum fuisse, edulium præsertim, pomorum, & mellis ante Neronis ævum in tertia Urbis regione ad locum metæ sudantis, ubi postea Vespasiani Forum; & Navali additum fuisse ante Portam Trigeminam in XIII. Regione Urbis, ut videre est apud Livium XII. 26. *Censores extra Portam Trigeminam Emporium lapide straverunt, stipitibusque sepserunt, & porticum Æmiliam reficiendam curarunt, gradibusque ascensum a Tiberi in Emporium fecerunt.*

(c) Æquius de suppositititiis judicat Noster, quam Jos. Scaliger, qui peculiari Epistola ea non ut ævi quidem recentioris, sed sequioris tamen in locum privatum conjicienda esse censet; tametsi rejicitur ab amico ipso, ad quem scribit: *Quod*, inquit, *in illo Criticæ Curiæ Senatu plurimi etiam restant, qui calculum damnatorium suspendunt, & Sarsinati omnia ex æquo nondum abjudicant, sed plusculа horum aut germana esse censent, aut talia, quæ non facile internoscas, possessionem eorum temere sollicitare, aut turbare, nec ipse volui &c.*

Plauto digna, quædam etiam Plauti germana, scillcet e fragmentis, ut fucum, quisquis auctor est, facilius faceret, non nimis tamen diligenter collecta & inserta. Ceterum qualia sunt cunque tandem, non nuper nata censet, sed bene vetera: quibus & ipsis multum nocuerit injuria temporis,& inscitia, negligentiaque descriptorum. Ea partim ipse aliorum exemplo conatur emendare, ut aliquanto, quum ipsa puriora sint, tum minus Plautina reliqua devenustent. Primum ergo ubi legitur:

ex suppositis v.6. post act. 4. sc. 2. *Si minusculo digito increpuerint fores, hac tegula*
Tuum deminuam caput.

putat rectius scribendum esse *increpueris*; nec id desiderat probari. Statim:

eadem supposit. sc.1. v.8. AM. *Tun' furcifer meis me procul prohibestis ædibus?*
Tun' meas pultare fores? basce illico toto demoliar cardine.

dubitat an potius:

Tun' veses pultare? foras basce ill. t. d. card.

Jam illic:

AM. *Num formam perdidi? mirum quin me norit Sosia.*

vides apertam imitationem: quam interpolare Nostro lubet.

AM. *Ni formam perdidi, mirum quin me norit Sosia.*

Illo versu

AM. *Sosia.* ME. *quid (malum) Sosia?* AM. *num me novisti verbero?*

certo scribendum. AM. *non me novisti, verbero?* Deinceps obscurus adhuc sensus, & dubia lectio illorum:

AM. *Cupio accersi, utinam pro benefactis, dii, patriam,*
Ædes, uxorem, familiam, cum forma una perduam:

etsi Dousa jam nunc patri certans filius haud incommode sane parva mutatione explicat, *perduant*. Sed nec imprecatio talis convenire videtur, & versus prior uno pede mancus est. Igitur Nostro visum scribere:

AM. *Cupio accersi. Utinam ne pro benefactis hodie patriam,*
Ædes, uxorem, familiam, cum forma una perduam.

Vovet, & deprecatur, ne pro benefactis hoc sibi pretium reddatur, ut una cum forma reliqua sua perdat omnia. Mox ille penultimus:

Credo jam, quæ volebat sacrificia, ad epulum conduxit.

inter alios, de quibus dicere longum foret, maxime turbat Oeconomiam. De sacrificiis enim ad epulum conducendis supra, scena, *Amphitruo assum*, Juppiter ad verum Sosiam dixerat: hic de iisdem Mercurius agit, cui nihil horum constabat. Nisi si scire ultro putabimus, quia Deus est: quod Acidalio quidem nimis dilutum videtur. Et hercle si vel scierit, an hoc adeo loco dicere debuit? Nihil ad sententiam: quam & ipsam turbat: siquidem cohærent præcedens hunc, & sequens versus, quos intermedius importune divellit. Cui adde, quod nec iisdem pedibus succedit: ut alienus omnino sit habendus. Noster rejicit, in quem vero locum conjiciat non videt.

Scenæ proximæ v. 2.

. . . . . *Nam verum est quod olim est auditum Fabularier.*

melius, *Jam verum est*. Nunc, inquit, facile vera credam, quæ olim facta incredibiliter mira memorantur,postquam hoc video in mea familia exemplum. Mox in eadem sequitur:

. . . BL. *quid illuc Sosia? magna sunt, quæ mira prædicas,*

sed in alio ordine verba collocanda: *magna mira sunt, quæ prædicas*. Sic ubique, & hic sæpe, *tanta*, *nimia*, *maxima*, *mira*. Huic illud hæret

Ain' tu alterum te reperisse domi consimilem Sosiam?

ubi veteres quidam adjiciunt in fine alterum *domi*. Scias, heic quoque, ut solent, voculas has turbasse, quarum altera mutanda in *modo*:

Ain' tu alterum te reperisse modo consimilem Sosiam domi?

quod & versus flagitat, alias defectus justo spatio syllabarum. Ab hoc ipso statim:

SO. *Ajo: sed heus tu, quum ego Sosiam, Amphitruonem Amphitruo, quid scis an*
Tu forte alium Blepharonem parias? o Dii faciant, ut tu quoque
Concisus pugnis, & illisis dentibus, id impransus creduas.

Manifesto etiam id adumbratum de illo loco scenæ, *Satin parva?*

Tu peperisti Amphitruonem, ego alium peperi Sosiam:

Nunc

Nunc si patera pateram peperit, omnes congeminavimus.

Sed hic legendum primo, ut Plautinum videri possit, *quod Dii faciant*. Fine primæ scenæ:

Nisi & is quoque me ignorabit, quod ille faciat Juppiter.
Ut ego hodie raso capite calvos cupiam pileum.

Horatio lib. 1. ep. 7.

Quod te per Genium, dextramque, Deosque Penates (a)
Obsecro, & obtestor, vitæ me redde priori.

Deinde nec *illisis* sanum: pro quo sit *elisus*, vel *elisis*. Porro habetur:

. . . . . AM. *ecquid aliena*
Fabulor? in nostro olim &c.

Dispesce & *quid*. Pendet a superiore Amphitruonis sermone, quo exemplum μεταμορφώσεως peregrinum recensuerat; quo nunc omisso. Et quid aliena, inquit, persequar? quum domi, nostroque in genere nimis quam mira evenerint, ne foris quæram. Si *ecquid* retines, inconcinnior est & sensus & structura. Deinceps illa, quæ Sosiæ continenter ascribunt libri:

Si me audias, observes, nescio quid secum solus, puto
Rationes colligit.

verius forte tribueris Blepharoni, qui servum inquietum, & garrulum compescat. Ulterius ibidem:

Hominem ne congrediamur quæso, priusquam stomachum detexerit.

Nihili verbum *detexerit*, pro quo ipse *dejecerit*, vel *rejecerit*, quum multo melius viderit, quod I. Dousa F. conjecit, *decoxerit*: quod Græcis tamen exemplis firmare facilius possis, quam Latinis. Apud illos enim frequens πέψαι ὀργὴν, & Homerus multis locis, χόλον θυμαλγέα πέσσει. Eadem adhuc scena:

SO. *Qua de re? num satis temporis? non ocius quivi.*

Male hic quoque *num* pro *non*: quod hoc ipso capite emendavit in superiore scena. Denique hic ibidem etiam:

Negas scelesle? SO. quin negem? en testis ampliter, quicum venio.

Mutat princeps suæ juventutis, quem plus semel hic ante nominavit, *Quid ni negem?* paullo inconsideratius, qui non cogitaverit, id ipsum *Quin* a Plauto pro altero *Quidni* quandoque poni. Sic certe Mil. Glor. Scena *Inde ignem*.

SC. *Men rogas, hem, qui sim? PH. quin ego hoc rogem, quod nesciam?*

Iterumque eadem fabula: sed de quo iterum ad ipsam. Progreditur ad consequentem hic scenam, ut uno capite suppostitia sive dubia ista omnia comprehendat. In ea veretur, ne frustra sit Gulielmius, post duos istos.

Supposit. sc. 3. v. 12. AM. *Imo ego hunc Thebani cives, qui domi uxorem meam*
Impudicitia impedivit, (per quem) teneo thesaurum stupri:

tertium hunc e fragmentis inculcans:

Cuique med absente corpus uxor vulgavit suum.

Licenti enim nimis additione septenarium versum facit e senario: qui neque nimis facit ad plenam jam ante sententiam priorum. Veretur item, ne frustra item nobiliss. Dousa in nova verbi *impedivi* explicatione, cujus ἔτυμον nescit rectene duci possit a *Pædore*. Nonius quidem quod *sordidavit* explicat, nihil Nostrum monet, quin simpliciter hic æque accipiat, ac alibi, involvit, implicavit. Loquitur enim tanquam de venefico & præstigiatore, simul ipso mœcho. Supra *implicisci* pæne in re simili usurpabat:

AM. *Ubi primum tibi sensisti mulier impliciscier?*

Quod

(a) Per Genium Veteres non precabantur modo, sed etiam jurabant; Principibus enim rerum Dominis peculiares Genios tribuebant, qui eorum præessent felicitati, eosque nulla ratione violandos ut sacrosanctos censebant; proindeque per Principis Genium jurabant. Audiamus Ulpianum l. si duo. §. si quis. ff. de Jurejur. *Si quis juraverit pecuniam per Genium Principis dare se non oportere, vel intra tempus certum se soluturum, nec solverit, Imperator noster cum Patre rescripsit, fustibus eum castigatum dimittere.* Qua de re ita Tertullianus Apolog. c.27. *Majore formidine, & callidiore timiditate Cæsarem observatis, quam ipsum de Olympo Jovem: citius denique apud vos per omnes Deos, quam per unum Genium Cæsaris pejeratur.*

Quod nisi ita est, mavult etiam contra Nonii auctoritatem invertere:

. . . . . *qui domi* (vel, *modo*) *uxorem meam*
Impudicitia implevit, quem teneo thesaurum stupri.

Phrasis Plauto familiarissima, qui ubique plenum stupri, adulterii, fastidii, gloriæ dicit. Abstinet tamen, neque tam veterem lectionem temere damnat in versu præcipue, quem Plauti germanum fere agnoscit: uti sequentem etiam hunc:

SO. *Here, si tu nunc esuris, ego satur pugnis ad te volito.*

in quo elegans istud *satur pugnis*, quia supra de cœna & hospitio pugneo actum. Loquendi autem simili genere Theocritus Idyll. 22. *plagis ebrium* dicit Amycum:

ἔστη δὲ πληγαῖς μεθύων, ἐκ δ' ἔπτυσεν αἷμα.

ubi venuste supra modum de sputo, & quasi vomitu sanguinis adjectum. Porro hic Plautus, sive Pseudoplautus:

. . . . . . AM. *proh summe Juppiter! ubi hodie*
Mihi formam adimis? pergo quærere: tun' Amphitruo? JUP. *tu negas?*

Ubi cum antea *perge* foret, *pergo* nunc fecerunt commodius, ut ipsis visum. At illud melius, sub personarum tamen alio positu, quas ita mutat:

AM. *pro summe Juppiter! ubi hodie*
Mihi formam adimis? JUP. *perge quærere.* AM. *tun' Amphitruo?*
JUP. *tu negas?*

In Jovis præsentis invocatione jocus est. Hunc cum Amphitruo cieret, ille coram pergere jubet interrogando. Sed & deinceps in persona erratum putat:

. . . . . SO. *uterque*
Rem tenent probe, intus in crumena clausum alterum esse oportuit.

Nam Blepharoni arbitrio magis ea conveniunt, cui & tribuit vetus editio Florentina. Sane poscere sic videtur etiam verbum statim Jovis, *Attende sis*: quo non servum, sed Blepharonem compellat, & aversum forte, cum ad spectatores, vel secum ista loqueretur, revocat, & attendere porro jubet. De cetero, & hic limitatio non obscura, quando sane liquet paria sibi invicem & hoc, *intus in crumeria clausum alterum esse oportuit*, & illud prima scena, *Mira sunt, nisi latuit intus illic in illa cirnea*: sive jam ipse noster, quod placuerat semel, iterum uti voluit, sive alius de eo sic expressit.

CAPUT XII.

Reliquæ in hanc fabulam paucæ, levesque notæ: fragmentum indidem in Nonio divulsum, conglutinatum.

Gaudet evasisse se tandem suspecta ista, & sublesta, nec minus lætatur prospicere jam portum in hac fabula: cujus extremam oram levi velificatione percurrit. Scena, *vos inter vos*:

Seu patrem, sive avum videbo, obtruncabo in ædibus:

Observemus numeros, & traductim verba sic ordinemus:

Seu patrem videbo, sive avum, obtruncabo in ædibus.

Ipsi ibidem ultimi cum hac interpunctione scribendi:

Neque me Juppiter, neque Dii omnes id prohibebunt, si volent,
Quin faciam uti constitui. Pergam in ædes nunc jam.

Neque enim *Quin* sententiam velut novam orditur, ut sit corrigendi particula, vel hortandi, sed hæret priori, pro *quominus* accipienda. Jam quæ scena sequitur, ejus isto versu:

Ibi me inclamat Alcumena, tam ea res me horrore afficit.

pro *tam*, alii *tum* faciunt; ipse *jam* mavult: Sensus enim: Cum Alcumena me inclamaret, jam inde statim inhorrescebam. Ibidem est: *Ibo & cognoscam quisquis est*: sed veteres leviter demutant, *Ibo ut cognoscam*: itemque alio versu,

Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnus est! ut multum valet!

non & *multum*. Sed hoc notare non fuerat tanti. Forte nec illud, ubi legitur:

AM. *Hæc sola sanam mentem gestat mearum familiarium*:

legendum *meorum*: quo tamen nihil certius. De omnibus enim familiaribus sentit, tam servo, quam ancilla, & uxore. Qui in voce *sanam* hic turbant, & *sugam* vel *sartam* præferunt, non videre videntur, quæ proximo versu repetatur:

BRO.

BRO. *Imo omnes sani sunt profecto*. AM. *at me uxor insanum facit*. Statin' hinc liquet, eandem ipsam præcessisse? Jam in Amphitruonem quæ habuit, exhibuit omnia: nisi antequam hunc libellum componat, fragmentum indidem, fœde apud Nonium divulsum, lubet etiam componere, si forte Fortuna conatum adjuvabit. Nonius in *Ceriti*. *Ceriti & larvati male sani*, *aut Cereris ira*, *aut larvarum incursatione animo vexati*. *Plautus Amphitr. Larvatus ædepol hominem miserum medicum quæritat*. *Idem qui supra*: *Quasi adveniente morbo medicati juvenem*, *tu certe aut larvatus es*, *aut ceritus*. Idem in *Advenire*. *Advenire*, *incipere*. *Plaut. Amphitr. Quæso advenienti morbo jure medicabis*. Vides, quam turpiter hæc & luxata, & deformata, vix ut eadem diversis in locis agnoscas. In priore primum illud Nonii *Idem qui supra*, mutandum, *Idemque supra*. Unde paret, quæ posterius citat, præcessisse. Quo dato, non difficulter ordinem reliquorum inveniet & nexum universi. Concinnat:

Quæse adveniente morbo nunc medicum tibi.
Enim tu certe aut larvatus, aut ceritus es.
Ædepol hominem te miserum! medicum quærita.

Varietatem scripturæ varie sequitur, & collatis diligenter locis, nunc hinc, nunc inde sumit, quod magis conveniret. Ac sperat nec audacem fuisse se nimis ulla parte, vel in toto si fuit, tamen ita fortunam adspirasse, ut temeritas in laudem sit cessura.



VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI ASINARIAM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES:

AD

JO. VINCENTIUM PINELLUM.

CAPUT I.

Praeconum & aliorum, gratis neque tacentium, duplex merces. Vota conjugum alteri supervivendi. In prologo & scena prima verae quaedam lectiones confirmatae, illustratae; falsae aliae refutatae; & insignis locus insigni versus unius deletione, alterius traductione emendatus.

AD Prologi v. 4. (a) *Face jam nunc tu, Praeco, nunc omnem auritum Poplum*
Age nunc reside, cave modo ne gratis. (b)
Ostendit haec validissime firmari Poenuli Prologo v. 11.

Exurge, Praeco, fac populo audientiam.
Jamdudum expecto, si tuum officium scias,
Exerce vocem per quam vivis, & colis.
Nam nisi clamabis, tacitum te obrepet fames.
Age nunc reside, duplicem, ut mercedem feras.

Probat item aliorum Poetarum dicteriis. Martialis lib. 9.
: . . . . *Vis, garrule, quantum*
Accipis, ut clames, accipere, ut taceas
Idem lib. 1. ad Helium.
Quod clamas semper, quod agentibus obstrepis, Heli,
Non facis hoc gratis, accipis, ut taceas.
Subjicit Graecorum versum de Arabio tibicine:

Δραχμῆς μὲν αὐλεῖ, τεττάρων δὲ παύεται:

Ad Act. 1. sc. 1. v. 5. *Si quid med erga tu hodie falsum dixeris,*

Ut

(a) In aliquibus *exci* legitur, quod *excita* interpretantur; in aliis *ecce*, in quibus *eace*, sed errorem doctissimi interpretes codicum esse arbitrantur. Quum enim *eace* legeretur, *ecce* repositum ab imperitis non videntibus mutationem levissimam F majusculi in E.

(b) Putide Passeratius ne γρύξῃς refragantibus numeris, ac nitore latini sermonis. *Cavemeis ne ingratii*, sed perperam Rivius ad Terentii versum Heaut. Act. 3. sc. 1. v. 37.
Proterruisti hinc: ea coacta ingratiis,
Post illa coepit victum vulgo quaerere.

Ut tibi (a) superstes uxor ætatem siet;
Atque illa viva vivus ut pestem oppetat.

Votum semper fuit, quod & nunc maritorum esse intelligimus, uxoribus supervivere, uti contra uxorum maritis. Elegans est augurium, quod novæ nuptæ capitur a limine, quod ingreditur: Casina.

Act.4. sc.4. v.1. *Sensim superattolle limen pedes, nova nupta: sospes*
Iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes.

Viros in Comœdiis citam mortem sæpe uxoribus optare confirmat, & ex eo Terentii Hecyr. act. 2. sc.1. v.10.

. . . . . SO. *Non ita me Dii bene ament mi Lache,*
Itaque una inter nos agere ætatem liceat. LA. *Dii mala probibeant.*

Et ex illo Nostri Trinum. Act.1. sc.2. v.13.

CA. *Quid agit tua uxor? ut valet?* ME. *plus quam ego volo.*
CA. *Bene hercle est, illam tibi bene valere, & vivere.*
ME. *Credo hercle te gaudere, siquid mihi mali est.*
CA. *Omnibus amicis, quod mihi est, cupio esse idem.*
ME. *Eho, tua uxor quid agit?* CA. *Immortalis est*
Vivit, victuraque est. ME. *bene hercle nuntias,*
Deosque oro, ut vitæ tuæ superstes suppetat.
CA. *Dum quidem hercle tecum nupta sit, sane velim.*

Subjicit versiculos Epid. Act.2. sc.1. v.6.

At pol ego te credidi uxorem, quam tu extulisti, pudore exsequi.
Quojus quoties sepulcrum vides, sacruficas illico Orco hostiis;
Neque adeo injuria, quia licitum est, eam tibi vivendo vincere.

Et Cistel. Act.1. sc.3. v.27. *Ea diem suum obiit: facta morigera est viro.*

Ad ejusd. scenæ v. 17. PI. *Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?*

DE. *Quid istuc est? aut ubi est istuc terrarum loci?*
LI. *Ubi flent nequam homines, qui polentam pinsitant.*
DE. *Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere.*
Ubi flent nequam homines, qui polentam pinsitant.
LI. *Apud fustitudinas, ferricrepinas insulas,*
Ubi vivos homines mortui incursant boves.
DE. *Modo pol percepi Libane, quid istuc sit loci,*
Ubi fit polenta te fortasse dicere. LI. *ah:*
Neque hercle ego istud dico, nec dictum volo.
Teque obsecro hercle, ut, quæ locutus, despuas.

Sub versum *Quid istuc est? aut ubi est?* &c. non placet Acidalio, eum subjici: *Ubi flent nequam homines, qui polentam pinsitant.* Repetitur enim in loco non ita multo post, ubi quum *polentæ* Libano mentio fiat, statim Demænetus senex conjicit, de pistrino servum verba facere. Conjungendi itaque sunt hoc pacto.

DE. *Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere:* (b)
LI. *Ubi flent nequam homines, qui polentam pinsitant;* (c)

DE.

(a) Tullius lib.2. de Nat. Deor. c. 28. *Non enim Philosophi solum, verum etiam Majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati: quod nomen postea latius patuit.* Superstites etiam dicebantur testes, quibus præsentibus aliquid perageretur, quasi *superstarent.*
In Fragmentis Plautinis Artamone
Nunc mihi licet quidvis loqui, nemo hic adest superstes.
Vide Festum in *Superstites.*

(b) Nec amore fallor suscepti operis, nec quicquam aliud me movet ut fallar: Verior Nostri lectio Lambiniana lectione, ac interpretatione esse videtur. Mirum quidem! Ex re pene aperta, *ubi pinsitatur polenta* nequit senex intelligere, *quid istuc loci sit*, intelligit autem ex ænigmate, reliquisque ambagibus. Ex loco ubi polenta pinsitatur nescit sententiam ad pistrinum deflectere, deflectit autem ad polentam, pistrinumque ipsum ex *bobus mortuis* &c. Bona tanti viri pace non probatur: (c) *pransitant* lib.6. veteres habent, & vulgati, non refragamus, sed *pinsitant* omnino placet.

DE. *Modo pol percepi, Libane, quid istuc sit loci.*

Ex ænigmate vero de *vivis hominibus*, *& bobus mortuis*, nihil poterat ad pistrinum detorquere; coecutivit enim etiam ad argutias superiores. Commode autem ex polenta, quæ pinsitatur, sententia Libani ad pristinum trahit.

Sic igitur digestum locum rescribit.

LI. *Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?*
DE. *Quid istuc est, aut ubi est istuc terrarum loci?*
LI. *Apud fustitudinas, ferricrepinas insulas,*
Ubi vivos homines mortui incursant boves.
DE. *Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere.*
LI. *Ubi flent nequam homines, qui polentam pinsitant.*
DE. *Modo pol percepi, Libane, quid istuc sit loci,*
Ubi sit polenta, te fortasse dicere. LI. *Ah &c.*

Lectionem autem viri docti *fustitundinas* respuunt numeri, ususque veteris latinæ linguæ. Omisso siquidem *n tudo* dicebant Antiqui, ut *tago*, & *frago*. Ubi vero idem legit *ferricrepidas* probatur: ita enim in similibus aliis idem Plautus Trinum. Act.4. sc.3. v.14.

Oculicrepidæ, cruricrepidæ, ferriteri, mastigiæ.

Veruntamen ut a *tudo*, *tudinas* inflexit, ita etiam a *crepo*, *crepinas* hoc loco Plautum inflectere voluisse Acidalius arbitratur.

CAPUT II.

Eadem scena iterum versus unus ejectus, alter transpositus: tum leviora quædam ibidem etiam notata, vel correcta.

AD ejusdem scenæ v. 68.

Cupio esse amicæ, quod det argentum suæ.
LI. *Demiror quid sit, & quo evadat sum in metu.*
DE *Equidem scio jam, filium quod amet meum.* (a)
LI. *Cupis id, quod eo cupere te nequicquam intelligo.*

(*b*) Primum, & postremum versiculum divelli nullo pacto posse contendit, tertium rejiciendum, secundum vero alio transferendum. Quid enim est quod inepte repetat senex,

quod

(a) *Equidem scio jam Filium quod amet meum* omnino legendum vehementissime contendit Lambinus. Locum autem corruptum fuisse censet ab imperitis hominibus, qui venerum, deliciarumque latini sermonis gustum non habent. Sexcenta enim id genus reperiuntur in scriptoribus nitidissimis. Plautus non ita multo post v.45.

Verum meam uxorem, Libane, nescis, qualis siet

idest *nescis meam uxorem, qualis sit*. Ita dicimus *faciam te, ut scias* h.e. *te scire Illum veniat velim* h.e. *venire*. Sed modum hunc dicendi *Scio filium quod amet meum* Comicos a Græcis sumsisse putat: ita enim apud Græco οἶδα τὸν ἐμὸν υἱὸν ὅτι ἐρᾷ

(b) Exemplaria, quæ præ manibus habuit bene multa transeunt in alia omnia: Mihi certe quidem Acidalii nostri lectio omnino probatur. Cupit senex *esse nato argentum, quod det amicæ*, quid magis proprie, quam ut statim respondeat servus *nequicquam cupere?* Versiculo *Demiror quid sit &c.* atque huic dubitationi hic locus esse non potest. Satis enim ostenderat senex *se mores patris persequi velle, se percupere obsequi gnato*, proindeque *se amari velle: matrem filium arcte, contenteque habere, & quod se adierit, ut pudentem gnatum æquum est, cupere se &c.* Hæc apertissime cum demonstraverit, singulorum caussas, rationesque quum subjecerit, quid est quod Libanus, *in metu sit, quo evadat?* Non est *demiratus* subobscura quum esset senis oratio, demiratur autem nunc, quum jam omnia planissime explicata sunt? Ad versiculum alterum, quod pertinet putida repetitio hæc esse videtur. Sciunt enim omnes eum scire, qui & amicam novit, & ejus nomen protulit, & ab Argyrippo deperiri Philenium ipsius servi confessio ratum fecerit, & hæc se scire satis jam dixerit.

quod antea dixerat, servusque haud ægre confessus erat? v. 36. & v. 38. Secundum vero post versum 57. rejiciendum esse arbitratur. Hoc enim loco adhuc inopinata est Libano Oratio senis, quo hoc exemplum evasurum sit, nescit; sed alio loco v. 69. nihil plane dubitat, quum jam senex sese satis explicaverit. Hoc igitur ordine digerit Acidalius:

Neque puduit eum id ætatis sycophantias
Struere, & beneficiis me emere gnatum suum sibi.
LI. *Demiror quid sit, & quo evadat sum in metu.*
DE. *Eos me decretum est persequi mores patris.*
Nam me hodie &c.

Ad v. 49. sc. ejusdem

DE. *Omnes parentes, Libane, liberis suis,*
Qui mihi auscultabunt, facient obsequelam jam.

Eam pro *jam* reponit: *eam* sc. *obsequelam*, ut indulgeant filiis in amoribus, impensasque subministrent. Aliorum præterea lectionem recitat

. . . . . *faciet obsequelam*. LI. *itan'*?
DE. *Quippe qui mage amico utantur gnato, & benevolo.*

Ad vers. ejusdem sc. 87.

LI. *Ubicunque libitum fuerit animo meo.*

Fuverit legit, ut prima producatur, quod & in similibus observandum esse monet.

CAPUT III.

Impannis; inopia; voces hic nihili: Capsis, verbum probum. Modus rei, dandi casu. Pisces patinarii, assi; hi versantur, illi condiuntur. Ut a Plauto, Græca fide mercari, sic Græca mercede curare, ab alio non fictum, aut scriptum proverbium. Versus continui aliquot in numeros repositi: unius alibi, alibi forte plurium defectus indicatus. Præter hæc, alia in Plauto multa, quiddam & in Pomponio emendatum: in utroque virorum doctorum vanæ correctiones reprobatæ:

AD sc. 2. v. 1. Initium scenæ hujus, primosque versiculos pristinæ formæ restituisse se, ac expeditissimos reddidisse putat Acidalius Noster aliquibus leviter immutatis. Igitur versionis exemplum ita exhibet.

ARGYRIP. *Siccine hoc fit? ædibus ejici me? promerenti optume*
Hoccine pretii reddi? benemerenti mala, male merenti bona es.
At malo cum tuo: nam jam ex hoc loco ibo ad tres viros, (a)
Ve-

(a) Hi erant, ut colligere est ex antiquis Scriptoribus Triumviri capitales. Plauto ipsi testimonium denunciemus. Amphitr. I. I. 3.
Quid faciam, nunc si tresvir me in carcerem compegerit?
Advertendum hoc loco etiam sine ullo titulo nominari consuevisse, neque enim sine muneris additione nominari solebant. Hi ad Columnam Meniam sedebant, cognoscebantque de eorum scelere, qui in Urbe erant, neque tamen Cives Romani erant. Habebant quidem custodiam carceris, neque tamen carceris custodes erant, sed eorum curam habebant, qui carcerem custodiebant. Quod conjicimus ex Liviano loco XXXII. 26. *Et Triumviri carceris Latomiarum intentiorem curam habere jussi*. Quod expressius Val. Max. V. 4. 7. *Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud Tribunal suum capitali crimine damnatam Triumviro in carcere necandam tradidit, quo receptam, is, qui custodiæ præerat, misericordia motus, non protinus strangulavit........ Quæ tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso ad Triumvirum, a Triumviro ad Prætorem, a Prætore ad concilium Judicum perlata, remissionem pœnæ mulieri impetravit*. Unde præterea conjicimus hos de servis tantum, ac vilioris conditionis hominibus cognovisse: verumtamen in ea sententia sunt alii, ut putent, Liberorum etiam maleficia conquisivisse. Livii testi-

Vestra nomina faxo erunt; capitis te perdam, & filiam.
Perlecebræ, pernicies, adolescentum exitium. Nam mare haud
Est mare, vos mare estis, atque acerrumum: namque in mari
Reperi, hic elavi bonis. Ingrata, atque irrita omnia
Esse intelligo, quæ dedi, & quod benefeci: at postbac tibi
Male quod potero facere, faciam, meritoque id faciam tuo.

Ad versum 13. ejusdem.

Ego pol te redigam eodem, unde orta es, ad egestatis terminos.

Non displicet vetus editio, in qua *eosdem*, pro eodem.

Ad vers. 15. ejusdem.

Quæ, priusquam istam adii, atque amans ego animum meum isti dedi,
Sordido vitam oblectabas pane, impannis, inopia.
Atque ea si erant, magnas habebas omnibus Diis gratias.

Lectionem Cl. Viri rejicit sc. *impannis* neque enim cohæret cum eo, quod sequitur, *Atque ea erant*. Inopiam pro inope ait esse sine exemplo, quamvis *impannis* admittatur. Legit igitur *in panis inopia*, sed aliquid quod subjici oporteat, deesse suspicatur ad absolutionem sententiæ; tanquam si dicat Argyrippus: *eam atro pane vitam tolerasse, in cujus inopia si viliores res fuissent, quibus vesceretur, magnas Diis gratias habuisse.*

Ad vers. 19. ejusdem.

Nam isti quid succenseam ipsi nihil est, nihil quidquam meret.

Non *quid*, sed *quod* scribendum censet.

Ad vers. 25. ejusdem.

Atque eccam, illecebra exit tandem, opinor hic ante ostium.
Meo modo loquar, quæ volam, quoniam intus non licitum est mihi.

Sic interpungit

Atque eccam, illecebra exit tandem. Opinor hic ante ostium.
Meo modo loquar, quæ volam, quoniam intus non licitum est mihi.

Ad vers. 5. act. 1. sc. 3.

Remigio, veloque quantum poteris festina, & fuge.
Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.

Dubitat in melius *capsis*, id est *ceperis* antiquo flexu, ut Bacchi. act. 4. sc. 4. v. 6.

Si id capso, geritote amicis vestris aurum corbibus.

Et Rud. Act. 2. sc. 1. v. 15.

Nisi quid concharum capsimus, incœnati sumus profecto.

Verumtamen Nonio assentitur, qui disertim *capessis* hic laudat.

Ad vers 17. ejusdem.

LE. *Quid modi est? ductando, amando nunquam expleri potes?*

Recte Gulielmus distinctionem mutare videtur, verba *ductandi*, *amandi* non item. Verior lectio hæc Acidalio nostro videtur.

Quid modi est ductando, amando? nunquam ne expleri potes?

Proindeque in sequenti legendum censet. Qui modus dando?
Legendum itaque putat etiam sub finem act. 5. sc. 2. v. 32.

AR. *Quid modi Pater amplexando facies? non amplexandi.*

Affert locum unum, qui manus emendatorum evasit Mil. act. 4. sc. 8. v. 1.

Quid modi fiendo quæso hodie facies?

Corruptos item esse contendit unum, & alterum Ruden. & Pœn. ubi eodem pacto etiam cum voce *pausa* putat: recteque dici *pausam osculando facere*, *lavando*, & *fricando*.

Ad

stimonium habent, quod sequantur XXXIX. 17. *Fugientes* Bacchanalium conscii, *a Triumviris comprehensi, & reducti sunt*. Agelii etiam verbis confirmant. III. 3. *Quum Nævius ob assiduam maledicentiam, & probra in Principes Civitatis in vincula Romæ a Triumviris conjectus esset*. Legem Tribunitiam allatam a Festo in *Sacramentum* referre libet in gratiam studiosorum Juvenum: *Quicunque Prætor postbac factus, qui inter cives jus dicet, tresviros capitales populum rogato, iique tresviri capitales, quicunque a Populo facti erunt, Sacramenta exigunto, judicantoque; eodem iure sunto uti ex Legibus, Plebisque Scitis exigere, judicare, esseque oportet.*

Ad verf. 27. ejufdem.

Is habet fuccum, is fuavitatem: eum quovis pacto condias:
Vel patinarium, vel affum, vorfes quo pacto lubet.

Interpunctione ipfa fententiæ venuftatem obfcurari, & fic diftingui oportere arbitratur,

Is habet fuccum, is fuavitatem: eum quovis pacto condias,
Vel patinarium, vel affum vortes quo pacto lubet.

Ad verf. 44. ejufdem.

. . . . Nam fi ea durarent mihi,
Mulier mitteretur ad te, nunquam quicquam pofcerem.
Diem, aquam, folem, lunam, noctem, hæc argento non emo:
Cetera, quæ volumus uti, græca mercamur fide. (a)

Poftulare contendit fententiarum ἀκολουθίαν, ut ante verba *Diem, aquam, Solem* &c. aliquid interlocutus fit Argyrippus: ita enim fecum putat. Lena pofcebat argentum, Adolefcens fe non habere refpondit. Dabunt igitur, inquit Lena qui habent. Quærit Argyrippus ubi illa fint, quæ ante dederat. Confumta effe Lena dicit, quæ fi durarent, gratis amicam mitteret, nihilque pofceret. Hic lacunam effe fufpicatur Nofter: deberet enim Adolefcens ad hæc refpondere, fe, quod gratis minime cupiat, confecturum aliquid & daturum, certam futuram effe mercedem, dummodo puellam interea indulgeat. Optime enim cum his cohæret, ut propudium feminæ præfentarium argentum petat, negetque fe conducticiam puellam nifi ea fide indulgere velle, qua ipfa omnia mercatur, græca fc., quod præfenti pecunia merces omnes cogatur emere; fe denique manus oculatas habere, quæ, quod videant, folum credant. Proverbio hoc, *Græca fide mercari*, in alterius memoriam induci fe narrat *Græca mercede curare*. Procufum hoc a Gulielmo refert in Afranio apud Nonium, ut ipfe Gulielmus ait, fed verius in Pomponio. Hunc autem Nonii locum, *occupare, collocare* (*Pompo. Piftoribus*) *quæ tuleram mecum, nulla deinde victoria tam Græca mercede illico curavi, ut occuparem*, averfo Apolline, mufifque omnibus ita Gulielmus emendavit:

. . . . quæ tuleram mecum millia decem
Victoriatum Græca mercede illico
Curavi, ut occuparem.

Quem ita Nofter refcribit:

Quæ tuleram mecum militiæ ftipendia,
Victoriæ cum relica mercede, illico
Curavi, ut occuparem.

Videntur autem verba effe redeuntis hominis e militia, qui ftipendia, ac præmia victoriæ ftatim collocat fœnori: *Occupare* enim hoc loco eft *collocare*, fi qua Nonio, Tullioque fides, cujus Nonius teftimonio utitur Verr. 3. c. 36. *Præterea pecunias occuparat apud Populos, & fyngraphas fecerat*. Ita vero Acidalius mutavit: e *nulla* expreffit *militiæ*, ex *deinde*, *ftipendia*, ex *græca*, *relica*, quod veteres pro *reliqua* fcribere confuevere.

CA-

(a) Huc, ubi de Fide græca agitur, conjicere libet alium Plauti locum de Fide Attica, ne præclaræ cujufdam eruditionis cognitione benevolum Lectorem fraudemus. Depromta eft autem ex Diogeniani collectaneis, & Plauti verficulis confirmata. Ita Plautus Aul. III. 6. 46.

Nunc hoc mihi factum eft optimum, ut te auferam
Aulam in Fidei fanum, ibi abftrudam probe.

Fides enim Attica incorruptiffima fuiffe dicitur, cui Templum Athenis conftitutum. Huc adjicimus certam adeo Athenienfium in Romanos fidem fuiffe, ut fi quid vera, finceraque fide petendum effet, id fieri Attica fide Romani dicerent. Sed Vellejum ex quo hæc depromfimus audiamus. II. 23. 4. *Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ a Sulla captæ funt imputat Athenienfibus, nimirum veri, vetuftatifque ignarus eft: adeo enim certa Athenienfium in Romanos Fides fuit, ut femper, & omni re, quicquid fincera fide peteretur, id Romani, Attica fide fieri, prædicarent.*

CAPUT IV.

O & au mutant inter se. Pelleus, pro Pellæus an dici possit; ut quidam in Catullo volunt Dioneus, pro Dionæus. Edere, exedere; vorare, devorare; commanducare, comesse, edere, cacare; omnia obsceni intellectus. Quoniam. Callide. Multa hujus fabulæ, quæ verborum, ut versibus; quæ versuum, ut sensibus consuleretur, traductione; tum aliis modis correcta passim, & scriptorum aliorum collationibus illustrata.

AD verſ. ejuſdem 50.

Semper occultæ noſtræ ſunt manus, credunt quod vident.

Unam leniter ut numerorum rationem habeat, voculam tranſponit *noſtræ manus ſunt*, vel *manus noſtræ ſunt*.

Ad verſ. ejuſdem 69.

Oſculando oratione vinnula, venuſtula.

(a) Quum de ſuavio fiat ſtatim ſermo, (*ſuavium ſi ſumſit*) quid eſt, quod nunc de oſculo? Mutat igitur *oſculando* in *oſcultando* more veterum, qui & *o*, & *au* ſcribebant, ut ſit *oſcultando* pro *auſcultando*: harum enim illecebrarum gradus hi eſſe videntur, *ſalutari*, *compellari*, *auſcultare*, *tractare*, denique *oſculari*.

Ad act. 2. ſc. 2. v. 20.

Non places. Metuo in commune, ne quam fraudem frauſus ſit.

Ita interpungit, quoniam Libanus non metuit in commune, ſed ne qua fraus ſit in commune, cujus damnum non ad plures, verum & ad ſe fortaſſe perventurum ſit.

Ad verſ. ejuſdem 31.

Perii ego oppido, niſi Libanum invenio jam, ubi ubi eſt gentium.

Ita

(a) Diſcrimen faciunt eſſe aliqui inter oſculum, baſium, & ſuavium: oſcula enim ad officium pertinent, baſia ad amicitiam, pudicumque amorem, oſcula ad libidines: ita Servius ad Æn. 1. 260. *Sciendum oſculum religionis eſſe, ſuavium voluptatis*: Addit autem: *Quamvis quidam oſculum filiis dari, uxori baſium, ſcorto ſuavium dicant*. Veruntamen alia ratione uſi ſunt Latinorum Scriptorum optimi. Tullius ad Atticum XII. 1. *Atque utinam ad complexum meæ Tulliæ, atque ad oſculum Atticæ poſſim currere*: & lib. XVI. 11. *Atticæ, quoniam, quod optimum eſt in pueris, hilarula eſt, meis verbis ſuavium des*. Non ſunt audiendi, qui *oſcula jacere*, & *baſia jactare*, ita explicant, ut ſignificet, ſtantes e minus manum porrigere conſueviſſe, eamque ſtatim ad os referre, & ſuaviari. Manum enim primum oſculabantur, deinde ad eum protendebant, quem adorabant, aut venerabantur. Exponendus eſt hoc loco Juvenalis verſus ſat. 3. v. 106.

A facie jactare manus, laudare paratus.

Etenim manum ad os, vel ad faciem prius admoveat neceſſe eſt, qui ſalutat, quam eam ad illum porrigat, quem adorat. Ita autem veteres Deos ſuos, Imperatores, & Principes, atque etiam Imperatorum imagines, ſimulacraque Deorum adorabant. Referre libet aurigarum morem, qui flagello populum venerari ſolebant: illud enim adorantes ori admovebant, atque oſculabantur, & ſic adorabant; quod eruditorum Philologorum teſtimonio *oſculum labratum* dicebatur: Hoc enim pacto explicandus videtur locus Xiphil. LXXIX. p. 874. Editorem Caracalla *venerabatur inferiori flagello*. Ceterum oſculum civilis erat etiam ſocietatis proprium, & conſuetudinis; amici enim, pareſque inter occurrendum ſe ultro, citroque oſculis ſalutabant. Mart. VII. 94. 1.

Bruma eſt, & riget horridus December,
Audes tu tamen oſculo nivali
Omnes obvios hinc, & hinc tenere,
Et totam, Line, baſiare Romam.

Fuit etiam oſculum, veluti quædam conſanguinitatis teſſera, quum enim cognatorum nuptiis legibus interdictum eſſet, poterant tamen ſeſe oſculari; proindeque aliquando falſos mulieres ſibi propinquos fingebant Prop. 2. 5. 7.

Quin etiam falſos fingis tibi ſæpe propinquos,
Oſcula, nec deſunt, qui tibi jure ferant.

Ita scribit; quod *jam* non ad verbum *est*, sed ad *invenio* pertinet.

Ad vers. ejusdem 42.

Quid istuc negotii est? LE. *certum est credere.* LI. *audacter licet.*
LE. *Si vis amanti subvenire familiari filio.*

Mutilum, fractumque locum pronunciat, in quo sermo, sensusque ipse, utcunque constituatur, nimis coactus exit.

Ad vers. ejusdem 50.

Hariolari quæ occeperunt, sibi esse in mundo malum,

Ut mensuræ inserviat traducit *sibi*, rescribitque *esse sibi*.

Ad vers. ejusdem 67.

Meministin' asinos Arcadicos mercatori Pellæo
Nostrum vendere Atriensem. LI.. *memini, quid tum postea?*

Penultima longa in *Pellæo* ultimo pede ferri non potest; cujus erroris damnat etiam Gulielmium, qui versum 105. sic interpolat:

Hercle vero tu cavebis, me attigas; si me taxit
Ne hodie malo cum auspicio nomen commutaveris,

Vel igitur *Pelleo* scribendum censet Catulli exemplo. Car. 30. v. 9.

Ut albulus columbulus Dioneus.

qui tamen locus a Scaligero emendatur (dubitat autem num diphtongus, *æ* ablationem vocalis, & correptionem patiatur ut *a*). Vel ita transponendum

Meministine Asinos Arcadicos mercatori vendere
Pellæo nostrum Atriensem?

Ad vers. ejusdem 71.

LI. *Ubi is homo est?* LE. *jam devorandum censes, si conspexeris.*

Jocum turpiculum hic delitescere censet Noster, reprehenditque Lambinum, qui translationem a Feris assumtam esse arbitratur. Quum enim adolescentem venisse dixerit Leonida, quæsiveritque statim Libanus, ubi sit, nimis curiose quærentem servum putat Leonida conditionem ejus ambire velle, atque una esse desiderare. Eadem igitur notione *Devorare* hic usurpatum fuisse putat a Plauto, qua obscœnum exedere ab Apulejo Metam. lib. 8. *Et heus*, ajunt, *cave, ne solus exedas tam bellum sc. pullum: sed nobis quoque tuis palumbulis nonnunquam impertias*, qua *Commanducare*, & *comesse* a Lucillio:

Commanducatur totum complexa, comestque,

qua fortasse simplex *edere* a Novio Bucculo apud Nonium:

Quod editis, nihil est, si vultis quod cacetis copia est.

qua a Pomponio Prostibulo:

Ego quæro quod edim: hos quærere quod cacent contra jus est.

qua *vorare* a Catullo Carm. 81.

Nescio quid certe est: an vere fama susurrat,
Grandia te medii tenta vorare viri?

& Carm. 89. *Non si demisso se ipse voret capite.*

& Carm. 34. *Nam dextra Pater inquinatiore,*
Culo filius est voraciore.

Ad ejusdem v. 86.

LE. *Ait se ob Asinos ferre argentum Atriensi Saureæ*, (a)

Vi-

(a) In gratiam Studiosorum Adolescentium, quando de Atriensi servo hic sermo est πάρεργον haud esse putamus de Atriariis, Mediastinis, atque Atriensibus pauca disputare. Alii erant Atriarii ab Atriensibus, ut affirmant Philologorum doctissimi, quippe Atriensium vicariæ operæ, quarum erat atrium verrere, atque ad observandum ostium, atriumque perpetuo considere. Atrienses vero, qui atrio præfici solebant, servabant, ne quid ex imaginibus, stemmatis, tablinis, ceterisque, quæ in atrio reponi consueverant, deperiret. Lautiores Atrienses appellat Tullius Parad. 5. *Atque ut in magna Familia alii sunt lautiores, ut sibi videntur, servi Atrienses*; magnificos autem, atque facetos Plautus Asin. 2. 2. 84.

Extemplo facio facetum me, atque magnificum virum,
Dico me esse atriensem

 Fit

Viginti minas, sed eum sese non novisse hominem, qui siet,
Quoniam ille elocutus hæc sit, LI. *quid tum?* LE. *ausculta ergo, scies:*
Ipsum vero se novisse callide Demænetum.

Ita rescribit, ut emendet multa levioris momenti, sensumque ipsum.

LE. *Ait ob Asinos ferre se argentum Atriensi Saureæ,*
Viginti minas: sed eum se non novisse hominem, qui siet,
Ipsum vero se novisse callide Demænetum.
Quoniam ille elocutus hæc est, LI. *quid tum?* LE. *ausculta ergo scies,*
Extemplo facio facetum me, atque magnificum virum,
Dico med esse Atriensem.

Quod narrantem interrogando interpellat Libanus ob nimiam festinationem locus fortasse perversæ interpunctioni datus est. Ceterum genuina hæc est structura verborum, veraque sententia: *Quoniam ille elocutus hæc est, extemplo facio facetum me, atque magnificum virum; Dico med esse Atriensem*: quoniam se Hospes Atriensem servum novisse negaverat. *Quoniam* pro *postquam* sæpe apud Plautum, ac frequens esse observat Festus. *Callide novisse* pro *pernovisse*, quasique *percallere* Terentius And. act. 1. sc. 2. v. 30.

Quid hoc intellextin'? an nondum etiam hoc quidem? DA. *immo callide.*

Et rursum Plautus *callide facundum* dixit: Mercat. Prologo:

Quia nullus unquam amator adeo est callide
Facundus, quæ in rem sint suam, ut possit loqui.

Idemque *cate novisse*: Menæchmis:

Num isthæc mulier illinc venit, quæ te novit tam cate?

Sed *callidus* etiam apud alios pro sciente, perito, prudente. Tacitus 4. Annal. *Senatusque, & Optimatium ingenia, qui maxime perdidicerant, callidi temporum & sapientes credebantur*. Idem 2. Histor. *Quo nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur*. Sallust. in Fragmentis: *Neque de futuro quisquam satis callidus, satisque prudens sit.*

CAPUT V.

Perrectum in hac Comœdia, plusculis & varii generis indidem sublatis mendis. Improbatæ quorundam explicationes; correctiones aliorum probatæ in parte, sed simul adjutæ.

FRequens, ubique mendarum genus, ut binæ in unam coalescant voces, cujus eadem ista scena non dubium exemplum hoc occurrit.
Vers. 2. act. 1. sc. 2.

Ego me dixeram adducturum, & me domi præsto fore.

Nam præsto legendum; pro *dixeram*, *dixi herum*. Vel tempus, quod vocant, verbi suspicionem poterat movere: quod inconveniens prorsus huic narrationi. *Dixi* res poscit, & *herum* præcedentia firmant:

si herum vis Demænetum,
Quem ego novi, adducere, argentum non morabor, quin feras.

Ibidem adhuc alia ex alio genere menda, satis etiam ipso vulgato. Nam quod legitur:

Jam

Fit igitur, ut eadem Asinaria act. 2. 5. 4. Leonida, quippe qui servum se Atriensem esse simulat, servum alium aspere, ac ferociter habeat. Curabant hi, ut omnia ex omni parte munda essent: ita Cicer. l. l. *Si Lucius Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissime tractantem . . . . utrum, illum Civem excellentem, an atriensem servum diligentem putaret?* Colum. item XII. 3. *Tum insistere Atriensibus, ut suppellectilem exponant, & ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur*. Mediastini vero vilissimi erant balnearum, atque ædium Ministri, medii inter summos, & Atrienses, atque inter compeditos, notæque extremæ. Vilissima quæque omnia in agro obibant. Horatius epist. 1. 14.

Tu mediastinus tacita prece rura petebas.

Inter eos referebantur ostiarii, scoparii, peniculi, unctores, focarii, fornacarii, balneatores, atque alii id genus.

Jam hoc opus est exasciatum, nam si ille argentum prius
Hospes huc adfert, continuo nos ambo exclusi sumus.

sententia vult ut legatur *excasciandum*. Novit optime, ut Lambinus alterum torqueat, sed vere torqueat: cui quidem explicationi aperte repugnant consequentia statim verba. Nec vis illa verbi propria, quam facit. Videbis ipse, lector. Sensus germanus est: jam jam sine mora dedolandum esse dolum, ne ab hospite præveniantur. Sed an omnino tamen *exasciandum* scribi debet? Vereor, ut *exasciato* potius sit, in eamdem plane mentem. Opus est, inquit, ut jam statim hoc sit exasciatum: necesse est hanc hoc ipso momento fabricam paratam esse. Deinceps levissimus error in interpuncto:

Nunc tu abi ad forum, atque herum, & narra hæc, ut acturi sumus.

Verius enim, *& narra hæc, ut acturi sumus*. Ad finem scenæ:

LE. *Ego abeo, tu, jam scio, patiere; sed quis hic est? is est,*
Ille est ipsus.

apicem fastigiatum a particula *hic* tolle, quæ provocabulum, non adverbium. Proxima dehinc scena, *ut demonstratæ fuit*, recte pridem Gulielmius docuit supervacuam vocem illic:

. . . . . *nolo ego fores conservas meas* (a)

A te

(a) Genus hoc jocorum subrusticum ac pæne infìcetum, cujusmodi est hic, ut mihi videtur; sæpe invenimus apud Plautum servos loquentes, quum inducit: miro enim artificio morem servilem, ac plebejum jocandi imitatur. Verbis etiam popularibus identidem utitur, ut indolem comœdiæ exprimat, quæ actiones imitatur vel humiles, vel e media vita hominum petitas. In hunc locum conjicere libet eruditissimam Georgii Walchii de discrimine latinitatis doctæ, & plebejæ disputationem Hist. Crit. Lat. Lin. ad Virum celeberrimum Jacobum Facciolatum, olim Præceptorem meum, quem honoris caussa nomino, cap. I. de Orig. & Fatis Lat. Lin. §. xx.

„ Antequam vero nos ad ultimam „ latinitatis ætatem conferamus, de diversis „ illius speciebus aliquid dicendum est; „ alia fuit *latinitas docta*; alia *plebeja*; „ *doctam* dicimus illam, quam veteres in „ scribendo, *plebejam*, quam in loquendo „ plerumque usurpaverunt. Quinctilianus „ XII. 12. ait, *quod aliam videatur habere naturam sermo vulgaris; aliam viri* „ *eloquentis oratio*; hæc omnia illustrant „ verba Svetonii de *Augusto* cap. 57. *quotidiano sermone quædam frequentius &* „ *notabiliter usurpasse eum, litteræ ipsius* „ *autographæ ostentant*; sic Augustus posuit pro stulto *baceolum*, a βάκηλος, quod „ animo stupidum significat: pro pullo gallinæ *pullejaceum*, ne equi intelligeretur „ *pullus*; pro cerito, id est furioso *vacerrosum*; item *vapide se se habere*, pro male, „ quod vinum *vapescens* quasi ægrotet, „ inde *vapida lagena*, in qua non vinum „ est, sed vappa: *betissare* pro languere, „ quod vulgo *lachanissare* dicitur, quia „ *beta* maxime tenera languet: *simus* pro „ sumus: *domos* genitivo casu singulari pro „ domus; quam loquendi rationem Sidonius lib. 4. *epist.* 10. appellat *usualem*: *reliquas denuo litteras usuali sermone contextas: non enim tanti est, poliri formulas, editione carituras*; ex his judicari „ potest de controversia Leon. Aretini, „ qui lib. 4. *epistolarum* p. 273. adversus „ Blond. Flavium Forolivienſem existimat, „ quod latina lingua, per quam intelligit „ elegantiorem Romanam, *a vulgari differat terminatione, inflexione, significatione, constructione & accentu, quodque* „ *præstantes homines oratorem latine, litterateque concionantem præclare intellexerint; pistores vero & lanistæ & hujusmodi turba sic intellexerint oratoris verba, ut nunc intelligunt missarum solemnia*; sed Fr. Floridus Sabinus lib. 11. „ *lect. subcisivis*; cap. 1. adfirmat, quod latinus sermo veterum Romanorum tempore omnibus promiscuus fuerit, præter „ quem etiam Francisc. Philelphus lib 9. „ ep. 6 lib. 37. ep. 2. idem probandum suscepit, postquam Pogius eamdem cum „ Leonardo Aretino sententiam defendere instituerat: legere possumus hac de re „ Melchiorem Incoferum *historia sacr. latinitatis* lib. 3. cap. 2. seqq. Carolum du „ Fresne *præfat. glossarii* n. 57. seqq. in primis Dan. Georg. Morhofium de *Patavinitate Liviana* cap. 6. contendit hic, „ multas voces superesse in glossariis latinis & græco-latinis, quas vocamus barbaras, quum pari antiquitate cum illis, „ quas Cicero usurpavit, niteant; cur devenerint in desuetudinem, id factum est

„ mul-

Ad v. 39. act. 2. sc. 4. LI. *Non etiam*. LE. *hem, non ? nunc, si velis, da, commoda homini amico.*

Sed superiore scena, unde digrediebamur, iste versus per se optimus & numeris, & verbis, & sensu:

Ad v. 19. *Truculentis oculis, commoda statura, tristi fronte.*

tamen melius, certè ordinatius ex veteribus scribatur:

Truculentis oculis, tristi fronte, commoda statura.

ut, quæ ipsa re cohærent, frons tristis, & oculi truculenti, ne insertione alieniore divellantur. Ejusdem finis, nullius etiam vitii manifestus:

Ad v. 25. ME. *Si quidem hercle Æacidinis minis expletus, animisque incedit,*
Si me iratus tetigerit, hic iratus vapulabit.

putat esse tamen unde sic positis interpolari:

ME. *Is quidem hercle Æacidinis nimis expletu', animisque incedit.*
Sed si me iratus tetigerit, hic iratus vapulabit.

Qui hoc nolit, inquit, *incedat* priore saltem versu scribat, aut pro isto ipso vulgatum illud capiet, ut alia solent scilicet, *edit* pro *edat*, *duit* pro *duat*, &c. nam subjunctivum modum particulæ *Si quidem* poscunt. Ita proxima scena:

Vers. 9. *Si quidem hercle nunc summum Jovem te dicas detinuisse,*
Atque is precator assiet, malam rem effugies nunquam.

CAPUT VI.

Jussim, jusso. Cura; talos, cervices diffringere, an defringere. Ciere, perciere. Secundas agere, non facere. Loca plura, tentata partim ab aliis, quædam aliter correcta, quædam explicata rectius, omnia a maculis, ac tenebris simul vindicata.

SUpponere quidem invicem sibi sæpe tempora verborum Plautum affirmat Acidalius, non tamen ut præteritum usurpet pro præsenti. Ejus hic tamen exemplum, scena, quæ ordine nunc sequitur, si vera scriptura omnium librorum:

Act. 2. sc. 4. v. 4. ME. *Nimis imperiosus est*. LI. *væ mihi hodie*. LE. *salvere jussi Libanum libertum; jam manune emissus?* LI. *obsecro te.*

Nam *jussi* pro *jubeo* accipiendum habemus, quando necdum certè salutatum nunc primulum salutat. Sed non ita est, neque vera scriptura, cui literam unam deesse putat. *Jussim* legit, quod valet *jusserim*, ut *jusso* alibi pro *jussero*. Non alia affert argumenta, nisi sensum unicè hoc velle. Tu, inquit, nunc mihi velut libertus salutandus fueris, qui meo dicto tam non es audiens, & pro manumisso gerere te videris. Illud quoque sequentium versuum alterum.

Act. 2. sc. 4. v. 8. LE. *Siquidem hercle nunc summum Jovem dicas te detinuisse,*
Atque is precator assiet, malam rem effugies nunquam.

ex Aldina editione, & aliis, quæ *ad* vel *at* inferunt, ita levi manu refingendum esse contendit

Atque is precator assit, ita malam rem effugies nunquam.

Formula locutionis hoc astruit, quæ Plauto crebra. Amphitr.

ME. *Quadrigas si nunc inscendas Jovis.*
Atque hinc fugias; ita vix poteris effugere infortunium.

Epidico, *Male morigerus:*

EP. *Si undecim deos præter se secum adducat Juppiter,*
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.

Sequitur illa jam acris expostulatio, & mox diligens rationum inquisitio Leonidæ, quæ se præstat Atriensem, & facit omnia ex disciplina Curatoris etiam & Villici, cui a Catone præscriptum, *putare rationem vinariam, oleariam, quid venierit, quid exactum siet, quid reliquum siet, quod veneat, quæ satis accipienda sient, quæ satis accipiuntur, &c.* In eo loco veram sententiam, quod mireris, e falsa lectione Lambinus extricavit. Nam ut iste nunc legitur versus 32.

Nam vidi huc ipsum adducere ad trapezitam Exaerambum.

intelligitur ille quidem jam recte: intelligi tamen ita non potest, si verbis ipsis hæremus.

Hæc emendationis egent, ut liquida ipsa liquidiusculum ex se pariant sensum. Scribit ipse re poscente:

Nam vidi hunc ipsum abducere ad trapezitam Exaerambum.

Qua in lectione conjungit *ipsum Exaerambum*, & *hunc* accipit Stichum vicarium. Exaerambus enim ultro Demæneti domum veniens abduxerat inde secum Stichum in forum ad trapezitam, ut nummos apud eum rescriberet. Ut hinc autem non infeliciter se expedivit interpres, ita contra mox obhæsit illic:

Ad v. 33. sc. 4. LE. *Sic dedero priusquam credidi, vix anno post exegi.* (a)

Quod ut exponat, apud ipsum quæri mavult: exponit rectius Acidalius levi correctione.

Sic dedero; prius quæ credidi, vix anno post exegi.

Hui! inquit Leonida: tam citò vinarius solvit? heri quæ vina vendidi, pro iis jam hodie Sticho satisfecit? Equidem sic lubeat dare. Nam antehac sane lentum ille nomen, atque olim quæ credidi, vix anno ipso post exigi potuerunt: nunc vero mirum quam facilis ipse nostros ad trapezitam abducit, & per eum, quæ debere vix cœperat, resolvit. In qua explicatione suam sequitur aliam emendationem alius ibidem versus continui superioribus,

Nunc satagit, adducit domum etiam ultro, & rescribit nummos. (b)

Hic enim ad priorum exemplum ita refingendus:

Nunc satagit, abducit domo etiam ultro, & rescribit nummos.

Sane illud necessarium prorsus, ut ex ædibus Demæneti servum abduxerit Exaerambus ad argentarium: Adeundi enim trapezitæ in foro, ubi eorum mensæ, & omnis negotiatio. Non aliter aut hæc pars constat, aut reliquæ: nec illud, *Sic dedero*, ullam hic aliam admittit explicationem: in qua falsi non Lambinus tantum, sed & Camerarius & Palmerius, quorum hic uti triumphum accipit in Comœdia familiarem iis, quibus aliquid e sententia successerit: ut Terentii Phormione:

Act. 5. sc. 6. v. 3. *Sic dabo: age age nunc Phormionem, qui volet, lacessito.*

Verum refellit hoc totus locus, & maxime verba conjuncta, quæ penitus abhorrent triumphalem ejusmodi exclamationem.

Ad v. 36. LE. *Quid reliquum?* LI. *Ajebat reddere quam extemplo redditum esset.* versui magis consulit editio vetus Florentina, quæ *sibi* inserit: *quàm exemplo sibi redditum esset.* Alias verba traducenda sint. Eadem versus ratio transponi etiam inferius aliquid vult:

Ad v. 57. *Salvum hercle erit.* ME. *credam fore, dum quidem ipse in manu habebo.* Numeri enim titubant, ni scribis, *dum quidem in manu ipse habebo.* Sed divinitus aliquanto post insignem locum Gulielmius a personarum & verborum ordine mirifice turbatum constituit: quem ita miratur Acidalius excudi non jussisse nuperos editores, qui alia ejus multo magis dubia nihil dubitarint pro Plautinis in contextum referre. Nihil enim fere inter multa ejus elegantissimi ingenii, & judicii certissimi verius: in quo eodem tamen nescit levicula menda supersit, eaque facillimæ emendationis.

Ad v. 68. sc. ejusdem, act. 2. ME. *Malum hercle vobis quæritis.* LE. *crura hercle diffringentur,* (c)

Ni

(a) Nostri Lectionem, & interpretationem jure sequitur U. Cl. Gronovius, qui pessimam corrigit *Sic debeo: priusquam credidi*, locumque Pœnuli ad Nostri lectionem adstruendam assumit *Sic: dedero: aere militari tetigero levunculum.* Frequentatum vero illud, *sic detur* ad hunc locum pertinere, qui dicit, refellit triumphalem exclamationem, quam somniavit Palmerius.

(b) Ut verum fatear non possum id assentiri Acidalio, quod legendum esse putat, & intelligendum hoc loco. Concinne enim magis respondet Tῷ *satagit*, atque *ultro* *domum* quam *domo*: nam adeo de maturanda solutione sollicitus factus est Exaerambus, ut non necesse fuerit, inquit Pistoris, ipsum sequi ad Trapezitam in forum, sed ipsemet ultro trapezitam domum adduxerit, & per eum nummos rescripserit.

(c) Crurifragium, seu crurifrangium servorum supplicium quasi peculiare fuit, inquit Lipsius, sicut & ipsa Crux, qui etiam rationem frangendi crura ita describit. Incus cum malleo, vel recte ferreo inferebatur, tibiæque incudi apponebantur ictibus frangendæ.

Ni istam impudicum perciet. LI. *perii hercle, age impudice.*

Usitatius quidem Plauto sit *defringentur*: quo Milite bis utitur: scen. *Cobibete*:

Metuerem, ne ibi defregisset crura, aut cervices sibi.

scen. *Nisi hercle*:

Nisi hercle defregeritis talos, posthac quemque in tegulis
Videritis alienum

Tamen *diffringentur* absit ut damnem *Perciet* autem cave aut mutes, aut in obscenam sententiam interpreteris cum Lambino. Nihil hic loci subagitationi. Vult impudicum saltem appellari & proclamari clara voce, quod significat *perciere*. Sic Bacchidibus *Ciere*, scen. *Nunc experiar*:

MN. *Dii immortales, meum sodalem hic nominat.*
Quid hoc negotii est, Pistoclerum Lydus quod herum tam ciet?

Ubi tamen *accusat*, etiam ad editionis optimæ marginem exponunt, male. Tacitus 3. histor. *Tum ad Mæsicos conversus, principes auctoresque belli ciebat.* Valet & his & pluribus alibi locis tàntum vocari, nominari. Denique ad finem ejusdem scenæ:

Ad v. 89. LE. *Jam nunc secunda mihi facis, sciebam huic te capitulo hodie*
Factarum satis pro injuria.

nugatur suo more Lambinus de secunda vel succidanea hostia: nec multo melius emendat vir & Criticus illo melior, omniumque pæne optimus, *secundas mihi facis*: etsi recte interpetratur idem, & allusum ad Comœdos primos & secundos, sive primatum secundarumque partium vere docet. At enim ἀνοητόλογον, secundas partes *facere*, quod Latini *agere* dicunt. Actio enim histrionum, & agendi saltem verbum in scena in usu est, non item faciendi. Rescribe igitur, *secundas mihi acis*, id est *agis*: donec & illud Latinum exemplo nobis, quod Acidalius non meminit, probetur. Nam *secunda mihi ais* rejicit quanquam *secunda loqui* Naso dixit in Arte lib. 1. v.582.

Sive erit inferior, seu par, prior omnia sumat:
Nec dubites illi verba secunda loqui.

Sed jam *secundas facere* in Sidonio Apollinari invenit, si locus tamen sanus, lib. 1. ep.2. *Secundas fastidit vel timere, vel facere.*

CAPUT VII.

Hortat. Cassus. Consistere, constare: constitus. Aduostes an Adsostes, pro hostibus. Inductores, duces. Vi, adverbialiter. Tamen, ut ὅμως, eleganter orationi additum. Præter Plauti multa, & difficilia quædam loca, extricata, emaculata, illustrata: Festus etiam post alios semel, iterumque nunc primo tentatus.

MInimè necesse esse sensit mutari sub initium scenæ: *Nequeon' ego*:

Ad v.9.sc.1. act.3. *Lingua poscit, corpus quærit, animus orat, res monet.*

veretur tamen, ne verius sit quod alibi vidit *hortat*, pro *orat*. Utitur Plautus & crebro & libenter antiquaria ista forma, qua ad finem maluit etiam *contemples*:

Ad v.35. sc.1. act.3. *Meum caput contemples, siquidem ex re consultas tua.*

Ubi mutari item non opus est *siquidem*: nec male tamen ejus loco quidam *siquid*. Itemque nec hoc anterius interpolari fortè debet.

Ad v. 13. sc.1. act.3. CLE. *Ergo una pars orationis de die dabitur mihi?*

nisi si versus persuadebit aliis, quod Acidalio ipsi suadet, ut *Ergon' pars* rescribatur. Istud, credit, ibidem emendationis egere:

Quin pol si respossivi remum, sola ego in casteria (a)
Ubi quiesco, omnis familiæ caussa consistit tibi. (b)

Etsi

(a) *Casteria* pro *Scasteria* putat esse Salmasius: hic locus in navi, si qua Nonio fides, ubi remi & gubernacula, navigatione conquiescente collocantur.

(b) Rectius ni mea me fallit opinio, qui sentiunt caussam sumi hic ex Juristarum usu, qui *rem* ajunt *esse cum sua caussa restituendam* cum omni emolumento, quod inde capi potuerat. Explicant igitur *omnis caussa familiæ tibi consistit*, id est omne emolumentum, quod ex familia capis, tibi cessat, &c.

Etsi enim *caussam* rem interpretari licet, quomodo cepisse Lambinus videtur: attamen quia insolentior est locutio, non de nihilo suspiceris aliter, & forte sic legendum: *omnis familiæ cassa consistit tibi*. Ubi ergo vaco, inquit, & quiesco, vacua & inanis est, pariter mecum esuriales ferias & otiose sedet tota familia nostra. Sic enim *consistit tibi* exponendum, non uti ad librorum marginem appinxerunt, *in te sita est*. *Tibi* velut abundat, & *consistit* valet, una simul sistit, pariter quiescit. Tali compositione *constare*, simul stare Curculion. scen. *Date viam?*

Constant, conferunt sermones inter sese drapetæ.

Pro quo *consistere* dixit eadem fabula post, act. 4. sc. 2. v. 16. *I tu præ:*

Nec vobiscum quisquam in foro frugi consistere audet:
Qui consistit, culpant eum.

Nec Tacitus aliter Histor. 4. *Quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quæque gens consistunt*. Inde apud Festum: *Constitutus hominum, a consistentium multitudine appellatur*. Ubi melius legeretur fortasse *Constitus*, id est constitutio, vel simul-statio. Sed ad Plautum, & locum ipsum redit, in quo verbi *consistit* explicationem, quam dedit plane tenet: correctionem Tò *caussa* non difficulter omittit; quamtumvis locutio, & ejus melior, in qua non inepte quæsita videri etiam allusio, & collisio vocum *casteria*, & *cassa* potest. Scena eadem non dedignatur & hoc quantulicunque momenti monere.

CLE. *Non veto ted amare, qui dant, qua amentur gratia.*

Appendiculam Tò *d* numeri transferri mavult a provocabulo *te* ad alterum *qua*.

Non veto te amare, qui dant, quad amentur gratia.

Sed & illi hærere facile patitur, dum huic pariter adjungatur. Quod ipsum interponi sequentis etiam scenæ versu illo debet:

Ubi amicæ, quam amico tuo fueris magis fidelis.

Scribe, *quamd amico*. Sed a capite eandem scenam ordiamur, & ordine percurramus. Igitur initio quicquid alii de *virtute ulmorum*, an *armorum*, an *humerorum* constituant tandem, in quibus ipse adhuc sane hæret, quæ mox sequuntur intricata admodum conatur expedire. Et horum hic primus est versus:

Qui advorsum stimulos, laminas, crucesque, compedesque: (a)

in quo prima vox merito abest a veteribus libris, & proxima vero, quamquam sic in omnibus præscribitur, procul dubio tamen est corrupta. Si legis enim quæ consequuntur ad periodi finem, ἀνακόλουθον esse videbis, & nihil habere, quod inchoatum sensum absolvat. Dicit ipse libere, quid censeat, & doctis modeste proponat judicandum. Latere videtur in *advorsum* remotior alia quædam vox & antiqua. Jam sciunt, quicunque Festum legerunt, *advosem* in eo pro advorsario, vel hoste explicari: quamquam nec idipsum verbum sincerum cum aliis statuit, & corrigendum *advostem*. Fruterio libens credit, libentius huic hoc sane, quam Schekio nuper *adsostem* facienti, quod ab illo non nisi scribendi tamen ratione distat. V namque ipsum pro F nonnunquam etiam veteres, ut F porro pro adspiratione H sæpissime posuerunt. Exempla nihil huc attinet congerere, quæ promta apud alios, & plerisque omnibus jam nota. Id autem verbi Plauto hic donandum, vel redonandum versui existimat, scribendumque,

Advostium stimulos, laminas, &c.

In hoc consequemur, non tantum ut ea pars orationis universæ quadret, sed nec illa abhorreat postea, quæ mirificas & ipsa turbas dedit, dabitque porro, nisi prior, de qua nunc egimus, constituatur. Eccillum versum dico:

Eas nunc legiones, copias, exercitusque eorum.

Nam quis non se torsit hactenus in isto *eorum*? quod accommodare nemo prioribus ullo pacto potuit, & varie ergo pro se quisque mutaverunt. At quam vanus eorum omnis labor! quam facilis jam & obvia structura! Capis scilicet, & repetis *eorum advostium*. Verum ut magis videat Lector ἀκολουθίαν totius orationis, quam ἀπίφρασιν prolixiusculum nonnihil obscurat, omnes versus hic adscribit, ut legendos, &, qua parte graviter etiam peccatum est, distinguendos putat

Per-

(a) Alii sic orationem evolvunt: *Quam, qui advorsum stimulos, laminas, crucesque, compedesque, nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas, inductoresque acerrimos, gnarosque nostri tergi* (*qui sæpe in nostras scapulas cicatrices indiderunt*) *nostris sycophantiis, dolis, astutiisque, scapularum confidentia, virtute humerorum freti sumus, eas nunc legiones* &c. *potiti sumus*.

Act.3. sc.2. v.1. *Perfidiæ laudes, gratiasque habemus merito magnas:*
Quum nostris sycophantiis, dolis, astutiisque
Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti,
Advostium stimulos, laminas, crucesque, compedesque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas,
Inductoresque acerrimos, gnarosque nostri tergi,
Qui sæpe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt:
Eas nunc legiones, copias, exercitusque earum
Vi pugnando perjuriis nostris, euge, potiti.

Nullæ jam ibi salebræ, plana & expedita omnia: in quibus *inductores* de Palmerii sententia recte putat se scripsisse. Nam in hac perpetua ἀλληγορίᾳ bellicæ rei, ductores etiam facit, sed ridicula ambiguitate tales, qui compedes, numellas, pedicas, & reliqua cuncta servilium pœnarum instrumenta, ipsorum collis, manibus, pedibusque, peritissimi regionum omnium totius corporis, inducant. Præter interpuncta autem alia mutata, illa penitus sustulit, quibus ea verba divellebantur,

Vt pugnando perjuriis nostris.

Non enim sigillatim ea proferenda, sed junctim uno spiritu, & sic interim capienda, quasi vi, id est fortiter perjuriis pugnarint. Si qui ex rudioribus admittere tam calcum verbum nolent, alterum ipsum *advorsum* retineant, sed eadem significatione, tanquam positum pro *adversorum* sive adversariorum. Jam de alio ibidem loco non sententiam, sed conjecturam timidius proposuit. Controversi enim ille juris apud magnos pridem viros:

Vbi sæpe caussam dixeris pendens adversus octo
Astutos, audaces viros, valentes virgatores.

Notum enim jam olim *artitos* pro *astutos*, & nuper adeo *limaces* in loco τοῦ *audaces* supposita: de quorum utroque silere (a) mavult, quam alterum acerbiuscule refutare. Ceterum nec *astutos* mutandum Acidalio videtur: & miratur, si non hic quoque metaphoram semel cœptam persecutus est Plautus, ut cum caussæ dictionem tribuat reo, ab altera parte statuerit accusatores. Ad illam formam quid si scribas?

Astutos, audaces, juris callentes virgatores.

Sed ipse non audet, nihil fisus incertæ divinationi: qua neque certior deinceps isthic:

Ad v. 28. sc. ejusd. *Vbi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo*
Validos lictores ulmeis affectos lentis virgis.

Necdum enim probare vel hoc vulgatum *affectos*, vel Bosianum *affectus* potest: sed neque *affectis* præferri vult, quod magis tamen placeat, utpote quod cum lictoribus ipsas virgas quamtumvis lentas in languorem datas innuat. Affectæ virgæ, quæ quasi morbo afficiuntur & conficiuntur in tergo ulmitribarum cujus simile dicit alibi quoque, nec uno loco, sed in promtu nullus mihi nunc, præter ubi mortem etiam iis tribuit. Captivis: (b)

Væ illis virgis mi eris, quæ hodie in tergo morientur meo!

Sequentia paucis versibus ille:

Quod se absente mihi fidem habere noluisset. Ejusd. vers. 37.

quem justo breviorem, nec igitur integrum, omnes vident. Acidalius augere se posse, ait vetusto Plautini sermonis genere, inserto scilicet *tamen*:

Quod sese absente tamen mihi fidem habere noluisset.

Ita Milite: *Bene quæso inter vos dicatis, & mihi absenti tamen.*

Amphitr. *Vt quum absim, ames me tuam absentem tamen.*

Casinæ Prologo: *Sciens ejus mater ei dat operam absenti tamen.*

Sti-

(a) Erat addenda ipsius nominis etymologia, ut confirmaretur *artitos robustos* significare. *Ars* siquidem *robur* erat olim apud veteres, & firmitatem corporis, ac fortitudinem significabat.

(b) Mire placet Taubanni, Camerarii, veterumque codicum Lectio *flexibilibus virgis instructos*. Ad *flexibilibus* quod pertinet, non moveor ut supponam, & *lentis* rejiciam. Lentus de re flexili elegantissime dici nemo non videt: hinc lenta vimina, lentæ virgæ, &c.

Sticho : . . . . . *cum tamen absentes viros*
Perinde habetis, quasi præsentes sint.

Captivis :
Beneque hero gessisse morem in tantis ærumnis tamen.

Pœnulo :
Facito sis, reddas, etsi hic habitabit tamen.

Sed satis exemplorum : Græci suum ὅμως similiter usurpant : ut Euripid. Medea :
ἰςήσομαι δὲ καὶ κακῶς πάχω σ' ὅμως.

Denique eadem scena non recte dispositæ personæ videri possint ibi :

LE. *os opprime, is est, subauscultemus,*
Lacrimantem lacinia tenet lacrimans; quidnam esse dicam?
Tacite auscultemus.

Melius enim intermedium versum Libano tribuerimus, qui prohibitus a Leonida semper obloquatur tamen : ut jam sic ordinetur :

LE. *os opprime : is est, subauscultemus.*
LI. *Lacrimantem lacinia tenet lacrimans, quid id esse dicam?*
LE. *Tacite auscultemus.* LI. *at at.*

Sed vulgatum non subsistere prorsus, & mutationem necessariam minimè affirmarim.

CAPUT VIII.

Flocco habere, an Deflocare. Argyrippo nomen amatori adolescenti non Agyrippo, Abi. Ambo. Novæ & multigeneres emendationes allatæ: veteres aliorum quædam exactæ. Verba transposita, personæ commutatæ. Versus præterea unus, post alterum a Lambino restitutum, e fragmentis Casinæ in hanc Asinariam cum Gulielmio reductus; idem sedis & numerorum incertus ab illo relictus, in utriusque nunc primum jus, neque certum tamen ipsum, sed arbitrarium, assertus.

SÆpius in personarum collocatione peccatum, & id unde, pridem alii observarunt: quorum vestigia Noster sequutus, quod deprehendit, constituit. Sed quia prolixior locus est, heic non ipsum, ut vulgatur hodie, saltem ut concinnandum personis aliter digestis arbitratur, adscribit.

Ad v. 27. sc. 3. act. 3. LE. *scio qui periclum feci.*
LI. *Circumsistamus: alter hinc, hinc alter appellemus.*
Here salve, sed num fumus est hæc mulier, quam amplexare:
AR. *Qui dum?* LI. *quia oculi sunt tibi lacrumantes, eo rogavi.*
AR. *Patronus qui vobis fuit futurus, perdidistis.*
LI. *Equidem hercle nullum perdidi, ideo quia nunquam ullum habui.*
LE. *Philenium salve.* PHI. *dabunt dii, quæ velitis, vobis.*
LE. *Noctem tuam, & vini cadum velim, si optata fiant.*
AR. *Verbum cave faxis verbero.* LE. *tibi equidem, non nisi opto.*
AR. *Tum tu igitur loquere, quod lubet.* LE. *hercle hunc verberare.*
LI. *Qui suam istuc accredat tibi, cinæde calamistrate?*
Tun' verberes, qui pro cibo habeas tete verberari?
AR. *Ut vestræ fortunæ meis præcedunt, Libane, longe,*
Hodie qui nunquam ad vesperam vivam.

De personis ipsis, quod hic caput est; nemo dubitabit, qui colloquii processum & alternas quæstionum ac responsionum ubique vices diligentius pensitabit. Acidalium vero non ratio tantum, ut sic digereret in universum, sed & libri Coloniensis auctoritas movit in parte, qui Libano continenter ista, *Here salve: sed num fumus est hæc mulier, &c.* tribuebat: quod ipsa res omnino, tum ea verba flagitant, quæ Libani deinceps constanter in omnibus libris: *Quia oculi sunt tibi lacrumantes*: ut qui hoc dixerit, eundem prius etiam illud oporteat dixisse. Non procul inde dubites, an & illic verba suis personis recte attributa.

Ad v. 49. ejusdem sc. LE. *Secede Libane, te volo.* LI. *si quid vis.* AR. *obsecro vos.*
Eadem istac opera suavius est complexos fabulari.

Sane

Sane ipse, qui non inepte Libanum ista loqui videt, *Si quid vis*: tamen veretur, ne melius Argyrippo cum sequentibus adscribantur:

. . . . AR. *si quid vis*, *obsecro vos*,

Ad v. 50. sc. 3. act. 3. *Eadem istac opera suaviust complexos fabulari*.

Mox leviter ex antiquis ille versus refingendus;

LI. *Cupio hercle*. LE. *sequere hac*. AR. *ecquid est salutis* ? *satis locuti* ?

Loco enim suo bina verba dejecta, unum vero plane ejectum. Rescribes:

LI. *Cupio hercle*. LE. *sequere hac*. AR. *satis locuti jam* ? *ecquid est salutis*?

Vel sensus hoc evincit. Cum redeuntes ad se videret Argyrippus, miratur ita subito transactum inter eos, simul sollicitus, an recte in se consuluerint. Itaque primo, jamne locuti sint satis; dein, ecquid salutis sit, quærit. Deinceps longo intervallo, post versum 113. Lambinus a Camerario sublatum quendam inseruit vicissim.

Asta igitur, *ut consuetus es puer olim*, *scis ut dicam* ? (a)

recte atque ordine: cujus exemplo ipse alium etiam exulantem adhuc indidem, & e Casina laudatum a Nonio restituet Gulielmius Acidalio nostro demonstravit, neque tamen locum certum ei plane dedit, & ipsum vero genere ipso versuum reliquis dissimilem non aptavit, ut recipi inter illos possit, de quo nec in mentem ei forte venit, & necesse est tamen, si debet omnino ceteris interponi: & numeros & sedem ei pariter reddit Noster. Est autem lectionis diversitas magna, sed non in verbis adeo, quam in ordine eorum. Nam & apud Nonium in *Defloccabit* aliter, aliter in Fragmentis Plautinis, & deinceps aliter semper ab aliis, quicunque laudant, scribitur. Ipse exemplum totius hujus scenæ conformat primum:

Perii, *jam illicce homo meos hic lumbos flocco habebit*.

Deinde sedem ei dat, ut præcedat illum:

Perii hercle, *verum siquidem est decorum herum vehere servum*,
Inscende,

vel certe sequatur istum:

Hem sic, *abi*, *laudo*, *nec te equo magis est equus ullus sapiens*.
AL. *Perii*, *jam illicce homo meos lumbos hic flocco habebit*.
Inscende actutum.

Utrubi malis, Argyrippi versus est, statuendus hac plane regione, ubi se inequitandum præbet: a quo facto nomen etiam ipsum invenit. *Argyrippus* enim, qui argenti caussa inequitatur: ne audiendum putemus, qui *Agyrippum* è libris nescio quibus mutat, velut ἀπὸ ἵππον τοῦ ἀγυρῶν: cui originationi & lectioni locus ubivis alibi potius, quam hic, ubi non res tantum & eventus, ipsumque fabulæ argumentum, sed modulus etiam syllabæ primæ, quæ longa esse prorsus ubique debet, apertissime reclamat. Ceterum & de Nonio obiter hoc notetur, mutilum ea parte esse, ubi citat hoc exemplum, quod cum unicum est, tum titulo suo minus respondet, & congruentia magis alia innuit præcessisse: nisi quis in hoc ipso non *flocco habebit*, sed *defloccabit* fuisse velit suspicari; quod L. Carrionem videt plane censuisse, cujus asservationem censoriam modestiusculo assensu pœne audet sequi. Nam *flocco habere*, spernere tantum est & nihil facere, ut ad Amphitruonem dixit: *defloccare* autem, conterere prorsus & ad nihilum redigere; quorum hoc nemo non videt sententiæ Plautini loci melius convenire. Metuit enim sibi Argyrippus, non tantum ne parum parsurus sit servus suis lumbis, sed vero magis, ne penitus eos insessu & agitatione sua conficiat, & cutem inde sic deterat, ut a vestibus solent flocci. Jam autem porro quidam sane bene vir doctus, male in istis, *Hem sic*, *abi*, *laudo*: spernit *abi*, quia nondum inscenderit servus, & *age* propterea reponit. Confirmat testimonio Terentii Adelphis.

Vers. sc. act. *Laudo Ctesipho*: *patrissas*, *abi*; *virum te judico*.

Exclamatio laudantis utrobique *Abi*, non discedere jubentis inclamatio; quod verbo tetigisse satis sit, neque sane debet pluribus ostendi: uti nec illud opus est astrui, quod idem

(a) Digladiantur inter se interpretes: putant enim alii obsceni aliquid in hoc versu delitescere, absolvunt vero alii, quod modum innuere videatur Libanus, quo pueri tenelli quum sunt, grassari solent. Quod quidem cum sensu ipso magis convenit: si enim obsceni aliquid dixisset Libanus, haud placide respondisset Argirippus *inscende actutum*, seu indignabundus asperius servum habuisset.

idem ibidem mutat, *scis ut dicam?* quicquid turbent pluteatii libri, quorum fidem hic subleſtam ſcimus. Iis miſſis igitur ad alia pergamus, ut hanc etiam ſcenam hoc capite abſolvamus. Brevior ille verſus uno pede:

Ad v.121. ſc.3. act.3. AR. *Quid nunc quoniam ambo, ut eſt lubitum, nos deluſiſtis.* ſed ſcin' quam facile ſubveneris? Itera vocem *ambo*, quam bis perſcribere librarius debuerat;

Quid nunc? quoniam ambo, ut eſt lubitum, nos ambo deluſiſtis.

Alterum pro *ambos* poſitum: quod neglectum, a quo non intellectum. Servorum uterque utrumque amatorum pro libitu deluſerant. Sed ut huic deerat, ita duobus, qui ſequuntur, ſupereſt aliquid contra menſuræ juſtum modum.

Sc. ejud. v.124. LE. *Etiam tu here iſtunc amoves abs te, atque ipſe me aggredire*
Atque illa, ſibi quæ hic juſſerat, mihi ſtatuis nunc, ſupplicaſque?

Ut & his conſulas, deme poſteriori *nunc*, quod nec habent Veneta & Colonienſis editiones priſcæ: priori dele *ipſe*: quod ſi tenuis, antiqua flexio verbi *aggredire* repudianda, ſcribendumque, *atque me ipſe aggredere*. Verum *ipſe* quorſum retineas? Nulla ejus hic emphaſis, ac ne uſus quidem ullus: niſi forte *ipſum* ſcribes, in quo videatur aliqua vis, nec tanta tamen, ut *aggredire* præ ea debeas nolle. Porro Fortunæ & Salutis vocabula literis a capite majuſculis ſemel atque iterum ſcribenda, ut pro propriis Dearum nominibus habeantur; quod monere Acidalium non pudet, quia prætermiſſum ab aliis piget. Illic.

Ad v.142. ſc.3. act.3. *Animum Argyrippe advorte ſis; pater nos ferre hoc juſſit*
Argentum ad te.

rectius feceris, ſi provocabulum *hoc* alteri verſui dones: *Argentum hoc ad te*: cujus hiant alioqui numeri. Poſtremo quod ad finem ſcenæ legis:

Ibidem v.151. LI. *Jam dudum eſt intus, hac quidem non venit, angiporto*
Illac per hortum circuit clam, ne quis ſe videret.

magis placeat, ſi perſonis varietur hoc exemplo:

LI. *Jamdudum eſt intus.* AR. *hac quidem non venit.* LI. *angiporto &c.*

Certe enim Argyrippo conveniunt magis, quæ nunc tribuimus ei, miranti nempe, quod intus eſſe jam patrem ſervus dixerat, & dubitanti, quia non veniſſe adverterat ea via, quæ ad domum meretriciam recta, & palam ducebat: quum ille objectioni reſpondens, circuitu & clam iiſſe ait, ne a quoquam conſpiceretur.

CAPUT IX.

Homines, per excellentiam ſexus, tantum mares Plauto, ut Græcis interdum ἄνθρωποι. *Æpol quin. At pol quin. Quaſi ſi. Quaſi ut. Quaſi ſi ut. Aliquantæ aliæ in Aſinariam cenſuræ. Nonius, & Lambinus rejecti.*

NOn plebiſcitum unquam ullum ſcitius fuit illis legibus, quas in ſyngrapho inter Argyrippum & amicam, & lenam, Paraſitus unicus ille ad eam rem poeta, ſcripſit. Inter eas vetat in primis alienum quemquam intromitti, qui verſus ut integer ſit, legi ſic forte debet.

Sc.1. act.4. v.11. *Hominem, alienumque ad ſe intromittat neminem.*

abuti videtur appellatione *hominis*, pro ſolo maſculo: ut vulgus hodie Italorum & Gallorum, patriæ linguæ ἰδιωτισμῷ, niſi mares, homines non dicunt. Quod etſi a Latinis alienum, tamen interdum propter excellentiam ſexus noſtro generi magis id tributum nomen eſt, ſive temere, ſive conſulto, ſive denique per luſum. Plautus quidem non hoc tantum loco, qui dubius aliquantum, ſed & Caſtellaria palam mulierem & hominem diſcrevit. Scena. *Niſi quia mihi.*

Quid quæritabat? HA *mi homo, & mea mulier, vos ſaluto.*

Nec ille tamen hac Comœdia plane dubius locus, qui ut videatur, falſa lectio facit ſequentis verſus:

Aut quod illa amicam ſuam, aut ſororem prædicet.

Nam hunc ipſum correxit jam olim recte Gulielmius è veteribus libris:

Aut quod illa amicæ ſuæ amatorem prædicet.

Ne-

Neque enim metuere sibi tribadas habet & subagitatrices feminas: a maribus unis periculum illi, quos disertim excludi omnes jubet. Ac si libeat, accipere non aliter possis apud Juvenalem Sat. 6. vers. 330.

Illa jubet sumto juvenem properare cucullo.
Si nihil est, servis incurritur, abstuleris spem
Servorum, veniet conductus aquarius, hic si
Quaeritur, & desunt homines: mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem submittat asello.

Ne jam barbariei accuset aliquot in Jurisconsultorum libris loca, quae femininum sexum hominum titulo non dignantur. Sed ut de Latinis, quorum incorrupta castitas, si verum fateri volumus, hoc totum non admittit, nihil addam amplius; Graeci quidem certe γυναῖκα καὶ ἄνθρωπον, aliquando distinguunt: cui testando non Æschinis illum, quem lexica vulgata solum praeferunt, locum, sed alium non animadversum hactenus adfert Dicaearchi e Geographicis fragmentis; qui cum de mulieribus Thebanis loquitur, sic habet inter alia: εἰσὶ δὲ καὶ ταῖς ὁμιλίαις οὐ λίαν βοιώτιαι, μᾶλλον δὲ Σικυώνιαι. καὶ ἡ φωνὴ δ' αὐτῶν ἐστὶν ἐπίχαρις: τῶν δὲ ἀνθρώπων ἀπηχὴς καὶ βαρεῖα. Cui similia reperiri in scriptoribus Graecis plura non dubitat: & tamen illorum ἄνθρωπος communis, ut Grammatici loquuntur, generis est, cum Latinorum sit tantum masculini, contra miseros magistellos, qui & hoc commune faciunt, sed ab aliis quidem refutati. Ad Plautum redit cujus in scena, quam ingressi sumus, inveterata illa menda est, minus feliciter ab aliis tentata:

. . . . . . *ni quatriduo*

Act. 4. sc. 1. v. 19. *Abalienarit, quo ex te argentum acceperit.*

Mutant e membranis Langii, *quo abs te*. Verius putat Noster se retentare *ex te* delere. Nam praepositionis ἀναστροφὴ est *quo ex*, pro *ex quo*. Latinum hoc, & germanum Plauti, nihil necessum habet probare. Paullo post metuit, ne sedes inter se mutarint duo versus in illis:

Tecum una postea aeque pocula potitet.
Abs ted accipiat, tibi propinet, tu bibas.
Ne illa minus, aut plus quam tu sapiat.

Nam sententiae nexus ordinem hunc postulare videatur:

Tecum una postea aeque pocla potitet,
Ne illa minus, aut plus quam tu, sapiat, DI. *satis placet:*
PA. *Abs ted accipiat, tibi propinet, tu bibas.*
Suspiciones omnes ab se segreget.

Primum enim aequalitatem poculorum sancit, ut tantundem bibat, cui caussam hanc suam debet subjicere,

Ne illa minus, aut plus quam tu sapiat,

deinde porro, ne a quoquam alio accipiat, nec alii vel propinet, vel praegustatum porrigat, sed unde bibit ipsa, solus indidem bibat Argyrippus: cujus itidem addidit istam caussam,

Suspiciones omnes ab se segreget.

id est, ne in suspicionem ullam incurrat alterius amoris, si cum alieno poculum communicet: quamquam sane generatim hoc ad sequentia quoque spectat edicta. Jam eo versu:

Nolo habere illam caussam, & votitam dicere:

plane *vetitam* contra Nonium legendum esse vel numeri docent, qui neque sine levi alia mutatione constant:

Nolo illam habere caussam, & vetitam dicere.

Sc. 2. act. 4. v. 13. leviculum unum est, quod praeterire minime vult:

Amoris caussa percitum id fecisse te
Magis quam sua caussa. DI. *at pol; quin dixti rectius.* (a)

Non

(a) Nihil est quamobrem cum Lambino in eclipsi laboremus, aut quicquam subaudiamus: allatum Amphit. exemplum nos a tricis omnibus expedit, claramque sponte sua sententiam efficit. *At pol quin certa res* h.e. per Pollucem vero res certa est. Tu vero per Pollucem rectius dixisti, inquit Diabolus, *Tu ergo fac &c.* Dubitandum enim erat, quod cavet Parasitus, ne Artemona Diabolum adolescentem amoris caussa percitum, id fecisse putaret.

Non ita non bene: melius tamen, *æpol quin dixti rectius*. Ad hunc enim modum *ædepol quin* plerumque jungit Plautus. Vel interpuncto sublato saltem, *at pol quin*. Amphitr.

AM. *At pol quin certa res. Hanc est objurgare.*

Ab ea statim in proximam transiliamus, ubi recte illud habet.

Act.5.sc.1.v.12.DE. *Patem ego? quem videam æque esse mæstum, ut quasi dies si dicta sit.* quantumvis Lambinus expungendum *ut* censeat. Ait sententiam & versum eo corrumpi. Neutrum verum. Quomodo enim versum, si quis recte metiatur? quomodo item sensum? nisi si insolitam dices loquendi formulam, *ut quasi si*. At hac idem Plautus usus etiam Clitellaria:

Non quasi si ut hæc sunt hic limaces lividæ.

Nam etsi vulgo non legitur insertum ibi *si*, tamen versus ratio poscit. In Appulejo *quasi ut* tantùm, Apolog. 1. *Satis, ut puto, crinium crimen, quod illi quasi ut capitale intenderunt, refutatum est*. Apud hunc *quasi si* persæpe, cujus nunc unum exemplum contentus dare, cetera in alium reservat locum. Prologo Casinæ:

Hera fecit, educavit magna industria,
Quasi si esset ex se nata, non multo secus.

Eadem scena nescit an satis bene istud:

Ea res me male habet, at non eo, quin tibi non cupiam quæ velis:
Verum istam amo.

Negationes abundant nonnunquam in Plauto, tamen id hic ferendum non videtur. Usus enim particulæ *quin* additum sibi *non* respuit eo sensu, qui debet horum esse verborum. Non ægre fero, ait, quin velim, quod tu velis; sed quia isthanc amo. Sed numeri negationem retentant. Maneat igitur, dum pro *quin*, *quia* rescribatur. Ita enim quoque vera mens, & numeri ipsi pleni.

CAPUT X.

Mecastor, muliebre; mehercule, virile; adepol, commune juramentum. Sine. Vitium alicui dicere. Funditare. In jactu talorum amicas invocandi mos. Locus unus a versuum ordine graviter turbatus, aliique levius in verbis corrupti, suæ, quod fieri potuit, integritati restituti, simul, quod debuit, explicati.

ACt. 5. sc. 2., *Ain tu meum*, restat nobis in extremo fabulæ, cui extremum hoc caput sit dicatum. Ejus versu,

Artemona, si hujus rei me esse mendacem inveneris:

ut numeris sit integrior, inverso verborum ordine scribi mavult Acidalius *me mendacem esse*, vel *mendacem me esse*. Item inferius:

Jube dare vinum, jam dudum factum est, quum primum bibi.

versus caussa *dari* melius scribas. Deinceps jam gravis confusio facta, nec legitima servata series versuum, nec vera collocatio personarum.

ART. *Miser ecastor es*. PA. *mecastor dignum est*. AR. *quid ais, pater?*
ART. *Ain' tandem? Ædepol næ tu istuc cum magno malo tuo*
Dixisti in me, sine venias modo domum, faxo ut scias.
Quid pericli sit dotatæ uxori convicium dicere.
AR. *Ecquid matrem amas?* DE. *egone? illam nunc amo, quia non adest.*

Ne multis, vide exemplum, ut integrum locum restituat, interpunctis etiam præter alia correctis.

PHI. *Dic amabo, an anima fætet uxoris tuæ?* DE. *nauteam*
Bibere malim, si necessum est, quàm illanc oscularier,
ART. *Ain' tandem? Ædepol næ tu istuc cum magno malo tuo*
Dixisti in me, sine: venias modo domum, faxo, ut scias
Quid pericli sit dotatæ uxori convicium dicere.
PHI. *Miser ecastor es*. ART. *mecastor dignus est*. ARG. *quid ais pater?*
Ecquid matrem amas? DE. *egone illam? nunc amo, quia non adest.*

Cujus emendationis, opus non est, prolixè rationem reddi, quæ se facile nunc ipsam prodit & probat. Etenim quis non videat, continuos eos tres versus Artemonæ collocandos

sta-

ftatim poft fenis in eam dicterium ? neque divellenda, quæ neceffario cohærent, Argyrippi filii verba ? Tum quis ferat, de miferia fenis Artemonam & Parafitum loqui? cui etiam, fi Diis placet, muliebre juramentum, *mecaftor*, tribuerant. Ut breviter ἀκολουθίαν germanam oftendam: poft Demæneti vocem, qua uxoris animam & ofculum contemnebat, excipit Artemona ftatim, & eminus pro fe velut cauffam dicit: cum tamen eodem quafi momento mifereatur fenem Philenium, & irridens, miferum dicat, cui vivendum cum tam odiofa uxore: fed hic quoque fubjicit eadem ftatim, dignum maritum effe, qui fit verè mifer. Tum Argyrippus infit, & de amore patris in matrem quærit: cui ille, abfentem amari, præfentem morti devoveri refpondet. Hæc in univerfum Plauti ftructura: de fingulis verbis non libet Noftro difputare, repetit illud, quod ante tetigit, nullo modo Parafito tribuendum *mecaftor*: quod mulierum folum juramentum, fi Macrobio & Donato fides. Hi namque tradunt, neque viris per Caftorem, neque per Herculem jurare feminis licuiffe: per Pollucem fane commune utrifque fuiffe. Atque id a Comicis omnibus & Plauto diligenter obfervatum, nifi fi quibus locis errore librariorum commiffum eft, ut difcrimen hoc confunderetur: quod in Plauto non femel hic tantum, fed & fæpius factum alibi deinceps oftendet. Quin factum idem hac etiam ipfa fcena in perfona Argyrippi, quem loquentem introducunt infra:

Ecaftor quin furrepturum pallam promifit tibi.

Quo fane loco hæret, nec, ut alibi, mutatione perfonarum expedire fe poteft, quando prorfus hunc Argyrippi fermonem fequens verfus, & fenis inclamatio teftatur. Non tamen Acidalio dubium eft, quin pro *ecaftor*, vel *ædepol* fupponendum fit, vel quavis alia ratione flagitium hoc locutionis declinandum: quod fuperiore loco commodiffime potuit evitari. Sed ibidem verbum *fine*, fic a reliquis diftinxit, ut folum proferatur, & pro formula agnofcatur minandi per quandam conceffionem, quæ frequenter alias eo ipfo verbo apud Plautum expreffa. Aulular.

CON. *Sine. at hercle cum magno malo tuo, fi hocce caput fentit.*

Convicium autem retinere malis, an cum Cl. Grutero *vitium* ex Langianis refcribere, tui arbitrii ftudiofe Lector facit dum fcias, etfi illud fane fcripfit, tamen hoc nunc magis fe probare, quando menfura verfus melius capit, tum quia venufta & antiqua locutio, *Vitium alicui dicere*, pro vitii aliquem infimulare, accufare, reum agere, damnare. Gloffarium vetus H. Stephani pulcre exponit, *Vitium furi dico*, καταγινώσκω τὸ κλέπτειν. Ufus & Terentius folemni imitatione Plauti, ut Gr. monuit, Hecyra:

Reddi patri autem, cui tu nihil dicas vitii
Superbum eft.

Hinc porro illic:

ART. *Næ ille ecaftor fœnerato funditat, nam fi domum*
Redierit hodie,

ne muta cum viro docto *illæc*, fed e veteri libro infere:

Næ ille ecaftor fœnerato hæc funditat.

Non enim *fundit hæc*, ut Lambino videtur, e Nonio fcribendum, qui Plauti verfum mala fide folens defcripfit. Libentius frequentativo, quod vocant, illo nofter utitur.

Cum cruciatu tuo iftæc hodie, verna, verba funditas.

Pœnulo. *En monftrum mulieris: tantula tanta verba fundita.* (a)

Mox ubi legis *Hoc Venerium eft*, vide ne potius fit. *Hic venerius eft*, ut de jactu ipfo facilius, & rectius interpreteris. Neque multis interjectis:

ART. *Ego pol vivam, & tu ifthæc hodie cum tuo magno malo*
Invocavifti,

ut fententiam affequaris; *ifthanc* fcribe, pro *ifthæc*. Invocaverat in talorum jactu Philænium fenex, quo nunc Artemona refpicit

Te Philenium mihi, atque uxori mortem.

At-

(a) Miror equidem Lambinum, cujus de talis hæc funt verba (*diximus Venerium jactum felicem fuiffe, canem vero infelicem; erat autem Venerius jactus &c.*) non vidiffe (*Venerius hic eft* nempe jactus) fuiffe reponendum, neque *hoc Venerium* retinendum. Sæpe jure a Noftro caftigatur, quod, quæ hominum infirmitas eft, in iis quæ facili negotio deprehendi poffunt, fæpe facile decipiatur.

Atque id de more, cujus in Plauto crebra mentio. Supra in Legibus:

Quum faciet. TE. *ne dicat, nomen nominet*.

Captivis:

. . . . . . *Nam in convivio sibi*

Aliquanto inferius:

Act. 5. sc. 2. v. 70. . . . . . PH. *pol me quidem*

Miseram odio enicavit. ART. *age surge amator i domum*.

Insititium illud *age* censet, quod nulli habent vetustiores libri, nec postea cum reliqua verba iterantur, hoc usquam additum; sed versui fulciendo intruserunt, qui tamen etiam sic nutat. In Coloniensi veteri *hodie* reperit pro *odio*: male quidem, nisi utrumque recipiendum, quod sane arbitratur, & scribit: *(a)*

Miseram odio enicavit hodie. ART. *surge amator, i domum*.

(a) *Nos quoque ab hac Comœdia surgamus, & non domum, sed aliam fabulam spectatum adeamus*. In animo mihi erat totum id eradere, quod inficetum, ac frigidum videbatur. Verumtamen meliore consilio usus in additamenti locum conjeci ea mente, ut si probaretur Lectori optimo, neque ipsi, neque Acidalio injurius essem, subtrahendo; sin minus laudaret, hominis diligentiam, qui nihil ponere audet, quod eruditis Lectorum oculis minus dignum esse videretur.



VALENTIS ACIDALII
IN PLAUTI AULULARIAM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES AD JOSEPHUM SCALIGERUM
JUL. CÆSARIS FILIUM,
CAPUT I.

Emissitii oculi. Ædes plenæ inaniis. Effertus fame. Congrediri. Quod nunc? Aulularia pluries correcta, simul declarata.

AUlulariam ordimur, cujus initio statim menda nulli hactenus animadversa. Nam primore Prologo legimus:

. . . . . hanc domum
Jam multos annos est quum possideo, & colo: (a)

non hoc quidem male, quamquam varie se torquet interpres in genere sermonis: sed tamen non optime, si versum sequentem videmus:

Patrique, avoque jam hujus, qui nunc hic habet.

Quomodo enim hunc superiori nectes, siquidem nectendus est plane? Nisi *color* scribes, haud sane poteris, quod ut rescribas auctor est Acidalius, non contra libros tantum omnes, sed ipsum etiam Nonium. Ait Lar, annos jam multos se domum eam possidere, & a patre, avoque hodierni domini pro Lare cultum. Sententia hæc est: quam non evertit, quod infra idem ait; non impendio se ab illis cultum. Utcunque cultus fuerit, Lar tamen ipsorum cultus, & habitus fuit. In ejusdem Prologi extremo:

Et hic, qui poscet eam sibi uxorem, senex,
Is adolescentis illius est avunculus:

nescio, si rectius *Enim hic qui poscet*. Melius quidem oratio cohæreat, & præcedentium sensus magis explicetur. Nam hæc veluti ratio sunt, esse certe debent illorum,

. . . . . id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui compresserat.

Vers. 1. act. 1. sc. 1. recte tandem constituti & explicati sunt *oculi emissitii*:

Circumspectatrix cum oculis emissitiis:

quos varie multi vexaverant. Ne quis porro moveat, eadem forma sciat esse Pœnulo *tunicas demissitias*. Scena, *Si ego minam*:

Sane genus hoc muliebrosum est tunicis demissitiis.

Dehinc vitiosa in illis est distinctio:

Ab-

(a) Interpres quidam alioqui Eruditus hæc affert ad hunc locum: (Colo) *Colere, & vivere, & habitare significat*. Scimus, sed qua ratione versum sequentem *Patrique, Avoque &c.* cum superiore nectere possit non videmus. Præterea si possidet, quod quidem majus est, quam colere, quid est, cur minime augeatur oratio, ut dicat Lar se & domum possidere & ibi coli, atque adorari?

Abscede etiam nunc, etiam nunc, etiam: obe nunc:
Istic adesto.

Sensus enim monet ista conjungenda, *obe nunc istic adesto*: quibus recedentem usque, & usque, tandem sistit, & astare certo loco jubet. Sic igitur interpunge:

Abscede etiam nunc, etiam nunc; etiam; obe nunc
Istic adesto.

Sequente scena ridicule de aedibus dixit:

Ita inaniis sunt oppletae, atque araneis.

Quum totas inanes significare vult, ait plenas esse inanitate: quomodo Captivis hominem famelicum, & a cibo inanem denotans, fame effertum dicit:

Neque jejuniosiorem, neque magis effertum fame vidi.

Post ibidem distinctio mala facit, immo & scriptio, ne recte satis illud accipiatur:

Nam non est verisimile, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere, quin nummum petat.

Quamquam non male sane fatetur, & legi jam nunc, & intelligi. Sed profecto in altero versu tolli comma, & *nummum* scribi melius est, ut sic ordines verba: Non verisimile est hominem pauperem parvi facere, quin pauxillum nummorum petat. Neque enim de uno, sed plusculis nummis sentit Euclio: quando paullo ante dixerat:

Nam noster nostrae qui est magister curiae (a)
Dividere argenti dixit nummos in viros.

Scena *Praefugibat*, hic versus:

Act. 2. sc. 2. v. 26. ME. *Quo abis?* EU. *jam ad te revortar, nam est, quod visam domum.*

ut sibi constet, e vetustis, qui habent, *Quo nunc*, scribi ita vult:

ME. *Quonam abis?* EU. *jam ad te revortar, namque est, quod visam domum.*

Item illo:

Venit hoc mihi in mentem Megadore, te esse hominem divitem:

ut recte metiaris, scribe *ted* quod idem paullo post uno isto versu bis facies:

Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.

Nam *ted*, & *med* omnino numeri requirunt. Nec alia, nisi versus caussa, porro etiam illo:

Pauper metuit congredi, per metum male rem gerit:

scribendum *congrediri*, flexu antiquo, saepius alibi nostro frequentato. Tum porro leve erratum ibi:

ME. *Quid? nunc etiam mihi despondes filiam?*

verius tamen distingues, *Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?*
Crebro divulsa apud nostrum & alios haec interrogandi formula. Nunc e Bacchidibus exemplum unum subvenit, Scena, *Meamne hic*:

CH. *Quid? nunc scelestus tibi videtur Chrysalus.*

quod pariter, ut Noster demonstravit, mutabis. Illa deinceps statim:

. . . . . ME. *sponden' ergo?* EU. *spondeo.*
Istuc Dii bene vortant. ME. *illud facito, ut memineris,*
Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te afferret filia.

cum Florentino, & Coloniensi codice sic personis distinguere mavult,

ME. *sponden' ergo?* EU. *spondeo.*
ME. *Istuc Dii bene vortant.* EU. *ita fuxint: tu illud facito, ut memineris.*

Eosdem & veteres alios audiit in illis:

. . . . *sed nuptias*
Hodie quin facimus? num quae caussa est?

Legunt illi, *Hodie quin faciamus numqua caussa est?*

me-

(a) Turnebus ita: *Quum sit Comoedia palliata, videtur esse, quem Graeci τριττυαρχην appellant; ut enim Curia pars est Tribus Romanis, sic & Graecis τριττύς. Graeca ad consuetudinem Romanam traducta sunt, & ut Pagorum erant magistri, sic & Curiarum*; recte. Sed non est, ut dicat Graeca ad Romanam consuetudinem traducta esse, palliata fabula quum sit, sed ad palliatam Fabulam, quod facit saepe Plautus, Romana traducta esse. Magister enim a magisterando, quod est moderari, moderator Curiae dicebatur, aut Curio, sicut & Dictator magister Peditum. Quae omnino Romana esse, quis non videt?

melius ad structuram verborum, nec contra numerorum. De sententia autem Nostri personas variare in proximis malumus.

ME. *Ibo igitur, parabo; nunquid me vis?* EU. *istuc fiet, vale.*

Ita ME. *Ibo igitur, parabo, nunquid me vis?* EU. *istuc.* ME. *fiet: vale.*

Heus Strobile, sequere propere me.

Caussam adsignat: quia non Euclio Megadorum, sed hic illum deserit: & magis abeunti convenit valedictio. Abit Megadorus: Euclio remanet in scena. Quærit igitur ille, solita abiturientium formula, numquid se velit? & respondet alter, nihil, nisi istuc ipsum, ut nuptias paret. Futurum id ille rursum spondet, & valedicens abit.

CAPUT II.

Purare. Properam. Malus mœror. Dispartire, dividere, nequioris sensus. Pompa: ornatus. Domi. Dimidium dividere. Lacuna versus unius, si forte, monstratur. Multa fabulæ hujus emaculantur, explicantur.

PArva, pleraque sunt & tenuia, quæ in hac fabula viri docti nobis reliquerunt: non omnia tamen usque eo vilia, ut non quorundam sit aliquod pretium. Sed & illis parvis non male prorsus opera ponetur, neque pretium erit nullum vel talia correxisse. In quibus est quod ordine sequitur, scena, *Ubi tu es*.

Act. 2. sc. 3. v. 1. *Ecquid audis? vascula intus pure propera, atque elue.* (a)

Filium despondi ego hodie, huic nuptum Megadoro dabo.

Horum versuum priore in quibusdam *pura propere*, magis significanter, ut verbum sit, *pura*, non nomen: nisi tamen ex ipso etiam *propera* faciendum *properam*, quod alibi Plauto, aliisque pariter usurpatum. Altero distingues,

Filiam despondi ego hodie huic nuptum Megadoro dabo.

Pertinet *hodie* ad posterius, non prius verbum. Nec enim quia despondeat illo die filiam, properari necesse erat omnia, sed quia nuptum daturus eodem ipso. In extremo scenæ:

Nam ecastor malum mærorem metuo, ne mistum bibam.

frustra laborant quidam, ut mutent hoc *mistum*. Noster simpliciter interpretatur, de mœrore non simplici. Namque malum imminebat & a filiæ probo, & a tarditate ipsius, si vasa non eluisset, antequam rediret senex. Interim in voce *mærorem* ad *merum* allusisse non negamus. *Malum* autem *mærorem* solemni epitheto dicit. Mostellar.

Ita mali mæroris montem maximum ad portum modo

Conspicatus sum.

Ubi distinctione quidam nimis hæc imperite divellit. Etiam in infortunio & re mala bibendi verbo solens utitur Plautus, quasi de portione aliqua loqueretur. Casina:

Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet,

Rudente:

LA. *Siccine me spernis?* CH. *sic ago: semel bibo.*

quod illic vere Gulielmius in hunc sensum explicavit. Initio sequentis scenæ post tertium versum,

Act. 2. sc. 4. *Ut dispartirem obsonium hic bifariam,*

alius aliquis certo deest, in quo Strobilus de tibicinarum etiam, & coquorum divisione dixerit, unde joci obscenioris occasionem horum alter captat, & se dividi velle negat. Aliter enim jocandi nulla ansa. Nam quid ad illum, si de solo obsonio dispartiendo præcedat? nisi si & coquos & tibicinas in obsonio censemus: quo quid putidius erit? Quin aperte de ipsis addere debuit, & addidit prorsus, uti deinde se explicans repetit:

Ei

(a) Quod Meurtius ait: *alludi ad consuetudinem veterum, quibus ante nuptias sacrificare mos fuit, & quidem Junoni, Veneri, & Gratiis*, quum nesciamus de vasculis ad Sacrificium ne, an ad mensam, aliosque usus factis loquatur: mera esse videtur divinatio, in qua, nihil habet Vir Cl., quod sequatur.

Ei adeo obsonii hinc dimidium jussit dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.

Quo posito, jam illud videndum, uter coquorum hic argutetur. Equidem confusæ illorum personæ hac tota scena, quas recte singulis locis cupit Noster sub proprio nomine distributas. Hanc autem nihil est dubium Antrhacis esse:

Me tu quidem hercle hic tam palam non divides. (a)

Liquet ex Strobili excusatione,

Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram.

Sed Strobili hujus opprobratio præcedens an sic, ut magnus Lipsius legendam censuit, sincera?

STR. *Bellum & pudicum vero prostibulum popli!*
Post si quis vellet te, hau, non velles dividi?

Acidalio non videtur. Et sensum vide, neque negabis, ita potius emendandum esse:

Post, si quis vellet te, haud nunc velles dividi?

Dixerat coquus, nolle se nunc in platea tam palam dividi: quod servus vicissim arripiens, Egregiæ vero pudicitiæ prostibulum! inquit, quippe qui nunc in publico quidem neges, in occulto postea non recuses. Deinceps est:

Sc. ead. *Nempe huic dimidium ducis, dimidium domi?*

Ubi *ducis* bene sane exponunt per Græcum πέμπεις, quasi pompam Strobilus duceret, uti revera duxit. Nam pompa de coquis, & culinariis instrumentis etiam alibi. Casina:

Redit eccum tandem obsonatu ejus adjutor, pompam ducit.

Sed & pro quavis alia multitudine, & turba. Truculento de munerigerulis:

Quis homo est, qui inducit pompam tantam?

De obsonatu iterum Bacchidib.

Quo nunc capessis tete hinc advorsa via
Cum tanta pompa?

Ubi *ornatum* in eandem quoque rem bis habet: quam vocem cum pompa jungit initio Curculionis:

Quo ted hoc noctis dicam proficisci forat
Cum istoc ornatu, cumque hac pompa, Phædrome?

Hæc, inquam, omnia sane bene. At quomodo ferent hic Grammatici, *ducis domi?* quod solent audire *domum*. Quod si quis interpretetur, dimidium domi, scilicet est; refellitur statim, quia sequenti primum scena dimidium pompæ & abire, & domum ferri servus jubet. Donatus quidem Trinummi isto loco:

Pol quamquam domum cupio, opperiar hic, quam gerat rem.

manifesto *domi* legit. Unde hoc ipsum habere significationem etiam ad locum videatur. Id si est, & hic quoque locum habere potest. Nescit Noster: verum enimvero, quid, obsecro, quærat coquus, an Euclioni dimidium, dimidium domum feratur, quum hoc ipsum verbis apertissimis vix modo Strobilus explicarit? Suam affert veterem opinationem, cujus neque dum eum pœnitet in hunc diem. Arbitrabatur a coquo ad superiorem jocum respici, quo Divisionem, & Dispartitionem Strobili aliter, quam ille voluerat, in obscenum sensum idem torserat: uti nunc post aliquantam velitationem, quum dictum suum explicuit alter, hic interpretamentum acceptans, de hoc nempe, inquit, dimidio dividendo, & distribuendo loquebaris modo. In eam rem versum ita rescribebat.

Nempe hoc dimidium dixti dividi modo?

Juvant in partem libri, qui *dicis* habent corruptum e *dicsti*, quod æquivalet scriptura τῷ *dixti*, & pro eodem nonnunquam in veteribus reperitur. Quod si quem loquutio offendet, *dimidium dividere*; sciat ea ipsa Plautum inferius usum:

I refer, dimidiam tecum potius partem dividam.

Etsi retineri sane vox *dimidium* utrobique potest. Nam de mutatione *domi* & *modo*, quæ tam ubique frequens, verbum non opus est fieri. In universum autem qui lectioni vulgatæ patrocinabitur, id remittet nobis tamen, ut *domum* saltem pro *domi* scribamus, donec & in hoc motum ad locum esse certioribus exemplis ostendatur.

CA-

(a) De obscena hujus vocis significatione ita Gruterus: *Vox dividere capi etiam potest sensu turpi, quique aures palam offendat; quum interim innuere videatur sese palam* (loquitur de servo) *eidem refragari in illa re*.

CAPUT III.

Hoc mitte, mitte ridicularia: & formæ sermonis similes. Detrusti. Lux & medicina sæpius Aulularia facta. Emendatio quædam aliena, itemque explicatio aberrans in viam reducta.

EAdem scena, versuum statim sequentium posteriores numeri nutant:

Act. 2. sc. 4. v. 15. STR. *Sicut dicis.* COC. *quid hic non poterat de suo*
Senex obsonari filiæ in nuptiis?

Sed facile fulcrum des ex antiquis insertione vocis:

COC. *quid? hic non poterat de suo*
Senex suæ obsonari filiæ in nuptiis?

Dissyllabum censebis τὸ *filiæ*: ut & infra:

Vt bene haberem meæ me filiæ in nuptiis.

Deinde quod vulgatur:

Vers. 15. COC. *Ain' tandem ita esse ut dicis?* STR. *tute existima.*

magis ex formula fit, *Ain' tandem? ita est ut dicis?* quomodo rectius scribi fatebuntur, qui tritas habent aures Comicorum phrasi. Post ibidem:

STR. *Hoc te mihi, sicut tibi me æquum est credere.*
COC. *Immo equidem credo.* STR. *at scin' etiam, quomodo?*

Sic hodiernæ editiones: antiquiores, in quibus Coloniensis, ita:

STR. *Hæc mihi te, ut tibi me æquum est, credere, credo.*
COC. *Immo equidem credo.*

Inde colligebat Noster aliter omnino scribendum, & sic fortasse:

STR. *Hoc mitte, id ut mihi te, tibi me æquum est credere,*
Crede. COC. *Immo equid*

Præcesserat jocus turpior de gutture inferiore, quem obturarat Euclio, nequid animæ dormiens ammitteret: eum rejiciens servus. Hoc mitte, inquit: at illud crede mihi, ut credere inter nos alterum alteri par est quam orationem occupans alter. Immo equidem credo, inquit: iterumque ille. At scin' etiam quid credas, & quomodo? Nec enim etiam rem ipsam, aut omnia dixi. Quibus in verbis, *At scin' etiam quomodo* nihil ad illam minandi formulam pertinet, de qua ad Amphitruonem; a qua magis demutat alia non inconcinna ipsa quoque, licet haud æque forte proba lectio:

COC. *Immo equidem credo.* STR. *at scin' etiam?* COC. *quid modo?*

Ceterum *Hæc*, vel *Hoc mitte*, solita in jocis præcidendis formula, ut progressuri longius & in illicitum videntur. Pœnulo, *Hæc mitte.* Asinar. *Mitte ridicularia.* Trinum. *Aufer ridicularia.* Mostell. *Abstine sermonem de istis rebus.* Pœnul. *Supersede istis verbis.* Et hac fabula infra, *Aufer cavillum.* Et ut hoc quoque tangatur, quod ait Strobilus, crede mihi, ut te mihi, me tibi credere æquum est; in eo tacite joci quiddam est, sed civilioris. Neutri enim innuit ab altero credendum. Similiter Pœnulo quum miles Anthemonides post narratam hominum volaticorum cædem, interrogat: *An hæc mihi non credis?* urbane leno Lycus respondet, *Credo, ut mihi æquum est credier*; quo recte, quamquam aperte satis, indicat habere se tantundem militi fidei, quantum sibi utpote lenoni æquum ab aliis sit haberi. Finem hujus scenæ a personarum vicibus laborantem bene vir doctus de suspicione constituit: a quo tamen paullulum discedimus, in verbis etiam nescio quid mutantes. Ita enim volumus totum locum scribi:

Sed uter vestrorum est celerior? memora mihi. (a)
CON. *Ego, ut multo melior.* STR. *Cocum ego, non furem rogo.*
CON. *Cocum ergo dico.* STR. *quid tu ais?* ANT. *sic sum, ut vides.*
CON. *Cocus ille nundinalis est: in nonum diem*

So-

(a) Responsio Strobili satis indicat vocem hanc (celer) Furem etiam significare: *Coquum enim*, inquit, *non furem rogo.* Dicebantur præterea homines, qui ad furta optime instructi, paratique essent *manu sinistra uti*, quod conjicimus ex illo Catulli in Asinium carm. 12.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in joco, atque vino.
Tollis lintea negligentiorum.

Solet ire coctum. AN. *tu trium literarum homo*
Me vituperes? fur, etiam fur, trifurcifer.

Ut uni dem hæc postrema continue, cum res monet, tum initium scenæ sequentis, quo desinere tandem velut a longo convitio jubetur Anthrax, & dicere potius, uter agnorum sit pinguior. Sed id ipsum initium vide an non melius ita scribas:

Ejusd. sc. 5. v. 1. STR. *Tace nunc jam tu, atque agnum horum uter est pinguior.* (a)
ANT. *Hic est.* STR. *Tu Congrio eum sume actutum tibi.*

Scimus ellipsin in priore, in altero assentiendi formulam per verbum *licet*, utramque non malam, sed alibi potius, quam hic ferendam. In ea vero scena porro mox ambigue coqui, ut utri nescias, ista tribuantur:

. . . . . hercle injuria
Dispertivisti, pinguiorem agnum isti habent.

quibus Anthracis omnino præfigendum nomen: quia Congrioni jam erat datus, quem pinguiorem ille judicarat. Et ibidem paullo post:

CON. *o Strobile subdole,*
Huccine detrusisti me ad senem parcissimum?

versus requirit *detrusti*. Itemque statim, quod adhuc vulgatur:

ST. *stultus, & sine gratia es,*
Tibi recte facere, quando quod facias, perit.

Et Gulielmius pridem, & nuperius Dousa F. tentarunt, uterque cum successu aliquo, neuter pleno. Ille incipiebat, *Stultus, & sine gratia est, Ibi recte facere*: hic pergit, *Stultum & sine gratia est*: non perficiemus, ut non numeris minus, quam sententiæ & verbis singulis consulatur:

Quam quidquam detur. ST. *Stultum est & sine gratia,*
Te ibi recte facere, quando quod facias perit.

Amphitruone *tibi* coaluit ex *te ibi*. Jam quæ deinceps est scena, *Heus Staphyla*: ejus in extremo turbant etiam personæ: quando inter alia Strobilo tribuuntur, quæ coquo ipsi Congrioni debent. Vulgo ut fit, ubique est obvium: hic, ut restituendum censet, apponit.

Sc. 6. v. 8. STA. *Ligna hic apud nos nulla sunt.* CON. *sunt asseres?*
STA. *Sunt pol.* CON. *sunt igitur ligna, ut quæras foris.*
STA. *Quid? impurate, quamquam Vulcano studes;* (b)
Cœnæne caussa, aut tuæ mercedis gratia,
Nos nostras ædes postulas comburere?
CON. *Haud postulo.* STR. *duc istos intro.* STR. *sequimini.*

Non aliter est, ut sententia omni ex parte quadret. Ad coquum omnino anus ista, *Quid, impurate, &c.* quæ frustra nititur in Centurionatu, vir magnus ad Strobilum accommodare. Nam cui argutiam eam probabit, ex coqui mercede partem vendicasse Strobilum? Cupit, quam facete Lambinum refutavit, & docte alias hoc totum explicavit, tam idem caute cavisset, ne illud excideret sibi frigidiusculæ argutationis.

CA-

(a) Taubmannus scenam hanc quintam conjungit cum superiore; recte ne, an perperam, eruditi Lectores viderint. Ad me quod attinet, neque quicquam temere affirmare ausim, neque cum eruditissimo viro luctari.

(b) *Impuratum* pro impuro non Plautus modo hic, & alibi Rud. act. 3. sc. 4. v. 45. ponit

Scio probiorem hanc esse, quam te, impuratissime,

Sed & nitidissimus Terentius Phor. act. 4. sc. 3. v. 64.

Impuratum me ille ut etiam irrideat?

CAPUT IV.

Scalpturire. Peracesco, Inacesco. Peracuo. Verba facere ad parcimoniam, ad virtutem. Gravia quædam, & alia leviora hujus fabulæ menda sublata. Locus trajectus, fragmentis ab alio insertis sedes commodior ostensa. Symmachus etiam emendatus.

APertissime sensuum ratio convincit, versuum ordinem turbatum scena, *Optati cives*: Act.3. sc.1. v.8. *At at perii hercle ego miser, aperitur bacchanal, adest.*
Sequitur, scio, quam rem geram, hoc ipsius magister me docuit.
Neque ligna ego usquam gentium præberi vidi pulcrius:
Itaque omnes exegit foras me, atque hos onustos fustibus.
Horum enim sane duo priores claudere scenam debent: posteriores, qui nunc sunt, sententia cohærent cum superioribus istis:
Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in bacchanal coquinatum.
Ita me miserum & meos discipulos fustibus male contuderunt:
Totus doleo, atque oppido perii, ita me iste habuit senex gymnasium.
ut subjicere jam debeas reliquos hac serie:
Neque ligna ego usquam gentium præberi vidi pulcrius:
Itaque omnes exegit foras, me, atque hos onustos fustibus.
At at perii hercle ego miser, aperitur bacchanal, adest,
Sequitur, scio quam rem geram: hoc ipsus magister me docuit.
Quamquam & in postremo simul emendabis *doces*. Aliud enim genus versuum quatuor extremorum ab iis, qui præcedunt. Hæc nullo verborum apparatu velut digito saltem ostendit: quæ probare prolixius, & confirmare non libet apud indoctos: apud doctos nihil est opus. Sequens scena:
Act. 3. vers. 3. EU. *Quia cultrum habes*. CON. *cocum decet*. EU. *Quid comminatus Mihi?* CON. *Istuc male factum arbitror, quia non latus fodi.*
Languet in certamine, *quid comminatus mihi?* Itaque attollit alius ejusmodi correctione: *quid? quod minatus Mihi?* putat audacius; & Noster mavult sine interrogandi nota, *Quin comminatus Mihi*, quasi dicat Euclio: non id accuso, quod cum cultro es, sed quod eo minatus mihi. Deinde alia scena, *Illic hinc abiit*:
Sc. 4. ejusd. vers.8. *Ubi erat hæc defossa, occœpit ibi scalpurire ungulis Circumcirca, quid opust verbis? ita mihi pectus peracuit.*
rectius legas *scalpturire*: dubites autem, *peracuit* a *peracesco* descendat potius, ut Lambinus voluit, an a *peracuo*: quorum hoc videatur non disconvenire, ut dicat, stimulasse pectus suum scalpturitione ungularum gallum. Tamen alterum non rejicias, quod magis etiam conveniat, si & *ira* scribas, nominandi casu, sive auferendi: quamquam nullus hoc suadet, & absolute scit Noster poni Bacchidib.
Hoc, hoc est, quod peracescit, hoc est demum, quod percrucior.
Apulejus *Inacesco* paullo aliter, sed mehercules eleganter usurpavit lib. Metam. 3. *Ac si tibi etiam, ut par est, inacuit nostra contumelia, consilium validum ambæ requiramus.* Illa autem Plauti locutio elegans scena, quæ hanc proxime sequitur:
Act. 3. sc. 5. v. 23. *Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.*
qua Symmachus etiam usus ep. 56. lib. 4. *Respublica in vetustatem se recepit, & decrepitos mutavere animos, postquam vos ad virtutem verba fecistis*; ubi legendum, *& decrepitos mutavit annos*, alibi & ad ipsum Symmachum docebit. Et similis est iterum Plauti extremo Captivorum:
Spectatores, ad pudicos mores facta hæc fabula est.
Sed hic porro:
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones, patagiarii, indusiarii.
non concoquet *caupones*, neque potest interpretari cum Lambino: neque rursum audet mutare, *stant pone*: quod alius videat, si tentandum. Illic quidem inferius:
Jam hosce absolutos censeas, cedunt, petunt.

Tre-

Trecenti quum stant phylacistæ in atriis,
Textores, limbolarii.

nihil dubitat Noster, quin describat

Jam hosce absolutos censeant: ecce dum, petunt
Trecenti, circumstant phylacistæ in atriis.

quamquam *cedunt* forte non interpolandum, cujus usurpatio tam sæpe scena ista frequentata. Mox:

EU. *Compellarem ego illum, ni metuam, ne desinat:*

Mavult *Compellem ego illum*. Ceterum quod fragmentum e Nonio Gulielmius reprehensum in extremo scenæ ejusdem collocat, & cohærere facit isti versui:

Etiam ipsus ultra debet argentario,
Pro illis crocotis, strophiis, sumtu uxorio:

videant alii, num commodius interseri possit illis paullum superioribus:

Ubi nugigerulis res soluta est omnibus,
Pro illis crocotis, strophiis, sumtu uxorio:
Ibi ad postremum cedit miles, æs petit.

Hic quidem si non aptior locus, at æque aptus, usque eo, ut ambiguam faciat alterius possessionem. Quid? quod nihil ad argentarium, quibus pro rebus illi debeatur? ad nugigerulos autem facit valide, quod ita contemtim ait, *Pro illis crocotis*. Ultimus ibidem versus:

Sed eccum affinem ante ædes, quid ais Euclio?

mutat leviter in antiquis *quid agitur*. Scias *agis*, loco *ais* olim fuisse:

CAPUT V.

Corrigitur adhuc Aulularia multis locis. Versus unius ab exsilio restitutio confirmatur. Alia notantur haud magnæ admodum rei.

QUod initio scenæ proximæ vulgatur,

Sc. 6. vers. 1. EU. *Nimium libenter edi, sermonem tuum:*

nemo nisi insanus damnet: neque insaniat tamen, qui potius *odi*, id est *audii* scriptum suspicetur, quod nunc est *edi*, quando Megadorus eodem illo verbo excipit, *An audivisti?* Sed hoc tenue, neque nota forte dignum. Ibidem statim adhuc fluctuant continui illi versus:

ME. *An audivisti?* EU. *usque a principio omnia.* ME. *Tamen*
E meo quidem animo, aliquanto facias rectius.

quos constituisse Lambinus sic plane putat. Acidalio, quando alicubi pro *e*, quod ipsum eliciunt quidam, & reperit Noster, id illuc transferendum videatur, ac scribendum:

ME. *An audisti?* EU. *usque a principio omnia.* ME. *& tamen*
Meo quidem animo aliquanto facias rectius,
Si nitidior sies in filiæ nuptiis.

quorum versuum ultimum frustra sollicitant etiam nonnulli, *filias in nuptiis* mutantes. Nam quid eos movit? Dissyllabum esse *filiæ*, debebant scire: quomodo contrahi binis jam ante locis hujus fabulæ supra monstratum est. Porro exulantem hinc versum rectissime CL. Gruterus in integrum restituit: qui præterquam quod in MSS. omnibus, ut ille ait, visitur, in editionibus aliquot antiquis etiam retinetur, inter quas & Coloniensi perbona Valentis sic leviter interpolatus, æque rectus tamen exstat:

EU. *Illud mihi verbum non placet: quod nunc habes.*
Tam hic scit me habere, quam egomet, anus fecit palam.

Non lepida quidem ejus sententia tantum, sed ipse ad sententiam profecto alterius explendam necessarius. Mox illum:

EU. *Pol ego te ut accusem merito meditabar.* ME. *quid est?*

est, unde, si lubeat, mutes:

EU. *Pol ego ut te accusem meditor.* ME. *mene tu? quid est?*

quam-

quamquam ut mutes, nulla te necessaria caussa cogit. statim,

Qui mihi intromisisti in ædes quingentos coquos:

cogitabam *intromisti*, quum alium video occupasse *immisisti*, cui lubens cedo. Mox autem:

Quæ mi interbibere sola, si vino scatat,
Corinthiensem fontem Pirenem potest:

merito & recte dissentit a Turnebo & Lambino Gulielmius, qui *scatet* vulgatum docuit retinendum. Ab hoc tamen alii vicissim audent dissentire, & dubium faciunt alterum ejus exemplorum, *Nimis hercle invitus abeo, si quid agam scio*, in quo legi volunt *sed*. Hi ex Asinaria aliud habeant sibi, quod non evertent:

. . . . . nunteam
Bibere malim, si necessum est, quam illanc oscularier,

Illa vero, quæ statim insequuntur:

Tum obsonium autem. ME. *pol vel legioni sat est,*
Etiam agnum misi. EU. *quo quidem agno sat scio*
Magis curionem nusquam esse ullam belluam.

non placet personis sic distingui. Tribuo continenter omnia Euclioni, quod fieri debere series orationis ipsa potest demonstrare.

Tum obsonium autem pol vel legioni sat est.
Etiam agnum misti, quo quidem agno sat scio
Magis.

Divulsionis occasionem sola vox *misi* dedit, quam recte nos in *misti*, pro *misisti* commutamus. Ridicula alterius lectionis explicatio apud Lambinum. In extremo:

Fides novisti me & ego te: cave sis tibi,
Ne tu in me mutassis nomen, si hoc concreduo.

sententia bona est, sed numeri suadent, *Ne tu immutassis*. Addit huic capiti etiam ex scena, *Tu modo cave*: cujus ipsi duo primi versus transponi inter se non incommode possint, quod debere tamen nemo judicarit. Tertio quidem:

Act. 4. sc. 2. v. 3. *Ædepol ne illic pulcram prædam agat, si quis illam invenerit*,
legendum omnino, *si qui illam*, numerorum caussa. Et propter eosdem ex illo inferiore:

Tuæ fidei concredidi aurum, in tuo luco, & fano modo est situm:

tollenda particula *modo*, quam nec agnoscunt libri veteres Florentinus & Coloniensis. Denique ut & hoc moneam, illo:

Vers. 10. *Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano Fidei*:

aut *Fide* liquido scribes antiqua declinatione, aut ipsum *fidei* contrahes tamen in syllabas duas, ut recte versum metiaris: quod idem facies & infra:

Ejusdem sc. 6. v. 10. *Certum est, Sylvano potius credam, quam Fidei.*

CAPUT VI.

Dare. Consuetus. Espectare. Præter alia correcta, in versus iterum unius ab exsilio, restitutione viris doctis assensum; in emendatione ejusdem ab iisdem dissensum. Hic, & alii diligentius explicati, Petronius insuper emaculatus.

OCcupavit alius, quod Noster moliebatur, ex editionibus priscis improbioris sententiæ versum in recentioribus omissum restituere: in quo neque præventum me doleo, neque auctori, doctissimo homini, etiam amico, invideo. Et est tamen, quod de eodem post hunc ipsum etiam Noster dicat. Vide prius exemplum veterorum librorum, scena, *Foras foras*:

Act. 4. sc. 4. v. 9. STR. *He quid agis?* EU. *quid agas? auferre potes.* ST. *quid vis tibi?*(a) EU.

(a) Probatur Gronovio Acidalii nostri lectio, qua hæc ipsa verba Euclionem persequentem inducit, verumtamen legendum putat *Ecquid* Cam. autem & Voss. *Hæc quid*: alii *ecquid*. Sic itaque legit: EU. ... *At illud quod tibi abstuleras, cedo, Ecquid agis?* AR. *quid agam?* EU. *auferre non potes.*

EU. *Pone*. ST. *Dii quidem, pol te datare credo consuetum, senex.*
EU. *Pone hoc sis, aufer cavillum: non ego nunc nugas ago.* (a)

Horum medium loco pulsum reducit V. Cl. quem dico, sic emendatum:

EU. *Pone*. ST. *equidem pol te datare credo consuetum senex.*

Idem ambiguitatem latere ait in verbo *Pone*, quod Euclioni pro verbo enuntiatum, servus accipiat pro adverbio. De emendatione non valde pugnat, declarationem penitus non admittit. Latet equidem in ejus ambiguitate verbi jocus, non tamen ut adverbium id capiatur: cujus exempla, quæ dat ille, quid huc faciunt? Utrique verbum est: & ille aulam poni volebat, hic interpretabatur, quasi ponere se ipsum juberet, & quod pace dicit honestarum aurium, substernere libidini illius. In eam vero mentem legi & aliter potest; vel quomodo olim, carissimo Bucretio suo, doctissimo tum juveni, nunc viro clarissimo videbatur:

EU. *Pone*. ST. *tibi quidem? pol te datare credo consuetum, senex.*

vel ut Valenti tunc ipsum, nulla fere diversitate, nisi ut *quidem* divideretur, & duabus vocibus, *qui dem?* scriberetur, quasi hoc diceret: quid, aut quorsum me vis ponere? uti ne tibi dem? Verum, quod nunc demum videt, trahet utroque modo versus aliquid supra mensuram. Igitur nunc, dum accuratius cogit, pressius insistens vestigiis priscæ lectionis, ita potius statuit:

EU. *Pone*. ST. *Dic quid? epol te dare credo consuetum, senex.*

Jubet senex aullam, quam nominare non sustinet, ponere: simulat servus non intelligere, quid dicat, &, quid ergo poni velit, subdole quærit: mox e re nata jocum captans, obscœnitatis insimulat senem, quasi ipse olim impudicus se nunc postulet impudicare. Quem hic ordinem in respondendo etiam servat, & prius quid poni velit, *hoc*, scilicet adhuc innominatum, ostendentis indicat gestu: deinde cavillum rejicit, & a turpi joco ad rem seriam converti jubet. Ita nobis eo de versu nunc videtur. At hunc etiam qui præcedit, nescimus si personis recte interstinctus. Equidem non incommode sic vulgatur:

ST. *Hem quid agis?* EU. *quid agam? auferre non potes*. ST. *quid vis tibi?*

Acidalio tamen placet hoc modo magis:

. . . . EU. *at illud, quod tibi abstuleras, cedo.*
Hem quid agis? ST. *quid agam?* EU. *auferre non potes.* ST. *quid vis tibi?*

Trepido certe seni & omnia suspectanti magis convenerit hoc, *Hem. quid agis?* quod in gestu, & actione positum est totum. Forte Strobilus vel manum ita commovebat, ut magis occultare inter tunicas vellet, quidquid id esset, quod surripuisse putabatur, vel pedem struebat, ut fugam meditari videretur: quum senex id ipsum, aut quid simile suspicatus, quid agat, & moliatur, interrogat: illoque, quid vellet, ignaro, neque strophæ dum ullius conscio, rursum, quid se putaret agere, quærente; quidquid agis, inquit, & quocumque modo auferre meum hoc cogitas, frustra es, non mitto te manifesto nimis deprehensum. Sed totum illud non erat fortasse tanti; cui verborum tantillum impenderetur. Infra digresso sene, quum solus relictus servus in brevi oratione postremo sic ait:

Sc. 5. ejusd. v. 6. *Tantisper hic ego ad januam concessero:*

melius dicere videatur:

Tantisper hinc ego ab janua concessero.

Cum enim egrediente sene fores creparent, abeundum inde sibi longius censebat, ne videretur. Ad fani quidem fores omnis ratio dissuadebat accedere: nisi aliam dicit januam, quod inepte quis arguetur. Idem servus postea, surrepta jam aulla, cum factum suum in scena narrat, ita narrat:

Sc. 8. ejusd. v. 5. *Nam ut dudum hinc abii, multo illo adveni prior,*
Multoque prius me collocavi in arborem,
Inde expectabam ubi aurum abstrudebat senex.

In quibus postremis nescit cur ferre nequeant, *Indeque* scriptum sic, & in scriptis Langianis,

---

(a) Non gravamur Gruteri Nostri cum Acidaliana explicatione explicationem conjungere. *Quum cavillatio*, inquit, *aliqua præcesserit, vel ipso sene teste fieri non potest, quin iste versus omnino requiratur, quem e MSS. Cam. & Pall. reposui: nam absque eo nihil tale dici potest. Sensus autem obscœnior: latetque ambiguitas in* pone, *quod ut verbum usurpat Euclio: at adverbialiter accipit servus nequam, proque eo, quod a tergo est.*

nis, & veteribus plerifque. Numeros forte dicent: nihil dicant. Per eofdem fupra an minus idem ftetit?

Indeque obfervabo, aurum ubi abftrudat fenex.

Deinde *afpectabam* fecerunt: cur non potius *efpectabam*? quo magis & fcriptura vulgata ducit, & ἀρχαισμὸς confuadet, alibi Plauto libenter in fimilibus ufurpatus. Nofter non hic tantum hoc reponit, fed idem & Petronio redonat, in quo pariffime corruptum. *Tacentibus adhuc nobis, & ad neutram partem affentationem flectentibus, intravit ipfa una comitata virgine: fedenfque fuper torum meum, diu flevit, ac ne tunc quidem nos ullum adjecimus verbum, fed attoniti exfpectavimus lacrimas ad oftentationem doloris paratas.* Scribes *efpectavimus*, quod eft tamen idem cum *afpectavimus*. Sed veteres, quorum & Petronius fæpe imitator, in his talibus *e* molliufculum præ afperiore *a* diligebant: quorum exempla non hic plura congerit, alio pridem deftinata.

CAPUT VII.

Locus Aulularia magis eximius a confufo verfuum, & fenfus ordine graviter laborans, levi traductione perfanatus.

Ridicula trepidatio eft exanimati fenis, dum aullam ablatam queritur, & quærit. Oratio ipfa luculenta & perfpicua: in qua tamen Nofter, infignem trajectionem deprehendit. Vide feriem hanc vulgatam:

Sc. 9. ejufd. v. 1. EU. *Perii, interii! quo curram? quo non curram?* (a)
Tene, tene: quem? quis? nefcio, nihil video, cæcus eo, atque
Equidem quo eam, aut ubi fim, aut qui fim, nequeo cum animo
Certum inveftigare. Obfecro vos ego, mihi auxilio,
Oro, obteftor, fitis, & hominem demonftretis, qui eam abftulerit.
Qui veftitu & creta occultant fefe, atque fedent, quafi fint frugi.
Quid ais tu? tibi credere certum eft; nam effe bonum e vultu cognofco.
Quid eft? quid ridetis? novi homines, fcio fures effe hic complures.
Hem nemo habet horum? occidifti: dic igitur, quis habet? nefcis.
Heu me miferum! mifere perii, male perditus, peffime ornatus eo.

Si legifti accuratius, ecquid hic offendifti? Noftrum quidem fæpiufcule relegentem ille verfus offendit maxime:

Qui veftitu, & creta occultant fefe, atque fedent, quafi fint frugi.

Etfi enim fententiæ per fe bonæ (utcunque de ea variet & hallucinetur vir magnus in Electis) non habet tamen, cui cohæreat. Habebit autem, fi traducatur non ipfe quidem, fed alius inferior, qui præcedere hunc debebat. Illum dicit:

Quid eft? quid ridetis? novi homines: fcio fures effe hic complures.

cui fubjungendum iftum alterum tam Noftro certum eft, quam fe calamum tenere. Sed defcribit tibi rurfum, plerofque omnes ordine, ut magis cum hanc aptiffimam connexionem, tum reliquam feriem totam pulcherrimo orationis, & fententiarum curfu limpidi, liquidique amnis inftar videas fluentem:

. . . . . *obfecro vos ego, mihi auxilio,*
Oro, obteftor, fitis, & hominem demonftretis, qui eam abftulerit.
Quid eft? quid ridetis? novi homines: fcio fures effe hic complures,
Qui veftitu & creta occultant fefe, atque fedent quafi fint frugi,
Quid

(a) Hoc faciunt Grammaticorum aliqui effe difcrimen inter *perire* & *interire*, quod qui quacunque de cauffa moritur is *interire* dicatur, qui vero cafu aliquo, is *perire* perhibeatur; proindeque vim majorem habere ferunt, ac generalius effe *interire* quam *perire*, quod etiam evanefcere, extenuari, ac fpe decidere fignificare confirmant. Perire, hoc eft per vim occumbere, violentaque morte e medio tolli eft apud eundem Plautum Capteiv. fc. 3. act. 5. v. 35.

HE. *Quando ego te exemplis excruciavero peffumis,*
Atque ob futelas tuas te morti mifero,
Vel te interiffe, vel periffe prædicent
Dum pereas, nihil interduo, dicant vivere.

Quid ais tu? tibi credere certum est; nam esse bonum e vultu cognosco
Hem, nemo habet horum? occidisti, dic igitur quis habet? nescis?
Heu me miserum! misere perii, male perditus, pessime ornatus eo.

Hæc jam etsi declaratione non egent, tamen ut rudibus, & præfractis quibusdam satisfaciat, tria etiam verba facit. Quærebat Euclio furem, & demonstrari cum sibi in ipsa cavea petit. Quem cum spectatores mirari, & ridere viderentur, qui inter ipsos furem esse insimularet, nihil est, quod rideatis, inquit: nec ego vel insanio, vel frustra quæro. Novi ut morati homines sint: scio complures inter vos, qui sub hominum frugi specie fures occultant, vestitu honesto, & togis luculenter incretatis, splendidisque personam quanti-vis pretii mentientes, extrorsum candidi, intus atra pice nigriores. Dehinc ad unum aliquem convertitur: & te tamen, inquit, bonum esse judico, cui fidem recte habeam: quæso te, demonstra mihi, si scis, quid ais autem? nihil respondes? nemo est horum, qui habeat? Hic abnuisse cum videretur, occisum se clamat, & urget tamen porro, donec frustra interrogando fatigans & fatigatus ad querelas, & lamenta recidit, ejulatu caveam totam complens. Quid liquidius nunc, & elegantius? Omnis ars divinandi falsa, immo nulla prorsus ars, si non isthæc divinatio vera: quam ingenue fatetur, non sibi tantum, sed & alii subvenisse, doctissimo juveni, cujus amici sibi quondam in Italia libenter usurpat memoriam hoc etiam loco, quam ubique secum jucundissimam circumfert, nunquam dum vixerit, neque nisi cum Plauti ipsius, & horum studiorum memoria depositurus. Is Carolus Piso Lotharingius est, Philosophiæ, ac Medicinæ cognitione exquisita jam tum prædicus, & amœnioribus hisce literis juxta secum deditus: cum quo Patavii familiariter agens a gravioribus illis studiis ad Plautum sæpe divertebatur: inque eo, quum alter alterum erudientes ad hunc locum pervenissent, substitit uterque: nec expedito, ampliaverunt deliberaturi seorsum: tum proxima congressus vice conjecturam attulit, uterque prorsus hanc, quam exposuit, eandem. Quod & fidei, & amoris caussa noluit tacere.

CAPUT VIII.

Apud, ob. Onerare gaudiis. Modo quod. Trajectionis in Plauto frequentis exemplum aliud insigne. Plures ad hanc fabulam emendationes cum locorum ipsorum explicationibus.

Crebriores omnino, quam quisquam opinetur, certe hactenus est vix ullus suspicatus, in Plauti Comœdiis versuum, & horum sæpe aliquot junctim, etiam; trajectiones: quarum exempla & dabimus, ubique deinceps luculenta, & dedimus in superioribus quædam non obscura, proximo certe capite vel omnium luculentissimum unum: cui non absimile jam nunc in hoc quoque proponemus. Scena sequente: *Quis homo hic*:

Act. 4. sc. 10. v. 29. EU. *Nisi refers*. LY. *quid tibi ego referam?* EU. *quod surripuisti meum.*
Jam quidem ad prætorem hercle te rapiam, & tibi scribam dicam.

Priore versuum horum ἀποσιώπησιν esse notant, *Nisi refers*. Non negat in iis verbis eam vel esse posse, vel eleganter etiam posse: tamen esse hoc in loco negat, immo pernegat prorsus. Inverte versuum ordinem, & posteriorem scribe prius:

EU. *Jam quidem ad prætorem hercle rapiam, & tibi scribam dicam;*
Nisi refers. LY. *quid tibi ego referam?* EU. *quod surripuisti meum.*

Ubi jam ἀποσιώπησιν, quam fecerant? Ordinem sic mutandum quum ipsa verborum structura, & sententiæ sequela in his, tum sequentis etiam versus connexio demonstrat. Ista enim interrogatio Lyconidis, *Surripui ego tuum?* pendet ab Euclionis hac asseveratione, *Quod surripuisti meum*: quam proxime, & , ut loquuntur, immediate necessum est præcessisse. Plura argumenta rei tam perspicuæ non dicit. Sequitur ibidem:

. . . . EU. *ita te amabit Juppiter,*
Ut tu nescis. LY. *nisi quidem tu mihi, quid quæras, dixeris.*

Hic per interrogationem efferri debet adjurandi formula, quam Lyconidi Euclio præit: quod & ipsum nimis manifestum verbo monuisse sat est. Etiam illic leviter notat:

. . . . . . LY. *neque edepol ego dixi, neque feci*. EU. *negas?*

LY.

LY. *pernego, immo neque ego aurum, neque ista aula quae siet Scio.*

distinguendum ita, LY. *Pernego immo: neque ego aurum*, forte & scribendum, *neque istam aulam*. Sed dum respicit; scenae hujus initio praeteriisse se videt, quod notari etiam mereatur. Ipsum enim initium libri omnes hodie sic concipiunt:

EU. *Quis homo hic loquitur?* LY. *ego sum?* EU. *immo ego sum miser, & misere perditus,*
Cui tanta mala, maestitudoque obtigit:

nescit quo auctore, sed inepte, hoc scit; itemque alterum, contra veteres editiones. Ea sic habent:

EU. *Quis hic loquitur?* LY. *ego sum miser*. EU. *immo ego sum miser, & misere perditus.*

Illud omnino recte, quod vocem *miser* Lyconidi assignant: quam ille certo prior emisit; unde senex excipiens se miserum potius quiritatur. At versus exorbitat ea recepta. Scin' quid facias? Euclioni eandem eripe, ne bis scribas, quae per se nec iterata subintelligitur tamen. Ipse audacter legit:

EU. *Quis homo hic loquitur?* LY. *ego sum miser*. EU. *immo ego sum, & misere perditus.*

Conscius sibi Lyconides facinoris sui, trepidansque in adventum senis, apud quem deprecari culpam & volebat, & necesse habebat, illo, qui tam prope loqueretur, interrogante, conturbatus jam magis, ego sum, inquit, ego miser ille: quo audito senex, immo ego sum, scilicet miser, neque miser tantum, sed & misere perditus omnino. Sed & illud obliti sumus eadem scena post:

EU. *At ego Deos credo voluisse, ut apud te me in servo enicem.*

In quo caussam non videt, cur apud Lyconidem se dicat enecaturum. Si nulla est, videatur *apud* mutandum hic in *ob*, uti contra mutavit hoc alibi saepissime in illud: quippe quae & significationem invicem communicent. *Ob te* fuerit, propter te, tua caussa. Levis tamen haec suspicio est, in qua nihil, nisi imperitiae mantellum, ut solemus, quaerimus. Etiam proxime superioris scenae versum ultimum illum imprudenter neglexit prae nimia, scilicet festinatione:

Ejusd. sc.9. v.20. *Quid agam? abeam, an maneam? an adeam an fugiam? quid agam aedepol nescio.*

cui detrahes uno loco ter eandem repetitam particulam *an*, ut bis saltem exprimatur: *abeam, an maneam? adeam, an fugiam?* Vult hoc sermonis elegantia, & concinnitas structurae. Jam postremam quoque scenam, non a Plauto quidem illam, sed a temporis injuria postremam absolvamus. Ejus primo versu:

Act. 5. *Di immortales, quibus & quantis me donatis gaudiis?*

quis Latinum aut Plautinum etiam neget, *donare gaudiis?* Comicum tamen sit magis, quod cum dicit, Plautinum esse magis per se simul intelligitur, *onerare*, nec ipse quidquam fere dubitat, sic hic scriptum, *med oneratis gaudiis*. Exemplorum hujus seges est.

Captivis:
Sed ego cesso hunc Hegionem onerare laetitia senem?

Ibidem:
Ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies.

Milite Glor.
Es, bibe, animo obsequere mecum, atque onera te hilaritudine.

Sticho:
Itaque onustum pectus porto laetitia, lubentiaque.

Ibid.
Nosmet potius oneremus vicissatim voluptatibus.

Terent. Phorm.
O fortuna, o fors fortuna quantis commoditatibus,
Quam subito hero meo Antiphoni ope vestra hunc onerastis diem!

Sed quid plura? omnes in hanc sententiam tanquam de onere plerumque loquuntur. Eadem:

LY. *Ubi id est aurum?* ST. *in arca apud me, nunc volo me emitti manu.*

transponi verba versus postulat, qui jambum in fine non admittit. Scribit: *nunc volo manu me emitti*. Ad finem:

Redde inquam, ut huic reddatur. ST. *ab unde*? LY. *quod modo fassus es esse*
In arca. ST. *soleo hercle ego garrire nugas*, *ita loquor*. LY. *at scin'*
Quomodo?

Efficacius fit, *quin modo fassus es*: nisi traducere malis, *modo quod*, id est, vix jam: de qua forma locutionis ad Asinariam Gulielmius, cum gemina vulgatiore altera, *tantum quod*, recte eam conferens. Deinceps ibidem, *ita loquor*, habes, pro quo qui volet, *ita jocor*, legat: Noster non mutet.

VA-

(a) De suppositis hæc Taubmannus: *Verum nihilominus sic etiam mutila est. Quia vero hæc Comœdia, si ulla alia frequentissime non legi solum, sed doceri, agique solet, haud facile plausum mereri poterit, si ipsa solemni illo suo Plaudite careat; patiamini quæso, Persii nostri pannum illum Bononiensem purpuræ huic Romanæ interea sic adsui: dum forte melius quid ab aliquo vestrum impetretur. Erant quidem ad manum aliorum etiam Supplementa, nec displicebant, imprimis* Joach. Cammerarii, *&* Georgii Reinmanni, *elegantissimi certe ingenii & doctrinæ: sed quia ille Codrus a multis jam annis in Quatuordecim sedit, loco eum pellere & excitare novus ego Oceanus, aut apparitor forte non debui*.



VA-

VALENTIS ACIDALII
IN PLAUTI AULULARIAM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES

AD

MAGNIFICUM, NOBILISSIMUM, ET AMPLISSIMUM VIRUM
JOANNEM WOLTFANGUM
FREIMONIUM
In Mylſelda & Obernhauſeu, Sac. Cæſ. Maj. à Conſiliis ſanctioribus, Scriniorum ſacrorum Præfectum.

CAPUT I.

Alius & alter ſibi invicem ſuppoſita. Mutare quid aliqua re. Ad Captivos ventum. Ii pluſculis mendis liberati. Trajectio mira verſuum aliquot ex ſcena prima in ſequentem. Ordo legitimus ex œconomia fabulæ reſtitutus.

EXimia inter Plauti fabulas eſt hæc, quam nunc ingredimur, Captivi: cui profecto, quod ipſe dicit, expedit operam dare, propter argumenti caſtitatem maxime, & puram (qualem quo ſenſu Heautontimorumeno etiam ſuæ tribuit Terentius) orationem. Ejus adeo ipſo Prologo gloſſa ſubrepſit in locum germanæ vocis, cujus reſtituendæ Noſtro ex Perioche copia, quæ deperditæ judicium & ipſa fecit. Ita vulgant: (a)

Prolog. v. 7. *Seni huic fuerunt filii nati duo,*
Alterum quadrimum puerum ſervos ſurpuit.

Non dicit a verſu repudiari hic *alterum*, quod ille non ſane reſpuit omnino, nec quicquam aliud affert cauſſæ, cur germanum non ſit, quia in Argumento non idem ſcriptum eſt eo verſu:

Alium quadrimum fugiens ſervos vendidit.

Inde ſcilicet & hic *Alium* reponendum, quod *alterum* interpretandum. Quid hoc rationis?

(a) De fabula hac hæc depromſimus ex Camerarii Argumento ad id, quod de ipſa eſt Acidalii judicium, commodiſſimum. *Fabulæ hujus nomen Capteivi duo. Inter Plautinas omnes hæc & argumento, & expoſitione optima eſt, & elegantiſſima. Ipſe etiam Poeta hanc commendat, ut publice ſcriptam: multæ bonæ ſententiæ in hac inſunt, & eximiæ fidei exemplum ſervi erga herilem filium.*

Sed Plautum ipſum audiamus:
Profecto expediet Fabulæ huic operam dare,
Non pertractate facta eſt, neque item ut ceteræ;
Neque ſpurcidici inſunt verſus immemorabiles,
Hic neque perjurus leno eſt, nec meretrix mala,
Neque miles glorioſus &c.

Homines captivos commercatur, si queat
Aliquem invenire, suum qui mutet filium.
Quod ego quidem nimis quam cupio, ut impetret.
Nam ni illum recipit, nihil est quo me recipiam.
Nulla est juventutis spes, sese omnes amant.
Ille demum antiquis est adolescens moribus,
Cui nunquam voltum tranquillavi gratiis.
Condigne est pater ejus moratus moribus.
Nunc ad eum pergam, sed aperitur ostium,
Unde saturitate sæpe ego exii ebrius.

Si quid sapis, lector, hæc in hunc modum cohæsisse per te judicabis; ni es invidus, non negabis. Quam vero apte junctim hic leguntur, tam inepte scena proxima inseruntur, eo quidem loco, qui interrumpi aliena interlocutione, nec ipse prorsus ulla ratione debet Continuus enim & continuandus omnino Hegionis ibi ille sermo.

HEG. *Ita ut dicis, nam si faxis, te in caveam dabo.*
Sed satis verborum est, cura quæ jussi, atque abi.
Act. 1. sc. 2. v. 23. *Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos;*
Visam ne nocte hac quippiam turbaverint.
Inde me continuo recipiam rursum domum.

Post quæ demum verba, tacente jam Hegione & viam ineunte, Parasitus in proximo stans eum miseratur, & exauditus ab eo statim, deinceps colloquitur. Ita vult Oeconomiæ ratio, quam qui constare aliter putat, cum eo rei nihil esse vult, nec ipsi quidquam cum his Divinationibus suis.

CAPUT II.

Emin' tu? Commetare. Locus difficilis unus; alii leviores emandati, & illustrati.

Scena, unde irreptitia modo expulimus, non male cuditur isthic porro:

Ibid v. 55. HEG. *Non pol mirandum est fugitare hanc provinciam,*
Multis & multigeneribus opus est tibi
Militibus:

tamen vix est, quin melius *ibi* legas *tibi*: itemque paullo post idem pro eodem

Jam maritumi omnes milites opus sunt tibi.

Nam *ibi* venustius exponas in ea provincia: quamquam non repudiat vulgatum. Inferius certo legendum:

..... HEG. *sed si pauxillo potes*
Contentus esse. PAR. *ne per pauxillum modo.*

Neque enim accipies nunc *esse pauxillum*, pro edere. Jam statim locus difficilis excipitur in quo multi tam frustra, quam anxie laborarunt:

HEG. *Nam istoc me assiduo victu delecto domi.*
PAR. *Age sis roga.* HEG. *emtum, nisi qui meliorem afferet.*
PAR. *Quæ mihi atque amicis placeat conditio magis?*
Quasi fundum vendens meis me addicam legibus.

Nota, quæ hic Turnebus, quæ Palmerius, & alii. Nam Lambinum mittamus, qui nihil mutans, explicatione tortuosa locum totum involvit. Nostro (pudenter & modeste dicit) nec verba sana omnia, nec personarum collatio videtur. Qui enim iste versus Hegioni convenerit?

Nam istoc me assiduo victu delecto domi.

qui manifesto parasiticus est, & continenter ab Ergasilo cum superiore dimidio pronunciandus. At præcipua turbarum origo illud *emtum*: quod corrigit decenter *emin' tu?* locumque integrum sic refingit:

PAR. *Facete dictum.* HEG. *sed si pauxillo potes*
Contentus esse. PAR. *ne per pauxillum modo.*
Nam, istoc me assiduo victu delecto domi.

HEG. *Age sis, roga*. PAR. *emin' tu?* HEG. *nisi qui meliorem offeret.* (a)
PAR. *Quæ mihi, atque amicis placeat conditio magis?*

Constabant, & perficiebantur ut alii contractus, sic & emtio interrogationibus, & responsionibus, de quibus Palmerius ad hunc locum erudite: quando igitur in animo habebat Hegio obnoxium sibi facere venalem parasitum, jubet eum interrogare palam, an emtorem se profiteatur? Is interrogat, *Emin' tu?* respondet alter, *Emo*; cum additiuncula solita, nisi quidem alius conditionem attulerit meliorem. Negat ille reperiri posse, aut curari meliorem ullam: atque ita se protinus addicit. Similis fere locus Sticho, ubi Gelasimus emtorem logis suis quærit, anxiis, & assiduis interrogationibus:

Logos ridiculos vendo: agite, licemini.
Qui cœna poscit? ecqui poscit prandio;
Hercules te amabit prandio? cœna tibi?
Ehem annuistin'? nemo meliores dabit.

In quibus menda etiam non parva, quam videbimus, an tollere possimus suo loco. Deinceps qui versus est,

Quasi fundum vendens meis me addicam legibus:

eo legendum forte non *meis*, sed *eis*: liquidiore sententia tali. Ita me, id est iis legibus, seu illo ritu meipsum addicam, quasi si fundum venderem. Non enim fert peculiares de se leges, aut conditiones; tantum quo more fundi & alia solent, eodem met vendit. Alii tamen hoc viderint. Illo autem:

Nam meus scruposam victus commeat viam:

nihil dubitat, quin veteres libri verius *commetat*: quod probum ex antiquitate verbum. Novius apud Nonium:

. . . . . *cur ad lupam*
Nostram tam multi crebro commetant lupi?

item Afranius: *Quo tu commetas? ubi confixus desides?*

CAPUT III.

Servitus berilis imperio, aut ingenio fera. Coaddere. Fuga officium servile. Fugam fingere. Commentis quibusdam aliorum refutatis, aliquoties hac fabula Plautus cum locorum illustratione corrigitur: semel item Lucillius. Rursum in Plauto turbæ, ac tenebræ a personarum mutatione, forsan & lacuna, sine emendationis ope, saltem indicata.

Elegans, & sapiens admonitio est, quam Lorarius sequente scena captivis novitiis præit: Act. 2. sc. 1. v. 4. *Nunc servitus si evenit, ei vos morigerari mos bonus est,*
Eamque berili imperio ingeniis vestris lenem reddere.

Eadem verbis expressa valde illustribus: nisi quod sub obscura istorum structura, *berili imperio*, quæ Lambinum moverunt, ut mutaret:

Atque berile imperium ingeniis vestris lene reddere.

Nimis ille quidem licenter: nec abest tamen, quin ad complanandam orationem debeat aliquid mutari. Nos ista relinquimus, & pro *Eamque* facimus *Feramque*. Servitus herili imperio dura, & cruda placidis servientium ingeniis mitigatur. Quamquam & pro *imperio* Noster cogitavit quondam *ingenio*: quæ locutio elegantior, & Livianæ isti gemina: *Sed curæ fuit Consulibus & senioribus patrum, ut imperium suo vehemens mansueto permitteretur ingenio*. Qui locus ab hoc neque sententia prorsus dissidet, & magis convenit ille Curtii lib. 8. *Regum, ducumque dementia non ipsorum modo, sed etiam in illorum,* qui-

(a) Confert hæc verba Salmasius in Parasitum, quæ Noster in Hegionem. Roganti enim Hegioni ad cœnam respondet Parasitus *Emtum* h. e. res emta tibi est. Formulam addit ex l. 1. D. de in diem additione: *Ille Fundus centum esto tibi emtus, nisi quis intra Kalendas Januarias meliorem conditionem attulerit, vel fecerit*. Subscribit Gronovius.

qui parent, ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia. Sequitur ibidem versu: (a)

LOR. *Ejulatione haud opus est, oculis multam miseriam additis.*

qui & varie exercuit alios, & ipse vicissim exercitus est ab illis. Ut alia mittat, est qui *mustam miseriam*, sunt qui *cuditis*, ut in antiquis, vel *accuditis* scribant. Hoc postremum ut probent, alius proverbiale illud affert, *In te isthæc cudetur faba*: alius locum ex Mostellaria, unde & hujus explicatio sit petenda; quippini? junctim ibi de dolore oculorum agitur, & nummorum cusione. Nimium subtiles, immo futiles nugæ. Quid igitur verbi aliud fuit? inquies. Si licet & Nostro dicere libere, nihil fuit nisi *coadditis*. Id insolentius hærere librarios fecit, qui pro suo inde captu hic *cuditis*, ille *additis* emendarunt. Usus eo tamen alibi Plautus, si recte Gulielmius divinavit. Casina:

Cano capite, ætate aliena, coaddito ad compendium.

Sed ille vero recte: & eadem forma Curculione disertim auctor, *Pro iis decem coaccedunt minæ.* Post pauca non est mendosum illud:

CAP. *Quid a uobis metuit? scimus nos*
Nostrum officium quod est, si solutos sinat.

Nam *est*, Plauti more pro *sit* positum: cujus exempla ad Aulularium dedi. Proclive tamen id in hanc mutationem,

. . . . . *scimus nos*
Nostrum officium quoque, etsi solutos sinat.

Officium autem id, quamquam per ambiguitatem hoc loco, fuga est, quæ Asinar'a palam servile officium dicitur:

Quin tu tuum officium facis ergo, ac fugis?

Itemque Pœnulo:

AG. *Fugio.* MI. *meum est istuc magis officium, quam tuum.*

Officium ergo pro more, & eo quod quis facere solet. Ita enim & Cistellaria, conquiniscere puerile officium vocatur, quod quale sit, illic potius dicatur. in proximo versu:

LOR. *At fugam fingitis; sentio quam rem agitis.*

venuste Gulielmius *fingere* moliri interpretatur, ut Nonius etiam parare, ex quo Lucili exemplum depromsit:

Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus.

quod in numeros ego reponam:

Sed fuga fingitur, ac timido pede percitu' vadit.

Illa deinceps:

LOR. *Fiat, abscedite hinc, nos concedamus huc.*
Sed brevem orationem incipisse. (b)
PHI. *Hem istuc mihi certum erat, concede huc.*
LOR. *Abite ab istis.*

mavult ita legere:

PHI. *Enim istuc mihi certum erat.* LOR. *concedite huc, abite ab istis.*

Quæ dehinc sequuntur, mirificè turbata sunt, non tam quod ad verba tamen & versus ipsos, quamquam hi sane confusissimi; quam quod ad discrimina personarum. Accuratius enim si legas, nescias quid servo, quid hero potius tribuendum. Ea difficultas & tenebræ ortæ ex simulatione & permutatione personarum inter ipsos. Alicubi etiam lacuna non minima se prodit ante illum versum nempe:

TYN. *Quod tibi suadeo, suadeam meo patri.*

Præcessisse enim, certe debere videntur aliqua, quibus gradus fiat ad eum sermonem, quo herus contra servum moneat, uti servus antea monuerit herum. Sed quibus opis afferre nihil possumus, de iis frustra neque verba hic faciamus. CA-

(a) Quod bona Acidalii pace dixerim *Tò feramque* non placet. Duriusculum enim videtur, ac per vim huc detortum. Nonne enim optima lectio Gronovii est? Eique *berile imperium ingeniis vestris lene reddere*. Lectio Lambiniana a Nostro jure rejicitur, quod & nimis licenter fiat, debeantque ad rectam orationem complanandam multa mutari. Recte ly *evenit* explicat Casaubonus Lucretii testimonio lib. I. Servitus enim Libertas, & Divitiæ eventa appellari solent.

(b) Ex analogia, quam servat Meursius, atque adeo ex MSS. *incipesse* legendum esse videtur, quod non facit Noster, apud quem *incipisse* legimus. Ex *incipio* enim Veteres *incipesso* derivabant, & ex *lacio lacesso*, & ex *Capio Capesso*.

non genuinum est hoc *audaciam*. Quid huc enim audacia? Fuit omnino vox alia, quam non facile divinando assequaris, nisi forte *tenaciam*, quæ ipsa literis primoribus abhorret longius. Tamen hanc firmare valide videtur, quod Hegio quasi vocem eandem excipiens subjicit:

HEG. *Quid tu ais? tenax ne pater ejus est?*

Deinceps proximo fine caussa vir doctus turbat:

Quin etiam ut magis noscat, Genio suo ubi quando sacrificat:

Nunc *suo sibi* logit, nunc *quando* pro glossemate τῷ *ubi* habet, & exturbat. Miror. An non quivis intelligat, *quando* valere *aliquando*, & *ubi quando* idem esse quod *si quando*? Necessario sic capies. Nam id Plautus eo innuuit, raro eum sacrificare, & si tamen aliquando, Samiis tum vasis uti. Inferius:

Qui imperare insueveram, nunc alterius imperio obsequor.

versum si consulis, ille ut *insueram* scribas, consulit. Itemque scena, *Miser homo est*, ille versus:

Itaque venter, gutturque resident esuriales ferias;

ut sui rationem habeas, *sedent* restitui monet pro *resident*. Phrasi autem *ferias sedere* usus Plautus etiam Epidico, sed sic, ut eo loco non agnoscatur. Scena, *Cave præterbitas*, editur:

Sexaginta mihi si denumerantur minæ,
Tuas possidebit mulier faxo ferias.

quod hic extra ordinem emenda, *Tuas post sedebit mul. fax. ferias*. Neque dissimulo tamen, *sedebit* olim Palmerium ibidem cogitasse. Verum non negligenda eidem prima corruptæ vocis syllaba fuerat, e qua vere nos fecimus *Post*. Ex *post* enim & *sedebit* coitu solemni natum *possidebit*, quod ipsum verbum vir magnus retinet, & *ferias* in versus fine legit. Male, ne quid gravius dicatur. Nugæ & gerræ germanæ sunt, quæ ad explicationem & confirmationem affert. Nostræ correctioni fundus, & subscriptor certissimus hic Captivorum locus est, quem una convellere debebit, si quis illam evertere molietur. Ferias sedere, otiose feriari utrobique est: nec Epidico aliud dicit Periphanes, nisi hoc: numeratis mihi sexaginta minis, tua mulier erit, tibi semper feriata, tuis ut unius rebus tota vacet, aliorum omnibus soluta.

CAPUT V.

Prævorti. Inepta duo contra fabulæ œconomiam additamenta in una eademque scena monstrata primum, deinde & sublata, cum ratione certa utraque, alterum ex auctoritate etiam vett. editionum.

PErgimus, ordine scenarum servato, in quo nunc illa porro sequitur, *Quid est suavius?* Hic vel Plautum sui oblitum leges Oeconomiæ migrasse convincemus, vel insignia duo audacissimorum nebulonum additamenta ostendemus. Narratio est senis eorum, quæ hactenus gesta:

Act. 3. sc. 2. v. 5. *Vix ex gratulando miser jam eminebam,*
Tandem abii ad prætorem: ibi vix requievi: rogo syngraphum;
Datur mihi; illico dedi Tyndaro; ille abiit domum.
Inde illico revortor domum; postquam id actum est, eo
Protinus ad fratrem, inde abii, me ubi sunt alii captivi.
Rogo, Philocratem ex Aiide &c.

Inibi vetus Coloniensis primum non *revortor* legit, sed *prævortor*, qua de voce nuper ad Curtium: hic quidem non pejus, ac fortasse melius, si tamen illud totum, *Inde ilico revortor domum*, bene legitur. Noster enim censet, pessime: nec putat a Plauto scriptum, nisi si violavit œconomiæ legem, & cum ipsi rei, tum sibi pugnantia scripsit. Vide quid Noster, & cogita: Credisne senem hunc, postquam syngraphum, seu diploma impetrasset, ac Tyndarum simulatum amisisset, domum rediisse? Qua vero caussa debuit? aut quo potuit modo? Quin a prætore statim ad fratrem iit, inde demum ad se revorsurus, ita uti nunc revortitur. Quod ita futurum quidem prædixerat etiam ad finem scenæ, *Quæ res bene vortat*; Act. 2. sc. 2. v. 97.

. . . . . jam ego apparebo domi.
Ad fratrem modo captivos alios inviso meos.

Tum enim ad Prætorem cum Pseudotyndaro tendebat: quo expedito, ad fratrem abiit percontatum de adolescente altero, quem retinuerat: eo quoque facto, jam domum redit una cum Aristophonte, qui nosse Philocratem dixerat, & voluerat conventum. An non igitur hoc mendacium, quod inferitur, *Inde ilico revortor domum?* Jam alterum quoque vide. Ait, cum ad fratrem venisset, inde abiisse eo, ubi alii essent captivi sui. Ubi autem alios habuit præterea captivos, nisi apud ipsum fratrem? Nusquam ullos. Sane quoties mentionem de aliis facit, eos apud fratrem asservari palam dicit. Loca plura sunt: pro pluribus hic sit unus, scena, *Advortite animum*, Act. I. sc. 2. v. 23.

Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos,
Visam, ne nocte hac quippiam turbaverint.

Quid? quod alio nusquam iisse convincitur ex iisdem, quæ paullo ante attulimus ex scena, *Quæ res bene vortat*: in quibus testimonium item clarum de captivis apud ipsum fratrem in custodia detentis. Liquet ergo falsa & hæc duo verba, *inde abii*: quæ a Plauto non scripta scio, uti superiora non credo. Utriusque argumenta dicam. Hæc manifesto in vetustioribus libris, inter quos editio Coloniensis & Florentina, non exstant: quæ sic, omissis iis, legunt, ut quæ ab horum tergo alibi sunt, cum iis jungant, quæ a fronte:

. . . . . postquam id actum est, eo
Protinus ad fratrem, mei ubi sunt alii captivi.

Rectissime ad scripturam, ad sententiam verissime. Ut enim diximus, apud fratrem omnino hi captivi. Priora illa, *Inde illico revortor domum*, sunt etiam sane in antiquioribus libris: mihi tamen a Plauto nec ipsa esse certum est vel inde adeo, quod subjungitur, *Postquam id actum est.* Ita scilicet loqueretur Plautus, si de domuitione sentiret. Immo capienda ea verba de senis prioribus actis, de syngraphi nempe apud Prætorem impetratione, & captivi alterius ablegatione. Ut ejectis istis, continenter & hæc legenda sint cum reliquis in hunc modum:

. . . . rogo syngraphum.
Datur mihi; ilico dedi Tyndaro; ille abiit domum.
Postquam id actum est, eo
Protinus ad fratrem, mei ubi sunt alii captivi.

Sic omnino debet ex ipsa rei veritate, quam prolixe satis demonstravimus. Mireris, a quo inserta igitur hæc tam absurda: miror ego quoque: nisi quod ab aliquo esse suspicari licet, qui versibus, ut ipse censuit, imperfectis; ut res est, turbatis; fulcimentis ejusmodi voluerit subvenire. Quod ad me attinet, nec hac parte, nec tota scena numeros legitimos agnosco: quorum rationem inire fortassis aliquam possim, restitutionem moliri non audeo, quam præstare desperarim, ita quidem, ut nec alium quemvis unquam præstiturum sperem.

CAPUT VI.

Exitium exitio est. Cispellere. Nugas. Confidentiam in ventrem sumere. Voraces in ventre cor habent. Maculas exigere, an eximere. Plauti multa correcta quædam aliunde illustrata.

ARgutatur nescio quid Lambinus de exilii ratione ad illustrationem versus hic a se restituti scena sequente:

Neque exilium exitio est, neque adeo spes, quæ hinc nunc aspellat metum.

Affert Ciceronis locum, qui non video quid ad hunc Plauti faciat: uti neque video, quæ sententia bona subsit huic ipsi, nisi leviter emendem, & pro *exilium*, *exitium* reponam, ut sensus hic emergat: exitium & interitum nulla ratione possum vitare vel effugere. Id enim est *exire* interdum. Virgil.

Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit.

Exitio autem nomen ita formatum, ut hæc cognata, abitio, initio, reditio. Ad ipsum loquendi modum, *exitium exitio est*, quod spectat; idem est, qui in similibus multis Plauto frequentissimus. Truculento:

. . . . Quid tibi huc ventio est?
Quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est, inquam,
Amicam meam?

Ac eadem forma nunc in Gellio probo, quod damnabam olim, lib. 14. c. 2. *Quæ dictio quæstioque opus est*. Tribuuntur enim & nominibus verborum suorum casus. Eodem versu nescio si potius *cispellat*, quod item pro *aspellat* alii malunt Mercatore:

Simul autem planissime eos, qui adversum eunt, cispellito.

Deinceps scena huic proxima vulgatur:

TY. Non equidem me liberum, sed Philocratem esse ajo.
AR. quid est?
Ut scelestus, Hegio, nunc iste ludos hic facit.

quod male sic vulgari vidit, qua est ingenii elegantia, Dousa F. itaque emendat:

Ut scelestus Hegioni huic iste ludos hic facit!

Quod ejus pace liceat, non tanta mutatione opus erat. Facilius, & melius dividi voculam *iste*, quæ divisa legitur in antiquis. Sed & præcedentia verba, *quid est*, non tribuerim Aristophonti, sed Hegioni, totumque sic legam:

TY. Non equidem me liberum, sed Philocratem esse ajo. HE. quid est?
AR. Ut scelestus, Hegio, nunc iste ludos hic facit!

Ad Hegionem omnino ipsum dicit Aristophontes hæc postrema: quod vel sequens versus probat. Qui seni dare nolit ista *quid est?* tribuat Aristophonti sane, sed ut rescribat ex illis *viden'?* A multis versibus ille est:

HE. Quid ais? quid si adeam hunc insanum? TY. nugas, ludificabitur.

in quo scio *nugas* capi posse *nugax*: tamen distingui magis ita placeat, ut *nugas* seorsum censeatur positum, cui subintelligendum sit, agas vel egeris: ut Mostellar:

. . . . . TH. servos pollicitus est dare
Suos mihi omnes quæstioni. TR. nugas nunquam ædepol dabit.

Sequenti quidem versu:

Garriet. quod neque pes unquam neque caput compareat;

non dubito plane scribere,

Garriat, quoi neque pes usquam neque cap. compareat.

Sed hinc magno intervallo, scena, *Quanto in pectore*, non benè interpungitur:

HEG. Quæ illæc eminatio est? nam nequeo mirari satis.

Sic enim oportebat, *Quæ illæc eminatio est nam? nequeo m. satis.*
ut τὸ *nam* ad provocabulum *quæ* relato, *quænam* exaudiatur. Ita Plautus hoc sæpe divídit, & trajicit. Aulular.

Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negotii?

Ibidem: *ME. Da mihi optima femina manum. EU. ubi ea est? quis ea*
Est nam optuma?

quod immissa superflua interrogationis nota male dissociavit Lambinus. Fuit sic forsan & Epidico, scena, *St. tacete.*

. . . . . EP. quid tu autem Apœcides?
AP. Quid ego nam? nisi te commentum nimis astute intelligo.

Vulgo ibi *jam*, quod alii transponunt. Pertinet huc illud etiam e Persa: *Quando hæc innata est nam tibi?*

Deinceps lepidè jocatur in Parasitum ex saturitate animos sumentem:

HEG. Mira ædepol sunt, ni hic in ventrem sumsit confidentiam.

Cui dicto simile quadamtenus illud Clementis Alexandrini 2. Pædag. c. 1. ubi Voraces & eos qui mentem in ventre infodiunt, assimulari ait Asino pisci, quem Aristoteles solum ex aliis animantibus in ventre dicit cor habere. De cujus Aristotelici dicti sensu doctè & eleganter disputat lib. 4. Variar. Cl. Mercurialis, magnum Italiæ suæ lumen, & inter Medicos ipsos sic hodie solus, ut Medicorum quivis inter reliquos mortales, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων Quod Clemens de voracibus dicit, ad Plauti Parasitum scite accommodes, qui & ipse animum in ventre habebat. Multis interjectis versibus, illi leguntur:

HEG. Pol mærores mi antevortunt gaudiis. ER. noli irascier.
Jam ego ex corpore exigam omnes maculas mærorum tibi.

quorum priora non sunt germana Ergasili verba, *noli irascier*. Neque enim illi irascebatur nunc senex, sed suas fortunas miserabatur. Et perperam huc traducta videntur ex alio quinto ab hinc versu:

Tuan'.

Tuan' caussa me ædes incensurum censes? ER. noli crascier.

Quod si est, ne mutanda quidem videantur, sed delenda: quippe quæ corrupta non sunt, sed aliena; perditis & extritis illis, quorum locum occuparunt. Tamen alii viderint, si potest, aut debet aliud exsculpi. Mihi nunc leviter conanti hoc proveniebat, *non ita'st. scies*. Altero versu fuit olim qui *eluam* reponeret, quod alios nuper video comprobasse, me calculum adhuc sustinente, qui verbum *exigendi* in re simili reperio apud Suetonium quoque, in August. c. 94. *Et statim in corpore ejus extitisse maculam velut depicti draconis; nec potuisse unquam exigi*. Sic enim libri vetustiores, quos probo; non recentiores, qui præferunt *eximi*: quod si quis ibi potius pertendet, idem in Plauto pariter *eximam* rescribet: qui *curam eximere* sane dixit Casina:

Curam eximere, castigare, id ponito ad compendium.

Atque iterum *lassitudinem eximere* Mercatore:

Nunquam ædepol omnes balneæ mihi hanc lassitudinem eximent.

Eluere autem in hac re plane Horatius lib. 4. Od. 12.

Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.

CAPUT VII.

Nunc places: non places. Ain' tu? In spe ponere. Facere, fieri, in obscœnis. Virtus, pro merito & dignitate. Præter honestiores alios, obscœni quoq; duo loci, & joci in Plauto, tum similis etiam unus in Petronio, correcti declaratique. Martialis denique, & Catullus indid em, praterea Juvenalis, & Seneca Pater illustrati.

EAdem scena versum obscœniorem a Camerario quondam sublatum, recte Lambinus inserit vicissim, nec tamen emendate scribit:

HE. Esurire mihi videre. ER. mihi quidem esurio, non tibi.
HE. Crede. tuo arbitratu. facile patior. ER. consuetus puer.
HE. Juppiter te, Diique perdant.

Medius horum est: quem miror in nupera editione, sed per incuriam credo, non quod aspernarentur, omissum. Is ita, meo judicio, traducta voce legendus:

HE. Tuo arbitratu, facile patior. ER. Credo consuetu's puer.

Magis certe parasito id verbum debetur, qui credere se dicit, Hegionem facile pati, quando & puer olim consuetus sit. quamquam & paullo aliter, multo forte melius interpreteris: quasi de verbis Hegionis conjiciat parasitus, illum olim pathicum. Nam quia se pati posse dixerat, ut esuriret suo arbitratu; nequam homo torquens alio, credo consuetum te puerum, ait, qui & nunc alterius arbitratu pati posse fatearis. His continua jam sunt:

HEG. Juppiter te Diiq; perdant. ER. te hercle mihi æquum est gratias
Agere ob nuntium. tantum ego nunc porto a portu tibi boni.
Nunc tu mihi places. HE. abi stultus, post tempus venis.
ER. Igitur olim si advenissem; magis tum tu istuc diceres.

In quibus mirificam glossam nuper appinxerunt alii, *Nunc tu mihi places*. Eam videat, qui volet: nam ut rideat, non addam, a tanto profectam viro. Nos ipsa hæc verba eripimus parasito, & editionum veterum jussu reddimus Hegioni, sic tamen, ut a nobis simul emendemus. *Non* pro *nunc*, & reliqua sic scribimus:

HE. Non tu mihi places: abi stultus, post tempus advenis.

hoc prostremum, versus caussa. nam ut *ferus* ex libris vetustioribus introducerem, non sustinebam, quod ipsum glossam scilicet arbitrarer. Formulæ *Non places*, *Nunc places*; hæc approbandi, illa rejiciendi; notæ ex Plauti sexcentis locis, neque prolixe vel explicandæ verbis, vel exemplis confirmandæ. Post ibidem in ridiculis adjurationibus parasiti per barbaricas urbes, & Hegionis hæsitantis anxia interrogationum frequentatione:

HEG. Jam diu? ER. νὴ τὰν πραινέστην. HE. venit? ER. νὴ τὰν σιγνίαν.

non placet illud *jam diu*. Non enim senex quærit, quam dudum; sed an omnino redierit suus gnatus. Emendo, *Ain' tu?* quod exprimit optime dubitationem & diffidentiam

etiam in inopinato nuntio, neque literis abhorret a vulgata lectione. Scena, *Jovi, Diisq;* non dignus mihi Plauto videtur versus illorum posterior:

Quomque ex miseriis plurimis me exemerunt,
Quæ adhuc te carens, dum hic fui, sustentabam.

Nam quidquid Lambinus de vocula *quæ* sollicitus sit; illam mutari & facilius & æquius erat, *quas*. Sed ea me non movet. Illud quid sibi vult? *dum hic fui* non convenit prorsus in Hegionem: nisi jungas forte, *dum te fui carens*, quod sit, dum te carui. Sed quis & hoc Plautinum credat? Aut delendus, aut sic emendandus totus versus:

Quas, dum te carendum hic fuit, sustentabam.

Sic rescriptus probare se ut cunque pro Plautino potest. Eadem scena, Plauti quidem illa phrasis sit, *spem ponere*, in illis:

Fui ego bellus, lepidus, bonus vir nunquam, neque frugi bonæ,
Neque ero unquam, ne tu spem ponas, me bonæ frugi fore.

& sic plerique libri; tamen nescio quomodo placebat magis, quod in uno reperi, *ne tu in spe ponas*: ut Epidico:

. . . . . *Hoc quidem jam periit,*
Ne quid tibi hinc in spem referas.

Infra locus consimilis est ei, unde caput hoc orsi sumus, obscœnitate nimis ubique in Plauto obvia:

STA. Ut vis, fiat. HE. bene morigerus fuit puer, nunc non decet.

Ubi quamquam vis joci consistit in ipsa morigeratione maxime, quæ illis verbis, *Ut vis, fiat*, exprimitur: tamen est partim in solo etiam hoc verbo *fiat*: quod per se notat inverecundius aliquid interdum, ut *facere* frequentissime. Martialem ambigue ludentem, & pœne eludentem, nisi advertas, sic accipies: lib. 2.

Sæpe ego Christinam futui. det quam bene, quæris?
Supra quod fieri nil Mariane potest.

Idem manifestius in verbo: *faciendi*: lib. 1.

Cum dicis, Propera, fac, si facis, Ædila: languet
Protinus, & cessat debilitata Venus.

Catullus:

Aufilena, bonæ semper laudantur amicæ:
Accipiunt pretium, quæ facere instituunt.

In Petronio crebrum. *Non taces nocturne percussor? qui ne tum quidem cum fortiter faceres, cum pura muliere pugnasti*. Idem: *Si quid vis; fac iterum*. Et mox: *Quare non facimus?* Quæ attuli, non quod talia mihi placeant, sed ut locum ejusdem Petronii in hac ipsa voce illustrem, qui, ut nunc distinguitur, intelligi recte nequit:

. . . . . *non sanguine tristi*
Perfusus venio; non templis impias hostis
Admovi dextram: sed inops, & rebus egenus
Attritis, facinus non toto corpore feci.

Includenda parenthesi vox *facinus*, quam interjicit, invidiose nimis exaggeratum facinus suum elevans: quod hoc saltem fuerat, quia non toto corpore, id est, ut supra loquebatur, fortiter fecisset. Ita namque verbum illo nequiore sensu & hic interpretandum, quod in obscuro delituerat hactenus, & eguit omnino luce quadam similium locorum. Qibus addo postremo Juvenalis illustrem è Satyra VII.

Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut si quis cera vultum facit. exigite, ut sit
Et pater ipsius cœtus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus. non est leve tot puerorum
Observare manus, oculosque in fine trementes.

Hujus tamen intellectum aliquanto diversum Haterii illa sententiola magis aperit apud Senecam patrem Præfatione Controvers. lib. 4. *Inter pueriles condiscipulorum sinus lasciva manu obscœna lusisti*. Quem locum pœne est ut imitatum dicam Juvenalem: adeò verba etiam fere eadem sublegit, ac maximè phrasin *turpia* sive *obscœna ludere*. Scena proxima, *Hegio assum*, post eos versus:

PHI. Dic mihi, is ne istbic fuit, quem vendidisti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus est, hujus filius?

desiderari videatur unus, quo Stalagmus de quæsito respondeat, atque ita esse fateatur: nisi solo nutu aut vultu putabimus assensisse, aut ad finem versus, cum per-

personæ ejus judicibus literis apponemus voculam *is*, quæ perire facile potuit;

. . . . . *hujus filius ? ST. is.*

Versus id sane patitur etiam. nam aut dissyllabum more Plautino *filius* erit, aut ultima syllaba ejusdem elidetur. Hujus scenæ finis optime sic emendatur:

Sed eccum, incedit huc, ornatus haud ex suis virtutibus.

cujus tamen emendationis gloriolam nollem alios sibi nuper adscripsisse, quam Mureto fama publica vindicat a multis annis. Hic scilicet jam olim ad illum ipsum Terentii Adelphis locum:

Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus:

quem locutionis exemplum adducunt Plauti. hunc ita correctum dedit; cui nos alia Plauti ipsius exempla meliore fide subjungemus. Milite:

Nunc volo obsonare, bone ut hospes te virtute ex tua
Meæ domi accipiam, benigne, lepide, & lepidis victibus.

Item: *Saltem mihi voluptas est, cum ex virtute formæ evenit tibi*
Mea opera super hac vicina, quam ego nunc concilio tibi.

Item paullo alia facie:

Sicut merci pretium statui, pro virtute ut veneat.

Pœnulo:

Cumque e virtute vobis fortuna obtigit.

In quibus omnibus virtus, pro merito & dignitate.



VA-

VALENTIS ACIDALII
IN PLAUTI CURCULIONEM
DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES
AD
ILLUSTREM, ET REVERENDUM VIRUM
FULVIUM URSINUM
ROMANUM.

CAPUT I.

Lautus. Ita uti occœpi dicere. Eij. Quipiam. Ut eam censes? Ut eum credis? Locus initio Curculionis difficilis visus, facillimus ostensus. Alii deinde hinc, & e Bacchidibus unus, correcti simul, & ex se invicem illustrati.

QUantilla res quantas sæpe tenebras acutissimis etiam, & perspicacissimis objiciat ingeniis, multi multis exemplis & alibi, & in Plauto pridem ostenderunt: cujus generis unum in ipso vestibulo Curculionis etiam nobis hic occurrit, quo vix illustrius aliud, & efficacius ad arguendam vim bonæ malæve interpunctionis. Ecce enim ille locus, minimo distinctiunculæ vitio laborans, quam multos, quam graviter exercuit!

PA. Istuc quidem nec bellum est, nec memorabile,
Tute tibi puer es lautus, luces cereum.

Turbavit omnes istud *lautus*, ex quo magni viri concinnarunt nobis vocabula, quæ legisse piget, meminisse non libet. Alii de sensu loci totius anxii, eo ineptiarum venerunt, ut simile quid habere, vel idem esse suspicarentur cum Terentiano illo,

Tute lepus es, & pulpamentum quæris.

Quid multa? nemo vidit, interpunctum levissimum parere omnem hanc obscuritatem. Id ita transfer, ut ante, non post vocem *lautus* collocetur:

Tute tibi puer es, lautus luces cereum.

Quid nunc clarius & facilius? Nihil n. profecto aliud Palinurus dicit, quam non decere, ut puer ipse sibi sit Phædromus, & homo tam lautæ fortunæ servi munus in lucendo sibi cereo fungatur. Ad quam sententiam accessit Lambinus omnium sane proxime, tantum tamen & ipse abfuit, ut nec quid in hero servus reprehenderet proprie videret, & puerum lautum alienissima mente mollem & delicatum explicaret. Eant alii nunc, & sua expient absurdiora interpretationum, & lectionum monstra: nos ad alia porro mentem, manumq; convertamus. Sequitur ergo:

Id uti occœpi dicere, ei ancillula est:

quo loco veteres plerique *inducias*: unde Gulielmius noster, *Inde uti jam occœpi*. Sed Plautinum & Comicum magis est, *Ita uti jam occœpi dicere*. Sic enim de integro ordiuntur interruptam narrationem pertexturi. Pœnulo, scen. *Dii illum infelic.*

..... AN. ita ut occœpi dicere
Lenulle de illac pugna.

Sticho: *Ita ut occœpit narrare vobis, cum hic non adfui.*

Simul

Simul autem eodem versu, versus caussa *eji* scribes, *i* geminato, quod Plauto solens, ut prior syllaba producatur. Deinceps:

PH. Tam a me pudica est, quasi soror mea sit, nisi
Si est osculando quippiam impudicior.

malim *quipiam*, auferendi casu, qui usitatior in eo genere structuræ. Mox ibidem etiam:

PH. Imo ut illam censes? ut quaque illi occasio est
Surripere se ad me, ubi savium oppegit, fugit.

Perperam Lambinus, qui mutat, *imo quid censes?* Venustissima locutio est vulgata, quæ eadem & Bacchidibus, sed nec ibi recte intellecta. Transferam adeo inde locum huc, ut uterque collatione alterius illustretur. Scen. *Mirum est.*

CH. Ut istuc est lepidum! proximæ viciniæ
Habitat. ecquidnam meminit Mnesilochi? PI. rogas?
Imo unice unum plurimi pendit. CH. papæ!
PI. Imo, ut eum credis, misera amans desiderat.

Hic ita interpretantur: ut ipsum Mnesilochium desiderio Bacchidis macerari facile credis, ita prorsus illa mutuo illum ardentissime desiderat. Inepte, certe false. quod tamen ignosco doctis viris: nam lectio ipsa falsa, quam ad hoc exemplum etiam illic emendabis:

PI. Imo, ut eam credis? Formula est, mirum aliquid, & inopinatum de aliquo narrare parantium. Bacchidibus ergo valet; quomodo Bacchidem erga Mnesilochum esse credis? Curculione; qui Planesium affectam, & quid facere censes? quasi dicat utrobique, vix fidem habiturus es mihi de eo, quod vere sum dicturus. Tenuem & adumbratam similitudinem habet illud Terentii Andria Act. 5. sc. 2.

S. Eho non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?
D. Sunt. S. cur igitur hic est? CH. quid illum censes? cum illa litigat.

Itemque Adelphis Act. 4. sc. 5.

Quid ipsæ? quid ajunt? MI. quid illas censes? nihil.

Multo similius hoc, Mercatore Nostri: Scen. *Homo me.*

Nunc si dico, ut res est, atque illam mihi me. Emisse indico, quemadmodum existimet me?

CAPUT II.

Effigere. Odos; amos; lepos. Hæreditates veniunt & eveniunt. Præmium. Strenæ unde: origo vocis & rei. Plautus Curculione sæpe. Cornicularia semel; tum Pomponius Pistoribus, & Symmachus Epistolis, emendantur omnes, ac mutuo quidam illustrantur.

PUlcrè ad antiquum religionum morem alludit Palinurus, cum herum quo se verteret nescire dicentem sic illudit:

Si deos salutas, dextrovorsum censeo.

Quo loco credam sequentem etiam versum continue a servo pronuntiatum. quippe cui joci hujus occasionem ipsa ara proxima subministrasse videatur. Ego fidenter illum ei dederim, sed & reliquos paullo aliter scripserim, totumque locum suo lepori sic restituerim:

PH. Nunc hinc Parasitum in Cariam misi meum
Petitum argentum a meo sodali mutuum:
Quod si non affert, quo me vortam nescio.
PA. Si deos salutas, dextrovorsum censeo.
Nunc ara Veneris heic est ante horum fores.
PH. Enim inferre Veneri volui jam jentaculum.
PA. Quod antepones Veneri jam jentaculum?
PH. Me, te, atque hosce omnes. PA. tum tu Venerem vomere vis?

Quid mutarim, omnes vident; cur, non nisi ingenii elegantioris. Deinceps ibidem:

PA.

PA. Ei ne hic cum vino sinus fertur? PH. nisi nevis.
PA. Nolo hercle, nam istunc qui fert, afflictum velim.
sententiæ ratio suadet magis ut scribas, *nam isthuc qui fert*, id est, ad anum. Cur enim male illi velit, qui sinum ferat, nisi quia anui ferat? *Afflictum* etiam forte potius sit, de quo verbo ad Cistellariam Gulielmius noster. Extremo primæ scenæ:
Viden' ut aperiuntur ædes festivissimæ?
Non mutit cardo. est lepidus. PA. quin das savium?
veteres editiones, in quibus interrogationis nota post vocem *cardo*, faciunt ut cogitem, *Num mutit cardo?* Scenæ proximæ principio versus sunt:
Flos veteris vini meis naribus objectus est.
Ejus amos cupidam me huc prolicit per tenebras.
quorum numeri numerosiores in vetustis aliquibus, & magis ad leges Jambicorum:
Flos veteris vini meis objectust naribus.
Ejus amos cupidam me huc per tenebras prolicit.
Neque dubium, a Plauto sic relictos. sed nec illud dubium, vicino versu,
Nam omnium unguentûm odor præ tuo nautea est.
scriptum a Plauto *odos*: quo terminatu in similibus aliis hic utitur, ut sermonem anuis blæsulæ exprimat, admodum-quam decore. Nam cave alia de caussa putes *amos*, & *lepos* dixisse potius, quam *amor* & *lepor*. Illa porro verba,
Sed hac habiit, hac persequar,
vix est, ut suo loco legantur. Certe commodius ante ista paullo inferiora statuantur:
Canem esse hanc quidem magis par fuit: fagax
Nasum habet.
Nam jocus iste dicitur ex illis, quæ nisi proxime præcedant, hic non est satis manifestus. Tamen de eo non pugnem: nec affirmo sane, quod posui, sed propono, doctioribus judicium relinquens,
ὁ μὲν φέρεσθ' ἄσι νοῦσαι τε κεῖνων.
Inferius illa damnatur a quodam locutio: . . . . . *mihi haud sæpe*
Eveniunt tales hæreditates.
Ait, non Plauti mundissimam suppellectilem, sed anuis alicujus sordidatam fallulam redolere: corrigitq; *Veniunt*, e Pandectarum scilicet libris, qui sic venustius loquantur. Bona verba. An non Plautus igitur & Menæchmis ipso prologo?
Illi tum divitiæ evenere maximæ.
Et loquitur pariter ibi de hæreditate. Nisi dicet, ibi quoque *venere* corrigendum. Frustra. Pro eodem sunt utraque, nec hoc, an illud malis, refert, tam in hæreditatis re, quam extra eam ubivis alibi. Quod Plautus dicit infra:
Ne forte tibi eveniat malum:
Terentius Eunucho sic extulit: . . . . . *id gaudeo*
Propter me hisce aliquid esse venturum mali.
Plautus Cornicular. apud Nonium in *Luculentum*:
Pulcrum, & luculentum hodie evenit prælium:
quod fragmentum simul emendo:
Pulcrum, & luculentum me hodie evenit præmium.
Senarius enim versus est, & *præmium* in eo præda: cujus notionis exempla non placet hic cumulare. In altero, de quo nunc agimus verbo, alium etiam locum alterius Comici apud Nonium item corrigamus. Nonius in *Strena*: *Strena dicta est a strenuitate. Pompon. Pistorib.*
Asside, si qua ventura est alia strena strenæ.
Inibi non autem *ventura*, nisi versus *eventura* magis requirat. Nam in numeros verba cum ulteriore mutatione sic repono:
. . . . . . *accipe,*
Si qua eventura est alia strena strenuo:
Et tamen si *quæ* malis, *ventura* non opus sit repudiare. *Strenuo* autem scribo prorsus, quia strenæ originem docere Nonius hoc exemplo vult, quo Pomponius ad eam alluserit. Allusit autem ad eandem & Symmachus Ep. 28. lib. 10. *Maneat ævum talis circa vos usus officii: & honorem clementiæ vestræ interminus annorum recursus instauret. Libenter strenis solemnibus Præfectura fungetur, strenuis deferenda.* Ubi corrigemus olim, quod sensus poscit, *delatura*, vel (nam nunc etiam hæsitamus) *deferendis*. Hoc quidem dicit: libenter functuros solennitate strenarum Præfectos,

fectos, qui strenuis, & quibus ob virtutem conveniant, sint delaturi. Sed idem Symmachus ejusdem epistolæ initio, strenarum etiam usum & ortum primævum memorat: qui non ubique obvius, ex illo discatur, & notetur. Verba ejus ipsa digna, quæ hic apponantur: *Ab exortu pæne urbis Martiæ strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ anni novi auspices primus accepit, DD. Imperatores. Nomen indicio est, viris strenuis hæc convenire ob virtutem: atque idea vobis hujusmodi insigne deberi.*

CAPUT III.

Minimo. Quædam in Curculione leviora facile, alia magis intricata & obscura vix emendantur, vel explicantur.

Scena, *Placide egredere*, non satisdum fortasse valet is locus, ubi male ex amore suum dominum valere servus non paullo sapientior queritur:

> *PAL. Male valere te, quod mihi ægre est. PH. male mihi morigerus tace.*

Nec enim Lambinianum multi probant *te quidem*: qui nescio si meum magis, *Male vales, ere, quod mihi ægre est*. Aspirationem solemniter omittebant veteres, ut *ere* scriberent quod esset *here*. Post multa ibidem Planesium, inhibitura Phædromum, nimis blande deterret a verberatione servi:

> *Noli amabo verberare lapidem, ne perdas manum.*

Cui simile quid Ovidius epistola Acontii ad Cydippen:

> *Ipsa meos scindas licet imperiosa capillos,*
> *Oraq; sint digitis livida nostra tuis:*
> *Omnia perpetiar: tantum fortasse timebo,*
> *Corpore lædatur ne manus ista meo.*

Deinceps huic puellæ interrogationi:

> *. . . . . quousque ad hunc modum*
> *Inter nos utimur amore semper surreptitio?*

non respondet commode satis adolescens, *Minime*: pro quo legendum credam *Minimo*, ut vel subintelligas *usq;*, vel explices, minimo temporis spatio. Scena proxima, bene sic hodie legitur:

> *Paves, parasitus quia non rediit Caria.*
> *Afferre argentum credo.*

nec tamen veterem lectionem spernas, quæ verbum *Afferre* dividit, & facit *At ferre*, cum sententiæ quadam luce. Sed ibidem ille versus videtur positus non suo loco:

> *CA. Lien dierectust. PA. ambula, id lieni optimum est.*

Qui enim huic subjicitur, melius hæret iis, qui hunc ipsum antecedunt, ad quos respicitur omnino, quando ait Cappadox, *Aufer istbæc quæso*: jocum scilicet avertens de intestinorum putredine & salsura. Nec vero incommoda ei sedes sit post illum statim:

> *PA. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.*

Nam cum de symptomatibus variis, & incondite congestis ridicule conjicit Palinurus, hepatarium morbum esse: non indecore contradicere videbitur ille, & non tam hepatis, quam lienis affectum caussari, qui sane potissimus erat, ut ex superioribus cognoscimus, & illo maxime loco:

> *Nam jam, quasi zona, liene cinctus ambulo.*

Quid igitur, si hoc ordine versus digeras?

> *Sed quid tibi est? CA. lien necat, renes dolent,*
> *Radices cordis pereunt, biræ omnes dolent,*
> *Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur.*
> *PA. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.*
> *CA. Lien dierectust. PA. ambula, id lieni optumum est.*
> *CA. Facile est miserum irridere. PA. quin tu aliquot dies*
> *Perdura, dum intestina exputrescunt tibi.*
> *Nunc dum salsura sat bona est, si id feceris,*

Veni-

Venire poteris intestinis vilius.
CA. Aufer istbæc quæso, atque hoc responde, quod rogo.

Quod ut facias, non omnino suadeo tamen: saltem ut dispicias accuratius, hortor. Ceterum quis est, qui in iisdem sententiam joci de intestinis intelligere se possit affirmare? Nunc quidem ut verba leguntur, ego minime capio. & Lambinus, dii boni, quam se pariter, ac Plautum torquet! Audeo dicere, non ille quid hic Plautus, sed nec quid ipse diceret, intellexit. Nec erit, puto, qui elicere sensum aliquem bonum, & sibi constantem ex hodierna lectione possit. Mihi scribendum sic jam olim videbatur:

. . . . . *PA. Quin tu aliquot dies*
Duro dum, ne intestina putrescant tibi.
Nondum salsura sat bona est. ni id feceris,
Venire poteris intestinis vilius.

Quo modo sane jocus fit apertior: neque germanam tamen eam Plauti scripturam asseverabo. Conjecturæ sunt hæ meræ, quibus ignosci potest, si errant: quando neque pro oraculis venditantur, & auctori nostro nullam inducunt temerariam mutationem. Ut enim hic opinionem nostram ponamus, nihil ea minuit aut violat integritatem vulgati textus, in quo controversa quæ sunt, licet eodem aliis jure amplius disceptare, & verum qua possunt via porro vestigare.

CAPUT IV.

Te, tibi cui. Græci leves, bibaces, ac furaces Plauto: a postremo crimine hic defensi, lubentes sunt thermopolio, ibi calidum sorbent, inde operto capitulo bitunt. Vitare infortunio. Certum & Aliquid. Velle gratiam alicujus. Exessitere. Multa Curculionis emaculata, declarata.

QUo loco somnium suum leno Cappadox narrat, post alia sic ait:

Neque eum ad me adire, neque me magni pendere
Visust.

Hic extremum verbum non cum Lambino & vulgo resolverim in *visus est*, *sed visum est*, ne ad priora repetendum aliquid sit ἀπὸ κοινοῦ de superioribus: quo modo minus oratio fuerit confragosa. Sed & in responso & consilio coqui non illa recte scribuntur:

Namque incubare satius te fuerat Jovi,
Tibi qui auxilium in jurejurando tulit.

Neque quidquam juvat, qui vett. editionum scripturam reducit,

Tibi qui auxilio in jurejurando fuit.

Quippe sententia prorsus eadem utriusq; lectionis. Atqui talem aliquam præcessisse oportet, quæ perjurii lenonem aperte arguat: quod ipsius evincunt proxima verba:

Siquidem incubare velint, qui perjuraverint,
Locus non præberi potis est in Capitolio.

Nos quid? editiones priscas sequimur partim, partim nostram conjecturam, atque ita scribimus:

Tibi cui auxilium in jurejurando fuit.

Verecunde & quasi honeste eum insimulat, cum sic loquitur coquus. Auxilium autem lenonibus in perjuriis sæpe, quibus in lingua sita plerumque salus, qua nunc negent, nunc ajant, ut ex usu esse rerum suarum vident: unde patronam eandem alibi noster dicit hominibus ejusmodi, quæ, si quid ipsi commiserint, pro illis pejeret. In quam rem exempla colligi nihil est necesse. Ne quem autem locutionis insolentia moveat, *Te, tibi cui*: sciat eam Plautinam. Sic enim aliquoties & alibi & Aulular.

SME. Ego te hodie reddam madidum, si vivo, probe,
Tibi cui decretum est bibere aquam.

Neque mihi dubium, hanc ipsam minus notam formulam corrumpendo loco maxime fuisse. quamquam excusari vulgata quoque lectio potest, sed excusari, non defendi. Scena proxima salse irridet, luculenteque describit Græculorum inter vias philosophantium levitatem, & ebriositatem;

Tum

Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt suffarcinati cum libris cum sportulis,
Constant, conferunt sermones inter sese drapetæ,
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis,
Quos semper videas bibentes esse in Thermopolio.
Ubi quid surripuere operto capitulo calidum bibunt,
Tristes atque ebrioli incedunt.

Levitatem, dixi, tangit, & bibacitatem: sed & furacitatem, ut postrema ista volunt; Ego tamen ab hoc vitio defensor illis hoc quidem loco veniam, quod video non eis à Plauto factam, sed ab alio nescio quo nimis invidiose fictam criminationem. Profecto enim non illa recte sic hodie legimus, sed ut hic a me rectissime, ut confido, emendata subscribam:

Quos semper videas lubentes esse in thermopolio,
Ubi quum sorbuêre calidum, operto capitulo bitunt,
Tristes, atque ebrioli incedunt.

In quibus *lubentes* a veteribus libris esse testor, qui sane habent etiam *in*, etsi poterat omitti. Nam Plautinum alias, lubentem esse alicui rei. Cistellar.

Qui semper malo muliebri sunt lubentes.

Sed expressior sensus eo retento. In reliquis ad talem emendationem singula pœne verba manu me duxerunt, quæ sententiam aliam subesse tacite significabant, & in hanc, quam feci, omnia conspirabant. In Thermopolio calidum sorbent: post sorbitionem largiusculam operto capite eunt, qui mos Græcis, idem paullo ante peritrictus ibidem, *capite operto qui ambulant*. Jam *bitunt* & facillime confieri ex *bibunt*, & Plauti vocabulum esse, nemo docendus, nisi qui plane hospes sit in his universim literis, quem ne lectorem quidem, tantum abest ut judicem mihi velim. In fine edictionis hujus parasiticæ, sed plus quam ædilitiæ, imo basilicæ:

Proinde se domi contineant, vitent infortunia.

nihil ambigo, quin antiqua editio melius *infortunio*. Sic enim libenter Plautus, ut hunc casum jungat illi verbo: cujus exempla quisque notarit, & meminerit ultro sibi. Porro eadem scena quod est:

PH. Jam edes aliquid. CU. nolo hercle aliquid: certum quam aliquid mavolo:

inde Terentius duxit, ut *Aliquid nihil esse* diceret. Deinceps sequitur:

Video tuum sodalem, argenti rogo uti faciat copiam.
Scires velle gratiam tuam, noluit frustrarier,
Ut decet velle hominem amicum amico atque opitularier.

ubi non Lambinus tantum ambigue vel distinguit vel scribit aliter: sed magnus item vir plane post eum æque mutat, *velle gratia tua*: cum vulgatum manifeste probetur alio gemino sequentis scenæ loco:

Quod istic scriptum est, id te orare jusserat;
Profecto ut faceres, suam si velles gratiam.

Et elegans omnino loquendi modus hic, quem usurpare possumus, cum amici gratiam, & favorem aut spernere ipsi nolumus videri, aut nostrum illi, ne spernatur, ultro commendamus. Pertinere videtur huc etiam illud Epidici:

P. Epidice, habeas gratiam. EP. sed ego istuc faciam sedulo.

Sub extremam scenam denique:

PH. Laudo. CU. laudato, quando illud quod cupis effecero.

versus postulat *exeffecero*: quo verbo alibi utitur, & effectum plenum notat.



CA-

CAPUT V.

Instare, impendere, servire, inservire, cum accusandi casu. Multa Plauti corrupta in verbis, & sententiis, multa confusa in personarum vicibus, restituuntur. Etiam Turpilius emendatur.

INitio sequentis scenæ, *Beatus*, qui genus antiquum dicendi mutant:

Si magis me instabunt, ad Prætorem sufferam:

& *mi* faciunt pro *me*; temere faciunt, nec alibi sic locutum Plautum meminerunt. Is autem Pœnulo:

. . . . . Dii immortales meum herum servatum volunt,
Et hunc disperditum lenonem: tantum eum instat exitii.

Item Epidico:

Tantæ te impendent ruinæ.

Nam recte sic editiones priscæ, quibus recentiores *in* inserserunt. Atqui & Terentius omisit,

Tanta te impendent mala.

Mostellariâ Nostri bis *inservire* cum eodem casu.

Matronæ, non meretricium est, unum inservire amantem.

Item:

At hoc unum facito cogites, si illum inservibis solum,
Dum tibi nunc hæc ætatula est; in senecta male querére.

Ad quod exemplum indubie Turpilius apud Nonium *servire*, si recte emendetur. Turpil. Demiur.

Ego epol docta dico, quæ mulier volet
Sibi summum amicum esse indulgentem & diutinum,
Modice, atq; parce ejus servi ad cupidines.

Restituerim enim *serviat cupidines*, non *cupidini*, ut Junius volebat. Sententia cum Enniano fere versu coincidit, qui ibidem ex Hecuba laudatur:

Qui tibi in concubio verecunde, & modice morem gerit.

Sed Turpilii medio versu corrigam etiam *suum* pro *summum*. In Curculionis scena, quam ordiebamur, ulterius cum perges, ad illud offendes, ubi de amisso ob rempublicam oculo sic unoculus Parasitus:

Adolescens, ob rempublicam hoc intus mihi
Quod insigne habeo, quæso ne me incomities.

Nam *intus* quid illic notat? Neque tam audax fueris, ut *incussum est* cum viro docto rescribas. Levius, & lenius, unâ literulâ mutatâ, legeris *ictus*. Insigne ictus, vestigium cape vulneris catapultâ icti. Ob id virtutis pro republica acceptum insigne noli, inquit, calamitati meæ insultare. Scenâ, *Ita tu præ virgo*, non satis aptè concipiuntur ita personæ, ut trapezita lenonem promissi sui tam accurate moneat: quæ Curculionis partes sunt, velut heri sui caussam diligenter agentis, cujus & personam sustinere deinceps videri vult, quum tam acerbe, & libere multa in Cappadocem pariter, ac Lyconem. Quæ igitur vulgò Lyconi ascribuntur, ea Curculioni transcribo ad hoc exemplum:

CU. I tu præ virgo: non queo quod pone me est, servare.
Et aurum, & vestem omnem suam, ajebat, quidquid hæc haberet.
CA. Nemo it inficias. CU. attamen meliusculum est monere.
Memento promisisse te, si quisquam hanc liberali
Caussa manu assereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta. CA. meminero: de istoc quietus esto.
Et nunc idem dico: CU. & commeminisse hæc ego volam te.
CA. Memini, & mancipio tibi dabo. CU. Egon' ut ab lenone
Mancipio accipiam?

Ut dixi, sub heri militis persona loquitur hic luscus Summanus: nec ad Lyconem quidquam triginta illæ minæ attinebant. Militi enim ipsi leno repromiserat: quod ipsus infra præsens repetit:

Et leno hic debet nobis triginta minas.

PH. Quamobrem istuc? MI. quia ille repromisit mihi,
Si quisquam hanc liberali asservisset manu,
Sine controversia omne argentum reddere.

Sed ut hic in principio parasiti locum argentarius occupaverat, ita contra sub finem argentarii parasitus. Ecce enim sic edunt:

LY. Nunquid vis leno? CA. istas minas decem, qui me procurem,
Dum melius sit mihi, des. CV. dabuntur. cras peti jubeto.

Quis autem non videt, a Lycone argentum flagitari, ut idem pro se debeat respondere? Muta: *LY. dabuntur. cras peti jubeto.* Meridie clarius hoc, & testem tibi tamen eccillum locum e scena, *Quoi homini.*

Postquam rem divinam feci, venit in mentem mihi,
Ne trapezita exulatum abierit, argentum ut petam,
Ut ego potius comedim, quam ille.

Loquitur hæc leno, qui petitum it eas ipsas decem minas a Lycone. Sed ibidem statim cum a milite occupatur,

MI. Jusseram salvere te:

nescio si scribendum potius *jusserim*, tum quia non jusserat sane, tum quia pulcre id exprimat fastidiosum, aut iratum salutatorem. Ea quidem facie & Asinaria corrigebamus, *Jussò salvere Libanum libertum*: quo loco erat item præterito tempore *jussi*: pro quo possis etiam *jussim* illic reponere, contractum e *jusserim*, ut alia multa solent, & in illis *dixim* pro *dixerim*. Porro autem scena, in idipsum initium.

PL. Phædrome propera. PH. quid properem? PL. parasitum ne amiseris.
Magna res est. PH. nulla est mihi. nam quam habui absumsi celeriter.

vide ne postremum hoc *celeriter* Planesio tribuendum, quæ cum proximo versu sic continuet:

. . . . PH. nulla est mihi. nam quam habui absumsi. PL. celeriter
Tene inquam. PH. quid negotii est? PL. rogita unde istunc habeat annulum.

Et quod adhæret:

Pater istum meus gestavit. CV. at mea matertera.
PLA. Mater ei utendum dederat. CV. pater tuus rursum tibi.

id quoque vix est, ut sincerè sic scribatur. Ego quidem de luxatione grandi suspicor, qua membra posteriora versuum locum inter se mutarint. Sed suspicor tantum, neque ausim ulla cum asseveratione sententiam pronuntiare. Quin ipsam pronuntiare vix audeo: quamquam sententia non erit, sed opinio tenui verisimilitudine suffulta. Dicam prius, unde suspicionem ducam. Versus prior in voce *mea* claudicat, etsi vetustæ editiones subveniunt insertione tali, *at pol mea*: tum in eodem *matertera* non apte videtur opponi *patri*. In altero *quit* vulgo legitur, quod Lambinus jussit expungi: ibidem statim lectionem diversam Palmerius reperit in antiquis, *pater mios risum tibi*. Hinc ad emendationem ejusmodi moveor, ut translatis versuum membris, levissimemque mutatis uno, atque altero verbis, ita refingam:

. . . . . PL. rogita unde istunc habeat annulum.
Pater istum meus gestavit. CV. quin pater meus istum sibi.
PL. Mater eij utendum dederat. CV. at meo matertera;
PL. Nugas garris.

Vim, nisi si traductione ipsa, nullam verbis facimus. E *quit* sponte nascitur *quin*; e *mios*, *meus*; e *risum*, *istum*: quamquam ex hoc facilius sane *rusum*, pro rursum. At sensum si vides, eleganter Parasitus Planesium eludens patri ejus patrem suum, ejusdemque matri suam item materteram opponit. Sed nihil hujus, iterum dicam, affirmo: stabitque, aut cadet opinio nostra dubia certissimo judicio aliorum.



CA-

CAPUT VI.

Iterum personæ turbatæ digeruntur, aliaque simul corriguntur, explicantur.

IN eadem interiore scena nescio quid etiam aliud videre mihi videor, quod magnam illi venustatem afferat, si rescribatur ex mea sententia. Nam quo loco legis:

MI. Ego dicam. surge. hanc rem agite, atq; animum advortite.
Pater meus habuit Periphanes, Planesium.
Is priusquam moritur, mihi dedit tamquam suo,
Vt æquum fuerat, filio.

etsi non invenuste Planesium præ ceteris compellat miles, dum Phædromo simul, & Curculioni narrat, tamen id Plautum non puto voluisse: qui mihi quidem bis scripsisse Periphanis nomen videtur, quod a milite auditum inopinata mentione percussa & admirabunda Planesium repetat hoc modo:

Pater meus habuit Periphanes. PL. Periphanes?
MIL. Is priusquam moritur.

Quod tam profecto lepidum, ut istac iteratione tota scena collustretur. Rem cogita, quæ in gestu posita. Nominabat miles patrem suum Periphanem, qui idem Planesii pater: hinc hæc novitate rei excitata primum miratur secum Periphanem & illi parentem: mox, pergente illo, & interim filium se ejus appellante, magis commota mulier, *prò Juppiter* exclamat; denique non se, suumque gaudium tenens amplius, in affectum penitus effunditur, & repertum sibi fratrem gratulabunda consalutat. Et erit ne, qui non hanc restitutionem ambabus, quod dicitur, manibus acceptet? Error, si quis requirit, inde fluxit. Hæsitans librarius, cum iterari vocem unam omnibus literis videret, eam scribendam potius censuit, quæ notis erat designata. Sic ex *PL.* abjecto nomine altero, natum nobis *Planesium*. Sequitur ibidem alius in personarum vice error:

. . . . . MI. Cedo, ut inspiciam. PH. sanan' es,
Quæ isti committas? PL. sine modo.

Credesne, tantopere militi, quem tacite affinem sibi jam sperabat, diffisum Phædromum; ut annulum illi noluerit committi? Quin parasito potius ea verba tribuis, qui decore admodum, nec immerito timere inducatur, ne ut ipse prius militem, sic hic Planesium vicissim annulo circumducat. Etiam deinceps vix est, ut recte isthæc habeant, etsi non habeant nimis male.

. . . . . PH. Deos volo bene vortere
Istam rem vobis. CV. & ego nobis omnibus,
Tu ut hodie adveniens cœnam des sororiam:
Hic nuptialem cras dabit. PH. promittimus.
MI. Tace tu. CV. non taceo, quando res vortit bene.

Quanto enim concinnius personam hic quoq; alteram sustuleris, alteram mutaris?

Hic nuptialem cras dabit. promittin'?
PH. Tace tu.

quamquam militis relinquere sane potes: uti contra & Phædromi, si velis, in hujus convertere paullo post: *MI. Quid datis?* Sed horum nihil necesse. Illud autem, nisi fallor: ut in sequentibus militis verbis:

MI. Verum hercle dico, me lubente feceris.

scribas *dicit*. Consuadet enim Phædromo, de parasito dum vivat alendo. Et *verum* ibi est æquum. quasi dicat, is orat, nec immerito impetraverit, qui quidem nobis occasio fuerit hujus inter nos agnitionis. Atque hinc ad finem suspicor, ne quod vulgo sic absque ullo fere sensu:

PH. Spondesne miles mihi hanc uxorem? MI. spondeo.
CV. Et ego hoc idem unum spondeo. MI. lepide facis.

emendandum sit in hanc sententiam:

PH. Et ego huic cibum uno spondeo.

Respexerit enim ad superiorem perpetui cibi flagitationem Phædromus, cui verba correcta tribuimus: & illum miles, qui ante suaserat, nunc promittentem opportune collaudarit, *Lepide facis*. quod militis dictum parasito & ejus vulgatæ consponsioni

ſioni vix aliquo modo queat accommodari. Sed ante iſta, ut regrediamur, nec hæc perſonis rectè digeſta:

PH. Nunc eamus ad lenonem. MI. laudo. PH. hic prius volo
Meam rem agere.

Si conſideras enim attentius, quid cuique conveniat magis, ita cum ſuperioribus connectenda primum, deinde & ipſa diſponenda judicabis:

PH. Quamobrem iſtuc? MI. quia ille repromiſit mibi,
Si quiſquam banc liberali aſſerviſſet manu,
Sine controverſia omne argentum reddere.
PH. Laudo. MI. nunc eamus ad lenonem. PH. hic prius volo
Meam rem agere. MI. quid id eſt? PH. ut mibi banc deſpondeas.

CAPUT VII.

Hodie, Comica additio. Promiſtin'. Liberali, ſc. cauſſa. Tum. Pluſculæ notæ: quibus alia in verbis, alia in perſonarum ſitu, alia in ipſo verſuum ordine turbata, & turpata concinnantur ad locorum lucem, ac fabulæ nitorem.

UNa nobis hic ſcena ſupereſt, cui dabimus iſtud caput. Male inibi recentiſſimæ recenſionis optima editio:

. . . . . MI. heus tu, leno, te volo.
PH. Et ego te volo. CA. at ego vos volo ambos. MI. ſta ſis illico.

quod aliæ omnes rectè, *CA. at ego vos nolo ambos*. Nolebat enim leno, metuens quod futurum erat: atque ideo ſtare mox a milite jubetur. At quod ſequitur, nec illa, ſcribunt ſatis aptè:

. . . . . CA. quid mecum eſt tibi?
Aut tecum? aut? MI. quia ego ex te faciam pilum catapultarium.

Interpres explicat ſane, ut debuit: at idem cur non diſtinxit ad illam ipſam ſuam explicationem? Quomodo autem & alii, ſecuti eundem, tamen hoc non animadverterunt? Certe enim *aut* illud ſolitarium militi tribuendum eſt, qui per iracundiam abrumpens lenonis argutationem, repetit hanc ejus vocem: & quid, inquit, *aut* mihi oggeris, & diſputas quid rei nobis, & mihi præcipue tecum? ut ſcias, catapultarium ego te pilum faciam, niſi argentum mihi properas reddere. Scribes ergo:

. . . . . CA. quid mecum eſt tibi?
Aut tecum? MI. aut? quia ex te hodie faciam pilum catapultarium.

Sic enim etiam præterea veteres editiones, ejecto, *ego*, *hodie* inſerunt, quod Comice additur, & abundat in ornatum, uti ſtatim quoque, (b) *Delicatum te hodie faciam*. Inferius hac fabula:

Cui homini hodie peculi nummus non eſt plumbeus.

Terent. Phorm.

An quicquam hodie eſt factum indignius?

Deinceps fortaſſis illud de lenonia lingua rectè:

Dicen-

(b) *PH. Delicatum te hodie faciam cum Catello, ut accubes.*
De hoc joco videtur Torrentius male ſollicitus. *Homines delicati inquit, habent catulos, quales ſunt Melitæi, quos ſecum cubare faciunt, non autem ferreos. At Catulus genus quoddam vinculi*, Feſto teſte, *quod interdum Canis appellatur*. In ambiguo autem jocus eſt. Sicut enim miles *ex te faciam* inquit, *pilum catapultarium* (catapultæ autem brachia nervo coercebantur) nervum alludens, quo debitores devinciebantur, & ſervi cædebantur, ita adoleſcens hic Phædromus ſe facturum ait, ut leno cum catello accubet, id genus vinculi intelligens, in quod ſervi conjiciebantur.

Dicendi, non rem perdendi hæc gratia nata est mihi.
tamen in suspicionem leviter inclinabam: *Ditandi rem, non perdendi.* cujus simile Budente:

Jusjurandum rei servandæ, non perdendæ, conditum est.

Huic hæret versus:

MIL. Nihil agit: collum obstringe homini. PH. jam jam factum, ut jusseris.

cujus alteram partem quo jure Phædromo assignant? Lenoni debetur, qui minas perterrefactus supplex nunc quodammodo fit, & facturum omnia pollicetur, quæ jubeatur. Nec errorem hunc antiquiores libri errant, qui sic liquido Cappadocem his prænguent:

..... *CA. jam jam faciam, ut jusseris.* Statim:
MIL. Promisistin', si liberali quisquam hanc asseruisset manu,
Te omne argentum redditurum?

Versus gratia scribe *Promistin'*. Omittit autem solens vocem (c) *caussa*, quæ *libera* jungatur, ne hanc putes referendam ad *manu*. Superiore proxima scena:

Si quisquam hanc liberali asseruisset manu.

Deinceps manifestam transpositionem video versus unius inter istos:

MIL. Tu autem in nervo jam jacebis, nisi mi argentum redditur.
CA. Hercle istam rem judicasti perfidiosè Phædrome.
Et tibi oberit, & te, miles, dii, deæq; perduint.
Tu me sequere.

Horum secundus sequi omnino debet eum, qui primum antecedit, ut statim post sententiam a Phædromo pronuntiatam, perfidiæ eum arguat, & refutet leno. Qui ordo flagitatus ab ipsa sententia, interjectu primi hujus versus impeditur. Id ut ne fit amplius, traducendus ille, ponendusque ante eum, cujus extremi partem hic aliquam adscripsimus, variata simul, & aptata personarum collocatione. Totus locus ita restituetur:

Nunc adeo, ut tu scire possis leno meam sententiam:
Libera hæc est, hic hujus frater est, hæc autem illius soror:
Hæc mihi nubet, tu huic argentum redde. hoc judicium meum est.
CA. Hercle istam rem judicasti perfidiosè Phædrome.
Et tibi oberit: & te, miles, dii, deæq; perduint.
MIL. Tu autem in nervo jam jacebis, nisi mi argentum redditur.
CA. Tum me sequere. MI. quò sequar ergo te? CA. ad trapezitam meum,
Ad prætorem.

In quibus videas alia quoque levicula duo pariter emendata: *tum*, pro *tu*: *ergo*, pro *ego*: quorum tamen hoc non æquè, ut alterum necessarium. Imprecationem lenonis eludit miles, & tibi quidem malum in mundo jam est, inquit, ut in nervo jaceas, nisi statim nummos reddis. quibus minis velut fractus ille sequi igitur eum jubet ad suum trapezitam. *Tum* enim esse, igitur, nemo fuerit monendus. Exodium verò & scenæ, & fabulæ hujus etiam ipsum turbat in personis, ut hodie vulgo disponuntur:

..... *MI. quid tum? rogitas? hisce ego, si tu me irritaveris,*
Placidum sed hodie reddam. CA. age ergo, recipe actutum. PH. licet.
Tu miles apud me cœnabis, hodie fient nuptiæ.
MI. Quæ res bene vertat mihi & vobis. spectatores plaudite.

 Ve-


(c) Lege de *Adsertionibus* cautum, ne liberi pro servis haberentur, nec servi pro liberis. Formula autem erat ejusmodi: *Hunc liberali caussa manu adsero*; quem enim liberali caussa h. e. quod liber esset, in libertatem quis vindicabat, *adserebat*, id est admovebat, aut se prope constituebat: unde *adsertores* vindices alienæ libertatis dicuntur Terent. Adel. 2. 5. v. 39.
...... *neque vendendam censeo*
Quæ libera est: nam ego liberali illam adsero caussa manu.
Atque expressa voce *caussa* Noster etiam Pœn. 4. 2. 83.
Omnia memoras: quo id facilius fiat, manu eas adseras
Suas populares liberali caussa.

Verùm antiquæ editiones diligentius obſervarunt, & fideliter nobis aſſervarunt poſitum germanum. Eæ *licet* tribuunt militi; cujus eſt hæc planè vox, qua reſpondet Cappadoci argentum offerenti. Nam inter eos pecuniarium negotium, & ad militem directa ut reliqua, ſic & iſta lenonis verba: *age ergo, recipe actutum*. Ad hunc igitur modum ex antiquis corrigatur:

. . . . . *MI. licet.*

PH. Tu miles apud me cœnabis.

Atque hic in Comœdiæ fine finem etiam nos diſputationum ad eam noſtrarum facimus.



VALENTIS ACIDALII
IN PLAUTI CASINAM
DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES
AD
NOBILISSIMUM, ET EXCELLENTISSIMUM VIRUM
HIERONYMUM
MERCURIALEM
Medicum, Philosophum, & Philologum praeclarissimum.

CAPUT I.

Plautus, latrans nomen ex sententia Dousiana. Postidea. Autem. Ratione uti. Ad Casinae Prologum explicationes, & emendationes aliquot; una etiam in Apulejum.

AD Casinam ex ordine devenimus, non ipsam, sed Plauti cum (*d*) latranti nomine. Sic enim jungenda primum haec Prologi verba:

. . . . . . Diphilus
Hanc Graece scripsit, post id rursum denuo
Latine Plautus cum latranti nomine.

Deinde si me deceat arbitrum agere diversissimarum opinionum, quas viri docti plures ad hunc locum attulerunt, non accipienda prorsus aliter putem, quam V. N. Dousa Centurionatu suo disertissime explicavit: post quem miror alios vel hiscere, aliud ausos, & mirabor, si qui post audebunt. De cetero, vix est, ut ipsa ea verba recte vulgo sic, ut exhibuimus, legantur: quando in Edd. Vett. aliquanto diversa scriptura reperitur:

. . . . . Diphilus hanc
Graece scripsit: post id, eam rursus denuo.

Et profecto nihil hinc proclivius, atque etiam verius, quam *postidea* Plautinum adverbium concinnare, provocabulo *hanc* vel abjecto, vel in finem praecedentis versus rejecto, ut quidem in antiquis ipsis fieri videmus. In eodem autem Prologo, quem Plauti non esse satis constat, sed talem mehercule, cujus nec pudere ipsum possit, levia sunt praeter hoc alia, quae notemus. Sub initium, post scitam illam comparationem vini veteris & veterum fabularum, additur:

Antiqua opera, & verba cum vobis placent,

Aequum

(d) Non displicet Salmasiana interpretatio *latrans nomen* esse Casinam ipsam h.c. Scortillum. Ubi notandum cum viro eruditissimo solitos fuisse Graecos convincium hoc in mulieres conjicere, ut videre est apud Graecos scriptores. Consule Aristophanem: *Vespis*: ejusque Schaliasten: Ebrias etiam feminas *Canes* vocavere.

Æquum placere est ante veteres fabulas.

Quorum versuum priore numeris levi traductione consulas, *Antiqua verba, & opera*: altero deinceps *autem* legere malim pro *ante*. Quamquam enim hoc interpretari non inepte potes, quasi sit prius, magis, potius, illud tamen elegantiæ nescio quid majoris spirat, & sapidiorem gustum habet Plautinæ cujusdam usurpationis: quæ quum alibi frequens, tum Aululariæ itidem Prologo eadem:

Ille illum nescit, neq; compressam autem pater.

Mostellar. *Vebit hic clitellas, vebit hic autem alter senex.*

Lucret. lib. 6.

Nec sunt multa parum tactu vitanda, neq; autem
Aspectu fugienda, saporeque tristia quæ sint.

Apulejus ad finem Floridor. primi: *Patior & ipse in meis studiis aliquam pro meo captu similitudinem. Nam quodcunque ad vos protuli, exceptum ilico, & lectum est: nec revocare illud, nec autem mutare, nec emendare mihi inde quicquam licet.* Recte enim sic eruditissimus Colujus, cum pariter mutatum esset *ante*. Sed facile fuit ibi reponere: quia ibidem præcesserat: *Proconsulis autem tabella sententia est: quæ semel lecta, neque augeri litera una, neque autem minui potest: sed utcunq; recitatum est, ita provinciæ instrumento refertur*. Ex quibus ipsis & loci totius sententia clarum est, emendandum priore etiam loco *exceptum*, pro *excerptum*. quod cum ultro conjecissem olim, vidi postea & in Aldino codice liquido exstare, quem sequi debuerat idem, quem dixi, editor, non modo non hic plane præterire. Ceterum *autem* sic fere & hoc ipso Casinæ prologo iterum positum:

Ratione utuntur: ludis poscunt neminem,
Secundum ludos reddunt autem nemini.

Ubi *ratione utuntur*, meo animo, non melius interpreteris, quàm Italorum lingua, *banno ragione*. Nam & ad verbum respondet, & prorsus quod hac phrasi illi dicunt, dictum voluisse auctorem, quisquis hic est, censeo. ut frustra se torserint Bosius & Lambinus in tam variis & monstrosis glossematis confingendis. Porro bene scribitur illud:

(e) *Id ni fit mecum pignus, si quis volt, dato*
In urnam mulsi.

nec pejus in veteri quodam, *Id ni sit*. Clausula verò hujus Prologi:

Tantum est. valete, bene rem gerite, & vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac.

tota non adumbrata leviter, sed expressa penitus & translata est ex Cistellaria:

Hæc res sic gesta est. bene valete, & vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac.

CAPUT II.

Personæ errantes in prima scena justo ordine disponuntur: & sententia laborantium locorum exponuntur.

Quæ in fine scenæ primæ sub personis Chalini & Olimpionis concepta leguntur, vereor ut concepta recte sub suis quæq; personis legantur:

CHA. Nunc, ne tu te mihi respondere postules,
Abeo intro: tædet sermonis tui. OL. te sequor.
Hic quidem pol certo nihil ages sine me arbitro.

Nam priora quæ Chalino tribuuntur, sententia suadet, ut Olympioni dentur, qui cum superioribus ea continuet hoc exemplo: Quum

(e) Genus hoc loquendi recte intelligi posse, exempla si proferantur, quod existimat Gronovius, locum producit Bacc. 4. 9. 132.
Edepol qui me esse dicat cruciatu malo
Dignum, ne ego cum illo pignus haud ausim dare.
Epid. 5. 2. 34. *EP. ajo: vel da pignus, ni ea sit filia.*
Ibid. v. 35.
..... *EP. ni ergo matris filia est,*
In meum nummum, in tuum talentum pignus da.

Quum mibi hæc dicentur dicta, tum tu furcifer,
Quasi mus, in medio parietis versabere:
Nunc ne tu te mibi respondere postules,
Abeo intrò: tædet sermonis tui.

Præter sententiam universim, etiam verba singulatim hoc volunt. Etenim *Nunc* omnino præcedentibus adhæret, transitiva particula, vel magis præcidens. Deinde *postules*, quod non intellectum bardis exscriptoribus, caussa mutationis hujus ipsa fuit; illud inquam *postules* non aliter interpreteris commodè, nisi in Olympionis persona. Sensus enim & hujus, & totius loci germanus iste. Quum enumerasset Olympio, quæ cum molestia & cruce sua auditurus in fenestra Chalinus esset, ne ille respondere ad singula prolixa odiosaque sibi oratione pararet, abit intro, atque ait: Hæc evenient tibi, quæ dixi: jam ne responsionem coneris, aut horum occipias refutationem, abeo: non possum auscultare sermoni tuo. Quod cum ita sit, reliqua jam Chalino vicissim adscribenda, quæ erant antea Olympionis.

. . . . . . CH. te sequor.
Hic quidem pol certò nibil ages si e me arbitro.

Sed, inquiet aliquis, huic personarum mutuæ trajectioni scenæ ejusdem priora omnia reclamant, initium ipsum maximè, unde liquet, ab Olympione observari Chalinum, quem contra nos sectatorem & veluti custodem facimus Olympionis. Video hoc, & scio: sed quando demonstravi, necessario cohærere, quæ junctim Olympioni nunc assignavimus, sequitur, *non*; quæ supersunt, in fine mutanda saltem, ut proxima proximis respondeant: sed ut pariter etiam alia congruant, omnia refingenda, quæ præcedunt, illi sententiæ contraria. Ex fine inquam corrigendum initium: & huc ibam, cum extrema scenæ vitii arguerem, ut inde porro etiam prima. Jam illis constitutis, hæc ad eandem rationem conformanda: quæ dico mutatis invicem personis ita ordine scribenda.

OL. Non mibi licere meam rem me solum, ut volo,
Loqui, atque cogitare, sine ted arbitro?
Quid tu (malum) me sequere? CH. quia certum est mibi,
Quasi umbra, quoquò ibis, te persequi.
Quin edepol etiam si in crucem vis pergere,
Sequi decretum est te: binc conjicio ceterum,
Possisne, nec ne, clam me sutelis tuis
Præripere Casinam uxorem, perinde ut postulas.
OL. Quid tibi negotii mecum est? CH. quid ais impudens?
Quid in urbe reptas villice bic magni pretii? (f)
OL. Licet. CH. quin ruri es in præfectura tua?

Sectatur omnino Chalinus Olympionem, quod & ordo nunc iste vult, & alioqui verisimile est magis. Nam cum in urbem villicus advenisset, conditionem Casinæ ambiturus, alter sibi repulsæ metuens ubique eum observat assiduus comes aut assecla, ne quid ejus rei secreto possit attentare. Certum hoc est, & perspicuæ veritatis: quamquam non dissimulabo, speciem aliquam defensionis pro vulgata lectione peti ex antiquis sanè quibusdam editionibus posse, quæ ad finem non legunt *te mibi*, sed *me tibi*: ut inde Chalini respondentis hæc esse verba, & retinenda cum vulgari ubiq; distinctione personarum videantur:

CHA. Nunc ne tu me tibi respondere postules,

(f) Miror Nostrum Lambinianam lectionem fecisse nauci, quæ & Chalini indignationi perbelle convenit, & sequentibus apprime respondet. Primum enim indignatur, quod villicus Olympio quum sit, in urbe restet, nec legatum sibi negotium curet; rebus enim rusticis præpositus ruri in præfectura sua esse debet, deinde quod non modo villicus, sed & haud magni pretii sit, quem propterea minime deceat in urbe cunctari. Videtur itaque sic recte emendare Lambinus:

Quid in urbe restas villice haud magni pretî?

Probatur tamen & *reptas*, quod sequentibus haud inconcinne componi potest.

CH. Quin ruri es in præfectura tua?
Quin potius, quod legatum est tibi negotium
Id curas, atque urbanis rebus te abstines?
Abi rus, abi directus tuam in provinciam.

Abeo intrò: tædet sermonis tui. OL. te sequor.

Sed nemo tam, opinor, erit infirmi animi, aut judicii, qui permoveri tantillùm vano se hoc ictu patiatur, neque constanter censeat nobiscum, ad illum quem ostendimus modum & hæc & reliqua refingenda. Quod si quis tamen erit; at pro me firmiter universa loci sententia stat, & in extremo illa præcipuè verba, *Nunc*, & *postules*: quæ Chalino ut conveniant, nunquam a quoquam ullis machinis efficietur. Latinè, ac Plautinè qui sciunt, solos mihi judices deposco: alios & hic deprecor, & abominor ubique. Ceterum eadem scenà personis laboratur etiam isto loco:

CH. Ex sterquilinio effossi, tua illæc præda sit?
OL. Scies hoc ita esse. CH. væ tibi. OL. quot te modis,
Si vivo, habeo in nuptiis miserum meis?

Abundat, meâ sententiaâ, & temere Chalino tribuitur hoc, *væ tibi*, quod Olympioni verius quadrat, ut continuè sic ista pronuntiet:

OL. Scies hoc ita esse. væ tibi! quot te modis &c.

Atque de hoc dubitare ne is quidem poterit, qui nihil habere soleat certum.

CAPUT III.

Præsepe, stabulum flagitii. Nihil, omnia cum illo mihi sunt. Quædam in verbis, alia in personis emendata: tum versus trajectio insignis ostensa: hæc restituta, & reliqua omnia explicata.

SCenâ, quæ primam statim sequitur:

PAR. Prandium jusserat senex sibi parari.
CL. St, tace, atq; abi. neq; paro, neq; hodie coquetur.

suboffendit me silentii nota, qua nihil sane opus. Quis enim metus hic, aut trepidatio? *Sta* referunt veteres libri: quod suspicor vel relictum ex integro nomine *Cleostratæ*, vel certe decurtatum ex *Scelesta*: qua voce irascatur ancillæ, & eam increpet hera, quod prandii, & senis meminisset. Ibidem habes:

. . . . . Faciam uti, proinde ut est dignus,
Vitam colat, Acheruntis pabulum, flagitii (g)
Persequentem, stabulum nequitiæ.

Hic non concoquo vocabulum *Persequentem*, neque magis, quod alibi scribitur, *Persequens*: unde tamen opinabili divinatione faciebam *Præsepe*. Non inficete: ut quum stabulum & pabulum nominat, præsepe nominet etiam, quod his affine. Et præsepe flagitii quidni dicat eadem ratione, qua flagitii, aut nequitiæ stabulum? Hoc quidem sæpe, & Truculento, cujus unum exemplum habeo in numerato:

Tune ais impudentem me esse, quæ sis stabulum flagitii?

Deinceps statim: *. . . . . . . Nunc hinc*
Meas fortunas eo questum ad vicinas,

unitatis numero verius scribes, *vicinam*. Et statim:

Sed foris increpuit. atq; ea ipsa eccam egreditur
Foras. non pol per tempus iter incepi.

dubito, an non aptius, *egreditur*, *Foràs nunc. pol per temp. it. incepi*: sententiâ contraria, sed quæ mihi verisimilior videatur, etsi ambigua ejus sanè ratio, quæ possit utrinque stare. Quia enim egreditur Myrrhina commodùm, opportune videri Cleostrata potest iter incepisse, quæ conventam illam cupiebat. At si domi eam suæ

(g) *Acherontis pabulum*, & quæ sequuntur non videtur Dissaldæo necesse esse, ut ab Acidalio, & Lambino *ad ulciscar*, *& angam* referantur. *Nihil enim*, inquit, *opus est*, *quod domi habeas*, *id aliunde emendicare*. *Latinum*, *& Plautinum est faciam Acheruntis pabulum &c.* Esto: latinum est, sed non convenit cum Cleostratæ sententia, quæ non facit virum flagitii persequentem, stabulum nequitiæ, Acheruntis pabulum, sed jam esse putat, quod & sibi, & filio adversatur amoris sui caussa. Vult illa propterea maritum Acheruntis pabulum, flagitii præsepe, (quod legit Noster) stabulum Nequitiæ ulcisci, & angere, ut par est, & quavis ratione eum male habendo exercere.

ſuæ voluit convenire, ut otiosè ibi ſimul garrirent; jam rurſus haud per tempus eſt profecta. Quæ poſterior opinio tamen levior, & nullo nixa argumento: prior & a ſe ſolidior eſt, & ſequenti ſcena confirmatur. In qua primum hoc noto, non mutandam cum viro docto lectionem iſtorum:

Nam vicinam neminem amo meritò magis, quàm te:
Nec qua cum plura ſint mibi, quæ ego velim.

Venuſtum dicendi genus eſt, Multa vel omnia mihi cum illo ſunt: cui vulgatius hoc reſpondet, Nihil eſt mihi cum illo. Cicero ad Famil. lib. 13. *Cum Patrone Epicureo mibi omnia ſunt: niſi quòd in Philoſophia vehementer ab eo diſſentio*: unde ſpurciſſimum gloſſema, vocem *communia* rectè pridem expulerunt. Idem ad Attic. lib. 12. *Mibi ante Ædilitatem meam nibil erat cum Cornificio*. Deinde nec Gulielmium noſtrum audio, qui in illis:

CL. Vir me habet peſſimis deſpicatam modis,
Nec mibi jus meum obtinendi copia eſt.

mutat *optio eſt*. Errant libri, quicunque ſic hoc loco ſcribunt: neque convenit nominis ſignificatio rei, quam Cleoſtrata dicit. At vero ille ipſe verſus in quo hoc mutat, loco ſuo motus eſt, qui legitimus ei fuit a paucis verſibus, ac poſt illum plane, qui hic idem ſcriptus, illic iteratur:

Vir me babet peſſimis deſpicatam modis.

Seriem vide ſermonis, & pedibus huc mecum ibis. Petit Murrhina, & jubet Cleoſtratam dicere, quid ægre ſibi ſit. reſpondet illa hoc, a viro ſe deſpici & contemni. quod quum altera non acciperet ſatis, clarius & planius exprimi vult hanc querelam. Ibi igitur Cleoſtrata, prioribus repertitis, addit porrò, non eſſe copiam ſibi obtinendi ſui juris. Hæc neceſſario ſic ordinanda. Quod ſi non; minus Cleoſtrata dicit, plus juſſa dicere, quam prius: nec rem clarius explicat, ſed eloquitur obſcurius. Id quam ineptum, omnes vident. Sed aliud etiam eſt majus trajectionis argumentum. Murrhinæ verba:

Mira ſunt, vera ſi prædicas. nam viri
Jus ſuum ad mulieres obtinere baud queunt;

manifeſtiſſime demonſtrant, hic illa Cleoſtratæ præceſſiſſe:

Nec mibi jus meum obtinendi copia eſt.

Poteram & alia dicere: ſed quid morer in re clara? Sic locum integrum ex hac emendatione noſtra reſcribendum poſthac curabunt:

MV. Amo te, atq; iſtuc expeto ſcire, quod ſit.
CL. Vir me habet peſſimis deſpicatam modis.
MV. Hem quid eſt? dic idem boc: nam pol baud ſatis meo
Corde accepi querelas tuas, obſecro.
CL. Vir me babet peſſimis deſpicatam modis,
Nec mibi jus meum obtinendi copia eſt.
MV. Mira ſunt, vera ſi prædicas. nam viri
Jus ſuum ad mulieres obtinere baud queunt.
CL. Quin mibi ancillulam. &c.

Sed & quæ nunc ſequuntur, ut adſcribam amplius, ipſa requirunt, medicinæ etiam noſtræ indiga.

CL. Quin mibi ancillulam ingratis poſtulat, quæ mea eſt,
Quæ meo educata ſumtu eſt, villico ſuo dare.
Sed ipſus eam amat. MV. obſecro tace. nam bîc nunc
Licet dicere. nos ſumus. CL. ita eſt. MV. Unde ea tibi eſt?
Nam peculi probam nibil babere addecet
Clam viro.

Nam offuſcant ſententiam germanam perſonæ non leviter confuſæ. Eas ſic digero:

Sed ipſus eam amat. MV. obſecro tace. CL. nam bîc nunc
Licet dicere. nos ſumus. MV. ita eſt, unde ea tibi eſt?

Et illa jam ſatis eluceſcit. Incuſabat ancillariis amoris virum Cleoſtrata: turbata Murrhina jubet tacere hoc velut in publico. Atqui nemo, inquit illa, præter nos hic eſt: ſolæ ſumus: nemine audiente quidvis dicere licet. Simile Ciſtellaria:

. . . . . *LE. Amabo, biccinne iſtuc decet?*
CT. Jus faſq; eſt. nemo alienus bîc eſt.

Quæ reliqua in hanc ſcenam erant, alii diligenter ſatis excuſſerunt: etſi non omnibus omnia prorſus aſſentimur.

CA-

CAPUT IV.

Sortitus. Emfim. Affulas elt. In aliquot scenas pluscula leves cum insigniore una divinationes.

QUod scenâ, *Omnibus rebus*, notavimus, leve est, & hic enotari vix dignum. Tamen quod inibi legitur:

Namque ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo:

non pejus antiquior liber, & magis ad sententiam forte, refert, *quidvis*, pro *cuivis*. Item inferius:

. . . . . CL. Ubi in lustra jacuisti?
ST. Egone in lustra? CL. scio plus, quam tu me arbitrare. ST. quid id est? Quid tu scis?

Vetusti plerique minima mutatione. *ST. quid est Quod tu scis?* quod magis amplector: etiamque *lustro* malim pro *lustra* utrobique. Nec in hanc plura: & in sequentem æque levia, æque pauca. Ibi quod scribitur:

CH. Quod velis modo, id velim me scire. ST. ausculta, ego loquar

mutetur, *ausculta ergo: loquar*. Et ad finem:

Si non impetravit, etiam specula in sorti restat mihi.

Variant eusi & scripti: jamque notum quid ex Langianis confecerit Gulielmius noster, a quò leviter abeo, scripturæ tamen ejusdem vestigiis insidens. Nam ut Langiani MSS. sic vett. etiam editiones: *specula etiam insortita sunt mihi*. Hinc vereor ne legendum potius,

Si non impetravit, specula etiam in sortitu est mihi.

Sortitus, ipse sortiendi actus: qua voce Tullius etiam usus, pro Domo sua: *Quid si etiam pluribus de rebus uno sortitu retulisti?* Sequitur alia scena, cujus ipsum hoc initium non satis sanum:

OL. Una edepol opera in furnum calidum condito;
Atq; ibi torretò me pro pane rubido, hera,
Quam istam operam a me impetres, quod postulas.

Neq; verba tamen culpo, sed versum ultimum: qui ut constet, scribe: *Quàm istane operam a med impetres.*

Statim etiam:

OL. Quid tu me verò libertate territas?
Quid si tu nolis, filiusque etiam tuus &c.

lege, *Quin si tu nolis*, vel certè *Qui si*. Pluribus interiectis:

Sed tandem si tu Juppiter sis emortuus:

sententia respuit illud *sed*: igitur facio *Et*. tum deinde vel *mortuus*, abjecto *e*, vel translato, *sies mortuus*: ne versus claudicet. Propius finem verbum est, quod varie ubique, nusquam dum recte scribitur, illo versu:

OL. Nos ego istud verbum emissim titivilitio. (h)

quem ipsum versum dixerim de illo ipso verbo *emissim*, & reliquis omnibus ejus geminis. Quid fluctuant docti viri? *Emsim* omnino scribendum, quod unum antiquo vero flexu est emerim. Et hac forma Epidico *ademsit*, ademerit?

ST. Uno persuadebit modo, si illam, quæ adducta est mecum
Mihi ademsit Orcus.

Cave

(h) Vox nullius momenti (mirum quantum!) Philologos alioquin nobiles contorquet. Alii enim vilissima filorum segmina esse putant, quæ de tela cadunt; alii vero *totivillitium* scribendum esse contendunt, quasi *totum vile*: villus, ut sentiunt alii, ad lanæ floccos refertur, unde *villitium*, ut a *capillo capillitium*, *lanitium a lana*. hincque Titivillitium factum est; & ex *villitio* *Titivillitium* quasi proverbialis vox, quod Titus quidam Pastor e male habitis ovibus, vel capris vilissimæ notæ villum recideret, atque hinc in vicinia *vilitium* factum, tritumque sermone proverbium *Titi villitium*. Corrigendus itaque hic Cornuti locus in Sat., ubi pessime scribitur; *Titivilles Flacce do tibi*, ita *Titi villos, Flacce do tibi*.

Cave enim aliter illic interpreteris: & mirum, vel inde non hic correctum. Sed satin' etiam hæc in istam scenam levia? Sanè verendum mihi, ne totum hoc caput fastidiosior aliquis sic *uno difflet spiritu*, *Quasi ventus folia*, *aut panniculum* (i) *tectorium*, nisi gravius aliquid addam. Quod opportunè se offert ex principio scenæ proximè sequentis, ibi legis:

CL. Face Chalinæ me certiorem, quid meus vir me velit.
CH. Illum edepol videre ardentem te extra portam (l) *Metiam*,
Credo ecastor velle. CL. at pol ego haud credo, sed certò scio.

Sic enim editio Dousica, cujus hic ubique lectiones laudo: Ante eam omnes, *Ille edepol*. Latet aliquid nemini adhuc visum. Detegam ego, qui simile antea ad Asinariam. Ecce enim iterum *ecastor* femininum juramentum tribuitur mari. Tum bina simul uni dantur, *edepol*, & *ecastor*. Vel inde poterant de vitio suspicari. Nos personas variamus, & verè sic rescribimus:

CL. Face Chalinæ me certiorem, quid meus vir me velit.
CH. Ille edepol videre ardentem te extra portam Metiam.
CL. Credo ecastor velle. CH. at pol ego haud credo, sed certò scio.

ἐπίταϲιϲ est in responsione servi: cui cum assentiretur hera, & se credere diceret, ille amplius non credere se tantum, sed scire. Unde senex in hunc jocatur,

Plus artificum est mi, quàm rebar: ariolum hunc habeo domi.

In hunc inquam, servum, non uxorem: & in hanc proximam servi affirmationem, non priorem illam; ad quam Lambinus ineptè trahit. Ejus autem responsum prius attollere magis etiam possis, si interrogatione vocem primam efferas: *CH. Ille? edepol videre ardentem*. quod mirifice placere mihi testor. Non longe ab hoc initio:

CH. Tibi quidem edepol ita videtur, stimulus ego nunc sum tibi,
Eo quod corculum assudassit jam ex metu. ST. mastigia.

Glacie frigidior & fragilior interpretatio est Lambini in verbo *assudassit*, quod per antiphrasin positum vult, pro conglaciarit, & in ea tamen assudasse videtur haud parum. Etiam alii se torserunt ibidem, quorum qui optime, sic scribit, *Eoque corculum assudascit*: neque dum tamen vel hic optime, nisi prorsus ego fallor. Sed nec

(i) Panniculum vestem tenuem dici, & pellucidam satis ostendunt Juven. versus sat. VI. v. 26.
Hæ sunt, quæ tenui sudant in chlamyde; quarum
Delicias & panniculus bombycinus urit.
quod nemo latinis litteris vel mediocriter instructus ignorat. *De panniculariæ caussa*, potius, quod subobscurius fortasse est, addemus aliqua ex rescripto Adriani lib. 6. ff. de bonis damnat. *Panniculariæ caussa quemadmodum intelligi debeat, ex ipso nomine apparet. Non enim bona damnatorum pannicularia significari quis probè dixerit: nec si zonam circa se habuerit, protinus aliquis sibi vindicare debebit, sed vestem, qua is fuerit indutus, aut nummulos in ventralem, quos victus sui causa in promtu habuerit, aut leves annulos, id est, quæ rem non excedunt aureorum quinque. Alioqnin si quis damnatus digito habuerit aut sardonycha, aut aliam gemmam magni pretii, vel si quod chirographum magnæ pecuniæ in sinu habuerit, nullo jure illud in panniculariæ ratione retinebitur. Pannicularia sunt ea, quæ in custodiam receptus secum attulit spolia, quibus indutus est, cum ad supplicium ducitur, ut ipsa appellatio ostendit.*

(l) Portam Metiam antiquissimo nomine dictam fuisse Esquilinam inde conjiciunt Philologi, quod convenit in hanc Metiam Plauti, quod scripsit Horatius de Esquilina, quod & Plauto & Horatio assentiri videtur Tacitus Ann. 2. 32. 5. qui *sumtum* tradit *more prisco extra portam Esquilinam de nocentibus supplicium.* Horat. Epod. 5. 99.
Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites.
Sed extra portam Metiam affirmat Chalinus, ut puto, videre velle ardentem Cleostratam virum ejus, ut loco ipso, ubi viliores condebantur, majorem contemtum significet, ac vehementius animum uxoris ad iram contorqueat. Neque enim Cleostrata tam inops erat; & extra alias portas mortuorum cadavera exurebantur magis, quam extra hanc, ubi illa tantum abjiciebantur in puticulas, quæ loca erant publica pauperum, & vilium mancipiorum funeribus destinata.

ego forsan melius, qui olim faciebam, *Eoq; corculum assultat sic jam ex metu*. Etenim saltum in metu sæpe cordi tribuit noster. Captivis:

Quin quiescis: i dierectum cor meum, ac suspende te,
Tu sussultas, ego miser vix asto præ formidine,

Et hac ipsa fabula, imo eadem scena post:

Perii! cor lienosum opinor habeo: jam dudum salit.

qui versus ambiguæ adhuc lectionis, etsi Lambinus omnino quidem *lienosum* accepter, aliis exclusis. Verùm nec hoc ego probare possum, non magis hercle, quàm vel Junii *tineosum*, vel antiquiorum codicum *ludiosum*: quorum hoc tamen ad sententiæ veritatem propius accedit: Nam hoc plane vult dicere, histrionium se cor habere: quod, ut alibi loquitur, artem ludicram faciat, saltando scilicet, ut hic quoque, unde abiimus modo. Sed ibi lectio nunc alia in mentem venit, fors fuat an non deterior priore. Servato *eoque*, ex *assudassit* vel *assuuascit*, *assulascit* videtur opportune fieri posse. Certè vehementer illi favet, quod de stimulo præcedit, quasi recalcitret cor, & assulas faciat stimulo adverso. Tamen hoc quoque lubricum: & in medio relinquo plane vulgatam scripturam, unde pro suo sibi quisque captu aliam exculpat.

CAPUT V.

Sortes diribere. Euge, catè! Ominis vituperatio. Præter emendationes alias multæ in personis turbæ compositæ, & sententiæ locorum singulorum explicatæ. In Asinariam conjectura extra ordinem.

Est ibidem nullo intervallo:

OL. Tace Chaline. CH. comprime istum. OL. imo istunc, qui didicit dare.

In quo, meà sententià, personæ turbant. Cur enim Chalinus Olympionem comprimi velit, qui verbum fecerat adhuc nullum? Commutandæ videntur, ut Olympio contra jubeat illum:

OL. comprime istum. CH. imo istum.

Meritò: quippe qui seni erat oblocutus, *Tibi quidem edepol ita videtur, &c.* Nisi hæc ad Olympionem quis dicta velit: & non seni, sed villico ista tribuat: *te uno adest plus, quam ego volo*: cui nullo modo possim assentire. Nam ad senem directum Chalini dicterium fuisse, satis probat ejus increpatio, *mastigia*. Sunt igitur & senis illa, quibus gravem sibi præsentiam Chalini queritur. Igitur nec Olympio quidquam in scena dum prolocutus est. Igitur denique mutandæ personæ, ut ostendi. Porro ad sortes ubi devenitur, occultum est mendum in illo versu:

ST. Tum igitur ego sortes utrinq; jam mittam. CL. quis vetat?

quem sic exponunt, quasi senex ipse pro utroque servorum in situlam sortes immissurus sit, id quod aperte falsum. Nec enim sortes dum conjiciuntur, neque sane post a sene, sed ab ipsis pro se quoque. Et id jubentur ab eo versibus aliquam multis interiectis ibi demum:

ST. Euge cave, conjicite sortis nunc jam ambo huc.

Accedit, quod in libris suis & Lambinus & Camerarius nullum vestigium exstitisse verbi *mittam* profitentur: quod palam sententia repudiat, ut monstravi. Quid ergo? Vetustæ editiones, ad quas confugio semper in manuscriptorum inopia, nec ipsæ *mittam* habent, sed ejus vice *panam*. Inde faciebam aliquando:

ST. Tum igitur ego sortes utrique jam do. CL. nam quis te vetat?

vel in eandem mentem, *utrique jam danam*, id est dabo. Mens enim hæc ista prorsus, ut distribuere se velle sortes utrique dicat senex: ac non abnuente uxore, distribuit ille quidem statim, sed nec illud apparet ex vulgata lectione: cui antequam medicinam aliam quæramus, huic proposito loco suam integram faciamus. Nam vereor, ut emendatione, quam posui, satis adhuc illi fecerimus. Latet absque dubio verbum occultius aliquod: ac mirum, nisi *diribam* fuit, quo proprio antiquis in distributione verbo simul respexerit ad tabellarum in comitiis & aliàs diribitionem. Sed ambigua, levisque conjectura tantùm hæc est, quam afferre ut probabilem licuit,

cuit, affirmare tanquam certam non licet. Jam distributionem ipsam videamus, quæ in obscuro delitescit, ac sub tenebris vitiatarum personarum:

CH. tene sortem, tene,
Vide quid scriptum est. OL. unum. CH. iniquum est, quia isti priusquam mihi est.

Quod per me videram, antiqui etiam libri arguunt, Stalinoni adscribenda, quæ nunc Chalino. Hujus illi personam omittunt, recte; quos & in aliis minutioribus audio, ac scribo totum locum:

ST. Optimum atq; æquissimum istud esse jure judico:
Postremò, si illud quod volumus eveniet, gaudebimus:
Sin secus, patiemur æquis animis. Tene sortem tibi:
Vide quid scriptum est. CH. enim iniquum est, quia isti priusquam mihi est.
ST. Accipe hanc sis. CH. cedo.

Dat primò senex Olympioni suo: hoc Chalinus altero versu indignabundus stomachatur. *Unum* erat, quod inepte referri videbatur ad numerum sorti inscriptum: inde *enim* factum. Plerumque hæc vice inter se mutuà vertunt: ac Asinariâ, ubi *enim*, contra fortassis *unum* reponendum. Scena, *Perfidiæ*:

Tacitè auscultemus. LI. at at enim modo hercle in mentem venit.

Sane *Unum* probet, quod in hac ejus fabulæ scena statim legitur: *mane, unum venit in mentem modo*. Et sic alibi infinitis locis. Pergamus in instituto hîc propriè negotio. Vix aliquod intervallum intercedit; & statim in personis iterum error. Nam qui hæc, ut vulgantur, ferri queunt?

. . . . . ST. A. verbero,
Men' te censes esse? nulla est, habeo quietum animum modo.
Quod bonum atq; fortunatum sit mihi, tuum magnum malum,
OL. Tibi quidem edepol credo eveniet: novi pietatem tuam.

Utin' vel senex Olympioni male ominetur, vel hic omen in illum cum irrisu retorqueat? Absurdissimum est. Chalini illa verba sunt:

Quod bonum, atq; fortunatum sit mihi, tuum magnum malum.

& personam hujus nihil cunctatus appones. Servi inter se, ut solent, velitantur: quorum hic sibi bonum, alteri malum imprecatur: ille vanam in se imprecationem vicissim in auctorem per jocum avertit. Inter illos hæc jactari, probant etiam quæ sunt his continua deinceps, non a nobis prolixius examinanda. Sed sub ea illud haud recte scribitur tamen:

ST. Euge cave, conjicite sortes nunc jam ambo huc, eccere, Uxor æqua.

Lego, *ST. Euge, cate! conjicite sor*. Plaudit senex Olympioni suo, qui tam caute sibi caveat. *Catè*, an *cautè* malis, hilum non interest, dum antiquiorem vocem lubentius usitasse Plautum scias. Nondum omnes tranquillavimus serviles turbas: nova & magna ecce ingruit in proxima concertatione.

. . . . . CH. tace.
OL. Taceo. Deos quæso, tu ut quidem hodie canem & furcam ferat:
CH. Mihi ut sortitio eveniat, ut quidem hercle pedibus pendeas.
OL. At tu, ut oculos emungare ex capite per nasum tuos.
Quid times? paratum oportet esse jam laqueum tibi.
ST. Periisti. animum advortite amabo. OL. taceo.

Hanc quà ingenii, quà veterum editionum ope sic compono:

OL. Taceo. Deos quæso, tu ut quidem hodie canem & furcam feras,
Mihi ut sortitio eveniat. CH. tu ut quidem hodie pedibus pendeas.
OL. At tu ut oculos emungare ex capite per nasum tuos.
Quid times? paratum oportet esse jam laqueum tibi:
Periisti. ST. animum advortite amabo. OL. taceo.

Vix dum hinc emersimus, & iterum ecce alia, sed minor:

ST. Quod bonum, atq; fortunatum mihi sit. OL. ita verò, & mihi.
CH. Non, imò hercle. OL. imo mihi hercle. ST. hic vincet, tu vives miser.

Nervosius certamen erit, ita personis variatis:

CH. Non. OL. imo mihi hercle.

Cete-

Ceterum ab hac mutua oblocutione pendet intellectus ejus dicti, quod paullò inferius male interpretantur de pulsatione:

OL. cur omen mihi Vituperat? (m)

Vituperaverat illi Chalinus oblocutione sua, quam hic habemus, *Non*, & *imo mihi hercle*. Inde etsi ad manus veniunt, tamen huc potius, uti ad caussam, referenda vitiati ominis interpretatio. Sed jam in languorem hæc scena me dedit tam multiplicibus erratis: in qua unum tamen etiam indicabo, quamquam erratum fortasse non est. Nam esse quis hic dicat?

CL. Victus, Chaline. ST. tum nos dia vivere, Olympio, Gaudeo.

neque minus tamen suspicari alicunde sic scribendum possis: *ST. tum nos hodie vincere*, quod aliis arbitrandum linquo; me hic tædet diutius hærere.

CAPUT VI.

A me, à nobis: Nuptiæ, nuptias facere, nubere, intellectus obsceniores. Hallucinatio Lambini explosa: Gulielmii correctiones Plautina & Arnobiana pariter acceptæ firmatæque: tum hæc & alia è scriptoribus aliis illustrata.

LEpide & facunde Chalinus ita secum de se victo ratiocinatur:

Si nunc me suspendam, meam operam luserim,
Et præter operam, restim sumti fecerim,
Et meis inimicis voluptatem creaverim.
Quid opus est, qui sic mortuus? equidem tamen
Sorti sum victus.

In quorum postremis hallucinatur, & variat Lambinus de sententia: quæ nec apta satis videtur fieri posse, nisi verba paullo aliter distinguantur: aptior certe fiet, si distinguantur, & hoc exemplo:

Quid opus est, qui sic mortuus quidem tamen?
Sorti sum victus: Casina nubet villico.

Nec jam opus ulla explicatione. Quid liquidius, quàm hoc dici saltem? Nullo mihi opus est suspendio, qui quidem sic mortuus sim tamen. Hæc enim mors ipsa mihi, victum esse me; villicum, imo magis senem vicisse. In extremo breviculæ hujus scenæ nihil erat certius Gulielmii nostri emendatione:

At at concedam huc: audio aperiri fores:
Mihi benevolentes, atque amici prodeunt.

pro quo vulgo, *atque a me*: Lambinus, *ad me*. Tamen ei non acquieverunt alii postea, quid plus sibi visi sapere fecerunt, *atque ambo prodeunt*. Vellem os, aut manum potius tenuissent: aut si quid illi derogare voluissent tamen, vulgatum *a me* defendere studuissent, quod posse videatur ex Stichi loco, quem ego, ne nihil moveam, dabo. Illic scenâ, *More hoc fit*. Ca-

(m) Rectius quam Turnebus Acidalius noster *vitium Ominis* non ad pulsationem, sed ad oblocutionem Chalini refert, *Non*, & *Imo mihi hercle*. Mali enim ominis erat apud Romanos non obloqui modo vel sortiendo, vel auspicando, sed & vocibus uti quæ vel notione, vel sono ipso adversi aliquid aut exprimerent, aut significarent. Sexcenta ejus rei testimonia ad manus haberemus ad hunc locum proferenda, nisi rei clarissimæ, ac sponte sua sese aperienti lucem adferre velle hominis esse otio, & tempore nimis quidem intemperanter abutentis intelligeremus. Usitatissimam formulam huc deducere ex veteri auspicandi disciplina contenti erimus. *Avem* enim *alteram* in auguriis appellabant, quæ utique non addiceret, ut Festus in *Alter.* quoniam felici priori Auspicio vitium faciebat. Etenim Augures in templo sedentes ad augurium captandum male ominatis vocibus abstinebant, ac proinde *alteram* potius *avem*, quam *adversam* dicebant. Consule Scalig. ad Festum, Bulenge. de Augur. sexcentosque, quos enumerare, & scribentem tædio, & legentem afficeret.

Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam.

Loquitur ibi item servus, & *a me* dicit, non *a nobis*, quomodo dicendum esse & Gulielmius & Latinitatis ratio volunt, de herili domo. At non dissimulandum mihi contra, flectendum illic hoc interpretatione, ut de cella potius ipsius servi, quam dominicis totis ædibus accipiatur. Scenâ, *Sine modo*, non habere videtur, sed habet occultiorem is versus intellectum:

Tantisper dum ego cum Casina faciam nuptias.

Vernilius enim quid notat, *nuptias facere*, quam ut vulgari usu frequentatur. Non conventionem tantùm in conjugium signat, sed in ipsum cœtum, ut Arnobius loquitur ex Gulielmii nostri correctione. lib. 5. *Nisi fortè dicetis, conventiones in hujusmodi cœtum genus vitat, atque exsecratur humanum.* Quæ locutio magis ut firmetur, & ab omnibus acceptetur, eandem in Ausonio deprehensam hic adscribam: qui Periochâ Odisseæ XXXIII. sic plane loquitur: *Quadam cubiculi lege, & genialis lectuli positu sibi tantum & Ulyssi cognito, an ipse sit maritus, explorat. In cœtum deinde conveniunt, totamque noctem mutuo sermone consumunt.* Respondet ei Græcum unum verbum συνουσιάζουσι. Nam res est, de qua idem illud Homerus:

. . . . οἱ μὲν ἔπειτα
ἀσπάσιοι λέκτροιο παλαιοῦ θεσμὸν ἵκοντο.

Et mox: τὼ δ' ἐπεὶ οὖν φιλότητος ἐταρπήτην ἐρατεινῆς,
τερπέσθην μύθοισι πρὸς ἀλλήλους ἐνέποντες.

Hæc Ausonius Interpretatus est. Sed ut de *Nuptiis* probem, quem potius testem appellem, quàm Petronium? Aliquoties ille in hanc mentem, sed exempla duo suffecerint. *Continuoque producta est puella satis bella, quæ non plus quam septem annos habere videbatur, & ea ipsa, quæ primùm cum Quartilla in cellam venerat nostram. Plaudentibus ergo universis & postulantibus, nuptias fecerunt. Obstupui ego, & nec Gitona verecundissimum puerum sufficere huic petulantiæ affirmavi, nec puellam ejus ætatis esse, ut muliebris patientiæ legem posset accipere.* Item: *Jacuerunt ergo unà non tantùm illa nocte, qua nuptias fecerunt, sed postera etiam, ac tertio die.* Quid autem ni *nuptias facere* sic usurpetur, cum verbum ipsum quoq; *nubere* eodem sensu? Notum virginis Vestalis carmen:

Felices nuptæ! moriar, nisi nubere dulce est.

quod non vulgariter capiendum ex illa Declamatoris nescio cujus, qui incesti eam inde arguebat, apud Senecam patrem interpretatione liquet: *Felices nuptæ: cupientis est. Moriar nisi: affirmantis est. Nubere dulce est: aut experta juras, aut inexperta pejeras.* Et post alia: *Dulce est: quàm expressa vox, quàm ex imis visceribus emissa, non expertæ tantùm, sed delectatæ. Incesta est etiam sine stupro, quæ cupit stuprum.* Nec alia de caussa impudica verba *Nupta* vocantur, nisi quia velut devirginata. Hic quidem apud Plautum senex, qui se nuptias facturum dicit, non uxorem ducturus est Casinam, sed ab Olympione ducendam deflorare prior cupit. Unde *nuptias* pro ipso συνουσιασμῷ positas a Plauto convincitur. *Nubere* autem & hac, & aliis Comœdiis Plauti sic persæpe: sed Cistellariâ potissimum:

Hæc quidem ecastor cotidie viro nubit, nupsitq; hodie,
Nubetq; mox noctu. nunquam ego hanc viduam cubare sivi.
Nam si hæc non nubat, lugubri mihi fame familia pereat.

CAPUT VII.

Cetrùm: Plauti locus unus è fragmento Festi, alii aliunde emendati; præterea in alterius cujusdam explicatione diversæ magnorum virorum sententiæ cum nostra opinione.

PRincipium scenæ est in ordine consequentis:

ST. Nunc amici, anne inimici sis imago, Alcesime, mihi
Sciam: nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur.

quod in leges versuum peccat, atq; ut ne peccet, ita scribi debet:

ST. Nunc amicine, anne inimici sis imago, Alcesime,

Mihi sciam: nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur.

At qui proximus his est versus:

Curam mi exime, castigare, id ponito ad compendium.

non sic malè, & melius etiam a Gulielmio nostro legebatur, *Curam eximere*: tamen quia in antiqua editione reperi, *Cærum at exime*, suspicio mihi suboritur haud fortasse contemnenda, ne refingendus sit amplius, atque initium hoc exinde sic mutandum, *Cetrùm Alcesime*. Ceterùm, vel ceterò non semel ita Plautus contrahit: & hic aberratio nasci potuit a majore librariorum contractione, qui compendio scripserunt *Crum*. Nam *Alcesime* quàm procliviter ex *at exime* fiat, in aperto est videre. Sensus etiam huc aspirat, ut præoccupatione tali tamque blanda severiorem aliquam vicini reprehensionem declinet. Sed quid suspicer, dixi; dictumque volo, quasi suspicer tantùm. Versu, qui etiam huic proximus:

Cana capite, ætate aliena, eò addita ad compendium.

etsi Gulielmius item noster eleganter mutabat *coaddita*, quod amplexum quoque alibi me, ut verum, scio, neque nunc pœnitet; tamen vel ipsum vulgatum *eò* defendi quadam ratione possit, eadem scilicet, qua sequenti versu *illùc* positum:

Cui sit uxor, id quoq; illuc ponito ad compendium.

vel rescribi etiam *ea*, quomodo *id* utroque versuum cohærentium: & *ea*; nempe dicta hæc duo, *Cana capite, ætate aliena*. Illi autem paullò inferiores?

Sed facito dum, memineris versus, quos cantat Colax, cibo
Cum suo quiqui facito uti veniant, quasi eant Sutrium.

utcunque interpolentur ab aliis, mihi verò, ut numeros suos pariter habeant, & verba, ex Festi fragmento concinnandi sic videntur:

Sed facito dum, memineris sat, versu quod cantat Colax:
Cum cibo suo quiq; facito uti veniant, quasi eant Sutrium. (n)

In fragmento quod legitur *merula*, feci inde *memineris sat*. Etenim *meru*, *meris* fuisse puto, quod compendio scripturæ est ipsum *memineris*: ex syllaba reliqua *la* quid pronius fieret, quam quod dedi, non exputavi. De ceteris curiosè non est ratio reddenda: nec ulla verò habenda ibidem syllabæ *per* vel *ber*, quæ superflua, & ex syllaba priore vocis adsitæ, *versus*, perperam nata. Proximæ porrò scenæ initio:

CL. Ut properem arcessere hanc ad me vicinam meam, hoc erat
Ecastor, quod me tanto vir opere orabat meus,
Liberæ ædes ut sibi essent, Casinam quò deduceret.

Medius versus ruit, nisi præposita syllaba fulciatur. Itero particulam *hoc*: . . . . *hoc erat*, *Hoc ecastor*: cujus tam efficax ad sensum, quàm in sermone venusta geminatio? Sed excipit ibidem nos statim locus admodum tenebrosus:

Sed eccum ingreditur, senati columen, præsidium popli.
Meus vicinus, meo viro qui liberum præbet locum.
Non ecastor vilis emtu est modius, qui venit, salis.

In quo ut exerciti sint non Tarnebus & Lambinus tantùm, sed post eos & alii, commentarii omnium loquuntur. Unus Dousa V. N. ad Plauti mentem proximè accessit, eamque non tetigit quidem, sed sub ictu certè habuit, cum sic phrasi Plautinâ explicat: carum esse senem modo salis contra. Sed is ut hoc eliciat tamen, interpolat leviter, & *modio* emendat. Fas sit mihi sententiam dicere: cum frustra mutat, tam sensum neq; dum penitus assequitur. In distinctione sola mendum est, quæ esse debet ista:

Non ecastor vilis emtu'st, modius qui venit salis.

Jam hic sensus: non vilis, id est carus est senex eo pretio, qui sive quo modius salis venditur, qui est vilissimus. Usque adeò vilem, & nullius pretii hominem significat, ut neque vilissimæ rei pretium æquet, nec vel argento tantillo sit dignus emi, quo salis modius perhibeatur. Hoc omnino teneo, nec interpretationem illam ullâ permutem aliâ, ne illâ quidem CL. V. Hier. Mercurialis, quam tamen auctoris

(n) Proverbialis loquendi modus, qui ex edicto Camilli, Festo teste, ductus, in usu esse cœpit. Edictum enim Gallico tumultu a Camillo, ut præsto essent legiones Sutrii cum cibo suo. *Quod usurpari*, inquit Festus, *cæptum est in iis, qui suis rebus, opibusque id officii præstarent, quibus deberent.*

ris caussa sic amo, ut ipsum propter ejus in me multa, & magna merita colo. Memini enim in sermone olim Bononiæ, quum de Liviano loco (qui de salis pretio lib. 2.) agitaremus, ut frequentes, ac eruditæ semper ad illum, mihique tam utiles quam jucundæ de his quoque literis nostris inter nos collocutiones, etiam Plauti versum istum in controversiam venire: de quo lectis, & perpensis opinionibus aliorum, accuratius ille cogitans in hanc tandem sententiam abibat, quam & acriter adversus meam propugnabat: nihil indicari scilicet aliud, quàm insulsum senem esse. Requiri ad eum saliendum tantum salis, ut excandefacere annonam salariam possit. Itaque respectu ipsius insulsitatis, non vilem fore modium salis. Quin imo nec esse jam vilem vel eo pretio, quo tum vulgò veneat, etsi veneat vilissimo. Nam adeò insulsum esse hominem, ut si copia spectetur salis insumendi, etiamsi minimè carum sit, tamen sit nimis carum, quia tantum persaliendo ei requiratur. Hæc doctissimi viri sententia erat, meis quam commodissimè potuit verbis expressa: quam ut referrem grata memoria me induxit obliviscendæ nunquam amicitiæ nostræ, & familiaris illius desideratissimæ nunc consuetudinis: simul hortata est ea cogitatio, ne Plauto quamcunque lucem inviderem, si forte locus ejus obscurior clarius hinc irradiaretur: quod jam homines eruditi, & nec ipsi salis egentes, neq; Plautini salis non intelligentes, collatis & mea & aliorum explicationibus, arbitrabuntur.

CAPUT VIII.

Factis. Dolum procudere. Varie correcta multa versuum, verborum, personarumque errata: loca quædam adversus alios explicata.

NUnc alia persequamur ejusdem scenæ. Versibus his:

. . . . . operam uxoris polliceor foras,
Quasi catillatum: flagitium hominis, qui dixit mihi
Suam uxorem hanc arcessituram esse: ea se eam negat morarier.

rectius consulas, si demtam alterius initio vocem sui alterius appendas:

. . . . . flagitium hominis! qui dixit mihi suam
Uxorem hanc arcessituram.

Sed hoc leve; gravius, quod sequitur:

CL. Ibo intro, ut subducam navim rursum in pulvinarium.

Legisti, lector, interpretamentum Lambini ad hunc versum? & unquamne quidquam ineptius legisti? De me, fateor non legisse: quamquam multa ejus multo ineptissima. Sed in omnibus vix reperi, quod hujus vanitatem superaret. Cleostrata, scilic. a periculo rem abesse, vel mihi certe esse, ut possit esse, significat. quomodo? rationem addit, quam neq, capio, & piget ea describenda vel tantillum chartæ perdere. Nego illi, Cleostratæ eum versum esse; Alcesimi, contra affirmo: cui video tribui etiam in veteri Florentino. Res & sensus id requirunt. Cum negasset Cleostrata, domi se in ornandis nuptiis operam Murrhinæ morari, neque velle sibi adjutricem venire; indignabundus senex, post convitia in vicinum senem amatorem jacta, ait intro se iturum, ut uxorem suam, quam paullo ante excitaverat, & transire ad vicinam jusserat, reducat ab itinere proposito, & quiescere denuo jubeat domi. Hoc allegorice dicit per navis comparationem, quod vix deducta, statim subducatur rursus, & in pulvinario vicissim collocetur. Nihil mihi credes, nisi hoc planè verum. Falsum certe manifesto nimis, ut de sententia reliqua jam nihil amplius dicam, quod Cleostrata domum redire fingitur, quod manet in scena. cumque marito mox expostulante digladiatur. At abit intrò Alcesimus ea caussa, quam ex verbis interpretatus sum: & abeunti deinde callida mulier insultat. Integer locus sic rescribatur:

AL. Quid ego nunc faciam? flagitium maximum feci miser.
Propter operam illius hirci improbi, & edentuli,
Qui hoc mihi contraxit, operam uxoris polliceor foras
Quasi catillatum; flagitium hominis! qui dixit mihi suam
Uxorem hanc arcessituram: ea se eam negat morarier.
Atq; edepol mirum, ni subolet hoc huic vicinæ meæ.

Ve-

Verùm autem altrovorsum cum jam mecum rationem puto,
Si quid ejus esset, esset mecum postulatio.
Ibo intrò, ut subducam navim rursum in pulvinarium.
CL. Jam hic est lepidè ludificatus. Miseri ut festinant senes!
Nunc ego illum. &c

Et corruptum, nec intellectum fuisse hactenus, omnes fatebuntur. Scenâ, *Nullo sum.*

Tanta factis modo mira miris modis intus vidi.

Veteres libri *facta*, quod nescio si versus admittit: ceteroqui melius putem. Sin is negat; *factis* seorsim accipies, pro re ipsa. Sic enim Comici interdum. Plautus Pœnulo:

Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant,

Rudente:

Atq; ut gratum mihi beneficium factis experiar.

Terent. Hecyr.

BA. Benefactum, & volupe est. PAM. factis, ut credam, facis.

Deinceps:

ST. Respice modo ad me. PA. here mi. ST. A. quid tibi est?

Invenio, *Respice dum ad me*: quod alteri non posthabeam. Pluribus interiectis illa sunt:

PAR. Imitatur malarum malam disciplinam, viro suo quæ inter
Minatur vitam. ST. quid ergo? PA. ah! ST. quid? PA. interimere ait velle
Vitam: gladium. ST. hem! PA. gladium. ST. quid eum gladium?
PA. habet. ST. hei misero mihi!

In quibus primo superfluere censeo vocabulum *vitam* altero loco, & jubeo deleri isthic: *viro suo quæ inter Minatur. ST. quid ergo?* Versus & sententia simul spernunt. Post verbum *inter Minatur*, excipit statim senex, & quid ergo minetur, quærit. atque illa deinceps clarius de vitæ interemtione subdit. Hoc primum. Deinde pro *ah*, *vah*, malim. Postremo sublatis in postremo personarum indicibus literis aliquot, seni continenter ista dono:

ST. hem! gladium? quid eum gladium?

Affectui senis magis ab ipso junctim pronuntiata serviunt. Aliquantò post:

. . . . . . PA. audi: per omnes deos, & deas
Dejuravit, occisurum eum hac nocte, qui cum cubaret.

Lego, *occisuram*. Nam aliorum ad alterum id exemplum alia ratio est: ut Amphitruone:

Justam rem & facilem esse ornatum a vobis volo.

Et hac scena inferius: *Nisi se sciat villico datum non iri.*
quæ Grammaticò diducere non libet. Statim:

ST. Me occidet. PA. an quidquam ad te attinet?

Interrogatione cum antiquis editionibus efferri malim, *Me occidet?* Alioqui nimis se manifesto proderet senex: & ipsa interrogatio nescio quam & quanto majorem emphrasin in se habet. Adhuc eadem scenâ, mendum non minimæ rei omnes libros obsidet:

PA. Laudon' ego hunc facetè? nam quæ facta dixi, omnia huic
Falsa dixi. hera, atq; hæc dolum ex proxumo hunc protulerunt.

Sic hoc exauditur, quasi dolus ex proximo sit prolatus. Male. *Procuderunt* legendum, non *protulerunt*: & voces *ex proxumo* jungendæ cum particula *hæc*. Hæc ex proximo, vicina Myrrhina est. Is Comicus sermo. Fine hujus fabulæ:

Hæc Casina hujus reperietur filia esse è proxumo.

Dolum autem procudere, nihilo minus Plautina phrasis. Pseudolo:

Nam hic mihi incus est. procudam ego hodie hinc multos dolos.



CA-

CAPUT IX.

Incænis. Ilicet. Haud ex merito. In plures scenas plurium locorum multigeneres emendationes, interpretationibus, ubi opus est, adjunctis.

QUæ supersunt nobis è reliqua Casina, in hoc caput, velut unum fascem congeremus. Igitur scena, *Vide fur*:

. . . . . OL. servus ego? ST. atq; meus. OL. non sum ego liber?
Memento, memento. ST. maue, atq; asta. OL. omitte servus sum tuus.

Minationis affectus, atque ipse gestus magis interrogatione exprimatur: *servus sum tuus?* Nisi si verba hæc non Olympionis, sed, quod suspicor, senis, qui servum se paullo etiam post servi sui dicit: *Tuus sum equidem.* Quod ipsum facit, ut & hic dicentem idem faciam, ceteris hunc in modum accommodatis:

. . . . . OL. omitte. ST. servus sum tuus.
OL. Optime est. ST. Obsecro Olympisce mi, mi pater, mi patrone.
OL. Hem sapis sane. ST. tuus sum equidem. OL. quid mihi servo opus est tam nequam?

In hujusdem scenæ extremo:

. . . . . OL. tam mihi vita mea, quàm tua
Tibi cara est. ST. verum i modò. OL. si tu jubes, inibitur tecum.

metuo, ne scribendum, *si tu ibis, inibitur tecum.* Non enim iturus est nisi illo comitante: quem ad sensum nihil facit verbum *jubes*. Proxima scená luxati, & fracti, tum deinde interpolati versus sunt:

Illæ autem in cubiculo armigeram ornant mulieres.
Quem dent pro Casina nuptum nostro villico.
Sed nimium lepide dissimulant:
Fore hujus quod futurum est. digne autem coqui
Nimis lepidè ei rei daut operam, ne cænet senex.

Quos aliter scribunt editiones priscæ:

Quem dent pro Casina nuptum nostra, sed nimium
Lepide dissimulant fore hoc futurum hujus, quod est.
Condigne autem nimis lepide huc conducti coqui
Ei rei dant operam, ne cænet senex.

non ipsæ quidem rectissimè, sed rectius, & unde, postremis duobus ita plane, ut exhibent illæ, acceptis & retentis, superiores concinnare est, si verba disiecta in ordinem suum, & versuum modum recolligas:

Quem dent pro Casina nuptum nostra: sed nimis
Lepide hujus, quod futurum est, dissimulant fore.
Condigne autem nimis lepide huc conducti coqui
Ei rei dant operam, ne cænet senex.

Mox etiam antiquum verbum extruserunt inde:

Illarum oratu faciunt. illæ autem senem
Cupiunt extrudere incænatum ex ædibus.

quod servant fideliter iidem superiorum temporum cusi. Nam *incænem* habent loco τῷ *incænatum*, & sic versum ordine verborum alio, nec malo scribunt:

Incænem extrudere cupiunt ex ædibus.

At si malis aliter, ita possis: *Incænem ex ædibus cupiunt extrudere*: sive etiam ita: *Ex ædibus cupiunt incænem extrudere*: etiamque aliter, & aliter. Vox quidem *incænis* quin proba, nec temere nata sit, haud dubitabis. Sequente scena, *Si sapitis*, illic distinctio, & electio peccat leviter:

ST. Quid hic speculare? AN. nihil equidem speculor. ST. abi
Tu hinc: cunctas? intus alii festinant. AN. eo.

Nam melius, ut opinor: *. . . . . ST. abi*

Tu hic cunctas: intus alii festinant. AN. eo.

Quæ hanc sequitur, eâ scenâ falsum illud est:

OL. Esurio hercle, atq; adeo haud sitio. ST. at ego amo.

Falsum, etsi Lambinus ut verissimum ex scripturis omnibus, quæ hic diversæ plu-

res, amplexus est: cujus etiam interpretatio falsa magis, cum esuriem Olympionis esse tantam dicit, ut siti nulla urgeatur. Quasi qui inediâ afficiuntur, eos sitis non teneat: quod adeò contra est, ut illa durante, sic hæc increscat, ut cibi solidioris appetitum ferè deleat. Sed lectionem ipsam falsam ajebam, hoc argumento, quia sitire se quoque, non tantùm esurire questus est antea, scenâ, *Vide fur:*

. . . . . *OL. tu amas,*
Ego esurio, & sitio.

Veteres ergo quidam auctiores una voce legunt, *atq; adeo haud parum sitio*. Verè ad sensum: fortasse & ad scripturam. Ibidem nequissimus senex Hymenæum adjutans suo compari commarito villico:

. . . . · *ST. perii hercle ego miser, dirupi*
Cantando hymenæum (o) *licet illo morbo; quo dirumpi cupio,*
Non est copia.

Ubi emendandum putem; *licet. illo morbo quo*. Exclamatio est, gemina ei; quæ præcessit, *perii*. Nisi magis placebit hunc in modum:

. . . . . . *dirumpi*
Cantando hymenæum licet: illo modo, q. d. c. N. e. c.

ut oppositione ludat: cantando quidem dirumpi licet: at si ut volo, non licet. Neque hoc invenustè: quin verius forsan. Etenim diruptus non erat: sed poterat, si vellet, cantare vel usque dum se rumperet, qui tamen non ita, sed aliter rumpi vellet, quomodo queritur sibi non licere. Sequitur alia scena, cujus reliqua transiliens, ultimum versum adjutum ab alio porro adjutum eo:

OL. Quin imus ergo? ST. bella bella tu mea.

Mutavit prius *bella* V. N. in *bellè*, rectè: sed inserere debuit etiam *i*: ut, *i bellè bella tu mea*, respondeat illi Curculionis, *Sequere istum bella bellè*. Et ire prædam suam jubet, cui jam dudum impatiens moræ imminebat. Porro autem scenâ abhinc secundâ, *Neque quo fugiam*, fragmentum versus:

Ita quidquid erat, grande erat:

nisi omittendum, quod Palmerium sanè video fecisse, traducendum in sedem superiorem; ubi veteres libri disertim collocant, ut conjunctum legatur illi.

Nisi quicquid erat, calamitas profectò attigerat numquam:
Ita quicquid erat; grande erat.

Inde jam non longe:

Amabo mea uxorcula, cur virum tuum sic me spernis?
Nimis tu quidem hercle audax es. immerito meo mihi hæc facis.

Sic de viri docti sententia ediderunt: etsi alterius etiam addiderunt, qui *audacter* mavult. Neutri acquiesco ego: putoque in voce *audax* idem hic vitium latere, quod Captivis illic:

Sed

(o) Seneca Med. t. 67. Hymenæum sic fingit:
Et tu qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio:
Præcingens roseo tempora vinculo.
Ceterum de Hymenæi cantandi caussa, & origine alii alia. Quod enim Juvenis ex libero & Venere genitus certarum fuerit nuptiarum auctor laudari eum consuevisse pro meritis in Nuptiis ferunt non pauci. Quidam Terpsicoræ filium faciunt, ductaque uxore statim è thalamo evanuisse narrant; ideoq; in nuptiis appellari solitum, ut per summam acclamationem indagetur, ac requiratur. Multi vero frequens ejus nomen in Nuptiis fuisse arbitrantur, quod Hymenæo ipso nuptiarum die domus ruinis obruto, viderentur ex eo tempore ita nuptiæ esse expiandæ. Sed hoc ut falsum rejicit Servius ad Æneid. 1. 655. *Nam vitari*, inquit, *magis debuit nomen extincti. Sed hoc habet veritas. Hymenæus quidam apud Athenas inter bella sævissima Virgines liberavit: quam ob caussam nubentes ejus invocant Numen, quasi liberatoris Virginitatis*. Proclus vero, in cujus sententia facile nobis acquiescendum videtur, de ea consuetudine hæc literis prodidit. *Ego vero felicis vitæ acclamationem esse puto, præsentibusque fidam matrimonii societatem cum mutuo amore comprecari; Dorica dialecto votum innectendo quasi* ὑμεναίειν, *&* ὁμονοεῖν, *idest una habitare, & eadem sentire, eos concorditer viventes optarent.*

Sed eccum; incedit huc ornatus, audax suis virtutibus.

Atque ut verè illud emendatur, *haud ex*: ita non dubito, quin hoc quoque sic rectissimè:

Mea es tu quidem hercle: haud ex merito meo mihi hæc facis.

Mutavimus alia simul, audacter fortasse, minimè certe violenter. Arbitros tamen doctos volo. Finis hujus scenæ fovet occultum etiam mendum, non tam in verbis, quam personarum situ:

CL. Quid nunc? satin' lepidè adita est vobis manus merito?
Sed concrepuerunt fores? OL. num illa me nunc sequitur?

Sententia duce corrigo:

CL. Quid nunc? satin' lepidè adita est vobis manus? OL. meritò.
Sed concrepuerunt fores: num illa me nam sequitur?

Quàm bellè timido Olympioni junctim omnia dentur, omnes puto elegantiores sentire. Nam *meritò* hujus esse, non Cleostratæ, quis vel ex illis invenustis non sentiat? Deinde autem, *num illa me nam*, trajecta sunt Comicè pro *nummam illa me*: qua de figura supra alicubi plura. Sequentis etiam scenæ nimis apertum vitium in recentius editis.

ST. Occidi, revocor. quasi non audiam, adibo.

Vetustiores enim, *abibo*: quod sensus poscit, & cum pipulo reposcit ab illis, qui mutarunt. At mireris eos, ubi mentem habuerint, cum præferre huic alterum sustinuerunt. Sed & hos, & istam fabulam jam mittemus, ubi duo monuerimus etiam scena sequente. Vocula videtur inserenda illi versui:

Nulla caussa est, quin pendentem, uxor, virgis verberes.

& scribendum, *quin pendentem me, uxor*: non sensus adeo, quàm numerorum caussâ. Deinde illic:

Propter eam rem hanc tibi nunc veniam minus gravatè prospero,
Hanc ex longa longiorem ne faciamus fabulam.

Non placere mihi potest *prospero*, ut ut interpretentur, præ quod in veteribus est *propero*: quod tamen ut proximus versus postulat, ita suus repudiat. Verùm ut recipiat, verba transponenda putem in hunc modum:

Propter eam rem minus gravatè hanc propero nunc veniam tibi.



CA-

VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI CISTELLARIAM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES AD

NOBILISSIMUM, ET EXCELLENTISSIMUM VIRUM

ULYSSEM ALDROVANDUM

PHILOSOPHUM, ET POLYHISTORA Clarissimum.

CAPUT I.

Cistellaria ancillæ nomen, & Comœdia. Si, si: si, sive. Versus quidam, & sensus ante hac turbati, nunc constituti. Præter Plautum emendatum, aliosque simul illustratos, Catullus levissimè tentatus.

NUnc Cistellariam examinemus, appellatam sic & à Cistella deperdita, & ab ipsa simul ancilla, quæ perdiderat. Erat hæc enim Cistellaria, sive Cistellatrix: quod nomen, & munus inter ancillaria Trinummo refertur:

Vestispicæ, unctor, auri custos, flabellifera, sandaligerulæ.
Cantrices, cistellatrices, nuncii, renuncii, raptores panis & peni;

Scilicet ut aliis singulatim rebus suus in familia curator, ita peculiaris etiam cistellarum alicui præfectura. Magis tamen à cistella ipsa titulum Comœdia traxit, in qua præcipuæ argumenti partes ab eadem ductæ. Hujus prima scena:

GY. Raro nimium dabat, quod biberem, id merum
Infuscabat.

copulam desiderat sermo, quam opportunè veteres inserunt, *atque id merum*. Duo gravatur, & quod raro, & quod neque merum datum sit. *Infuscabat* autem cum Palmerio ibidem volo: sperno hoc, quod Lambinus frigide explicat, itemque aliorum *infucabat*. Intervallo magno confragosior, & scruposior locus est, quem parenthesi voluerunt sic complanare:

GY. Equidem hercle addam operam sedulo. sed quid tu inter isthæc verba.
Meus oculus, mea Silenium (nunquam ego te tristiorem
Vidi esse) quid, cedo, te obsecro tam abhorret hilaritudo?

Sed magis exasperarunt, Equidem multo lenior oratio erat, hac distinctione:

. . . . . . sed quid tu inter isthæc verba,
Meus oculus, mea Silenium? nunquam ego te tristiorem
Vidi esse: quid, cedo &c.

Neque tamen vel sic aures non radit. Mihi trajecta pluscula verba, & integra versuum confusorum membra videntur, quæ dimensionis observata lege, & sententiæ concinnitate sic ausim restituere:

. . . . . . sed quid tu inter isthæc verba,

Meus

Meus oculus, mea Silenium? quid, cedo, te obsecro, tam abhorret
Hilaritudo? nunquam ego vidi ted esse tristiorem:
Neque munda adæquè es, ut soles.

Mox etiam numeri peccant:

. . . . . hoc sis vide, ut petivit
Suspirium altè? & pallidula es. eloquere nobis utrumque.

non dico, quia *es* produxit, quod i lauro solens: quamquam & facile reponi poterat, *ut pallidula est!* sed quod supra mensuram trahit extrema syllaba in *utrumque*: licet hæc quoque videantur ab initio sequentis versus absorberi. Verum concinnius opinor: *eloquere utrumq; nobis*. Utrumque autem id, quod sequitur:

Et quid tibi est, & quid velis nostram operam, ut nos sciamus.

Ita post Auxilium Prologus:

Utrumq; hæc, & multiloqua, & multibiba est anus.

Non longe sequitur:

GT. Indidem unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem.

Ubi legam, *Ibidem*, sententia magis probante. Deinceps:

SI. Si quid est, quod doleat, dolet: si autem non est, tamen hoc hic dolet?

Apage interrogationis notam, quæ in nupera obrepsit editione: tum scribe, *Si quid est. quod*, id est, aliquod, nempe cor. *Si* autem utrobique, si voles, *sive* interpretaberis: quod non hic tamen opus adeo, atque post scenâ, *Rem elocuta sum*:

Tu nunc, si ego volo, seu nolo, sola me ut vivam facis.

Ita scribendum enim ibi libri veteres docent, qui *si*, non *sive*, omnes habent: quod Rudente remansit integrum, scenâ *Quam mox*:

At ego Deos quæso, ut quidquid in illo vidulo est,
Si aurum, si argentum est, omne id ut fiat cinis.

Et Captivis, scen. *Advortite animum.*

Sinito ambulare, si foris, si intus volent.

Quin concepta sic etiam formula precum, & sacrorum, quæ ignoto numini fiebant, Si Deo, Si Deæ: apud Gellium lib. 2. cap. 28. in quo frustra dubitat vir maximus, qui formulas collegit, an ita recte, cum alibi, ut Arnobii lib. 3. efferatur, Sive Deo, Sive Deæ. Idem esse *si* monstravimus: & hoc illo tanto fortasse potius, quanto antiquius. Antiqui enim sic: & ut leges, ita formulæ, plerumque lingua veterum conceptæ, conscriptæ. Ut geminetur tamen hoc significatu hæc particula, rarius est: quamquam præter superiora exempla Gellii quoque illud huc traho lib. 9. cap. 16. *Si placet lex, reddo: si non placet, reddo.* Et si fortè lubeat alicui, hoc etiam Plauti Rudente, scen. *Quid istuc est.*

Juppiter te perdat, & si sunt, & si non sunt tamen.

Vulgatius, ut uni *si*, *seu* vel *sive* subjiciatur. Atque ita est loco supra correcto ex inferiore hujus fabulæ scena. Ita Truculento:

. . . . . . Verùm qui improbus est, aquam si bibit,
Sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio est improbus.

Ita Curculione:

Si media nox est, sive est primo vespera.

Ita Ennius:

. . . . . Si vivimus, sive morimur.

Propertius etiam lib. 2.

Quod si tu Grajas, sive es imitata Latinas.

Et quis scit, an non & Catullus sic potius scripserit in Egnatium:

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaq; si ad rei ventum est
Subsellium, quum orator excitat fletum,
Renidet ille: seu pii ad rogum filii
Lugetur.

Sic inquam potius, quàm verbis audacius traductis, *seu rei ventum ad Subsellium est*. quomodo nuper, ut versus ratio habeatur, legendum nos credere sibi quidam voluerunt.

CAPUT II.

Hoc opere. Et unquam. Et quisquam. Injurium, injurius. Plautus hac fabula sapiculè correctus. item explicatus loco difficili contra varias opiniones. In Terentium etiam, & Ovidium, & Navium singulæ correctiones.

PRoximè illi loco, unde ad alia delapsi sumus, hæret:

> *GY. Amat hæc mulier. SI. ehò, an amare occipere amarum est, obsecro?*

in quo suspectum mihi verbum *occipere*: quia non de amoris inceptione, sed universim de amatione agitur. Et sanè dulce est amare occipere: amare porro autem amarum. Subit enim cum voluptate primùm amor, cum dolore deinceps hæret. Neque verò, & Silenium incipiebat nunc primùm, sed amaverat jam aliquandiu. Igitur quid substituemus? non facile dixero, nisi si *hoc opere*: id est adeo, tam: uti formantur, magno, multo, tanto opere. Nam inquit imperita Silenium, Adeone amarum est amare? Cui respondet altera doctior, & amoris omnes jam vias tenens Gymnasium, verum imprudentis adolescentiæ gymnasium:

> *Nam ecastor amor, & melle, & felle est fœcundissimus:*
> *Gustu qui dat dulce, amarum ad satietatem usq; oggerit.*

Quorum versuum priore vel *Namque* legendum è veteribus, vel *Nam mecastor* numerorum gratiâ: posteriore lubens emendem, ut magis dulcedinem dulcacido amori detraham, *Gustu vix dat dulce*: vero nimium, & valdè efficace sensu. Vix primoribus labris delibandum datur, quod in amore, si quid est, suave est: partem alteram potissimam & maximam plenis usque faucibus haurias, & haurire cogeris vel invitus non ad satietatem modò, sed nauseam & fastidium quoque. Fugiamus, mea juventus, fugiamus hunc pocillatorem: & ne illud sitiamus,

> *. . . . . . unde laboris*
> *Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructum.*

Inferius porrò vulgatur hodie:

> *LE. Stultè ecastor fecit. sed tun' unquam cum quiquam viro*
> *Consuevisti?*

Paullùm mutant vetustiores libri: *sed tu, en unquam*: paullùm ad literas, ad elegantiam dictionis permultum. Ita Trinummo:

> *. . . . . ò pater,*
> *En unquam aspiciam te?*

Menæchmis:

> *Dic mihi, en unquam intestina tibi crepant?*

Ubi sic non Brixiensis tantùm codex, quem Gulielmius noster laudat, sed & Aldinus, & Coloniensis, aliique. Varro lib. 1. c. 2. de re rust. *En ibi tu quidquam nasci putas posse, aut coli natum?* Virgil. Eclog.

> *En unquam patrios longo post tempore fines, &c.*

Terent. Phormione Act. 2. sc. 2.

> *En unquam cuiquam contumeliosius*
> *Audistis factam injuriam, quàm hæc est mihi?*

Item ibidem Act 5. sc. 8.

> *En quidquam hodie est factum indignius?*

Ita namque & hic manuscriptus disertè. Quid quod consimiliter Ovidius? Lib. 3. Amor. Eleg. 7.

> *En quisquam ingenuas etiam num suscipit artes?*
> *Aut tenerum dotes carmen habere putat?*

etsi quidem apud hunc emendandum puto, *Et quisquam*. Id enim & in exordio elegiæ vehementius fit, & illi certe rei est accommodatius. Scilicet illa exclamandi forma hic est stomachantis, quæ eadem eleg. 3. ejusdem libri:

> *Et quisquam pia thura focis imponere curat?*

Item de Remed. Amor.

> *Et quisquam præcepta potest mea dura vocare?*

Ac indignatur Ovidius, quod amator ingeniosus, & poeta excludatur tamen ab amica:

ca: in quam sententiam porrò etiam lego *suspicit*, pro *suscipit*, quod in libris, quos vidi omnibus adhuc hæret, plane contra venustatem Ovidianam. Spernit, ac rejicit elegantiorem jam omnem eruditionem, neq; suspici, aut coli vult amplius, quæ nihil adeo valeat in puellis flectendis, & amoribus conciliandis. Sed in Plauto progrediamur, ut statim habes:

Quo is homo insinuavit pacto se ad te? SI. per Dionysia.

Tollenda στιγμὴ, ut continua narratio fiat cum sequentibus, *per Dionysia Mater pompam me spectatum duxit*. Atque ita vetus meus Coloniensis. Deinceps etiam in distinctione peccatum, etsi leviter:

LE. Assimulare amare oportet. nam si ames extempulò,
Melius illi multo, quem ames, consulas, quàm rei tuæ.

Ita enim potius erat: *nam si ames, extempulò Melius illi &c.* Mox, quamvis error in sermone nullus:

Nam eum pater ejus subegit.

tamen non dubito, quin *suus* a Plauto scriptum, non *ejus*, ut proximo superiore versu, *Ei nunc alia ducenda est domum Sua cognata Lemniensis*. Mutasse puto, qui numeris studebant. At hi sic quoque procedunt tamen. Nunc locus sequitur, in quo plurimum se plurimi torserunt.

LE. Nihil amare injurium est.

Dionysius primùm ἀπροσδιόνυσος prorsus in omnibus interpretationibus, quas varias, & vanas congerit suo more. Dein Gulielmius noster in πιθανοῖς item frustra, qui *Nihil* pro homine nihili accipit: eoque matri injuriam fieri, quod amet filia, a quo nihil abradi possit. Et ut alios mittam, V. N. in Centurionatu denique, *nihil amore injurium'st* legit, explicatque, injuriosius. Ne is quidem satis ad rem aptè. Nam huc valere debent verba lenæ, ut periurum Alcesimarchum criminetur: qui conceptis verbis Silenio juraverat, ducturum eam esse uxorem, ut proximè præcessit. Igitur inquit, Nihil est, injurium amare, verbis sic ordinatis, ut in illo Catulli, *Nihil fecisse benignè est*. *Injurium* autem veteribus fuisse periurium Festus ait: quod hic pro perjuro positum, nota figura, qua & scelus pro scelesto. Quæ si dura nimis alicui videbitur interpretatio, sequatur aliam, quæ nunc hæc commentanti in mentem venit. Nam de illa, sic olim statueramus: cui sanè incipio minus ipse fidere, cum recentem magis expendo. Notat Lambinus in omnibus suis MStis fuisse, *nihil amore injurium est*: unde scilicet & Dousa conjecturam suam hauserat. Quid si leviori literæ unius mutatione scribamus? *Nihil amori injurium est*; hoc elegantissimo, tum omnibus decantato in re amatoria sensu: amori nihil aut pro nihilo esse injurium, sive perjurium. Elevet ita lena juramentum adolescenti; & quid tu, inquit, amatori juranti credebas, cum in amore juramentis, ut pila, ludatur, quæ quidem nec ipsi Dii respiciunt, imò rident, & pro joco, lusuq; sibi habent? Noti in hanc sententiam Poetarum multi versus: quos sciens prætermitto. Utramvis jam explicationem malis, in utraque *injurium* est perjurium, quod ita Festum diximus interpretari. Alias *injurius* pro injurioso valet, apud Plautum creberrimè: & *injurie* Nonius exponit injuriosè, Nevii exemplo adducto, quod corruptum hic corrigatur. Nævius Lycurgo: *Oderunt Dii homines. Injuriosè egone, an ille injuriè facimus?* Quid hoc? Omnes in universum homines oderunt dii? & quidquam discriminis est inter injuriè, & injuriosè? Quid Nonio igitur visum alterum altero interpretari? Quòd si eadem sunt, insuaviter hercle conjunguntur. At tu literulâ unâ detractâ scribe:

. . . . . Oderunt Dii homines injurios,
Egone, an ille injuriè facimus?

Sermocinatio est duorum, hujus accusantis, illius excusantis, & in ipsum nescio quem alium, in quem injurius arguebatur ab altero, culpam retorquentis. Ceterùm de Plauti loco quidquid est, *nihil* quidem cum *amare* non struendum: quod esset frustrà amare, ut Persâ: *Nihil amas, cum ingratum amas.*



CA-

CAPUT III.

Nubila mens, an nulla in amore. Parenthesis inepta commodiore versuum traductione mutata: quædam alia insuper emendata.

UNum reliquimus primâ scenâ, quod hic dabimus, etsi perquam leve. Sequitur statim ambiguum illum locum:

SI. Nunc tu amabo, ut hanc triduum hoc solum sinas
Esse, & hic servare apud me.

Versus, & sermonis, sed versus maximè caussa scribo:

Nunc te amabo, ut hanc hoc triduum solum sinas
Esse hic, & servare apud me.

Secunda jam scena parum negotii nobis exhibebit: nisi quòd trajectionem insignem video, nec fero, quamtumvis alii parenthesi voluerunt mederi. Nihil ad scenam parentheticus is sermo, nimis obscurus, & implicatus: cujus nec apud aliquam in Comœdiis exemplum, nec ferunt earum leges. Qui enim convenit in theatro tam multos versus continuo sermoni interferi? quem interruptum vix è populo quisquam sciat connectere, nemo certè æquis auribus redeuntem in orbem tanto tractu exspectarit. Abhorret ut a familiari, sic Comicâ oratione diligens, & exacta illa structuræ ratio: qua suspendi diutius animos nostros vix legentes aliquando ferimus, quo magis recusamus audientes. Itaque bona omnium venia, quatuor continuos hic in Plauto interiectos versus, istos dico:

(Quin ego nunc quia sum onusta mea ex sententia,
Quiaq; adeò me complevi flore Liberi,
Magis libera uti lingua collibitum est mihi,
Tacere nequeo misera quod tacito usus est.)

retraho fidenter ante tres illos præcedentes:

Nam illanc ego olim, quæ hinc flens abiit, parvulam
Puellam projectam ex angiportu sustuli.
Adolescens quidam hic est apprimè nobilis.

& totum locum, ut concinnitatem ejus magis videas, ordine illo versuum hic tibi descriptum appono.

Idem mihi, magnæ quod parti est vitium mulierum,
Quæ hunc quæstum facimus: quæ ubi saburratæ sumus,
Largiloquæ extemplo sumus: plus loquimur, quàm sat est.
Quin ego nunc quia sum onusta mea ex sententia,
Quiaq; adeò me complevi flore Liberi,
Magis libera uti lingua collibitum est mihi:
Tacere nequeo misera, quod tacito usus est.
Nam illanc ego olim, quæ hinc flens abiit, parvulam
Puellam, projectam ex angiportu sustuli.
Adolescens quidam hic est apprime nobilis
Sicyone, summo genere: ei vivit pater:
Is amore miserè hanc deperit mulierculam,
Quæ hinc modo flens abiit.

Quo est obsecro, qui orationis hac æquabili continuitate interruptam illam, ut sic dicam, confragositatem mutare nolit? aut germanum illum Plauti ordinem lubens mecum non agnoscat? Agnoscet profectò, aut neque Plautum, neque Comicum ullum noscet. Verùm hanc in rem verborum satis est: ad alia, si quæ sunt ibidem, convortamur. Est verò unum leviculum etiam, quod tanti tamen, ut annotetur.

Eam meæ ego amicæ dono huic meretrici dedi,
Quæ sæpe mecum mentionem fecerat,
Puerum, aut puellam, alicunde ut reperirem sibi
Recens natum, eapse quod sibi supponeret.

Versu secundo, *Quia sæpe* lego, vel ut veteres editiones, *Quòd*: ultimo, *Recens natam, eapse quò sibi suppon.* Nec enim placent vulgatæ generum mutationes. Reliqua hic & in Prologo alii viderunt: nisi si monere debeo, malè in editione Dousica distinctos versus hos, qui rectius alibi sic habent:

Is

Is eam projecit. hæc puellam sustulit.
Ille clam observavit servus, qui eam projecerat,
Quò aut quas in ædes hæc puellam deferat.
Ut eampse vos audistis confiterier,
Dat eam puellam meretrici Melenidi.

scilicet ut jungantur hi postremi duo, quorum prior ad superiores nihil spectat. Nec enim de servo quicquam lena confessa erat, quem neque scierat prorsus insidiatum sibi. Scenâ, *Credo ego amorem*, in graphica descriptione carnificinæ amatoriæ:

Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nullam mentem Animi habeo.

Emendat Gulielmius noster è Langianis *nubilam mentem*: (*p*) quod loco Trinummi firmare possim:

Scio te non sponte tuapte errasse, sed amorem tibi
Pectus obscurasse.

Et Juvenal. Satyr. 6. de amore philtris inducto:

. . . . . quod desipis inde est,
Inde animi caligo, & magna oblivio rerum,
Quas modo gessisti.

Neque tamen *nullam* damnem, quod ipsum astruxerim etiam Virgiliano exemplo, Cyri:

Ne tantum in facinus tam nulla mente sequaris.

At quod mox ibidem:

Modò quod suasit, dissuasit: quod dissuasit, id ostentat.

omninò lego, sententia non aliter ferente, *Modò quod suasit, dissuadet*: uti liquido in veteribus exstat: quibus credam potius, quàm conjecturæ olim meæ *dissuasum it*: quæ vera tamen videri poterat, absque illis foret.

CAPUT IV.

Non? hem. Pedatu. Versus aliquot in pedes suos repositi: personæ ad sententiam verborum aptatæ. Post minuta quædam, quædam graviora in Plautum; Nonius levi manu purgatus. In Asinariam quoque, & Pœnulum leves censuræ.

EAdem scenâ nimis apertum mendum est, quod emendare cujusvis fuerat, si vel numeros diligentius metiretur, vel altero oculo veteres inspiceret editiones:

Haud metuo, ne jusjurandum nostrum quisquam
Culpitet: tu jam, si quid tibi dolebit, scias quo doleat gratiâ.

Breviorem plusquam uno pede versum priorem, altero plusquam uno longiorem quis non mediocriter attentus ultrò deprehendat? & tamen etiam libri manifestè indicant, & ingerunt ipsam emendationem: inter quos Coloniensis meus maximè sic verba digerit, ut primum posterioris versus apponat ultimo prioris, quomodo planè rescribendum. Ita nempe:

Haud metuo, ne jusjurandum nostrum quisquam culpitet:
Tu jam si quid tibi dolebit.

Mox non necessaria Gulielmii nostri transpositio in illo:

(p) Mens animi, Græcis ψυχῆς ὁ νοῦς: elegantissimus hic dicendi modus, qui in Plauto non modo sed in Virgilio, Lucretio, aliisque latinis Scriptoribus reperitur, insuetatior, ac peregrinus aliquibus visus est, qui propterea ab eo Catulli loco Epist. ad Ortalum:

Nec potis est dulces musarum expromere fœtus
Mens animi: tantis fluctuat ipsa malis,

rejecerunt *animi*, & *hominum* reposuere, quos, ut infensos politiori elegantiæ, jam arguimus Thesibus nostris ex Plauto, Catullo, Persio, Statioque depromtis, & in Aula hujusce Panormitani Collegii Nobilium RR. PP. Teatinorum publice disputatis Anno CIↃ. IↃCCXXXI. Ad Catulli Epist. ad Orta. Thesi XV.

AL. Si illam uxorem duxero mibi unquam, quam despondit pater.

five numeris consulere se putavit, sive sententiæ. Constat verius, contracto *mibi* in monosyllabum: itemque sensus æquè patitur id ipsum vocabulum, vel cum verbo *duxero* jungi, vel cum *despondit*. Supra Prologo hujus fabulæ:

Huc commigravit, duxit uxorem hic sibi
Eandem

Infrà: *Ego inspectavi. herus hanc duxit post sibi.*
Sibi enim illic melius: etsi neque malè prorsus *ibi*. At qui proximus huic versus:

ME. Et me, si unquam tibi uxorem filiam despondero: (q)

levi eget unius voculæ traductione, *si tibi unquam ux.* Et qui hunc sequitur, *patieris* poscit invicem *patiere*. Nec procul alius iste:

Quod dedi, datum non vellem: quod reliquum est, non dabo,

inferi sibi velit miminum verbulum, *id*, vel *tibi* (quod est in Coloniensi) *non dabo*: ne media in *reliquum* syllaba vim patiatur a productione: quam pati sanè videatur Asinariâ quoque:

Non omnino jam perii, est reliquum quo peream magis.

nisi & illic scribendum, *est reliquum quid quo peream magis*: quod varietas librorum suadet, quorum alii *quod*, alii *quo* habent, ut scilicet utrunque recipiatur. Quanquam alias recurrere ad neglectam ubique elisionem possis. quod plane quidem faciendum Pœnuli Prologo, in eadem voce:

Hem pauè oblitus sum reliquum dicere.

nisi *faui* scribendum, vice *sum*. Sed has minutas observationes relinquamus. Sequitur post pauca:

AL. Non? hem quid agis? ME. igitur animum advorte, ut quid agas, scias.

Ubi rectè pridem Gulielmius noster è Langianis *agam* reposuit: ego porro distinguendum aliter etiam monstro:

AL. Non? hem. quid agam igitur? ME. animum advorte, ut.

De formula *Non? hem*: vel *hem, non?* ad Asinariam pluribus egi. Hic deinceps personis malè distinguuntur ista:

Tu me delenis, propter hæc pecco. ME. perge dicere.
AL. An nec etiam quid consultura sit, sciam? ME. perga eloqui.
Non remittam, definitum est.

Continenter omnia sunt Alcesimarchi præter hæc postrema, *Non remittam, definitum est*. Reliquis contemnificam, & fastidii plenam meretricem, quæ respondere non dignabatur, urget, & instat assiduò, donec vocem, & sententiam extorqueat. Sed inibi *consultura sit*, male sensui quadrat. etiamque versui ipsi. Correxerim *consultaris*. quærit enim non quid consultura sit in futurum, quod ridiculè quærat, sed quid consultum apud se jam decreverit. Ita igitur rescribes:

AL. Juno filia, & Saturnus patruus, & summus Juppiter.
Tu me delenis, propter te hæc pecco. perge dicere.
An nec etiam quid consultaris, sciam? perge eloqui.
ME. Non remittam, definitum est.

Statim levius interpunctum errat:

. . . . . Ita quid dicam nescio.
Jam scio: imò mulier audi, meam ut scias sententiam.

Tamen errat: & melius, *Jam scio imo: mulier audi*. Denique ut hanc scenam absolvam:

Et quidem hercle nisi pedatu tertio omnes afflixero:

Jam supra puto dixi, verius *efflixero* a Gulielmio nostro scribi, quod habent plures antiqui libri, Flor. Ald. Colon. hic nunc hujus occasione versus Nonium in voce *Peda-*

(q) *Despondere* latine, quod Græce ἐγγυᾶν, recte hic de Patre dicitur. Ut enim vox hæc in usu est apud latinos Scriptores Pater puellam dicitur despondere, sicut etiam Avus Paternus, & frater ex eodem Patre. Verumtamen ut videre est in l. si quis tutor §. quamvis ff. de rit. nupt. l. cum hic status §. ult. de Donat. inter vir. & uxor. in Cujacio Observa. XVI. XXXIII. *despondere* etiam dicuntur, qui conveniunt invicem inter se de futuris nuptiis.

Pedatu, five ἀρχαϊκῶς *Pedate* leviter corrigamus: qui cum ait, *Pedatu positum pro repetitu vel accessu, quasi per pedem, sicuti nunc vulgò dicitur tertio pedatu*: abundant postremæ duæ voces, quæ perperam è proximo Catonis exemplo iteratæ. nisi tolerari tamen sub alia possunt distinctione: *quasi per pedem, sicut nunc vulgo dicitur. Tertio pedatu, Cato Origin. lib. 1. Igitur tertio pedatu bellum nobis facere*. Vulgo quidem ætate Nonii non usurpabatur hoc *tertio pedatu*, sed alterum *per pedem*, quo explicat ipsum *pedatu*.

CAPUT V.

Blanditiis subagitare. Conjectura in banc fabulam una? tum alterius loci fracti, mutilique ex antiquis libris restitutio tentata.

VIx est, ut personæ rectè habeant, scenâ *Audire vocem*.

LA. Dico ei, quo pacto eam ab Hippodromo viderim
Herilem filiam nostram sustollere.
PH. Extimuit tum illa? ME. jam horret corpus, cor salit.

Certè non minis aptè, nimis autem callidè, ideoque non aptè satis, Phanostrata quærat, an extimuerit anus, velut indicium conscientiæ captans: magisque convenerit, ut id sponte servus continua narratione dicat. Ita demendum tibi Phanostratæ nomen: nisi forte neque servo tribuenda ea verba, quæ profectò meretrici Melænidi competere potius videntur, ob similitudinem frequentium, quæ sunt ejusdem, *jam horret corpus, cor salit*. Verùm id non processerit tamen, nisi leviter immutes:

ME. Extimui in filia: horret corpus, cor salit.

Aptius ita nihil ad sententiam. *In filia*, id est in filiæ nomine, seu ad mentionem ejus turbatur meretrix, & in memoriam redit veteris sui facti. Neque verba, singularumque adeò literarum ductus ab emendatione tali abhorrent. Quid enim facilius, quam ut *filia* fiat ex *illa jam?* quod alibi, fabulaque etiam proxima corruptum planè similiter observavi. Nam *tum* quod extrudimus, illi intruserunt, qui *jam* fecerant, aut repererant factum ex ultimis literis degenerantis vel abolitæ vocis *filia*: præclarè, ipsorum judicio: quasi quærente Phanostrata, an anus tum extimuisset. Valdè mihi posterius hoc nostrum placet: neque facile quis eripiet mihi, quin rectè animadversum a nobis sit, Melænidis integrum esse versum, tum sagaciter indagatum, & inventum, erutumque feliciter τὸ *filia* è vestigiis scripturæ vulgaris. Sed jam locus excipit nos, in cujus voraginem si me immisero, despero vel cum mea, vel ipsius emergere salute. Nam neque integra illa sunt, ut vulgò cuduntur:

LAM. Pergo puellam his alloqui dictis: illæc anus
Fortuitò matrem, ne se deseras vocat.
Nam illæc tibi nutrix est, ne matrem censeas.

Manifesta enim in sententia lacuna. Neque Lambini satis explet emendatio:

Pergo. puellam his colloquor dictis: istæc anus,
Fortuitò inventam, ne se deseras, vocat.

quam quidem nec unde hauserit, dignatus est nobis indicare: sive tanti non putavit, quod ignoscam, licet ægrè; sive non è libris, ut vereor, ullis, sed ingenio depromsit, eoque tacet callidus, quod nullo ignoscam modo. Quin idem hoc quoque nomine notam fortè meretur, quod nè versum quidem priorem satis ad leges fecit, æquo scilicet longiorem. Rursum autem quam hæ lectiones horum concisæ, abruptæ, tam illa vetustiorum codicum laxa, & fluxa, neque multò sanè minus vitiosa:

Pergo illo subagito blandis, & benedicis
Dictis: illæc (Venetus hic inserit etiam, *te anus*) *forti fortunæ fortius*
Aures obserat. ego Lemniam fores voco:
Nam illæc tibi nutrix est.

Horum ut omnia Plauti non germana, sic pleraque nec à glossis, meo quidem animo. Nam primùm hoc, *subagito blandis, & benedicis dictis*, quin Plauti sit, nemo persuaserit mihi: qui quidem Apulejum sciam eadem usum phrasi: cujus imitatione,

ne, nisi, quæ solennis ipsi, Plauti? Apol. 2. *Cur autem tam absurdis, tamque tabernariis blanditiis subagitarem, quem iidem ajunt versibus amatoriis satis scitè lascivire?* Quamquam in hoc quoque ferre nolunt id verbi, & quidam *sublaterarem*, de quo nihil dicam, quia nihil condignum possum, ut tam inhonesta emendatio meretur; alius etiam nescio qui *subulcitarem*, quod item cum auctore suo mitto, substituere sunt conati. Sed satis se uterque utriusque locus altero probat, ac tuetur. Deinde nec *aures obserat* esse Plautinum dubitem, etsi verba non nemini in eam sententiam eadem: sententiam ipsam quidem memini crebriusculam. Supra hac fabula:

Non edepol istæc tua dicta nunc in aures recipio.

Epidico: *Neque ego id immitto in aures meas.*

Scilicet ad verba servi claudebat anicula aures, & velut obserabat. Jam *forti fortuna*, & *Lemniam* perspicuè quidem falsa, nata tamen magis ex dubia manuscriptorum lectione, quam ineptorum glossographorum inculcatione. *Foras voco* denique vel sententia probet: quæ ex ratione Oeconomiæ vult, cum aniculam servus clamore per viam iectatus esset, eum eam insecutum ad ipsas ædes, atque ibi cum parum etiam proficeret, ipsam tandem puellam evocasse, & ei rem totam, spe certa abalienandi, denarrasse. De re, quæ geritur, & verbis in parte, quæ libri veteres habent, sic esse, res ipsa loquitur, & verba pleraque consentiunt: ceterùm ex lectionum omnium collatione locum ipsum concinnare, sic ut integer ad ipsum Plauti exemplum restituatur, insanùs tantùm conari audeat, sanus autem nemo, vel sperare possit; tantum abest, ut quisquam omnium, nisi si planè divinus, aut Deus ipse præstare. Nos tamen animi saltem gratiâ, ludibundi tentavimus, an selectis undique verbis, quæ maximè convenirent, explere sententiam, & connectere versus possemus: atque in hunc modum quasi ferruminavimus:

PH. Age perge quæso, animus meus audire expetit,
Ut res sit gesta. ME. utinam exaudire non queas.
LAM. Ergo (vel, *Ego*) *illam subagito blandis, & benedicis*
Dictis: at illæc fortius aures obserat.
Ego puellam foras voco, atque bis colloquor.
Illæc te anus fortuitò inventam filiam,
Fortuitò matrem se, ne deseras, vocat.
Nam illæc tibi nutrix est, ne matrem censeas.

Scio Plauti non esse hæc, nec videri volo: sed ludere libuit, vel eò, ut quæ in vulgatis libris lacuna hic esset, ostenderem ex sensuum, & œconomiæ ratione, quam ex codicum vetustiorum lectione deprehendissemus.

CAPUT VI.

Conquiniscere. Puerile officium, corollarium. Terminus. Cevere. Interpuncta, verba versus in melius mutata. Dein liberiores aliquot loci non hic tantùm Plauti, sed & Pseudolo extra ordinem, neque solius Plauti, verùm Apuleji quoque, & Pomponii correcti, simul, quod sit pace severiorum lectorum, enervati.

Alia nunc ejusdem scenæ quanto leviora, tanto certiora persequamur:

Ego te reduco, & voco ad divitias, ubi
Tu collocere in luculentam familiam.

Versus poscit, & *revoco*, quod suggerunt veteres etiam editiones.

Ac statim: . . . . *Non enim hic, ubi ex Tusco modo*
Tute tibi indignè dotem quæras corpore.

Sententia pendet, quam absolverim parva mutatione, ut retrò legatur particula *enim*, ac scribatur, *Non mane hic*. Mansionem ei, & vitam meretriciam dissuadet. Post aliquammulta:

LA. Ubi locuta est, ego continuò anum interrogo,
Ubi habitat, inquam.

Ut numeris obsequar, excludo vocem *anum*, quæ nec ad sensum necessaria, & glossema

ſtma videtur: item *elocuta* malim ex vetuſtis. Mox verſus i erum cauſſa, pariterque ſententiæ, lego:

. . . . . ſiccine
Agis nugas? periiſti hercle, *ni hoc*, vel *hoc ni ediſſerit*.

ubi vulgò, *ni hercle hoc ediſſ.* Deinde:

LA. Servatur: ſed illæc ſe quandam ajebat mulierem:

numeri quodammodo gravantur etiam particulam *illæc*, quam ſanè veteres nec habent. Ibidem porrò:

. . . . . ME. me indicabit, & ſuas
Ad meas miſerias addet.

Videri ſcribendum poſſit *mi*, niſi verius eſſet non de communicatione miſeriarum accipere, ſed de indicio ipſo, & delatione, ut inferius hac quoque ſcenâ:

Nunc egomet potius hanc inibo gratiam
Ab illis, quàm illæc indicet me.

Poſt alia pauca:

LA. perfectum ego hoc dabo negotium.
PH. Deos teq; ſpero. LA. eoſdem ego, uti abeas domum.

Languidum per ſe hoc eſt, & frigidè explicatur. Ego corrigendum ajo: *LA. eoſdem ego. potin' abeas domum?* Domum ire jubet hærentem, & ſe precibus morantem. Sequitur alia ſcena: cujus ut primus verſus,

Rem elocuta ſum tibi omnem: ſequere me mea Silenium:

reſpuit abundans alterutrum, *me* vel *mea*: ſic tertius ſanè recipit *meum*, quod veteres inculcant:

Quamquam invita te carebo, meum animum ego inducam tamen.

Itemque inferior *atque*, quod ingerunt iidem:

Accipe hanc ciſtellam, Haliſca, atq; agedum pulta illas fores.

Deinde quos rogat accurrere Silenium, ut Alceſimarchum ſervent?

AL. Ecquid agis? remorare? lumen linque. SI. amabo, accurrito
Ne ſe interimat.

Quin ipſa accurrit, quod neque præ amore non potuit, & feciſſe proxima oſtendunt:

AL. ô ſalute mea ſalus ſalubrior. (r)

Ergo legendum ne *accurrero?* quaſi veniam a Melænide præfetur, ut per eam liceat. niſi ſi putabimus ipſum juſſiſſe, ut legatur: *ME. amabo accurrito*, vel *accurre tu*. In proximis quidem majuſcula litera ſcribendum *Salute* & *mea* ſine accentu. Silenium ſuam ſalutem Alceſimarchus dicit ipsâ Deâ Salute ſalubriorem. Nec idem negligendum fuerat ſine ſequentis ſcenæ:

In tempore ipſo ſpes mihi ſancta ſubvenit.

quæ verba diſtinguenda etiam cum præcedentibus ſic videntur:

Aut quis Deus objecit hanc ante oſtium noſtrum, quaſi
Deditâ operâ, in tempore ipſo? Spes mihi ſancta ſubvenit.

At ejuſdem initio quoque ſic interpuncta potius diſponam:

Nullam ego me vidiſſe credo magis anum excruciabilem,
Quam illæc eſt. quæ dudum faſſa eſt mihi, quæne inficias eat?

ſtructura & ſenſu ſimili, cum alio verſu ibidem:

Omnia inficias ire ea, quæ dudum confeſſa eſt mihi.

(r) Salus, quæ & Hygæa filia Æſculapii eſſe perhibetur. Invenitur & Hygias ejuſdem filius. Huic appenſa fuit tabella pedes exhibens litteraſq; H. D. hoc eſt Hygiæ donum. Putant autem a quopiam fortaſſe datam, qui pedibus laborans ejus ope ſanitatem impetraverit; vel ab aliquo Romano milite affixam, qui Annibalis ſævitiam effugerit, quum alii captivi pedibus eſſent mutilati: Vidit autem tabellam ipſam Romæ eruditiſſimus vir Samuel Pitiſcus apud Joannem Caſalem in candido marmore. Salus vero dextera cibum in patera gerebat, nempe quod medicamentorum ope valeamus, ſive quod præſenti tantum Deorum Numine, aut amiſſam ſalutem reparemus, aut reparatam conſervemus: ſiniſtra ſerpentem tenebat, quod ægrotantes firmiores facti, ut ſerpentes renoventur, vel quod in ſerpentibus medicamina ſint, quibus firmam valetudinem tueamur, aut deperditam recuperemus.

Sed illum porrò versum benè partim, partim malè, id est totum non rectè interpretantur:

Faciundum est puerile officium, conquiniscam ad cistulam.

Conquiniscere, de Nonii sententia, est sanè inclinare se: puerile autem officium facere, unde est aluum exonerare? An quia pueri tantum (ignoscite honestæ aures) cacant? Aliud multo obscenius etiam latet, etsi hoc erat obscenum satis. Sed germanam sententiam nos quærimus, pace severiorum Catonum. *Officium puerile* facere, est, facere, quod pueri solent, more puerorum. Ità *servile officium* interpretati sumus ad Captivos, nempe fugam, de consuetudine, & natura servorum, qui plerique fugitivi. Nec aliter officium Lenonium dicitur perfidia, Pseudolo, *SC. Pseudole.*

Si is non aderit, posse opinor facere officium me meum.
CA. Quid id est? BA. si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.
Hoc meum est officium.

Pueri autem quid solent, ii dico, qui solent? Intelligit hoc, qui *solere* verbum apud Plautum. Apulejus id in muliebri sexu *puerile corollarium* vocat. De Fotide sua, Miloniana lib. 3. *Omnibus abjectis amiculis hactenus denique intecti bacchamur in Venerem: cum quidem mihi jam fatigato de propria liberalitate Fotis puerile obtulit corollarium.* In quibus duo verba suo loco exsulant, quæ hic per occasionem restituo, & emendo: *Omnibus abjectis amiculis, intecti bacchamur in Venerem: cum quidem mihi jam fatigato hactenus, denique de propria liberalitate Fotis puerile obtulit corollarium.* Martialis eandem rem *puerile* simpliciter nominat Epigr. 69. lib. 9.

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cujus nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis, illud puerile poposci:
Ante preces totas, primaque verba, dedit.

Hæc de voce *puerile*: jam *officium* magis etiam eodem convenit, si quis meminerit, quid de eo Seneca pater: unde *officiosus* apud eundem, & Petronium etiam, ni fallor. Denique conspirat in eandem mentem ipsum verbum *Conquiniscere*: quod non simpliciter est inclinare se, verùm ita, ut admissario præbeatur inscensus. Et hoc schema expressurus erat servus inclinato corpore ad cistellam humo sustollendam: quo respectu puerile se officium facturum dicit, & conquiniscendi verbo utitur in ea re proprio. Nam huc abeunt omnia ejus apud Nonium exempla, etiam illa dico, quæ habet in *Ocquiniscere*. Pomponius Prostibul.

Ut nullum civem prædicavi per dolum,
Nisi ipsus orans, ultroque ocquinesceret.

Ubi quis corrigendum non videat *pædicavi*? Idem Pistore:

. . . . . *Nisi nunc aliquis subito obviam occurrit mihi,*
Qui ocquiniscat, quò compingam terminum in tutum locum.

In quibus quem *terminum* dicat, facile omnes divinarint: si tamen sana ea vox, quod hic disputare non attinet. Potius alterum Plauti nostri locum videamus è Pseudolo, quem inde apud Nonium esse magnus Lipsius ostendit, & correxit, ut in ipsa fabula vulgò legitur, quod mihi contra faciendum videbatur. Nam ut ille rescribit, & plerique libri legunt:

Si conquinescet istic, conquiniscito simul:

versus in mensuræ leges peccat, abundantia unius pedis: in Florentino autem veteri unius item pedis defectu, qui scilicet *conquiniscito* verbum posteriore loco non iterat: ut vel hinc appareat, aliud nescio quid subesse: imò scio quid. Etenim cur dubitem, quod in Nonio est *ceveto*, hic recipiendum? quod tam pulcrè jocum Plautinum juvet, in eandem cum reliquis omnibus sententiam. Huc enim ibi quoque Plautus respicit: & ad servum, si oquum, inquit, videris conquiniscere, tu pariter ceveto: quod idem, imo plus est. *Cevere & crissare* sibi respondentia quis non apit? ne ego diutius operam in hac, cujus me pudet, & piget, obscenitate explicanda sumere cogar. Quâ missâ, apud Nonium in *conquiniscere*, verba: *Idem: & dolosi idem conquinisce, sis, istic ceveto simul*: ita concipienda dico: *Idem Pseudolo: Si conquiniscet istic, ceveto simul.* dein quod consequum est, in Plauto versum eundem eodem planè modo rescribendum edico,

CA-

CAPUT VII.

Evenire, De versuum aliquot, & verborum mensura, tum de locorum integrorum sententia, & emendatione disputatum.

UT ut explicatione torqueat interpres, non est sana tamen vox *petulantia*, horum versuum priore:

Itaque petulantia mea me animi miseram habet:
Quæ in tergum meum ne veniat, malè formido.

Negligentiam dixit Plautus aut socordiam: quod ex illo patet,

Si hera mea sciat, tam socordem esse, quam sum.

Haud facile tamen in eum sensum aliam congruentem vulgatæ literis vocem reperias, qua mutes. Altero versu planè scribendum, *ne eveniat* Id enim compositum idem est cum *expetendi* verbo, de quo ad Amphitruonem. Ovidius Heroid. Acont. Cydip.

Inque caput nostrum dominæ perjuria quæso
Eveniant: pœna tuta sit illa mea.

Deinceps est:

Non sum scitior, quæ hos rogem, aut quæ fatigem.

quod plenius, & melius libri veteres cum emendatione Gulielmii nostri: *Sed nonne ecastor ego sum mulo inscitior?* Ibidem non improbo *fatigem*, nescio tamen an non & probandum *flagitem*. Et statim:

Nam si nemo hac præteriit, postquam intrò abii,
Cistella hîc jaceret. quid hîc? periit opinor.
Actum est, ilicet me illicem, & scelestam.

Aliter hoc alibi distinguitur, partim & scribitur,

Cistella hîc jaceret: quia hîc periit opinor.

de quo non pugno. Verba postrema cogito an sana sint; nec videntur. Quid enim hic *illicem*? An fuit *infelicem*? Ni sic; vel abundare putem, iteratum supina negligentia ex præcedenti *ilicet*, vel ex eo ipso iterato corruptum, iterandumque denuo, *ilicet me, ilicet me scelestam*. Porrò:

Halisca, hoc age, ad terram aspice, & despice
Oculis investiges, astutè augura.

Licet post Lambinum & nobis conjectare. Quid igitur, si legas, *& despice Oculis in vestigia*. nam veteres, *vestigia*. Vel ex vulgato, *& dispice Oculis: è vestigiis astutè augura*, sive *aucupa*: Sanè vestigia deinceps persequitur, & ex iis conjicit iter ejus, qui cistellam inventam abstulerit. Post paucula:

Aliam rem ago. quod periit, periit, meum corium,
Cistella, redeo intrò.

Ex veteri scriptura concinno: *quod periit, periit: meum quidem corium Cum cistella. redeo intrò*. Post pluscula:

LA. At enim ille quidam argentum expetit. HA. at nequidquam argentum expetit.

Trahit supra mensuram versus. Neque sanè repetiturus fuisse videtur Plautus vocem *argentum*: qua tamen & extrita numeri labant in fine. Ut subveniam, scripserim: *HA. at nequidquam expetiſſit*. Omninò penultima syllaba longa debet esse: qua caussa productim efferenda eadem in *gratuita* sequentis versus:

LA At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratuita est.

Quomodo Horatius in simili voce:

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant.

Quod illic in Plauto minus necesse tamen, si cum Lambino inseras, *in re nulla*. Qui proximè hos sequitur versus, ei præfigenda Phanostratæ persona, cui magis convenit iste sermo, quam Lampadioni:

PH. Commoda loquelam tuam: tibi nunc prodimus, & confitemur Cistellam habere.

Monuit hoc & Camerarius olim, ille non primus tantum benè, sed optimè inter alios dein-

deinceps meritus; de Plauto. Atque idem non malè etiam ad finem ejusdem scenæ versum Phanostratæ adscriptum rursus eripit, & transcribit Halisca:

HAL. Illius ego istanc esse malo gratiam.
Sed istanc cistellam te obsecro, ut reddas mihi.

Quamquam neque disconvenit, ut Phanostrata gratiam, & beneficium debere se malle dicat ipsi heræ, quàm ancillæ. At rursum modestæ ancillæ, quæ quidem se servam ultrò profiteatur, & exquiri antè jusserit ex ipsa domina, videtur hoc quoque tribuendum; ut bene merendi occasionem à sese in heram transferat, & ab ea præoptet hanc totam gratiam iniri. Id quidquid est; regrediamur ad versum a fine scenæ paullo remotiorem:

PH. Mea est. LA. ea est, ut numerus annorum attulit.

Inibi malim, *uti numerum annorum attulit*: scilicet Halisca. Ut hæc, inquit, annos dicit, certè tua illa est. Suprà:

Hanc scire oportet, filia tua ubi sit, signa ut dicit.

Sed jam ultimum hujus fabulæ erratum est in ultimo penultimæ scenæ versu:

DE. Abi citò: prævorti hoc certum est rebus aliis omnibus.

Quod hic, inquies, erratum? Verba non culpo, sed non dici ab iis omnia dico, a quibus debeantur. *Abi cito* non senis sunt, qui quorsum ire servum jubeat? sed ipsius servi, qui properare hunc jubet in affinis ædes. Ita inquam personatum indices literæ collocandæ.

..... LA. propera ire intrò huc ad affinem tuum,
Filiam tuam jam cognosces. intus ibidem uxor tua est.
Abi citò. DE. prævorti hoc certum est rebus aliis omnibus.

Hoc ab aliis non visum anteà, non miror, etsi quidem etiam miror: ostensum a nobis si verum non videbunt jam nunc omnes, id verò mirabor, ac demirabor,



VA

VALENTIS ACIDALII
IN PLAUTI EPIDICUM
DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES AD
JUSTUM LIPSIUM
CELEBERRIMUM,
Et ſumma Doctrina, ſummiſque in Remp. literariam meritis virum.

CAPUT I.

Coaſſolet. Eugepæ. Dixis. Ut vel utcunque, exin. Emendata multa noviter, aliorum quædam confirmata, quædam refutata. Plautinæ aliquot argutiæ, ac joci declarati.

EPidico primore ſanum illud aliis fortaſſe, mihi quidem vix eſt:

Venire ſalvum gaudeo. TH. quid ceterum? EP. quod eo aſſolet,
Cœna tibi dabitur.

Geſtio namque & hic reſcribere *quod coaſſolet*, eâ formâ, qua *coaccedere*, & *coaddere*: de quibus ad Caſinam Gulielmius noſter olim, nos ad Captivos etiam ſuprà. Neque tamen abjicio vulgatum *eo*, quod interpreteris, ad id. ſed noſtrum certè venuſtius fuerit. Statim ille locus:

EP. Quid tu? agis, ut velis? TH. exemplum adeſſe intelligo.
EP. euge
Corpulentior videre, atque habitior.

Palmerio debet, qui verbis, perſoniſque commutatis emendabat:

. . . . . TH. exemplum habes. EP. intelligo. euge!

Rectè: niſi ego ſanè malim, *exemplum adeſt*: ſed illius omnino retentâ perſonarum collocatione, ſine qua ſententia friget. Hoc autem præterea moneo, *eugepæ* ſcribendum etiam, verſus cauſsâ: quæ interiectio geſtientis item, itemque Plauto familiaris. Tertium abhinc verſum:

EP. Dii immortales te infelicitent, ut tu es gradibus grandibus!

neſcio, ſi rectè omnes capiunt, explicavit quidem nemo. Ineſt Plautinus jocus, occultior, & fallens, niſi diligenter attendas. *Dii immortales* exclamatio, plerumque eſt admirantis: hic & imprecantis oratio: ſed diverſimodè cum reliquis juncta. Admirabundus Epidicus ad Theſprionem ita perfert, *Dii immortales, ut tu ex gradibus grandibus!* interim eidem vel ſecum, vel ad ſpectatores averſus imprecatur, *te infelicitent*: ob rapacitatem nempe, de qua præceſſerat. Ita bis exaudiendum illud *Dii immortales*, ad utramque ſententiam abſolvendam; quam ſi confundas, nihil erit hic elegantiæ Plautinæ. Tacitarum autem hujuſmodi imprecationum alia ſunt paſſim exempla multa, ſed alius generis, quæ per occaſionem meliorem alibi infra dabo. Heic deinceps ſequitur:

EP. Quid agis? perpetuon' valuiſti? TH. variè. EP. qui variè valent,

Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.
TH. Quid tibi vis dicam, nisi quod est? EP. ut illi responde. TH. probè.

Versu horum primo legendum, *Quid ais?* Ultimus pessimè distinguitur personis, neque scriptura est tolerabili, quam Lambinus effecit multo nequiorem. Ego sub una Thesprionis persona totum lego:

TH. Quid tibi vis dicam, nisi quod est? ut illi respondi probè!

Nam ad spectatores postrema dirigit, & quam benè, inquit, interrogationem illius elusi! quippe eluserat, cum quærenti de valetudine, variè valuisse responderet: quo non dicit certè quod alter volebat: etsi non contento illo, tamen pertendit, dixisse, quod est. Si Lambinianum sequere sensum, melius tum scripseris: *EP. at illi responde probè*: *Quid herilis &c.* Me nihil a meo facilè dimovebit. Illo mox:

EP. Quem me dicis digniorem esse hominem hodie Athenis alterum.

nihil interest, *dicis*, an è veteribus *dices* malis, an verò utrique etiam horum præponas *dixis*, id est dixeris. Sed *dicis* in re simili Bacchidibus etiam:

BA. Miserius nihil est, quam mulier. Pl. quid esse dicis dignius?

Intervallo plurium versuum proverbii speciem gerit iste:

TH. Utcunq; in alto ventus est, Epidice, exin velum vortitur.

quo cave probandum ullo modo putes Turnebi, & Lambini *ex imo*, pro *exin*. Inanis argutia est de ima veli parte, nec quidquam faciens ad rem. *Exin* sincerum esse, vel inde liqueat, quod ita planè scribitur & Pœnulo, ubi eadem ista sententia cum iisdem verbis. Scen. *Suspendant*:

Tranquillitas evenit, quasi navi in mari.
Utcunque est ventus, exin velum vortitur.

Nec est exin, aut exinde aliud, nisi, pro ea ratione, vel ita: jungiturque, & respondet τῷ ut, etiam Mostellariâ:

Ut fama est homini, exinde solet pecuniam invenire.

Paullò post elegantem locum eleganter elegantissimus Gruterus emendare occupavit in hunc modum:

EP. Quid? istanc quam emit, quanti eam emit? TH. vili. EP. haud istuc te rogo.
TH. Redde igitur. EP. quot minis? TH. tot. EP. quadraginta minis!
TH. Id adeò argentum.

à quo tamen abeo, ut vides, cum *Redde* retineo: quo mutato magna pars intercidit venustatis. Non placet illi servum argutari in eo verbo: nego argutari in isto. Certè jocus non in hoc, sed in altero, quod Epidicus dixerat, *rogo*, consistit. Illius ambiguitas argutandi occasionem dedit. Nam cum alter pro interrogo usurpasset: alter sic accipit, quasi mutuum, aut commodato rogo. Atque ita cum ille aliud velle innuisset, hic reddi id ipsum jubet. Idem ferè jocus intra etiam hac fabula, scen. *Si quid est*.

PE. Salva sis. MU. salutem accipio mihi, & meis. PE. quid ceterum?
MU. Salvas sis, quod credidisti reddo. PE. haud accuso fidem.

De computandi ratione per digitos, & ille, & CL. Colujus ante eum benè: post quos nihil attinet exempla plura aggerare. Nec hinc longè Gulielmii nostri emendatio occurrit, quam item probo:

. . . . . TH. nescio edepol, quid tu timidus es,
Trepidas Epidice; ita voltum tuum video, videre commeruisse
Hic, me absente, in te aliquid mali.

nisi quòd malo etiam, *uti voltum tuum video*. nam sic & sermo cohæret melius, & magis sensus elucescit: ut ex vultu tuo conjicio. Paucis interiectis illud habes:

EP. Juppiter te perduit. TH. mitte nunc jam me. nam ille me ad vos ire vetuit domum.

Nisi me digiti isti fallunt dimetientem, longior est versus quàm pro lege, nec factus omninò ad legem in fine, si *domum* quidem constituet ultimum pedem. At hoc ego abjicio, & glossam scio appictam ad superiores voces, *ad nos*. *Nos* enim etiam lego, non *vos*: quando quidem ex eadem familia uterque hi collocutores servi. Eorum alter abiturus, ne se comitem ad heriles ædes alter posceret, aliò sibi divertendum ait, & vetitum ab hero minore domum rectà ire. Sed versus laborant etiam in proximo:

Eò

Eò venturus est ipse. EP. quid ita? TH. dicam; quia patrem
Prius se convenire non vult, neq; conspicari, quam id argentum,
Quod debetur pro illa, dinumerarit. EP. heu edepol res turbulenta est.

Priorum priori deficit aliquid, alteri superest: utrumque constitues additione, & detractione alterna:

Eò venturust ipse. EP. quid ita? TH. dicam. quia patrem prius se
Convenire non volt, neq; se conspicari, quamd argentum id &c.

Ultimo etiam emendandum, *res turbulentas!* quomodo in Langianis MSS. disertè: nec longè abeunt veteres editi, è quibus eandem conjecturam feceram. Locutio autem talis & Milite, scenâ, *Jam est: Heu hercle odiosas res!* Et similis Menæchmis, scen. *Vt atat:*

SE. Heu hercle morbum acrem, ac durum!

CAPUT II.

Puppis pereunda est. Depolire, pectere, exornare, exsincerare. Degere, an detegere, an delegere. Vulgatæ lectiones quædam defenduntur, de aliis novis disputatur. Assertio Nonii, & fides in dubium vocatur.

Etiam doctos antiquarios interdum fallunt antiquariæ locutiones, quod hic in prima etiam scena doctissimo cui jam accidit, isto loco:

TH. Mitte me, ut eam nunc jam. EP. hæccine ubi scibit senex? puppis
Pereunda est probè.

Neque Camerarium dico jam, *perciunda* reponentem: sed illum, qui hoc amplius, *pupis Pereundum est probè*, mutabat. Uterque bona eorum pace, lapsi: hic magis, tanto scilicet, quanto major illo. *Pereunda puppis* valet, necesse est puppim perire ut Trinummo:

Si illa tibi placet, placenda dos quoq; est, quam dat tibi.

De puppi autem seu navi ἀλληγορικῶς frequenter Plautus. Vel Mostellaria insignem locum vide, scen. *Melius anno:*

Sed Simo, ita nunc ventus navem nostram subito
Deservit: & quæ sequuntur. Bacchidib. etiam:
Bene navis agitatur, pulcrè hæc confertur ratis,

Et Ovidius Epl. Sapph. Phaon.

Non agitatur vento nostra carina suo.

Hæc igitur etsi remotior a vulgato usu, nihilo tamen proba minus lectio non fuerat sollicitanda. Mox ibidem est:

Neq; ego nunc quomodo me expeditum ex impedito faciam
Consilium placet.

Placere sanè haud poterat ullum, qui nullum adhuc reperisset, aut cogitasset. An ergo placebit nobis hic ipsum verbum *placet*? Mihi vix potest: qui *licet* fuisse suspicer, id est *liquet*. Ex scribendi enim ea ratione veteri natum sit fortasse mendum. Paullò post omnino legendum:

. . . . . nam jam ubi senex senserit
Sibi data esse verba, virgis dorsum depoliet meum.

non *despoliet*, quod perstitit hactenus contra aliorum etiam accusationem. At hercle non usurpabitur in eum sensum, qui superius hac scenâ:

Detegetur corium de tergo meo:

qui & ipse locus dubius: nec scias, *detegetur* legendum potius, an *degetur*, quod Nonius voluit: etsi Nonio minus ego credo, nimis nos sæpe decipienti. Nam exemplum etiam alterum non firmum, quod affert ex Aulularia:

Nunc ego istum soror laborem degam, & deminuam tibi.

Demam enim ibi plerique omnes libri: quod facilè se præ altero probat. Quid autem *detegetur*? an & ipsum sincerum satis? Memini, cum *delegetur* anteferrem: quod pro carpere, & deripere usitatum. Propert. lib. 2.

Altaque mortali deligere astra manu.

Horat. Sat. 8. lib. 2.

Post

Post hoc me docuit melimela rubere minorem
Ad lunam delecta,

Sed ad propositum locum: quo *despoliabitur* dicendum fuerat, si in eam mentem id verbum poneretur. At hoc numeri spernunt: ut *depoliet* verum esse constet. Id pro eo quod alibi *pectere* dicit. Rudente:

Audio tumultum: opinor, leno pugnis pectitur.

Pseudolo: *Sed vide sis ne tu oratorem hunc pugnis pectas postea.*
Menæchm. *Quid me vobis tactio est? Pecte pugnis.*
Quæ adduxi, ut Captivis eadem lectio firmaretur:

Nam hercle nisi manticulatus probè ero, fusti pectito.

Ubi *plectito* adhuc vulgò: & ibidem non omnes libri *manticulatus*, quod rectum tamen Festus, sive Paullus satis probaverit in *Manticulis*. Terentius depectere, & exornare jungit, Heautontimor:

. . . . . adeò exornatum dabo,
Adeò depexum, usque dum vivat meminerit semper mei.

Plautus etiam peculiarem sibi vocem in hac re usurpat, *exsincerare*. Mostellar.

Lubet cavere malam rem prius,
Quàm ut meum tergum exsinceratum fiat.

In quo ludit & Pœnulo:

Si herus meus me esse locutum cuiquam mortali sciat,
Continuò is me ex Sincerasto exsinceratum fecerit.

Sic enim rectè illic emendatur. Ad hæc exempla quis jam non adscribat hoc *Depolire*, qui Nonii quidem insuper legerit *politiones*, & *depolitiones*? de quibus supervacuum arbitror aliquid hic referre. Secundâ scenâ, non abnuam rectè Gulielmium nostrum emendasse isto versu:

ST. Qui invident, omnes inimicos mihi istoc facto repperi.

emendasse inquam illum, *Quin vide*. imò dixerim emendasse rectè. Tamen pronius fuerat, *Qui vident*: ut Captivis.

Ubi quisque vident, eunt obviam,
Gratulanturque eam rem.

Pronius hoc fuerat, literas quidem si respicias, sed & sensum. Nec enim omnes prorsus habere potuit inimicos, saltem qui vidissent: & videre dum potuerunt perpauci, cùm vix in patriam rediisset. Nisi aliam longè sententiam subesse putabimus, aliamque requiri correctionem non horum in principio verborum, sed illius in fine versus: pro *repperi*, scilicet ut *reperiam* scribatur. Et ut rem dicam, rem magis hæc lectio tangit. Id enim metuebat verecundus adolescens, ne vitio sibi verteretur amor captivæ, neu maligniores, & qui talem prædam minus æquis oculis essent visuri, inimica in se odia susciperent ex invidiæ dolore. Atque hoc planè apud Chæribulum questum fuisse apparet ex illius ista, quæ hanc objectionem præcedit, reprehensoria oratione:

CH. Præter ætatem, & virtutem stultus es Stratippocles,
Idne pudet te, quia captivam genere prognatam bono
In præda es mercatus? quis erit, vitio qui id vortat tibi?

CAPUT III.

Pistor. Asinus. Huic homini. Elocare, conducere: occupatum, otiosum argentum. Plurium locorum in verbis, personis, versibusque corruptorum emendationes, & explicationes.

Quod pistori se daturum servum Stratippocles eadem scenâ dicit:

Quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo:

in ipsâ loquendi formâ simile videtur illi Catulliano:

Et non pistrino traditur, atque asino?

Nec videtur tantùm, sed est. Ut enim asinus pro asinario labore, sic pro ipso pistrino sumitur pistor. Ita certè malim interpretari, quàm cum Lambino de allegoria panificii argutari. Nam quòd *irrigandi* verbo utitur, non de industria factum putem, ut ad farinæ madefactæ subactionem trahatur, sed temerè, nec alio sensu, nisi

nisi quo alibi *implacendi*: de quo, & similibus ad Amphitruonem aliquid nobis dictum. Inferius hic autem non tribuuntur ista suæ personæ:

CH. Quid istic verba facimus? huic homini opus est quadraginta minis

Celeriter calidis, Danistæ quas resolvat, & citò.

Stratippocli ipsi danda sunt, cui veteres etiam quosdam video assignare: in his Ald. Flor. & Colon. Qui mutarunt, illo sunt impulsi, *huic homini*: quasi Chæribulus sodalem Stratippoclem designaret. Imperiti homines! qui id in Plauto, Terentio, aliisq; pro *mihi* sæpissimè poni non observarunt. Positum enim hic ita quoque servi, quæ subjiciuntur, ista probant:

EP. Dic modò, unde auferre me vis, à quo trepizetã peto.

quæ directa ad ipsum herum liquet, tanquam qui proxima ad eum dixisset. Et dixisse, argumentum ex verbis ipsis, si diligentius rimeris, aliud etiam peti potest. *Facimus* enim ait, uter ait. Uter autem verba cum Epidico fecerat? Herus equidem Stratippocles, non suppostitius Chæribulus. Ergo rescribe jam: *ST. Quid isthæc verba facimus?* nam *istæc* malim simul. Statim sequuntur à Lambino sic expleti versus:

ST. Unde libet. nam ni ante solem occasum hoc argentum eloces,

Meam domum ne imbitas: tu te in pistrinum rectà inferas.

In quibus fidei ejus non diffidimus, etsi sequitur ipse fidem, ut fatetur, alienam: viri docti nempe, qui in antiquo suo sic repererit. Accipimus, inquam: si quidem & in optimis C. Langii membranis ipsum verbum *eloces* disertim habetur: nec tamen pariter *argentum*. Sed hoc aliunde suppletum rectè: in illius autem explicatione Lambino nequeo suffragari. *Eloces* inquit est, ex loco eruas. Non verisimile mihi fit, de significatu ejus sic in oratione seria lusisse Plautum. Potius credam pro alio positum verbo, quod ipsi respondeat ex adverso. Nam danistæ quidem argentum elocant: quibus elocant, hi, cùm sumunt fœnore, velut mercede quadam conducunt. Neque novum aut rarum hoc apud nostrum in relationibus hujusmodi alterum pro altero capi. Aulularià in hoc ipso verbo, & ei opposito idem factum:

ME. Cædundum illum ego conduxi. EU. tum tu idem optimum est

Loces (s) efferendum: nam jam credo mortuust.

Nec aliter hac fabulà infrà fortassis in voce *occupatum*, quæ pro contrarià *otiosum* posita videtur:

Atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.

Neque enim fœnori ibi collocatur argentum: sed quod quasi otiosum erat in emta muliercula nulli rei, spondetur brevi per venditionem receptum iri, ut alibi occupari possit. Ita hic igitur etiam *ni argentum eloces*, fuerit, nisi conducas, nisi unde unde quovis fœnore concilies. Quod in medio considerandum alii relinquo: neque certius de sequentibus pronuntio, in quibus difficultas tamen nulla, sed varietas saltem aliqua scripturæ, & talis, in qua momenti sit perparum. Tamen quæ sic leguntur hodie:

ST. Quid de illa fiet fidicina igitur? EP. aliqua reperibitur:

Ali-

(s) Miror eos, quorum studium in variis latinarum vocum notionibus exprimendis ponitur, quique ad id assiduam operam, laboremque pœne improbum insumunt, non advertisse, non funebre modo verbum *efferre* esse, verum etiam augurale, & ad sacrificium pertinens: *ferri* enim, & *efferri*, quod in inscriptione veteri eruditissimo viro Samueli Pitisco suboluit: quum auspicato Jovis fulguri arbor consecratur. Est autem hujus carminis inscriptio: *Quod vi tempestatis, ictu fulminis arbores sacri luci Deæ Diæ attactæ arduerint, earumq; arborum eruendarum, ferendarum* . . . . . Quum vero arbor ejusmodi aut capiebatur, aut consecrabatur, id ipsum *capillor* dicebatur, ut docet Servius ad vers. Virgilii 423. lib. X.

Hæc arma, exuviasque viri tua Quercus habebit,

Ita vero Servius: *Sane superius de speciebus stativi augurii dictum est, in quibus capillorem esse diximus, quod hoc tangit. Capillor autem dicitur, quum auspicato arbor capitur, & consecratur Jovis fulguri.*

Aliqua ope exolvam, extricabor aliqua.

alibi sic concipiuntur, ut in priore versu neque *de* sit, & sit *aliquid*: in altero verò *evolvam*. Hoc sanè postremum optimum: quamquam bonum etiam vulgatum. Impeditis enim, & involutis rebus tam exsolvere convenit, quàm evolvere. Sic in Terentii Phormione, ubi vulgò:

Ego nullo possum remedio me exolvere ex his turbis:

notum est, *evoluere* Faernum è libris antiquis reposuisse. Nec autem alia in priore versu frustrà: quem exinde sic scripseris eleganter:

ST. Quid illa fiet fidicina igitur? EP. aliquid repperibitur.

Nota phrasis, Quid me, quid illo fiet? de qua suprà alicubi, memini, dixisse. Et certè τῷ *repperibitur*, *aliquid* rectius hæret. Sed hæc levia, ut quod sequitur etiam non longè:

At eundem senem oppugnare certum est consilium mihi.

Malim, *At tandem*. Post convocatum, & habitum in corde senatum consiliarium, cui bellum indicatur, decernit denique de oppugnando sene. Languidius est *eundem*: & longiusculè perita ejus interpretatio de priore expugnatione senis in falsa sibi filia emenda. Scenæ quartæ deinceps hoc est initium:

St. tacete. habete animum bonum. liquido exeo foras
Auspicio: avi sinistra. acutum cultrum habeo, senis qui exenterem
Marsupium. sed eccum ipsum ante ædes conspicor Apæciden.

Dousicæ recensionis editio sic legit: aliæ, quas viderim, omnes *Apæcidæ*. Neutræ, credo, rectè. Cur enim vel hæ ante Apæcidæ potius ædes constituunt Periphanem, quàm ipsius, & quidem solum; vel illa Apæciden potius, & æquè solum, quam Periphanem? De hoc sanè cura Epidico maxima: de altero nulla, aut parva. Sed de utroque hic loquitur, ut ex sequenti apparet versu: *Quales volo, vetulos duos*. Emendandus igitur qui præcedit, ut ambos & ipse complectatur. Fiet hoc copulæ immissione:

. . . . . sed eccum ipsum ante ædes conspicor, & Apæciden.

Nihil verius: herum suum ipsum cum vicino sive amico ante ædes, heriles, credo, conspicatur. Verùm laborat etiam intermedius horum, quos adduxi, versus: quem oneratum superflua dictione relevo, ut numeris sit expeditioribus, & hanc in proximi transfero non tergum, sed caput:

. . . . . acutum cultrum habeo, qui exenterem
Senis masurpium. Sed eccum ipsum.

De quo non judicabit, nisi callens numerorum, & eam Plautinam rationem. Porrò errat etiam, nisi fallor, una in illis persona:

AP. Epidice. EP. Epidicum qui revocat? PE. ego sum Periphanes.

Primam enim Periphanis malim: cui magis convenerit servum suum revocare: & revocasse liquet inde, quòd dicit mox, *Ego sum Periphanes*: quod ut rectè capias, neque tenuis te jocus deinceps fugiat, inserendum tibi comma ante ipsum senis nomen. Hic enim quærenti Epidico hoc respondet, se esse, qui revocet, herum scilicet ipsius Periphanem. Ita minima mora intercesserit ante nominis sui professionem. At senex alter, quasi tractu uno omnia pronuntiasset, & simpliciter Periphanem se dixisset esse, in jocum id vertit, subjicitque & ipse quis sit, neque deest servus etiam continuare jocum eundem simili sui professione, tanquam ignoti aliàs invicem omnes forent. Minutum hoc est, sed absque minutiis etiam talibus non constant Plauto sui sales, qui sæpe nos nimis præterfugiunt, ibi nonnunquam de industria maximè sparsi, ubi minimè suspiceris, ægrèque, nisi diligenter syllabis, & apicibus propè literarum singulis consideratis, persentiscas.



CA-

CAPUT IV.

Fœminæ impluvium, & fundos indutæ. Destinare, quid? diligenter excussum contra Nonium. Plauti multis, & insignibus locis, uni etiam Lucilliano, lux, & medicina facta.

PErgo eadem scenâ, in qua dubium etiam nunc illud:

Eos captabant: id adeo quam maximè animum advorterim?

etsi pridem alii reponendum *qui* sive *quî* censuerunt: quorum hoc, quamobrem, interpretantur; malè: cùm potius, quomodo: ad illud, *scio* referunt tacitè, quod expressè legitur in antiquis. Mihi ex illis antiquis libeat porrò interpolare:

. . . . . id adeò, scin' qui maximè animadvorterim.

Nam argumentum dicturus est, unde captari senserit: neque id potest elegantius nisi cum tali interrogatione prius insinuare. Dubium etiam deinceps binis versibus, hoc,

Quum ad portum venio, atque ego illanc video præstolarier:

& illo:

Ea præstolabatur illum apud portam:

utro utrum verius, *portum* an *portam*, quorum alterum quidem scribendum utroq; De me; *portum* præferam, quando Athenis hæc geruntur. Mox vitium majus occurrit, quod eluemus tamen facilè:

PE. Quid erat induta, an regillam, induculam an mendiculam?
PE. Impluviatam, ut istæ faciunt vestimentis nomina.
Ut in impluvium induta erat.

Quorum postrema quid sibi volunt? Non enim id volunt certè, quod Lambinus ariolatur. Faciam multa verba compendii, & quomodo sit emendandum, breviter ostendam: Lego, & si quid mihi credis, tu lege:

PE. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam,
An impluviatam? ut istæ faciunt vestimentis nomina.
PE. Utin' impluvium induta eat? PE. quid autem istuc mirabile est?
Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per viat.

Vim verbis nullam fieri, vides: jam neque sententia coacta, ut antè, quæ nunc talis. Quærebat senex de pluribus vestium generibus, quibus tam varia, & ridicula imponeret nomina luxuriosus iste sexus: an aliquod horum amica fuisset induta filii sui. Inibi cùm postremò nominasset *impluviatam*, servus inde joci occasionem arripiens, mirabundus interrogat, fierine possit, ut impluvium induta aliqua eat, vel incedat? Respondet ille, nihil istuc mirabile de impluvio, cùm totos fundos quædam corpore suo ferant: elegantissimè perstringens vestiariam ambitionem, & sumtus incredibiles, qui fundorum pretia ducant, imò patrimoniorum vires, & census ipsos æquent. Id quod Ovidius etiam, & Propertius suo seculo conqueruntur: quid facturi omnes, si hoc nostro reviviscant? Propert. lib. 3.

Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.

Ovidius æquè 3. de Arte:

Quid de veste loquar? non jam segmenta requiro:
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.
Cum tot prodierint pretio leviore colores:
Quis furor est census corpore ferre suos?

Rectè hoc emendatum nemo dubitabit: & est omninò senis oratio sequens tota de ineptiis muliebribus in vestitu, non servi, contra veteres libros: qui tamen audiendi deinceps fortè, cùm quem versum Epidico nostri adscribunt,

Hæc vocabula auctiones subigunt ut faciant viri,

dant Periphani contra, qui pulcrè stomachationem hanc sic concludat, & ab ea rediens ad rem, persequi jam servum jubeat, & à diverticulo repetere cœptam antè narrationem. Pluscula interiecta sunt, & habes:

Quin hodie allatæ sunt tabellæ ad eam à Stratippocle. eum
Argentum sumsisse apud Thebas ab danista fœnore,
Id paratum, & sese ob eam rem id ferre. PE. cedò, ego occidi?

Quàm frigidè senex quærit, an occiderit? Certa quidem res erat, & facta, quæ memu-

morabuntur, & facta ejus malo. Quin scribis, *PE. credo ego. occidi!* Ait, omnia se isthæc credere, & certò periisse. Pòst in illis:

Nunc occasio est faciundi, priusquam in urbem advenit,
Sicut cras hîc aderit, hodie non venerit. PE. quî scis? PE. scio.

non opus tanta mutatione, ut verba pluscula trajiciantur: saltem ista inter se commuta, *advenit*, & *venerit*: versuque priore fac *advenerit*, *venit* posteriore. Jam ille:

Ut enim præstines argento priusquam veniat filius:

monet me, ut supra in acrostichide periochica *præstinat* item scribam, ubi *destinat* excusum. Nec enim Nonio, cui quotidie minus credo, credo veteribus idem, & hoc planè valuisse. Vix invenias certè, præterquam in eo, quod ipse ponit, exemplo: quin nec in illo quidem, si diligentius rimeris. Atque ajo Lucillium non illo, sed vulgato ferè sensu id verbum usurpasse. Lib. 27. *Facio, ad lenonem venio, tribus in libertatem millibus Destinet*. Id ut liqueat magis, una trajicienda vox est, quæ suo excidit loco:

Ad lenonem venio, facio tribus in libertatem millibus
Destinet.

Ades Noni jam, & interpretare. Destinet, est paret, emat? Ubi mens tua? Leno scilicet in libertatem mercabitur suam mercem, meretricem. Non emit hic leno, sed alii emturienti vendere destinat pretio dicto. Hoc enim ait Lucillius: venisse se ad lenonem, & effecisse, ut ancillam nescio quam sibi venditurum promitteret, eo pacto, tribus ut acceptis millibus in libertatem sineret ire. Denique *destinare* in utramque partem valet, venditoris, & emtoris. Ab una parte illius, destinare mercem alicui, nihil aliud est, nisi sub certo pretio constituere illi de certa venditione, & addicere sic, ut emtores porrò alii excludantur. Hoc in Lucillio hic Nonium qui fugit? imò qui non fugerit talem? in quem parco tamen acerbè dicere, meritum hoc uno nomine de nobis benè, quòd fragmenta ipsa vetustissimorum scriptorum, quæ potuit, conservavit, non etiam, quòd eadem, ut potuit, explicavit. Ab altera parte emtoris est destinare quidem emere, sed ita, ut destinatione quadam & certa pretii conventione contractus saltem absolvatur, non etiam pretium simul ipsum numeretur. Hujus tamen vel pars aliqua solvitur arrabonis vice, vel alio quovis modo venditori cavetur, ipsa integra solutione in diem dilatâ, & merce vel acceptâ, vel detentâ. Hoc ex aliis exemplis Plauti colligere est. Mostellariâ, de ficta emtione ædium, quæ & traditæ, permissæque statim, datis arraboni quadraginta minis: scenâ *Scelestiorem*:

Quid? eas quanti destinat?

Rudente, de puella emta, sed post arrabonem etiam retenta, Prologo:

Minis triginta sibi puellam destinat,
Datque arrabonem, jurejurando alligat.

Dubius tamen alius Mostellariâ locus est, qui difficulter huc accommodetur:

TH. Ain' minis triginta amicam destinatum Philolachem?

Nam & solutum pretium erat, & merx recepta. Sed loquitur ibi senex ignarus ordinis rei universi, qui imprudens illo verbo uti potuit, si fortè sic putes detorquendum. Etenim haud pugnem nimis pro stricta hac acceptione, quam labefactare videntur & alii loci, ut Persâ, scenis, *Cui homini*, & *Satin' Athenæ*, quos ibi spectare est: nec item de illa duplici in utramque, ut dicebam, partem. Nam in alteram venditoris, exemplum non habemus, nisi Lucillii istud, quod facilè quis eripuerit nobis, si vulgato verborum ordine retento, mutato tamen eorum uno, legi velit: *Facio, ad lenonem venio, tribus in libertatem millibus destino*. Jam enim planè contra erit, emo: & id quocunque pacto, sive præsenti pecunia, sive dato arrabone, sive alia conditione. Ut ut sit, non vana, ac supervacua tamen fuit hæc in id verbum diligentior inquisitio: nec Nonium cavillati præter meritum sumus, qui si hic innocens, alibi multo tanto plura commeretur. Sed extremo hujus scenæ videtur etiam illud non una parte vitiosum:

Tace modò, est lucrum hîc tibi amplum. PE. deos quidem oro. EP. impetra.

Primùm enim *impetras* omnino legendum in fine, quod nescio si alii monuerunt: in principio deinde malim *Face*, id est fac. Altero hortatur, altero felicem eventum spondet.

CA-

CAPUT V.

Qui, tibi cui. Hostium potiri. Pluries correctus Plautus, & declaratus. ejusdem negligentia notata, error vix excusatus.

SEquamur ad scenam *Exspectando*: in qua ferè nihil nisi numeri aliquoties peccant. Hic enim versus:

Nunquam irridere nos illum inultum sinam, servum hominem:

ut sit versus, ita est scribendum:

Nunquam nos irridere illum inultum servum hominem sinam.

Et illo:

Alicunde, ab aliqui, aliquà tibi spes est fore mecum fortunam:

in finem rejici debet verbum *fore*: *spes est mecum fortunam fore*. Item ultimi isti:

Quod nusquam est: neq; ego id immitto in aures meas,
Nec mihi plus adjumenti ades, quàm ille qui nunquam etiam natust:

Sic in numeros reponendi:

Quod nusquam est: neq; ego id immitto meas in aures, nec mihi
Plus ades adjumenti, quàm ille, qui nunquam etiam natus est.

Et qui hos præcedit,

Quippe tu mihi aliquid, aliquo modò, alicunde, ab aliquibus blatis:

eo *ab aliqui* malim, non tam versus causâ, quàm quia sic Chæribulus, cujus ipsa verba repetit Stratippocles. At superius cave illos audias, qui *tibi* delent istic:

Quid illum facere (ita cum veteribus scribo simul) *vis? qui, tibi cui divitiæ domi maximæ*
Sunt, is nummum nullum (sive, *nullus*) *habet.*

De Plautino genere hoc loquendi, *qui, tibi cui*, vel *te, tibi cui* diximus ad Curculionem. Sequentis autem scenæ initio gravius est mendum:

Fecisti officium tu tuum, me meum nunc facere oportet.
Per hanc curam quieto tibi licet esse. hoc quidem jam periit.
Nisi quid tibi hinc in spem referas. hoc oppido politum est.

Nam ultimum horum versum quomodo explicat interpres? pueriliter profectò, ne quid acerbius dicam. Non ad seipsum servus, sed ad herum, absentem tamen, loquitur, dum ex ædibus in scenam prodit cum argento. Emendo igitur primùm, *Ne quid tibi hinc in spem referas*. Ne quid, inquit, ex hoc argento speres deinceps tibi: ne quid ejus in integro tibi fore putes. Deinde etiam, *hoc hostium potitum est*: audaciore, sed necessaria mutatione. qui tamen audace nimis? quasi non facillima sit in altero verbo, in altero neque difficillima. nam *hostium* ex *oppido* etiam converti, ductus omnes literarum inspicienti mirum non poterit admodum videri. Sensus autem est, venisse jam quinquaginta istas minas in hostium potestatem. Ea phrasi sæpe utitur Plautus, & infra scenâ *Si quid est*:

Ita gnata mea hostium est potita.

Et utitur hujus similibus ubiq; ferè in servorum fraudulentis machinationibus. Hic autem id juvat prætereà maximè, quòd suprà de bello inferendo, & oppugnando sene dixerat: tum quòd in eadem figura perstat etiam porrò hic, & ubi servus triumphans victoriâ abiturum se ait, ut in coloniam commeatum importet, & ubi Stratippocles accepto argento non minus ovans in castra se redire cum præda, Epidici auspicio, & virtute, jactat. In penitiore scena deinceps legimus:

Nunc iterum ut fallatur pater, tibiq; auxilium apperetur,
Inveniam:

non rectè. Rectum erit *Inveniam jam*, divisis quæ coaluerant vocibus. Etenim invenerat jam astum, quem quidem apud senem ipsum instituerat, institueratq; paullò antè, & nunc hic ordinem ejus totum narrat. Ibidem statim:

ST. Euge, euge. EP. ea jam domi est pro illa. ST. teneo.

Quid, si *filiâ* legas hic quoque pro *illâ*, ut alibi eandem vocem memini mutare? Non tamen affirmem seriò: quia *teneo* subjicitur: unde videri queat non tam expressè suo nomine rem dixisse, sed verbulo saltem innuisse, quod alter intellexerit tamen satis. intelligere se, ut solet in his dialogismis, profiteatur. Porrò cavillari Plautum, si li-

si libeat, possimus: qui prudens an imprudens falsum scripserit, & in leges exactæ œconomiæ peccarit eo loco:

Deveniam ad lenonem domum egomet solus: eum ego docebo,
Si qui ad eum adveniat, ut sibi datum esse argentum dicat
Pro fidicina, argenti minas se habere quinquaginta:
Quippe ego qui nudiustertius meis manibus dinumeravi
Pro illa tua amica, quam pater suam filiam esse retur.

Ait hic quinquaginta minas lenoni datas: at constat de triginta saltem ex ultima scena:

PE. Dedin' tibi minas triginta ob filiam? EP. fateor datas.
Et eo argento illam me emisse amicam filii fidicinam
Pro tua filia. istis adeò te tetigi triginta minis.

Quæ conciliari nullo modo possunt: excusari tamen Plautus forsan isto, si egisse hoc cum lenone servum putemus, ut quamquam triginta tum solùm accepisset, tamen apud alios de quinquaginta nunc fateatur. At inferere Plautus id debuerat, si factum: factum autem omninò nec videtur ex reliqua Epidici oratione, quæ simulatò nihil, omnia seriò gesta, & gestum iri à lenone imprudente monstrat. Error igitur hic Poetæ certus, & magnus, cui velum nullum habeo, aut colorem.

Non procul inde minor error in verbis, auctori ipsi non imputandus:

Eam ducet simul Apæcides ad tuum patrem. ST. ut paratè.
EP. Eam permeditatam meis dolis astutiisq; onustam
Mittam.

Scripsit enim ille, puto; *ST. ut peritè!* Rectius certè sic collaudarit adolescens fabricam servi. Versu altero *præmeditatam* benè emendatur (& legunt sic veteres libri:) malè, quod alii scio placuisse, divisa voce in plures, *per me ditatam meis dolis*. Post etiam falsum in illo sermone quiddam:

CH. Nimis doctus ille est ad male faciendum. ST. me quidem certò
Servavit consiliis suis.

Nondum servaverat, sed in eo erat, ut servaret. Neque jam salvum se Stratippocles censet, sed futurum per hæc consilia sperat. Igitur scribo, *Servabit*: cum quo tamen idem alterum ex antiqua scribendi ratione: quam mutari nihil intererat, si ab omnibus rectè caperetur.

CAPUT VI.

Igitur, nova usurpatione. Versuum trajectiones in Epidico ostensæ binæ, una levior, altera gravissima: tum legitimus ordo restitutus. Etiam Nonii leviculus error tactus, & detectus.

TRajectionis integrorum versuum in hac fabula nondum habuimus exempla: nunc se unum atque alterum dat sequentibus istis scenis. Quæ proxima superiori est, ejus principio statim unum deprehendo.

Non oris caussa modò homines æquum fuit
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suum;
Si qui perspicere possent cor sapientiæ,
Igitur perspicere, ut possent cordis copiam.
Ubi id inspexissent, cogitarent posteà
Vitam ut vixissent olim in adolescentia.

Inter hos versus mirum est neminem vidisse quàm sit ille importunus:

Igitur perspicere ut possent cordis copiam.

Apertè nimis sententiæ turbat, & verborum etiam ipsorum ἀκολουθίαν, qua concinnius nihil erat, nisi is interjiceretur. Eximendum cum amico doctissimo, de quo supra alibi memoravi, Carolo Pisone conveniebat olim mihi: non conveniebat prorsus, in quem locum reponendus. Ille hunc ei dabat:

Profectò deliramus interdum senes.
Igitur perspicere ut possent cordis copiam,
Fuit conducibile hoc mea quidem sententia.

Ut clauderet ita senex de speculo disputationem. Quod non displicebat mihi, sed magis

magis placebat, si quem nunc præcedit versum, potius sequeretur. Atq; ita collocabam:

Fuit conducibile hoc mea quidem sententia,
Igitur, perspicere ut possent cordis copiam.

Novus, & Plautinus iste particulæ *igitur* usus, ut mediæ orationi sic nudè inseratur. Amphitruone idem fuit:

Verùm certum est confidenter hominem contrà colloqui,
Igitur, qui possim videri huic fortis, à me ut abstineat manum.

Fuit & Asinariâ:

Jam diu est factum, quom discesti ab hero, atq; abiisti ad forum
Igitur, inveniundo argento ut fingeres fallaciam.

Nec alibi plura forsan exempla desunt, quæ mihi tamen haud in promtu nunc, & sufficiunt ista ad elegantem loquendi modum revocandum, & firmandum: qui ignoratus non dubiè caussam præbuit huic traductioni. Ejus aliud exemplum insignius ad finem hujusdem scenæ. Leguntur illic quatuor isti versus:

Atque hæc stultitia est me illi vitio vortere,
Egomet quod factitavi in adolescentia,
Quum militabam pugnis memorandis meis:
Eradicabam hominum aures, quando occeperam.

Quorum duo priores videantur utcunq; præcedentibus hærere: posteriores hærere nullo queunt modo. Demus enim illa se consequi benè, nec sententiâ abhorrere:

. . . . . itaq; me albis dentibus
Meus derideret filius meritissimò.
Atque hæc stultitia est, me illi vitio vortere,
Egomet quod factitavi in adolescentia.

Quid reliqua? nonne pugnant manifestò?

Quum militabam pugnis memorand. &c.

De amoribus, & paternis defraudationibus intelligi priora volebant: hæc ad militiam, & militares jactationes trahunt. Vis breviter absolvam, & quod sentio planè dicam? Omnes illi illo loco sunt alieni, & ad sequentem scenam pertinent: inserendi illic, ubi miles prædicare pugnas suas gestit, & à sene rejicitur, qui recogitans tamen, idem in adolescentia se fecisse, ignoscendum ei putat, & stultè a se reprehendi. Ordo, & series ibi loci totius hæc debet esse:

PE. Non repperisti adolescens tranquillum locum,
Ubi tuas virtutes explices, ut postulas,
Nam strenujori deterior si prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ.
Sed istum quem quæris Periphanem Platenium,
Ego sum, si quid vis. MI. nempe quem in adolescentia
Memorant apud reges armis arte duellica
Divitias magnas indeptum? PE. imò si audias
Meas pugnas, fugias manibus demissis domum.
MI. Pol ego magis unum quæro, meas cui prædicem,
Quàm illum, qui memoret suas mihi. PE. hic non est locus.
Proin tu alium quæras cui centones farcias.
Atq; hæc stultitia est, me illi vitio vortere,
Egomet quod factitavi in adolescentia,
Quum militabam. pugnis memorandis meis
Eradicabam hominum aures, quando occeperam.
MI. Animum advorte, ut quod ad te venio, intelligas.

Cùm militem magniloquum increpuisset senex, ad spectatores aversus quatuor illos versus pronuntiat: post quos, non ferens quasi aliud agentem miles revocat, & attendere sibi jubet, ut caussam adventus sui, negotiumque ipsum sciat. Hanc non conjecturam, sed meram veritatem, certè verissimam conjecturam esse res sic ipsa loquitur, ut verbum mihi amplius nullum faciendum. Sed non aptius hæc hic omnia quadrant, quam rectius illis exclusis prior scena sic jam clauditur:

. . . . . itaq; me albis dentibus
Meus derideret filius meritissimò.
Sed hic quis est, quem huc advenientem conspicor,

Suam

Suam qui undantem chlamydem quassando facit?

Quorum versuum postremum, ut obiter hoc dicam, falsò Nonius citat ex Milite, in voce *Quassum*.

CAPUT VII.

Quemne, Uterne, Quantane, Qualine? Versus unus iteratus temerè, deletus: alii plures concinnati. Loca integra emendata, illustrata.

ILlis constitutis locis, alia nunc in iisdem scenis persequamur. Priore supervacuus etiam versus est, temerè iteratus, & delendus isto loco:

AP. Imo ipsus ille dixit. conductam esse eam
Quæ hîc administraret ad rem divinam tibi,
Facturam dixit rem esse divinam domi.

Postremus horum, inquam, delendus, cujus nullus ibi usus: & qui esse possit, fuit ante pauca:

PE. Mirum, hoc qui potuit fieri. AP. te pro filio
Facturum dixit rem esse divinam domi.

Illic sententia eum requirit, istic spernit. Et ea abest in libris veteribus posteriore, quo nos volumus, loco, sed cum ipso versus tres alii simul, qui abesse neutiquam debent: cui fraudi occasionem ea ipsa geminatio dedisse videtur. Expungatur ex hac decuria quamprimum, ne quid iterum aliquando turbet. Ante eum locum superius est:

Quid fit? AP. dii, deæq; te adjuvant. PE. omen placet.
AP. Cui homini omnes suppetunt res prosperæ.
Sed tu hanc jubeas intro abducier.

Gulielmius noster ita constituit, rectè: nisi tamen *omini*, quod veteres habent, malim, versui ut melius consulatur, & sententiæ simul. Meritò, inquit, omen hoc tibi placet, quod prospera quidem in se continet, & adducit omnia. At *homini* si retinere libeat, per interrogationem ita potius insertâ particulâ scribendum sit,

Cui homini magis omnes suppetunt res prosperæ?

Ita in Comœdiis solet, cum fortunam alicujus extollunt, re benè gesta: cui exempla non conquiro. Sequitur ibidem mox:

Edepol næ istam tempore gnato tuo sumus
Præmercati. PE. quid jam? AP. quia dixit mihi.

Versus prioris ultima vox ad sequentis initium pertinet, cui præfigenda. Brevior alioqui alter est, nec alteri decessisse videbitur quidquam, si è veteribus corrigatur. Hi legunt additâ voculâ *suo tempore*. sed arbitror sic emendandum:

Edepol næ istam nos tempori gnato tuo
Sumus præmercati.

Tempori vetus adverbium est, in ipso tempore, maturè. Scenâ earum, quas dixi, alterâ porrò scribitur:

Ego sum, si quid vis. MI. nempe quem in adolescentia
Memorant apud reges armis &c.

Langianis abest *nempe*: quod suspicari me facit, ipso deleto, *quēne* scribendum. Sanè & versus melior est, neq; Plauto familiarius quidquam hoc loquendi modo: qui nec aliis inusitatus, præsertim Poetis. Catull. Nuptiis Pelei aliquoties:

. . . . . *Quemne ipsa reliqui?*

Et mox:

Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?

Horat. Satyr.

. . . . . *ô seri studiorum, quine putetis*
Difficile, & mirum?

Item:

Quone malo mentem concussa?

Et:

. . . . . . *uterne*
Ad casus dubios fidet sibi certius?

Item-

Itemque: . . . . *illa rogare, Quantane? num tandem so instans sic magna fuisset*. In quibus postremis nihil ad significatum adjicit adjecta particula *ne*, ut Trinummo etiam nostri:

. . . . . Callicles,
Qualine amico mea commendavi bona?

Deinde locus est, quem multi vexarunt:

. . . . . MI. volo te verbis pauculis,
Si tibi molestum non est. PE. non edepol scio.
Molestum non est mihi, si dicis, quid velis.

Alius: *PE. non edepol scio; Molestum non est*. Alius, relictis ceteris, *velim*. Ex Langii optimis membranis, quæ referunt, *nisi dicis*, ita concinnes:

. . . . . non edepol scio.
Molestum est mihi, nisi dicis, quid velis.

Nisi rem ipsam dicas, inquit, scire non possum, an molestum mihi sit. Plautinum est, *Molestum ne est*, pro sit ne molestum.

Hoc non contemnam ego: neque rursum è vulgatis possim non benè in alium interpolare modum:

. . . . . non edepol scio,
Molestumne est mihi. sed dic sis, quid velis.

Eligat quisque quod volet sibi. Mox sequitur:

MI. Mibi illam ut tramittas, argentum accipias,

Rectum est *tramittas*, non *remittas*. Suprà idem:

Continuò te orabit ultrò, ut illam tramittas sibi.

De illo versu in proximo,

Tuas possidebit mulier faxo ferias,

ad Captivos egimus, unde emendatio petatur. Inferius aliquantò divinè Gulielmius noster hæc restituit:

. . . . . ipse banc in eo articulo emit. MI. bem istic bomo
Articulatim te concidit, senex, tuus
Servus. PE. quid? concidit? MI. nihil, sic suspicio est.

in quorum extremo, quod non tetigit, ita corrigendum amplius, *MI. mibi sic suspicio est*. Nam Lambini, *nihil: sed susp. est*, non placet. Non enim dubitat miles, aut dissimulat, sed certò suspicari se ita dicit. Deinde vulgatur ibidem:

Mercatus te bodie est de lenone Apœcides?
FI. Ebo dum. ego istunc bominem nunquam audivi ante hunc diem.

Puellæ dant *Ebodum*, quod seni interroganti, & urgenti debetur, si debetur tamen. Etenim versus respuit: quaquam ejus vix habenda ratio in tali additione. Sæpiuscule namque talia adjiciuntur, extra versuum mensuram, quod alii, & in Græcis observarunt. Nihil ominus emendandum videri possit:

FI. Egodum istunc bominem nunqu. a. a. b. diem.

in quod inclinare me sanè fateor, non tamen ut trahere mecum alios, si nolint, velim. Paullò autem pòst, illorum versuum justo longior uterque est:

FI. Tam facile quam me. PE. ubi babitat? FI. postquam libero est, ubi
Habitet dum, incertò scio. PE. ebo, quis eam liberaverit, &c.

Neque iis consulas, nisi ex altero vocem unam deteras penitus, quasi glossam, ut in ejus locum succedat alia, quæ in prioris fine. Sic enim numeri processerint:

FI. Tam facile quam me. PE. ubi babitat? FI. postquam libera est,
Ubi dum, incertò scio. PE. ebo.

Subintelligitur *babitet* ad explendam sententiam, quod inculcatum à glossographo corrupit utrumque versum. Denique istic:

Eamne ego sinam impune?

Lambinus *eam* fecit. Cur non reliquit *eum*? Non enim vel injuriam, quod ipse; vel pecuniam, quod post eum alii voluerunt, interpretandum: sed oratio sic explenda: eumne servum impune sinam derisui me habuisse? vel, eumne impune abire sinam, vel quovis alio modo in eundem sensum.

CAPUT VIII.

Compos miseriarum, culpæ. Animus domum remigrat. Lenocinium facere. Correcta, & explicata sæpius Epidicus. In Symmachum levis nota.

PRoximà his scenà levis distinctiuncula peccat in iis, quæ primò nobis occurrunt:

. . . . . *noscito ego hanc.*
Nam videor, nescio ubi, me vidisse prius. est ne ea, an non?
Est, quam animus retur meus.

Cohærere enim illa debent, *est ne ea, an non Est quam animus retur meus?* Quibus deinde subjungit, *Certe ea est*. Aliquo pòst intervallo inserenda particula *me*, quæ omittitur in vulgatis:

Mox illa: . . . . . *commodè*
Fabulata es. MV. mira memoras. PE. hem istuc rectius.
Meministin'? MV. memini id. PE. in Epidauro. MV. ab guttula
Pectus ardens mihi adspersisti.

non repræsentant satis rem, quæ geritur inter hos noscitantes. Etiam versus unus mensuram non implet. Quid autem hoc vult, *mira memoras?* cum nihil dum memorarit. Nec illud bonam habet sententiam, *istuc rectius*. Omnia & hæc, & alia concinno facili emendatione:

. . . . . *PE. commodè*
Fabulata es. MV. mira ni me noris. PE. hem, istuc tectius
Meministin'? MV. memini. PE. id in Epidauro. MV. ab.

Paullatim agnoscunt invicem: cumque mulier dixisset, mira sunt, ni me noris (ita facimus ex *mira memoras*:) ille ut certum argumentum sibi capiat, propius admovet lineas, quærens, an tectius sive occultius illud, quod inter ipsos gestum, & solis cognitum erat, meminerit: atque illa annuente, illud se porrò dicere innui, quod actum in Epidauro. tum apertè se produnt mutuò, & professi denique pro notis consalutant. In ea consalutatione porrò legitur:

PE. Cedo manum. MV. accipe. ærumnosam, & miseriarum compotem
Mulierem retines. PE. quid est, quod vultus te turbat tuus?

Sed nec legitur, nec emendatur rectè, pronvocabulo *te* deleto. Veteres non id habent sanè: at habent *interturbat*, ex cujus prioribus syllabis id ipsum reliquum factum. Hoc autem verbum integrum repone, extrito sibilo in voce *vultus*, ne numeri temorentur. *Compotem miseriarum* ibidem dicit eà formâ, qua *compotem culpæ* Truculento:

Ego me tibi obnoxium esse fateor, culpæ compotem.

Sequitur:

Domi meæ eccam salvam. nam postquam audivi illico
Ex meo servo, illam esse captam, continuò argentum dedi.

Quid *ilicò* illic, cum mox dicat *continuò*? Sed nec *audivi ilicò* bene hærent. Fallor, an pro eo legendum *Epidico*? Ita pòst etiam servi nomen exprimit ad hanc eandem: .... *servus Epidicus dixit mihi*. Nihil tamen affirmo. Quod in fine scenæ scribitur:

MV. remigrat animus nunc demum mihi:

non multum interest, sic, an cum Gulielmio *domum*, an, ut mihi visum olim, *denuò* scribatur. Ita Symmachus quidem loquitur etiam lib. 7. epl. 77. *In tranquillum denuò animus remeavit*. ubi Schotti liber melius fortè, *remigravit*. Scenâ, *Quid est pater*, versuum partim ratio, partim vetus lectio vitii arguit ista:

PE. Scio quid erres, quia vestitum, atque ornatum immutabilem
Habet hæc. MV. aliter catuli longè olent, aliter sues. nego
Eam me novisse quæ sit. PE prò deum atq; hominum fidem!
Quid ego lenocinium facio? qui habeam alienos domi?

Ut verbis parcam, emendandum:

Habet hæc. MV. habeat. aliter catuli longè olent, aliter sues.
Nego eam me novisse quæ sit. PE. prò Deum, atque hominum fidem!
Quid ego lenocinium facio, qui alienas habeam domi?

Sed

Sed *alienas* alii fecerunt pridem, quod firmo tamen è MSS. Langianis. *Lenocinium facere* in re simili dixit & Mercatore:

> *Atque ut nunc sunt maledicentes homines, uxori meæ,*
> *Mihique objicient, lenocinium facere.*

Deinceps hic immittenda *te* particula:

> *Non patrem te ego nominem, ubi tu tuam me appellas filiam?*

Atque ad finem: *MU. hinc Athenis civis eam emit Atticus*: lego *heic*, sententia non aliter patiente. Porrò aliâ scenâ, *Malè morigerus*, etsi non malè hoc interpretantur:

> *ST. Pernumeratum est. D. tene crumenam, huc inde. ST. sapienter venis.*

ut scilicet sapienter eum fecisse dicat, qui cum crumena venerit: tamen hercle malim, *sapienter mones*; ut ad illud referatur, *huc inde*. Simplicior hic & sensus, & dictio magis est Plautina.

CAPUT IX.

Plus duodecim dels: plus decem minis. Ei, i. Beneficii aut mali seges, & messis. Transpositio versus unius, alterius iteratio ostensa. hæc ejecta, illa correcta. Plures deinde versus emendati, locaque difficilia contra, & præter alios explicata.

Scenâ, quam primulùm exorsi sumus, novum habemus transpositionis exemplum.

> *EP. Non me novisti? VI. quod quidem nunc veniat in mentem mihi:*
> *EP. Lunulam, atque anellum aureolum in digitum? VI. memini, mi homo*
> *EP. Non meministi me auream ad te afferre natali die?*
> *VI. Tune is es? EP. ego sum, & istic frater tuus est.*

Interruptam orationem esse vidit Lambinus, sed quid faceret non vidit. Idem in horum penultimo *inaurem auream* nobis scripsit, & versum extendit ultra spatium legitimæ dimensionis. Id quam malè, magis patebit ex nostra emendatione, quæ intermedios versus commutat locis inter se, distinctionibus aliter attemperatis. Sic enim scribo:

> *EP. Non me novisti? VI. quod quidem nunc veniat in mentem mihi.*
> *EP. Non meministi, me auream ad te afferre natali die*
> *Lunulam, atque anellum aureolum in digitum? VI. memini, mi homo.*
> *Tu ne is es? EP. ego sum.*

Quod qui verum non videt, quid ei homini oculis opus? Ego me talibus his non jacto; quæ tamen ab aliis non observata miror sæpe mecum, & indignor. Etiam aliud alius mendi exemplum sequenti scena est, cujus in hac fabula simile unum supra, & ubique plura notavimus, item aliis neglecta: quæ, si paullùm non ingenium excitassent, sed animum saltem advertissent, fieri non poterat, quin viderent. An autem vidisse, sed verecundia putabimus impeditos, ut eloqui non auderent? Non putem ego: qui nec ipse sum audacissimus, & in tam manifestis, & crassis erroribus silentium tamen imperare mihi non possum. Hoc genus, versuum eorundem repetitiones sunt: quarum ultimâ scenâ, ut inceperam dicere, perspicuum est exemplum. Illis enim:

> *EP. Eho, quid agis? PE. tuon' arbitratu? EP. meo hercle verò, atque haud tuo,*
> *Colligandæ hæ sunt tibi hodie. PE. at non lubet, non colligo.*

ineptissimè subjicitur hic:

> *At mihi magis lubet solutum te rogitare. EP. at nihil scies.*

qui paullò post iterum legitur, & legi suo demum loco isthic debet:

> *EP. Tibi moram facis, cum ego solutus asto. alliga, inquam, colliga.*
> *PE. At mihi magis lubet solutum te rogitare. EP. at nihil scies.*
> *PE. Quid ago? AP. quid agas?*

Obsecro vos, lectores, iterationem hanc æquo animo feretis? Ejicite priore loco, me auctore, heic nunc quem monstravi, nec alibi deinceps oculis velut clausis similia præterite. Ad præcedentem scenam regredior ego, ut quod reliqui etiam illic, tollam.

tollam. Difficilis locus eſt, nec ullius ſenſus, ad quem ſilent tamen quaſi de compacto omnes:

PE. Theſprio, exi iſtac per hortum, affer domum auxilium mihi.
Magna eſt res. minoris multo facio quàm dudum ſenes.

Niſi fortè conſervum etiam in ſubſidium vocat, qui cum Stratippocle & ejus inventa jam ſorore ſuppetias unà ferat. At quid opis à ſervo poterat hic exſpectare? Quin nec egebat aliorum auxilio, nec ferre ullus ullum poterat, præter heriles liberos in ea quidem re. Sed neque ſuâ cauſsâ tranſire Theſprionem jubet, ſed illorum, quibus præſto ſit ille interim, dum ipſe incertus adhuc, an domum ſit initurus: de quo mox ſtatuit tamen, & illos è veſtigio conſequitur, ſpreto utroque ſene. Quid verbis igitur illis faciendum tandem? Emendanda judicio, & in hunc modum:

PE. Theſprio, exi: iſtàc per hortum abei (id eſt, abi) *domum. auſculta mihi:*
Magna eſt res.

Quod dicitur, & agitur, hoc eſt. Evocat Theſprionem Epidicus ex ædibus vicini Chæribuli, quò conceſſerat familiarium conſpectum fugiens heri juſſu, cum rediret: inde eum per hortum abire nunc domum jubet. at illo reſtitante, nec cauſſam mutatæ vicis intelligente, ſubinde urget; cumq; non deceret ordine rem ipſam in ſcena, vix inibi jam geſtam, renarrare, ſaltem innuit de ea, & magnam ſubitamque eſſe ait, omninò perſuadere laborans, ut ignotâ cauſsâ tamen ſibi credat, & auſcultet. Ultimâ ſcenâ ſupereſt etiam nonnihil, quod nunc, quidquid eſt, videbimus. Illud mutare Lambinus voluit:

PE. Duodecim deis plus quam in cœlo eſt deorum immortalium
Mihi nunc auxilio adjutores ſunt, & mecum militant.

Idem in ſententia hæret, ex impedita, ut ait, conſtructione ſe non evoluens. Ego verò non hic (item ut ſupra illo loco)

Si undecim deos præter ſe ſecum adducat Juppiter,
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.)

reſpici credam, quod tamen & Camerarius ante Lambinum cenſuit, ad duodecim majorum gentium deos, quorum nomina verſibus illis notiſſimis Ennianis comprehenſa: verùm hoc dici ſaltem, præter omnes deos, quantum eorum ſit, alios etiam duodecim adjutores ſibi eſſe, id eſt, plures omninò, quàm vulgò ſint, poſito duodenario certo numero, pro quovis alio, ut ſolet, incerto. Loquendi forma, *plus duodecim deis*, ea eſt, qua ſupra uſus eſt hac fabula:

Decem minis plus attuli, quam tu daniſtæ debes.

Attulerat ibi minas quinquaginta, cum quadraginta ſaltem deberentur: ita decem minis plus erat, ſive ſupernumerariæ erant decem minæ. Simile eſt & Caſina:

Te uno adeſt plus quam ego volo.

Non aliter hic accipi verba poſſunt. Et omnes deos, nec hos tantùm, ſed & plures ſecum ait militare. Servilis exſultatio eſt, animique præ nimio gaudio a ratione aberrantis, nec quid dicat ſatis cogitantis oratio. Deinde autem quod ubique ſic vulgatur:

Abi modo intrò. PE. hei, non illuc temerè eſt. aſſerva iſtunc Apœcides.

in eo leviter ſuſpicor, *hei* neque ſincerum, nec ſenis eſſe. Certè rei præſenti non convenit interiectio iſta, potius *hem*. Neque tamen hanc putem reponendam, ſed *ei*, id eſt, *i*, cum præcedentibus ſub Epidici perſona continuandum:

Abi modò intrò, ei. PE. non illuc temerè eſt.

Multis locis id verbum ἀρχαϊκῶς ſcriptum in alia, atq; alia ſubinde degeneraſſe Gulielmius noſter oſtendit pridem: cujus exemplis poterit & hoc annumerari. Mox honeſta locutio illa:

Sed ut acerbum eſt, eſt pro benefactis cum mali meſſem metas!

in qua ut ex beneficiis meſſis malorum dicitur, ſic eadem metaphorâ apud alium poetam veterem ſatio beneficiorum. Accius Andromedâ:

Quod beneficium haud ſterili in ſegete, rex, te obſeſſe intelliges.

Statim ſequens verſus ambiguæ ſententiæ, imò nullius eſt, niſi malæ, quamdiu ſic ſcribitur:

AP. Quamne hodie per urbem uterq; ſumus deſeſſi quærere?

Quid intelliges ſub iſto *quamne*? Filiam Periphanis? nugas. meſſem mali? majores nugas.

nugas. Scribe *Quemne*: Servum Epidicum quæſierant per urbem totam ambo ſenes: quod clarum eſt. Suprà:

nam per urbem duo defloccati ſenes
Quæritant me, in manibus geſtant copulas ſecum duas.

Et de laſſitudine conqueritur initio hujus ſcenæ hic idem ſenex:

. . . . . ita dum te ſequor,
Laſſitudine me invaſerunt miſerum in genua flemina.

Itaque cum de mala gratia pro bona opera quereretur ſervus, auget Apœcides indignitatem rei hac quaſi commiſeratione: quam in jocum tamen ille vertit,

Ego ſum defeſſus reperire, vos defeſſi quærere.

ſed & ego jam quærendo pariter & reperiendo fine mendarum in hac fabula æquè ſum defeſſus. Eo igitur ad Bacchides, quarum illecebroſo ſermone, viſcatiſque blanditiis laſſitudo mihi omnis eximatur.



VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI BACCHIDES DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES AD

NOBILISSIMUM, ET AMPLISSIMUM VIRUM

JOANNEM BARVITIUM

Sac. Cæſ. Maj. à Conſiliis aulicis, & ſecretis ſanctioribus.

CAPUT I.

Benè: rectè. Plenus ſanguinis. Jocus latentior aperitur. Verſus iteratus expungitur. Alia corriguntur.

PRincipio Bacchidum rectè ſic hoc diſtinguitur ab aliis, ſed neſcio, ſi & accipitur rectè:

. . . . . quid agunt duæ germanæ meretrices cognomines?
Quid in concilio conſuluiſtis? BA. benè. PI. pol haud meretricium eſt.

Nec enim hoc reſpondent meretrices, benè ſe conſuluiſſe, quamquam ſic interpretatur adoleſcens: ſed ejus interrogationem rejiciunt honeſtâ illâ formulâ reticendi aliquid ſine injuria quærentis: de qua Donatus ad illum Hecyræ Terentianæ locum:

Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam triſtis? P. rectè, mater.

Nam pro eodem in tali re *benè*, & *rectè*: quamquam hoc ſæpius invenias ita uſurpatum. Noſter Mercatore:

DE. Unde incedis? quid feſtinas gnate mi? CH. rectè, pater.

Et Terentius iterum, Adelphis:

Huic leges cogunt nubere hanc. Æ. perii. M. quid eſt?
Æ. Nil. rectè. perge.

Itemque Eunucho:

Rogo, numquid velit. rectè, inquit. abeo.

Jocus eſt igitur in ambiguitate reſponſionis. Illæ nihil ad eum pertinere videri volebant, quod conſuluiſſent: hic benè eas conſuluiſſe, quidquid eſſet, interpretatus cavillatur, ac mores earum, conditionemque ſugillat. Illud autem mox accipitur rectè, ſed non ſcribitur in optimis aliàs libris:

BA. Hæc ita me orat, ſibi, quî caveat, aliquem ut hominem reperiam,
Ab iſtoc milite.

Conjunctim & ſine accentu mediæ vocis iſta legenda, *ſibi qui caveat*. Ordo, ſenſuſque verborum a Lambino diligenter oſtenſus, qui per ſe liquet tamen, niſi iis, quibus per ſe nihil liquet. Atque illa niſi paullò obſcurior altera lectio eſſet, poterat etiam ferri: quam nec ego damnare planè velim. In proceſſu colloquii hujus lepidè, & ſapienter de ſuadelis, ac corruptelis meretriciis Piſtoclerus:

. . . . . quia iſtæc lepida ſunt memoratui,
Eadem in uſu, atq; ubi periclum facias, aculeata ſunt:

Ani-

Animum fodicant, bona destimulant, facta & famam sauciant.

Ubi verius editiones priscæ, *distimulant*. & versu primo legendum versus, sermonisque caussâ:

. . . . . quia enim istbæc memoratu lepida sunt.

At qui statim his subjungitur versus:

Apage à me, apage. BA. ab. nimium ferus es. Pl. mihi sum.
BA. malacissandus es.

abfuerit hinc, meo judicio, melius ineptiusculè repetitus ex inferiore isto loco:

Ubi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto accubet.
Apage à me, apage. BA. ab. nimium feruus es. Pl. mihi sum.
BA. malacissandus es.

Illic commodissimam habet sedem, neque tamen & hic prorsus incommodam, nisi & iteratio ipsa insuavis esset, & rectius alia cohærerent superius, ejusmodi insertionem vix ferentia: tum quod maximum est, nisi affectus tam vehemens isti adhuc rei minus conveniret. Nec enim dum incaluerat adolescens adeò, quem collatio palæstræ, & militiæ cum meretriciis agonibus & armis, omniumq; inibi damnorum, ac dedecorum contemplatio sic accendit, ut exclamet denique, *Apage à me, apage*. Qui sobriis judiciis hoc expendent, mecum facturos scio: reliqui quid æstiment, non laboro. Teneant, qui volent: ego fidenter ejicio priore, quo dixi, loco. Sequenti scenâ:

LT. (t) O barathrum, ubi nunc es, ut ego te usurpem lubens?

Distinguendum paullò aliter:

O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem lubens!

Sententia non apparet alioqui satis. Non longè indidem:

Nihil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis:
Valens afflictat me vacivom virium.

Interrogationem rectè detraxerunt nuper, & *jam* melius omninò, quam *tam*: quod tamen ipsum quasi legeretur, aut legendum esset, ita Lambinus explicat *plenos sanguinis*. Interpretatur enim, tam animosos, tam calidos, &c. At non hoc Lydus dicit, quamquam consequitur ex eo quod dicit. Jam pleni sanguinis ei sunt adulti, robusti, & validi, quos non vult sibi discipulos amplius, quandoquidem valentiores illi afflictent ipsum ætate jam infirmum. *Afflictet* enim etiam scribo ad hanc sententiam, elatam per modum, ut vocant, potentialem. Ac *jam* fortasse potius ad priora respicit, ut jungatur *jam esse*, vel *nihil jam moror*.

CA-

(t) Ad hunc locum Anonymi cujusdam interpretis adnotationem lego: *Tale illud Virgilii . . . . . mihi tellus ima debiscat*.

Quod quidem oscitanter observatum. Hoc etenim *o Barathrum &c.* ira excandescentis est, ac prope desperantis: hæc enim subjicit statim Lydus:

Video nimis jam multo plus quam volueram,
Vixisse nimis satiu'st jam, quam vivere.

Illud vero Didonis dejerantis, ut non violaturæ pudorem, aut ejus jura resoluturæ jusjurandum. Præterea ipsa optat, ut *ima tellus debiscat*: Lydus autem locum intelligit coercendis improbis jam constitutum, & desperantibus apertum. *Barathrum* (inquit Festus) *Græci appellant locum præcipitem, unde emergi non possit*: de hoc etiam Diomed. Gram. *Barathrum locus apud Inferos, proprie autem apud Athenienses, in quem noxii præcipitabantur*. Romani locum dixere in carcere, quo capite damnati præcipites agebantur. Non piget huc conjicere, quod in Aristide refert Plutarchus. Contradixerat sed frustra Aristides Themistocli de re apprime utili, ac necessaria deliberanti; ideoque ira excandescens sibi temperare non potuit, quo minus ex concione discedens exclamaret: *nisi Themistoclem, seque in Barathrum conjicerent, Rem Atheniensium salvam esse non posse*.

CAPUT II.

Versus plures in uno loco variè disjecti, in ordinem redacti. Ordo explicatione comprobatus.

SUb finem ejusdem scenæ:

Istactenus tibi, Lyde, libertas data est
Orationis. satis est, sequere me hac, ac tace:

Aliter, & sanè rectius interpungit Dousa F. *data est. Orationis satis est.* non tamen hoc satis. nam & *hac* delendum versus caussâ, quod neque libri veteres agnoscunt. Sed nec illud satis omninò. Nescio numquid majus superest, ita quidem magnæ molis, ut tentare vix ausim. Audacia tamen sumenda, ne tanta res intacta prætereatur. His ipsis versibus claudi debere scena videtur, ut qui sequuntur alii duo, aliò pertineant: imò claudi non utroque illorum, sed altero saltem, ut prior & ipse aliò referatur. Id qui potest? Ut possit, videro: prius alieno loco etiam illum esse superiorem monstrabo:

Pl. Jam excessit mihi ætas ex magisterio tuo.

Nimium, inquies, turbas, & moliris, quod vix emolieris. Ita soleo, cum mea commovi sacra: nec de successu equidem despero. Mane modò, & vide mecum sodes hoc primùm: an non aptius illa cohærebunt, si non interrumpantur inserto Pistocleri versu?

Pl. Omitte, Lyde, ac cave malò. LT. quid? cave malo?
O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem libens!

Ad minas discipuli sic miser exclamat pædagogus, & de iis queri tantum apparet ex deincipe versu:

Magistron' quemquam discipulum minitarier?

Quod si & illud ille addidisset hic, excessisse sibi ex magisterio ejus ætatem; hic certè id quereretur etiam, & multò miserabilius lamentaretur. Jam vestigium in oratione hujus nullum est, unde colligas indignam illam vocem cum minis pariter emissam. Quid igitur eo versu faciemus? Dicam tibi, si audire vis: quod auditum sequi liberum cuivis erit, aut negligere, quasi obauditum. Non enim auscultari me postulo: neque tamen sententiam nostram sperni, aut si sperni feram, non feram irrideri. Quod mihi videtur, ingenuè communico, animo Plauti aliorumque juvandi: nec alio accipient liberalia ingenia, quibus solis hic desudamus, & gratiam ab iis ita benè meritorum exspectamus, ut interim & veniam speremus errorum. Illum ergo versum cum altero hoc sociandum judico,

Istactenus tibi, Lyde, libertas data est:

& horum utrumque sic collocandum, ut ultimos istos alii duo statim sequantur. Eos autem ipsos sequi facio post illos superiores:

Compendium edepol haud ætati optabile
Fecisti, cum istanc nactu's impudentiam.

sed ut ordinem universum, ordinisque rationem in omnibus facilius perspicias, integer locus prolixius adscribendus est, ubi leviora simul alia concinnavimus:

Pl. Omitte, Lyde, ac cave malo. LT. quid? cave malo?
O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem libens!
Video nimio jam multo plus quàm volueram.
Vixisse nimio satius est quàm vivere.
Magistron' quemquam discipulum minitarier?
Nihil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis.
Valens afflictet me vacivom virium.
Pl. Fiam ego, ut opinor, Hercules: tu autem Linus.
LT. Pol metuo magis ne Phœnix tuis factis fuam,
Teque ad patrem esse mortuum renuntiem.
Pl. Satis historiarum est. LT. hic vereri perdidit.
Compendium edepol haud ætati optabile
Fecisti, cum istanc nactu's impudentiam.
Edepol fecisti furtum huic ætati malum,
Quum istæc flagitia me celavisti, & patrem.

Pl.

Pl. Istactenus tibi, Lyde, libertas data est:
Jam excessit mihi ætas ex magisterio tuo.
LT. Occisus hic homo est. ecquid in mente est tibi,
Patrem tibi esse? Pl. tibi ego, aut tu mihi servus es?
LT. Pejor magister te istæc docuit, non ego.
Nimio es tu ad istas res discipulus docilior,
Quàm ad illa quæ te docui, ubi operam perdidi.
Pl. Orationis satis est. sequere me, ac tace.

Omnia sic apta invicem ex se, nec quidquam interruptum, omnes vident: quorum rationes sigillatim nihil opus est dari, & in parte jam dedimus suprà: unumque monemus nunc saltem, in quo maximum momentum totius traductionis. Accusabat acriter adolescentem Lydus amissæ verecundiæ, acquisitæ impudentiæ, denique furtivæ calliditatis in flagitiis celandis, quæ omnia essent præter, & contra ætatem. hanc ille non ferens diutius reprehensionem, Hactenus, inquit, libertate monendi, castigandique in me usus fueris: nunc jam parce, postquam è magisterio tuo ætas me eximit, & ferulæ subducit. Ita dum sub disciplina pædagogi se amplius esse, aut futurum negat: quid? inquit Lydus: Si sub præceptore non es ulterius, ecquid patrem meministi te habere, ex cujus quidem potestate nondum exiisti? Sed nihil proficit, & contumacius spernitur, pro servo etiam increpatus: lapsusque ad querelas perditæ in docendo operæ, & corruptæ aliunde institutionis, tandem revocatur, & reprimitur ab imperioso μαθητῇ olim, nunc δεσπότῃ, sequique jubetur, ac tacere. Is expostulationis modus, is ejusdem scenæ finis.

CAPUT III.

Quàmne. Strigo. Trico. Plusculi versus in numeros repositi: quidam aliter emendati, explicatique: unus præcipue contra virum doctum correctus, & aliò trajectus.

SCenâ, *Mirum est*, rectè putant scribendum inserto *si*:

CH. Quia si illa inventa est, quam ille amat, vivit rectè, & valet.

sed id qui putant, eximere rursus *ille* potuerant, quod in veteribus non est, ut numeri essent faciliores, qui sic quoque non tamen faciles nimis. Ablato enim etiam hoc, amphimacer in medio manet, sine quo reliquos pedes usitatos non explicabis. Ut dement hic autem, sic ibi addunt *ea* veteres iidem:

Anima est amica amanti: si ea abest, nullus est.

plenioribus sanè numeris, neque tamen aliàs defectis. Quod sequitur:

Pl. Egon' ut quod ab illo attulisset nuntius,
Non impetratum id advenienti redderem?
Regiones colere mavellem Accheronticas.

In eo viri magni παρὰ προσδοκίαν argutia mihi accidit, *colores* interpolantis, ut sententia sit ipsa præter exspectationem. Relinquamus *colere*, nec vel alium audiamus, qui *me vellem* malit, etsi nihil id sensui detrahit, addit autem etiam sermonis venustati. Sed ibidem *ab illo* non ego verbo junxerim *attulisset*, sed ipsi nomini *nuntius*, inductus locutione simili, quæ infrà:

Nam illud animus meus miratur, si à me tetigit nuntius,
Quid remoratur.

Et alibi: *Credo hercle te esse ab illo: nam ita nugas blatis.*

De illo loco diximus aliquid ad Curculionem:

.....ecquid nam meminit Mnesilochi? Pl. rogas?
Imo unicè unum plurimi pendit, CH. papæ!
Pl. Imò ut eum credis, misera amans desiderat.

Unum obliti illic sumus, etiam *miserè* corrigendum videri: ut totus sic scribatur ultimus versus:

Imò ut eam credis? miserè amans desiderat.

Nam ingentem amorem, vehemensque desiderium voluit exprimere, cui magis adverbium servit quàm nomen. Paullo pòst *hercle* delent illic veteres libri posteriore loco:

CH. Tantò hercle melior Bacchis. PI. imo. CH. imo hercle abiero Potius.

quod numeri tamen ferre videntur posse. At proximâ scenâ neque numeri, neque sensus *hoc* ferunt il'o loco, unde iidem tollunt:

Volcanus, Sol, Luna, & Dies, dei quattuor
Scelestiorem nullum hoc illuxere alterum.

De numeris liquet: de sensu ut videas, sequens versus prius etiam emendandus. Is ita vulgò scribitur:

NI. Quemne? Archidemidem? CH. quàm, inquam, Archidemidem.

Si *hoc* præcesserat, interrogare nihil necesse habebat, aut certè sic debebat Nicobulus, *Quone? Archidemide?* Et fit fortè, qui rescribere sic mallt, ut illud retineat contra nos. At contra eum vicissim servi responsum est, *Quàm, inquam, Archidemidem*. Ex quo fit, quod ego volo: *Quàmne Archidemidem?* mutandum scilicet. Ambiguum erat servi illud prius, *Scelestiorem nullum alterum*. itaque senex interrogat, an alterum nullum, quàm Archidemidem? & ille iterum, ita verò, inquit, ajo, quàm Archidemidem. Rescribes ergò sic planè:

Scelestiorem nullum illuxere alterum.
NI. Quàmne Archidemidem? CH. quàm, inquam, Archidemidem.

Eâdem illâ scenâ porrò libri, quos viderim, omnes, & vidisse videor omnes:

Damnatus demum vi coactus reddidit
Ducentos & mille Philippûm. NI. tantum debuit?

Omnes, inquam, ita cum interrogatione legunt: ineptè. Quid enim senex quærat, quasi nesciat, quantum sibi debeatur? Et non quæsiisse pater ex servi sequenti oratione, qua nihil respondet hujus. Tolle notam igitur illam, & senem intellige, cùm de mille ducentis Philippis servus injecisset, assentientem subjecisse, rectè redditam summam: nam tantum omnino debuisse. Tantundem suprà memoravit idem servus:

Mille & ducentos Philippos attulimus aureos
Ephesò, quos hospes debuit nostro seni.

Jam in illum ibidem incidimus locum, cujus emendatione Muretus olim se jactitavit:

CH. Postquam aurum abstulimus, in navem conscendimus,
Domum cupientes. fortè ut assedi in stega,
Dum circumspecto, atque ego tum lembum conspicor:
Longum est rigorem maleficum exornarier.

Horum ultimo versu egregiè se putabat restituisse, *strigonem*: atque ita planè reponendum. Ego, quid alii, nescio: me fateor equidem dubitare. Non dubitem enim *strigonem* apud Latinos hominem dici maleficum? & id de lembo usurpari? Dare exemplum debebat, si vellet omninò sibi credi. Nam quòd Italorum ita vulgus hodie, nihil ad veterem linguam in qua Strigones tamen sive Strigores agnosco, sed alio longè significatu, apud Festum, & ejus Castigatorem ter maximum Scaligerum, promto. Quid autem *exornarier* ad ejus emendationis sensum? Liceat mihi contra talem virum liberè, quod sentio, pronuntiare: Vana nobis hæc correctio videtur: ad quam longè nos alia nitimur via. Primùm alienum eo loco versum eum dico, ne divellantur isti:

Dum circumspecto, atq; ego tum (u) *lembum conspicor,*

MI.

(u) Vereor ne perperam breves id genus naviculas *solum in fluminibus usurpatas fuisse* scripserit Servius. Novi equidem Classium genera fuisse duo maris unum, fluminum alterum, veteresq; in mari liburnis, in fluminibus vel lusoriis lembis usos fuisse, verumtamen & inter maritima navigia locum fuisse lembis tradit Livius libro 37. c. 27. *Quum* enim *direxissent* Romani *ad terram proras quindecim ferme eis naves circa Myonnesum apparuerunt, quas primo ex classe regia Prætor esse ratus, instituit sequi. Apparuit inde piraticas celoces, & lembos esse. Chiorum maritimam oram depopulati cum omnis generis præda revertentes, posteaquam videre ex alto Classem, in fugam verterunt, & celeritate superabant. levioribus, & ad id fabrefactis navigiis &c.*

MI. Perii hercle. lembus ille mihi lædit latus.

inter quos nihil interveniſſe ratio convincit alluſionis. Friget hæc enim, nec apparet ſatis, niſi ſtatim vix mentione facta lembi, de latere læſo queratur exclamans, & prætimens ſibi ſenex. Deinde locum ei alium habeo, cui dabitur opportuniſſimè, leviter antè emendatus. *Rigorem*, unde Muretus ſuum *ſtrigonem*, falſum manifeſtò: cujus vice, literarum iiſdem veſtigiis inſiſtens, ſcribo *triconem*. Nota viciſſitudo ſolennis inter G & C ex figuræ cognatione. T initio deperiit, occaſione verbi præcedentis *eſt*, cujus eadem ultima, quæ prima illius, litera. Nam de R & N verbum fieri non opus. Jam totum retraho ad iſta ſuperiora, unde excidiſſe certò conſtabit, ubi, quàm conveniat, demonſtraro:

NI. Quid, ubi ei oſtendit (x) ſymbolum? CH. inſit dicere,
Adulterinum, & non eum eſſe ſymbolum:
Quotque innocenti ei dixit contumelias.
Adulterare eum ajebat rebus ceteris.
Longum eſt, triconem maleficum exornarier.
NI. Habetin' aurum? id mihi primum dici volo.

Occipiebat ſervus memorare contumelias, & facinora quæ feciſſet Archidemides in filium herilem: ſed præfatur, longum fore, ſi exornandus, & exactè deſcribendus ſit maleficus ille trico. Tum ſenex, ante omnia, relictis ceteris, id ſibi primum dici jubet, an ipſum tandem aurum habeant. Quæ ſententiæ ἀκολουθία nonne probat, & ſedem illam verſus hujus germanam, & ipſam vocis æquè correctionem? *Triconem* dicit, lentum nomen: & jure *maleficum*, qui tam malis ſtrophis circumducere creditorem machinabatur. Lucillius ex eadem farina hominem eodem nomine cenſet apud Nonium, qui verſus ejus hos laudat è Satyrar. lib. XI.

Lucius Cotta ſenex Craſſi pater hujus Panætii
Magnus trico fuit nummarius, ſolvere nulli
Lentus.

Et Gellius (lib. 11. c. 7.) alium indidem:

Hic tricoſus, bovinatorque ore improbus duro.

Ita namque rectè ſcribunt in Gellio meliores editiones, non *ſtrigoſus*: quod maximus vir tamen ad Virgilii Catalecta tenet, & arguta explicatione tuetur: adverſus quem Dii melius quàm ut aſſurgam. nec eo minus ab eo diſſentio, quod integrum omnibus ſcio. Quippe cuivis ubique licet in his, aliiſque ſtudiis ἀμφισβητεῖν: ſed ἀμφισβητεῖν μὲν, ἐρίζειν δὲ μή. Ceterùm in hac reſtitutione unum eſt de quo quis dubitet: an commiſſis in eum modum verſibus, diſtinctio horum ſic etiam potius mutanda:

Adulterare eum ajebat: rebus ceteris
Longum eſt triconem maleficum exornarier.

CAPUT IV.

Multæ, variaq; ad Bacchides novæ cenſuræ: tum emendata quædam adverſus alios: in quibuſdam aliorum ſententia firmata.

MEndoſum eâdem ſcenâ illud omnes poterant videre, nec quiſquam vidit tamen: at corrigere neque mihi quivis potuit, nec ego ſanè poſſum.

Quo-

(x) Symbolum imaginem ceræ impreſſam fuiſſe teneo, ut Pſeudu. Noſter 1. 1. 53.

Ea cauſſa miles hic reliquit ſymbolum,
Expreſſam in cera ex annulo ſuam imaginem.

Sed hoc loco ſymbolum pro teſſera pecuniaria ſumendum nemo non videt. Hoc enim etiam utebantur veteres in contractibus pecuniarum loco. Ad arram etiam ſignificandam vox hæc uſurpabatur, ſive annulus eſſet, ſeu quidvis aliud arræ loco, quod daretur. Sed frequenter tamen annulus dabatur, ideoque Grammatici Græcum ἀπλοῦς, σύμβολον latine annulum reddiderunt: de quo hæc Plinius XXXIII. 1. *De nomine annuli ambigi video. Græci a digitis appellavere, apud nos Priſci ungulum vocabant: poſtea & Græci, & Noſtri ſymbolum.*

Quoniam vident nos stare, occeperunt ratem
Turbare in portu.

Cedò enim, in portu navem turbarunt, qui jam inde exierant, & avibus, ventisque citius navem alteram insequebantur? Ita enim jam jam narravit:

Vix portu exiimus, homines remigio sequi,
Neque aves, neque venti citius.

In altum nempe jam provectos aliquantum apparet: unde sub vesperam se receperunt denique ad terram, uti mox subjungit:

Revorsionem ad terram faciunt vesperi.

Nisi si medio in mari portum tibi exstrues artificio novo. Ulcus aperui: ceteram medicinam non tento. Tentavi olim *in ponto*. sed non placet nunc, ne olim quidem placitum satis. Hic autem versus:

Nos apud Theotimum omne aurum deponimus:

paullo scribitur aliter in antiquis:

Nos ibi apud Theotimum omne aurum deposuimus.

utrubi sincerius? neutrubi sincerè fortè. Neque scias, utro rescribas horum modo: vel,

Nos tibi apud Theotimum omne aurum deponimus:
vel, *Nos apud Theotimum omne aurum deposivimus.*

Scenâ *Multimodis*.

Nam ut in Ephesum hinc abii, hoc factum est, fermè abhinc biennium,
Ex Epheso huc ad Pistoclerum meum sodalem literas
Misi.

distingui sic velo, ut parenthesi ista includantur (*hoc factum est fermè abhinc biennium*:) liquidiore sensu, magisq; structurâ exquisitâ. Deinde:

Condignè is quam techнam de auro advorsum meum fecit patrem.

Alii *qui* pro *quam* supponunt: quorum neutrum in veteribus aliquot libris. Ego certè malim *quoq*; Talem enim particulam addere solet alteri *condignè*. Aulular.

Condignè etiam meus med intus gallus gallin. &c.

Sed & *quam* alius defendat, si per admirationem sententia efferatur. Denique & abesse quodcunque posse, numeris, sensuque pariter integris, alius affirmet. Post pauca sequitur:

Nimio præstat impendiosum te quam ingratum dicier:
Illum laudabunt boni, hunc etiam ipsi culpabunt mali:

In priore versu *te* non quadrare videtur satis cum sententia posterioris: magis certè quadret, ita si interpoles:

Nimio præstat impendiosum, quamde ingratum dicier.

Scenæ sequentis initium est:

Nunc experiar, sitne acetum tibi cor acre in pectore.

in quo diversæ quorundam opiniones, aliis *aceto* scribentibus, aliis uti glossam delentibus hæc verba *cor acre*. Eorum illis non repugnem: his nunquam accesserim omnino, qui nullam adeò versus habent rationem. Tamen aliquando fuit, cum ipse *cor* solum ex additamento interpretationis esse judicarem. Totum enim illud, an acetum acre tibi sit in pectore, nihil sonat aliud, nisi an cor habeas, ut noster alibi loquitur, id est, an sapias. Itaque sic rescribebam:

Nunc experiar, sitne, necne acetum tibi acre in pectore.

cujus me conjecturæ neq; dum pœnituit: quia sic planè similis sit locus illi, Pœnulo:

Ecquid habet is homo aceti in pectore? CH. atque acidissimi.

Tum *necne* perire hic potuit facilè, nihil ut usquam magis. Sed per me sanè valeat, & prævaleat aliorum *aceto*: quo scillite qui cor decies purgarit, is demum videatur melius inventurus. In ipsa deinde interiore scenâ versui isti:

Eademne erat hæc disciplina, cum tu adolescens eras?

nollem ademtum *olim*, quod veteres neq; sententiæ planè supervacuum, & versui pœnè necessarium habent. *Eademne erat hæc disciplina olim, cum tu*. Et iidem melius statim:

Idq; ubi obtigerat, hoc etiam ad malum accersebatur malum.

maximè, si versus eo collocentur ordine, quo traducendos censeo cum Hier. Groslotio, cujus ad aliquot Plauti locos eruditæ prorsus, & elegantis ingenii testes à Dousa F. nobis exhibitæ conjecturæ. Nam sensus equidem concinnior, ita & versibus conjunctis, & rescriptis verbis: *Nego*

Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ,
Digitum longè à pædagogo pedem ut efferres ædibus,
Idq; ubi obtigerat, hoc etiam ad malum accersebatur malum,
Et discipulus, & magister perbibebantur improbi.

Id ubi contigerat, pedem nempe si puer ædibus extulisset sine præceptore. *Quoi* illi fecerunt, qui retulerunt ad eum qui pœnas penderet Gymnasii præfecto, secundum seriem vulgatam. At de discipulo, & magistro qui congruit in illos? optimè in puerum, & pædagogum. Jam illa etiam rectius cohærebunt, planâ nec usquam sententiâ interruptâ:

Ante solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasii (z) præfecto non mediocres pœnas penderes.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila &c.

Quæ disertim adscripsi, ut & ordinem illum novum Groslotii, qui meus idem jam olim, simulq; lectionem veterem, quam nunc restitui, magis confirmarem. Hinc non procul & lectio, & distinctio optima illorum:

. . . . . istoccine hic pacto potest
Inbibere imperium magister, si ipsus primus vapulet?

Tamen paullò alia, nihilo deterior esse possit in eundem sensum:

. . . . . istoccine hic pacto potest
Inbiberi imperium, magister si ipsus primus vapulet?

Inferius Lambini hoc est, quod alii sunt secuti:

MN. Quid factum est? LY. meretricem indignè deperit. MN. non tu taces?
LY. At quæ acerrimè, ac æstuosè absorbet, ubi quemq; attigit.

Non sequor ego: Gulielmium potius nostrum, qui jam olim vulgatam asseruit:

Atq; acerrimè ea est, absorbet, ubi quemq; attigit.

A quo tamen non dissentio quidem vel hilum, sed amplius nescio quid muto, veterum auctoritate librorum, & versus ipsius subjectione. Nam & hic brevior sic est integro pede, & illi vocem inserunt nimium quantum opportunam, si leviter emendetur. Scribunt, *absorbet viros, ubi quemq; attigit*. En quisquam dubitabit, verum esse *vivos?* cujus sunt vestigia in illo ipso etiam Lambiniano *æstuosè*. Nam si reglutines male coalitas voces, *est vos* prodibunt, quarum posterior è nostro *vivos* decurtata. Repone igitur vel *absorbet vivos*, vel *vivos absorbet*, utro verborum ordine males, quorum alter ex antiquorum diserta scriptura fluit, alter ex corrupta, si quis ejus habendam tamen aliquam rationem putet, Dionysiaca lectione Vehementiam, & acritudinem, de qua sermo est, meretriciæ voraginis auget valdè addita vox illa, ut vivos dicatur statim, ubi vix, & quemcumque attigerit, absorbere. De Bacchidum utraque simile quid supra dixit idem pædagogus:

Bac-

(z) Scaligero Gymnasium ab optimo puerorum institutione maxime abhorrere videtur: quid enim magis absonum a suscepta juvenum disciplina, quam nudos eos inungi, atque exerceri. Sed fuit tamen locus literariis exercitationibus, & Philosophicis disputationibus datus, & Marco Tullio, & Plinio testibus locupletissimis: neque enim a γυμνὸς, quod nudus est latinè, sed a γυμνάζω, quod exercere significat, vox derivatur. Id autem libentissime confitemur multis ante seculis inventa fuisse gymnasia, quam in his Philosophi garrire cœperint Ciceroni adsentientes, sed in Palæstra, & nobiliores litteras locum habere potuisse intelligimus, & alias ibi fuisse corporis, ac animi exercitationes confirmamus. Ad hunc locum quod pertinet, in Palæstra corpus exercuisse pueros, ex iis, quæ a Lydo dicuntur conjicientes non dubitamus, domi vero prima literarum rudimenta didicisse ex his intelligimus, quæ sequuntur:

Inde de hippodromo, & palæstra ubi revenisses domum
Cincticulo præcinctus in sella apud Magistrum assideres.
Cum librum legeres, si unam peccavisses syllabam
Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium.

Bacchides, non Bacchides, sed Bacchæ sunt acerrimæ,
Apage istas à me sorores, quæ hominum sorbent sanguinem.

CAPUT V.

Frustrare: Inimicus in aliquem: Extentare: Ducere se aliquò: Præter alias correctiones miscellas, similia loca Plauti collata invicem, & illustrata. Inibi noscitationis apud eum formulæ notatæ.

Certissima inter alias, & deprehendendi vitii, & corrigendi ratio est similium observatio locorum, & in iis cum verborum singulorum, tum structuræ ipsius universæ consideratio, collatioque. Ex ea locum nunc scenæ, *Reddidi patri*, & arguemus erroris, & emendabimus, qui minimè vitiosus alioqui poterat videri.

PI. Est ne hic meus sodalis? MN. estne hic hostis, quem aspicio, meus?
PI. Certè is est. MN. is est. adibo contrà, & contollam gradum.
PI. Salvus sis Mnesilochè. MN. salve.

Ut quadrent omnia, quæ vides geminis ubique, & iisdem utriusq; noscitantium invicem sententiis constare, dico delendum, & medio versu, personasque in hunc modum alternandas:

PI. Certè is est. MN. is est. PI. adibo contrà. MN. contollam gradum.

Is Plauti modus est in noscitatione, sæpè usurpatus ab eo: cui, etsi plura fortè sunt, hæc tamen illustrando suffecerint exempla. Aulular. scenâ ultimâ:

ST. Herumne ego aspicio meum? LT. videon' ego hunc Strobilum servum meum?
ST. Ipsus est. LT. haud alius est. ST. congrediar. LT. contollam gradum.

Rudente scen. *Intelligo. . . . . . TR. cuja ad aures*
Vox mihi advolavit? AM. obsecro quis hic loquitur? quem ego video?
TR. Estne Ampelisca hæc, quæ foras è fano hoc egreditur?
AM. Estne hic Trachalio, quem conspicor, calator Pleusidippi?
TR. Ea est. AM. is est. Trachalio salve. TR. salve Ampelisca.

Persæ initio:

Quis illic est, qui contra me astat? TO. quis hic est qui contra me astat?
Similis est Sagaristionis. SA. Toxilus hic quidem meus amicust.
TO. Is est profectò. SA. eum esse opinor. TO. congrediar. SA. contrà aggrediar.
TO. O Sagaristio, dii ament te. SA. o Toxile, dabunt dii quæ exoptes.

Denique & Epidico, scen. *Si quid est homini.*

. . . . . PE. noscito ego hanc.
Nam videor, nescio ubi, me vidisse prius. estne ea an non
Est, quam animus retur meus? MV. Dii boni! Visitavi antidhæc.
PE. Certè ea est, quam in Epidauro pauperculam memini comprimere.
MV. Planè hic ille est, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam
Pepulit. PE. quæ meo compressu peperit filiam, quam domi
Nunc habeo. MV. quid si adeam? PE. haud scio an congrediar, si hæc ea est.
MV. Sin is est homo, sicut anni multi me dubiam dant. PE. longa
Dies meum incertat animum. sin ea est, quam incertò autumo (ita distinxerim nunc simul) *hanc*
Congrediar astu. MV. Muliebris adhibenda mihi malitia nunc est.
PE. Compellabo. MV. orationis aciem contra conferam.
PE. Salva sis. MV. Salutem accipio mihi, & meis.

Porrò jam eadem scenâ justissima est, injustè semetipsum velut accusantis interim, querela Pistocleri?

PI. Multi more isto atque exemplo vivunt, quos cum censeas
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.

Nal-

Nullus est, qui non invideat rem secundam obtingere,
Sibi ne invideatur ipsi ignavi rectè cavent.

Inibi nescio si *sublesti fide* scribendum, ut respondeat ceteris omnibus, *inertes opera, factiosi lingua, falsi falsimoniis*. Illud scio, rectè emendatum à V. N. Dousa, *quoi non invideant*: itemque à nobis ultimum versum ad legem versuum horum reconcinnatum:

Ne sibi invideatur ipsis, ignavi rectè cavent.

Sed addit de moribus eorundem φίλων ἀφίλων ipse Mnesilochus:

Sed etiam unum hoc ex ingenio malo malum inveniunt suo:
Nulli amici sunt, inimicos ipsi in sese omnes habent.
Atq; ii se cum frustrantur, frustrari alios stolidi existimant.

Etiam hic postremus versus non satis ad regulam factus: cui imperitorum, credo, manus nocuerunt, *frustrantur*, & *frustrari* tritiore flexu reponentium, quæ posuisset auctor minus hodie usitato *frustrant*, & *frustrare*. Nam ut verba trajiciantur etiam, *Atque ii se frustrant, cum frust.* nihil opus. Certè si *frustrari* quidem Plautus hic, quod patitur versus, non tamen & alterum eâ forma, quam respuit & longè spernit. Atqui illam ibidem notabis elegantem locutionem, *inimicos in se*: cujus simili Terentius dixit Phormione:

Nunquam tam graves caperem inimicitias in vostram familiam.

Nec autem ista mox in hac scena valdè dissimilis:

Ille quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali
Facere, & in me inconciliare copias omnes meas.

Etsi malim ibi ego, *Facere in me, & mi inconciliare*: de veterum utique codicum scriptura, quæ manifestò talis est, nisi quòd *&* *mi* pro fulcimento versus addidi, pro quo tamen, *ac* vel *atq;* solum steterit ad ruinam adeo levem sustinendam. Scenæ, *Quid istuc*, secundus, tertiusque versus sic legendi:

Quæ te mala crux agitat, ad istunc qui modum
Alieno vires tuas extentes ostio?

libros ut veteres simul & Lambinum alibi sequaris. *Extentes*, experiaris omnino est, non tamen à *tendo*, unde ille ducit. nam qui potest? Credo illum versum ruminavit somnians, qui superius scenâ *Nunc experiar*:

Ibi suam ætatem extendebant, non in latebrosis locis.

Deinceps illic habes:

PL. Non it. negato esse ituram. abi & renuntia.
Alium illa amat, non illum. duc te ab ædibus.

Fallor, an legendum? *negat esse ituram*. non puto falli. nam & versus melior, & oratio Plautinior, & sententia nonnihil etiam concinnior. *Duc te* autem *ab ædibus*, honestissima phrasis: cui similis Amphitruone:

Nam jam ad regem rectà me ducam, resq; ut facta, eloquar.

Ubi notant Pollionem Asinium sic quoque locutum lib. 10. Ep. Famil. 32. *Duxit se à Gadibus*. At cur Plautum non contulerunt Plauto? qui sic iterum & Aulular. scen. *Picos*:

Ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore.

Terentius etiam Hecyr. Act. 4. sc. 1.

Uxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras.

CAPUT VI.

Jus, & mos. Ingenio, non Genio tali, aut tali natus. Eja, quin. Ecficere. Mendacii prehendere, & similia, an dicantur. Animus sperat, superat. Corruptelæ aliquot à Plauto defensæ, rejectis emendationibus alienis. Novæ plures emendationes allatæ, quædam aliorum firmatæ. Multa insuper in Plauto, & aliis illustrata.

ALia scena sequitur, cujus hoc initium, *Petulans*; & ille proximus primo versus:

Sine modo & modestia sum, sine bono jure atq; bonore.

Ejus ultimam vocem non malam, damno tamen, & repono *more*. Jus enim, & mos

mos jungi solent in eum modum, vel sexcentis unius Plauti locis: vix alterum usquam apud quemquam. Statim in quarto rectum est, *Malevolente ingenio natus*. Et rectè Lambinus, quòd non probat *Genio* mutantes: uti nec ego, qui apud Terentium similiter interpolant eandem locutionem. Heautontim. Act. 3. sc. 1.

Aut ego profectò ingenio egregie ad miseriam
Natus sum.

Nam & ibi sunt, qui maluerunt *Genio egregio*: nulla sanè caussa. Ingenio tali, vel tali natum esse, merum Latium.

Plautus infra:

Sicut eum si convenit, scio fecisse: eo est ingenio natus.

Ennius:

Eo ingenio natus sum: amicitiam, atq; inimicitiam in fronte promtam gero.

sed exemplis quid fuerat opus? Ibidem porrò legitur etiam rectè:

. . . . . *PI. militis*
Parasitus modo venerat aurum petere: hinc eum ego meis
Dictis malis &c.

rectius tamen distinxeris, & quidem cum antiquis, *aurum petere hinc, eum ego*: nisi Gulielmium potius audis *hunc eum* facientem. Qui continui sequuntur ad finem usque plusculi versus, eos ita constituo, ut trochaici septenarii omnes fiant.

MN. Quid mihi id prodest? quid faciam? nihil habeo miser. illic quidem
Hanc abducet scio. PI. si mihi sit, non pollicear. MN. scio, dares.
Novi. sed enim nisi amares, non haboam tibi tantam fidem.
Nunc agitas sat tute tuarum rerum. egone ut putem opem mihi
Ferre posse inopem te? PI. tace modò, Deus non aliquis respiciet.
MN. Nugæ. PI. mane. MN. quid est? PI. tuam copiam eccum video
Chrysalum.

Conferre cum vulgatis ultrò jam poteris, etiamsi non hic adscribam tibi, quem vocant textum, aut singulorum exhibeam rationem minutatim. Nec improbabis, scio, qui intelligis: nihilque secutum me videbis, nisi quò numeri ipsi rapiebant. Scenâ, quæ dehinc est:

Non placet, nec est temerè etiam. quin mihi respondetis?

scribendum censeo, *Non placet, nec est temerè. eja, quin resp. m?* Tacitos, & defixos aliquandiu mœstitiâ, lacessit hac nova compellatione, jubetque tandem respondere. Verum *eja* credo: poterat tamen, *etiam quid resp. m?* quod si quis malet, per eum mihi liceat alterum tenere. Ibidem porrò:

Isthoc dicto dedisti hodie in cruciatum Chrysalum.

Numeri flagitant *dedisti*: quo verbo utitur etiam in hac re alibi. Aulular.

Continuò hercle ego te dedam discipulam cruci.

Mox etiam:

CH. Vix videtur fieri posse. MN. perge, ac facile hæc feceris.
CH. Quàm, malùm, facilè? quem mendacii prehendit manifestò modò.

Priore versu non dubito quin rectè Palmerius *facile ecfeceris*: altero adhuc dubito an justa caussâ Gulielmius *manifestom*. Ei Latinum non videbatur *mendacii prehendere*, nec exempla hujus locutionis uspiam inveniri. Inveni tamen ego, in Apulejo quidem, cui non derogaverit auctoritatem ille, si alii fortassis, Apulejo non amici. Hic lib. 9. Metam. *Ac ponè eum Myrmex vinculis obrutus, non quidem coràm noxæ deprehensus, conscientia tamen pessima permistus lacrumis uberibus, ac postremis lamentationibus inefficacem commovet miserationem*. Quamquam auctoritatem ipse fortassi Apulejus hic desugerit, qui non junxisse se *noxæ deprehensus*, sed *coràm noxæ*, possit dicere, suo quodam peculiari more, cujus exempla scio apud eum plura, nec ullum tamen habeo nunc ad manum. At utcunque tergiversante illo, non defugiet mihi Gellius, cujus admiserint item omnes. Is liquidò sic lib. 11. c. 18. *servos item furti manifesti prensos verberibus affici, & è saxo præcipitari, sed pueros impuberes prætoris arbitratu verberari voluerunt*. Nisi audaculus quis ut & hoc evertat, ajet vitiosam scripturam, & *furto manifesto* legendum, quomodò paullò ibidem antè Gellius sit locutus. *Nam furem qui manifesto furto prensus esset, tum demum occidi permiserunt*. Suspicetur ita, qui volet: mihi satis exemplum monstrasse, cui minimè, quod ad me, diffido. Qui eo nixus, in Plauto deinceps ausim loquendi genus,

genus idem alibi restituere, non hic tantum tueri. Infrà scenâ *Atridæ duo:*

Dolis ego deprehensus sum, ille mendicans pœnè inventus interiit.

Legerim *Doli ego deprehensus sum*: quod non auderem tamen, nisi versus hortaretur ipse, qui ut porrò juvetur, in fine simul scribo, *inventu' interit*. Numeros quidem vix aliter constitues: quos magis Lambinus destruit, cum *In dolis* edit. Sed ad nostram nunc scenam revortor: ubi quod vulgatur:

Si id capso, geritote amicis nostris aurum corbibus,
Si cui animus sperat. Pl. apud te est animus noster Chrysale.

emendari vix debet. Cur enim mutes phrasin optimam, quam & superius habuisti?

Sperat quidem animus, quò eveniat Diis in manu est.

Si tamen debet, quod velle Pistocleri verba videntur, non debet equidem ita, ut quidam censent, *Si cui animus siet. PL. at apud te est*: sed leviore mutatione, vel imo mutatione nulla, saltem literulæ unius insertione, ut *superat* fiat ex *sperat*. Atque ita credam planè à poeta scriptum, cui *superat* valet, superest: nec quidquam ad sententiam loci magis aptum. Nihil supererat illis animi, qui totus erat apud servum. Deinceps:

Pl. Quæ imperavisti, imperatum bene bonis factum ilico est.
CH. Quid paravisti? P. quæ parare tu jussisti omnia.

tollo digitum, & cedo jam iis, qui in priori versu corrigunt, *hem* vel *en parata*: quod alter probat. Aliàs ipse feceram pridem:

Quod imperavisti (imperatur benè bonis:) factum ilico est.

Parenthesis sententiæ non sanè ineptæ, quæ Milite, ni fallor, eadem sic effertur, *Facile est imperium in bonos*. Altero versu vel transpones verba, *quæ tu parare*: vel inseres ex antiquis, *quæ parare tu mihi juss.* Ibidem adhuc:

MN. Loquere porrò. CH. adscribe dum. MN. etiam loquere quid scribam modò.

Non sollicitem hoc, nisi veteres paullo aliter: *etiam loquere, dum id scribam, modò*. valdè mehercule convenienter. Inter scribendum pergere dictando Chrysalum vult, cujus tamen omnia se satis assecuturum. Cum posceret enim plura; at prius hoc, inquit ille, adscribe. Tum iterum adolescens: quin tu verò, dum vel id scribo, loquere tamen interim, quod porrò scribam. Finis ejus scenæ sic conceptus est ubique:

Pl. Numquid aliud? CH. hoc. atq; etiam, ubi erit accubitum semel,
Ne quoquam exsurgatis, donec à me erit signum datum.
Pl. O imperatorem probum! jam bis bibisse oportuit.
MN. Fugiamus. CH. vostrum curate officium, ego efficiam meum.

Nec ego quidquam inibi culpo: nisi personam unam, qua penultimus versus dividatur. Ajo enim Chrysalo verba ista danda, *Jam bis bibisse oportuit*: quo nihil fuerit elegantius. In laudes servi erumpente Pistoclero, morantibusq; nonnihil utrisq; increpat ille, & quin imperata facitis potius, inquit, quàm laudatis imperatorem? Abitum jam dudum, & bis bibitum oportebat: & adhuc statis? Ibi, fugiamus, inquit alter, & cum dicto fugiunt uterque. Repones igitur:

Pl. O imperatorem probum! CH. jam bis bibisse oportuit.
MN. Fugiamus.

CAPUT VII.

Ceterùm: Reliquùm. Estne, pro Sitne. Pluries corriguntur Bacchides: locus unus diligentius contra alios explicatur. Restituitur item Captivorum prætermissus locus.

Pusillum, & unicum hoc non præteribo tamen Scenâ, *Constringe*:

CH Quid illam, meretricemne censes esse? NI. quippini.

Mutandum leviter verborum duûm ordinem & versus, & libri veteres indicant: *meretricemne esse censes?* Illam autem quæ sequitur, paullo in ea plura, neque momenti multò majoris observavi. Repetitur inibi versus,

Faxe se haud dicat nactam quem derideat:

qui superius idem ferè scenâ *Amiciorem*:

Ego saxo haud dicet ucclam quem derideat.

ut Plautum videas sui in eadem quoque fabula imitatorem. Sed post hunc, illi sunt statim:

CH. Pacisci cum illo paullulâ pecuniâ
Potes. NI. pacifcere ergo obsecro, quod tibi lubet,
Dum ne manifestò hominem opprimat, neve enicet.

Malim scribere, *quo tibi lubet*, vel ex antiqua lectione *quid*, antiquum casum *quî*. itemque mox:

NI. Hem illoc pacifcere si potes, perge obsecro,
Pacifcere quidvis:

lego *quîvis*. Auferendi enim casus utrobique reponendus. Illinc autem:

NI. Quid fit? CH. ducentis Philippis rem pepigi. NI. Vah salus
Mea servavisti me.

ejicienda vocula *rem*, quæ in versu pariter, & sententia superfluit. Ante hoc non omiserim ista:

Vis tibi ducentos nummos jam promittier,
Ut ne clamorem hic facias, neu convicium?
CL. Nihil est quod malim. CH. atq; ut tibi mala multa ingeram?
CL. Tuo arbitratu. NI. ut subblanditur carnufex!
CH. Pater hic Mnesilochi est. sequere, is promittet tibi.
Tu aurum rogato. ceterum verbum sat est.

In iis primùm quòd Nicobulo seni tribuunt hæc, *ut subblanditur carnifex*, & interpretantur, quasi de servo εἰρωνικῶς dicta: mihi parum placet. Melius credam, Chrysalo ipsi dari: qui nullâ ironia, sed gravi convicio in militem invehatur. Eum enim subblandiri ait, quia *tuo arbitratu* dixerat velut palpans. Accedit, quòd tam propè stetisse senex non videtur, ut horum sermonem exaudierit. Non exaudiit certe pactionem ipsam, ut è sequentibus apparet: nec igitur reliquæ collocutionis etiam quidquam. Si tamen audiit, quod non dabo, & verba illa dixit, quod non dato priore non consequitur; dixit is de milite quoque ipso, non de servo. Nam omninò militis illa non militaris, & submissa velutique blandiloquens oratio respicitur, ac tangitur: ab utro id demum fieri rectius existimabis. Ego in Chrysalo maneo, cui constanter adscribo. Deinde *ceterum verbum sat est*, rectè ut accipias vide. Non hoc dicitur, unum in rem totam verbum sufficere, quo aurum miles stipuletur: sed *verbûm* positum pro verborum: ut Rudente, Scen. *Meamne ille.*

In jure caussam dicito, hic verbum sat est.

Et Truculento, Sc. *Date soleas:*

Sequere me hac, verbum sat est.

Jam sensus iste: ceterùm, id est de cetero, sive quod ad cetera attinet, verborum satis est: quasi dicat, de rebus aliis nihil opus ad senem meminisse: nummos saltem rogato, id satis est, nec ultra in sermonem alium descendes. Quippe metuebat servus, ne si plura miles fabularetur, ac de filii facto, quod futurum quidem videbatur, quereretur, ex verbis ejus senex intelligeret, non esse uxorem Bacchidem, uti erat ab ipso persuasus. Id si evenisset, patefactus, & irritus fuisset omnis dolus statim, qui post demum meliore Chrysali tempore, per militem tamen ipsum innotuit seni, querenti misere, & lamentanti scenâ *Quicunq; ubi sunt*. Illic, si lubet, ordinem rei vide. *Ceterùm*, absolutè sic poni, vulgatissimum est: non item *Reliquùm* eadem formâ, quo Clitellariâ noster usus:

Pol ad cubituram mater mage sum exercita:
Reliquùm ad cursuram sum tardiuscula.

Sed altera particula uti crebrior, sic omissa videtur Captivis, qui locus opportunè nunc incidit, ut de eo moneam, quod illic nescio quomodo sum oblitus. *SC. Quò illum:*

Ornamenta absunt, Ajacem, hunc cum vides, ipsum vides.

Sententia quidem vult, ceterùm Ajacem ipsum vides, cùm hunc vides: sed inferi versus spernit. Non spernet, si vox ei sua restituatur, pro qua malo jure irrepsit aliena. *Ornamenta* nunc legunt, & arma, clypeum, vestitumque militarem interpretantur. Atqui vetus lectio est, *Armenta*: quam asserere non dubitem è fabella, qua fertur Ajax Ulyssem in armentis persecutus, atque ea occidisse, cum putaret ipsum, insanus ex ira, quòd interemti Achillis arma sibi negata ille impetrasset.

traſſet. Huc reſpicitur apertè, atque aſſimilationis hujus non occulta, & apta cauſſa: quòd Ariſtophontes item inſanus alium videre inſimulabatur, quàm reverà quem videret. In Philocrate quippe falſò verum Tyndarum videbat, verè tamen, haud falsò. Cujus elegantiam alluſionis qui non intellexère, nec fabulam ſcivère; corruperunt Plauti germaniſſimam hanc ſcripturam:

Armenta abſunt: ceterùm Ajacem, hunc cum vides, ipſum vides.

Ita igitur reſtitue Captivis, & *ceterùm* vel in verſus dimenſione contrahe in diſſyllabum, vel ipsâ ſcripturâ *cetrùm* repræſenta, quod alibi quoque memini nos factitaſſe. Porrò hic ad alia. Illo verſu:

Si tibi eſt machæra, & nobis veruina eſt domi.

malim, *at nobis*. Machæræ militari verutum, ſeu veru culinarium opponit etiam Truculento:

Machæram longiorem habes, quàm hæc eſt: ſed verum
Sine dum petere, ſiquidem belligerundum eſt tecum.

Ubi & illud:

. . . . ſi tu
Ad legionem bellator clues, at ego in culina clueo.

Deinceps hoc:

Illa autem in arcem abivit ædem viſere
Minervæ: nunc aperta eſt. i, viſe, eſtne ibi.

non debet, aut poteſt in fine per interrogationem efferri, quam appoſuit Lambinus. *Eſtne* Plauto valet, ſitne. Aulular.

Ne perſentiſcat, aurum ubi eſt abſconditum.

Ac fortaſſis ita fabulæ hujus proximâ huic ſcenâ:

Noſce ſignum eſtne ejus.

Etiam illud malè diſtinguitur, & apud illum & ubiq;

Quos dare promiſi militi: quos non dabo
Temere: & jam priuſquam filium convenero,
Nunquam edepol quidquam temerè credam Chryſalo.

In hunc modum debet, particulis etiam compulſis:

. . . . . . quos non dabo
Temerè etiam, priuſquam filium convenero.
Nunquam edepol.

CAPUT VIII.

Belli: Lartius: Illicedem. Tetuli. Congreditor. Præter verborum correctiones, in verſibus concinnandis præcipuè laboratum. Silius etiam leviter interpolatus.

PRima ſequentis ſcenæ pars exultationem continet ſervi jactabundi, & quaſi ἐπινίκιον canentis ante victoriam. Ea verſibus concepta, pleriſque omnibus fuiſſe Jambicis Octonariis videtur: quod non animadvertentes alii multa mutarunt imperitius, in editionibus antiquis rectè ſcripta. Sed & in ipſis mutanda ſunt etiam alia: quorum generis utriuſque præcipua nos hic dabimus nullo in re tam ſterili, jejunaque verborum apparatu.

Nunc priuſquam huc ſenex venit &c.

Hunc cum ſequente verſum antiqui melius ita:

Nunc prius, huc quam ſenex venit, lubet lamentari, dum exeat:
O Troja, ô patria, ô Pergamum, ô Priame! periiſti ſenex.

Continuus illis iſte:

Qui miſerè malè multabere quadringentis Philippis aureis:

non patitur immutari ſibi *miſer*, quod alii voluerunt, niſi ex reliquo *e* facias *hei*. poſt aliquot, hi cohærent:

Hic ipſum exurit. ego ſum Ulyſſes, cujus conſilio hæc geruntur,
Tum quæ hic ſunt ſcriptæ literæ, hoc in equo inſunt milites
Armati atq; animati probè. ita res ſucceſſit, meliuſq; adhuc.

Quorum primo reſtituendum *gerunt*, quod Lambinus interpolavit: Alter ſic ſcribendus totus:

Tum

Tum quæ sunt scriptæ literæ heic, in hoc equo insunt milites.

Ultimo nec commodè explicatur illud *meliusque adhuc* neque rursus commodè mutatur, *meliusculè adhuc*. Quidquid vocis fuit sub literis *meli*: certè usque separatum ab illis fuit, cum *adhuc* jungendum. Suspicor fuisse *veli*, id est *belli*. Nam neque consonantes geminabant prisci semper, & *b τῦ u*, vicissimque hoc illi supponebant. *Belli* autem adverbialiter, ut alibi sæpè. Sensus omninò iste: Ita rem usque adhuc successisse, ut propè, quod dixerat, non armati tantum milites sint, sed & animati. Successus enim animos facit. In illo:

Miles Menelausi, ego Agamemnon; idem Ulysses Laërtius.

Ita vocem ultimam contrahit, quasi esset *Lertius*. Homeri exemplo, qui non semel Λαερτιάδης. Deinceps sunt:

Is Helenam abduxit, cui caussa nunc facio obsidium Ilio.
Nam illic eidem audivi Ulyssem, ut ego sum, fuisse, & audacem, & malum.

Priore vel *cuia*, vel *quojus* legendum cum antiquis, aliorum λεπτολογήμασι spretis. Altero *eidem* nec habent veteres, neque numeri ferunt: ferant tamen, si scribatur *illicdem*, novo, imò veteri adverbio: vel *illic item*. Mox:

Dum ibi exquirit fata illorum. assimiliter mi hodie obtigit.
Vinctus sum, sed dolis exemi: item se ille servavit dolis.

Eorum hoc, *me exemi* prorsus insere: illo *Iliorum* scribe de Gulielmii nostri sententia, & si voles, è libris veteribus etiam *sibi*. Sequuntur tres, quorum est diversum à reliquis genus:

(a) *Ilio tria fuisse audivi fata, quæ illi forent exitio.*

Si-

(a) Helenam, ut in gratiam rediret cum Menalao, Græcos, quoad ejus fieri potuit, adjuvisse satis constat, & ex iis quæ apud Inferos à Deiphobo Æneæ narrantur, & ex narratione Menelai Odyss. 4. 277. Ter enim equum (ut inibi perhibetur) circumlustravit Græcorum quemque suo nomine compellans, quod & Virgilius docet Æn. 6. Ingentem etiam flammam tenens ex arce summa Danaos vocavit, atque adeo Deiphobo sommo appresso (cui post mortem Paridis nupta) tectis arma omnia summovit, & ensem dormientis viri capiti subduxit, ac Menelaum intra tecta vocavit. Sed ipsum audiamus Deiphobum ibidem apud Virgilium loquentem.

Atque hic Priamides: nihil o tibi amice relictum est:
Omnia Deiphobo solvisti, & funeris umbris.
Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ
His mersere malis: illa hæc monimenta reliquit.
Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti, & nimium meminisse necesse est,
Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, & armatum peditem gravis attulit alvo:
Illa chorum simulans, Evantes Orgia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me confectum curis, somnoque gravatum
Infelix habuit thalamus; pressitque jacentem
Dulcis, & alta quies, placidæque simillima morti.
Egregia interea conjux arma omnia tectis
Emovet, & fidum capiti subduxerat ensem:
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit,
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo: comes additur una
Hortator scelerum Æolides. dii talia Graiis
Instaurate, pio si pœnas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Attulerint: pelagine venis erroribus actus;
An monitu divum? an quæ te fortuna fatigat?
Ut tristes sine sole domos, loca turbida adires?

Signum ex arce si perisset, alterum etiam est Troili mors. (b)
Tertium cum portæ (c) *Scææ limen superum scinderetur.*

Quos interpolare mihi sanè religio sit: neq; tamen valdè reluctantes in habitum refingas ceterorum,

Tria audivi fuisse Ilio fata, illi quæ exitio forent:
Ex arce signum si perisset; alterum etiam est Troili
Mors; tertium, cum portæ Scææ limen superum scinderet.

Si tamen ultimum hoc verbum agendi formâ sensum habere patiendi admittes, quod ego non detrectaverim. Statim:

Paria item tria eis tribus sunt fata nostra huic Ilio.

Ante omnia *nostro* emendabis: & dein versum considerabis. Antiqui libri sic: *Varia item tria tribus eis sunt nunc fata.* Rectè ad legem horum tetrametorum. Deinde nec longè:

Jam duo restabant fata tum, nec magis id ceperam oppidum.
Post ubi tabellas ad senem detuli, ibi occidi Troilum.

Horum altero videris, si males *tetuli*, quod & suprà veteres illic præferebant:

Egomet tabellas tetuli ut vincirer? sine,

Ubi *detuli* item vulgò, Priore scribes planè, *Jam duo restabant fata dum.* Minimo intervallo:

Cognitum ab Helena esse, proditumq; Hecubæ, sed ut olim ille se
Blanditiis exemit, & persuasit, se ut amitteret:
Item ego dolis me illo expuli periculo, & decepi senem.

Ne exorbitent á communi reliquorum via duo priores horum, feceris:

Ab Helena cognitum esse, proditumq; Hecubæ: sed ut ille se
Blanditiis olim exemit, & persuasit, ut se amitteret.

Tertio emendabis *exolvi periclo*. Nihili enim ad eam rem verbum *expuli*. Alterum paullò antè usurpavit: *Ibi vix me exolvi.*
Tamen non dissimiliter admodum Silius lib. 1.

At parte ex alia, qua se insperata juventus
Expulerat portis.

At corrigendum ibi moneo *Extulerat*.
Sequentes ita scribo:

Post cum magnifico milite, urbes verbis qui intermis capit,
Conflixi, atq; hominem reppuli: dein pugnam conserui seni.
Ego cum adeo uno mendacio devici, uno ictu extempulò

Cepi

(b) De Troili morte diserte Virg. Æn. 1. v. 378.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis
Infelix Puer, atque impar congressus Achilli.
Tertur equis, curruque hæret resupinus inani
Lora tenens tamen, huic cervixq;, comæq; trahuntur
Per terram, & versa pulvis inscribitur hasta.
Verumtamen de ejus ætate, & de ejus morte alii alia. Si n. Virgilio, Horatioque credimus, hic impuberem, ille puerum facit. Hyginus, & Zerzes grandævum fuisse tradunt, & inter magnos Priami natos recenset. Ad mortis vero caussam quod pertinet, haud satis convenit inter hujus historiæ Scriptores. In Templo Apollinis ab Achille obtruncatum fuisse ob spretos ejus amores Theocritus, & Lycophron memoriæ prodidere. Alii Virgilium sequuti in certamine occisum tradiderunt; alii autem per vim, contra alii ex insidiis morti datum perhibuere.

(c) Scæam portam, quæ & græce σκαιά, quod in finistra esset urbis parte, dictam non inepte putant quidam Philologorum, licet a voce σκήνωμα, quæ latinè tentorium est, seu tabernaculum, quod ibi sepulcrum esset Laomedontis, derivent non pauci. Sed ut id agamus, quod agimus, tertium Trojanis Fatum extitisse concinne admodum Plautus Noster: de hac n. hæc Virg. Æn. 2. v. 6. 2.
.... *Hic Juno Scæas sævissima portas*
Prima tenet, sociûmque furens à navibus agmen
Ferro accincta vocat.

Cepi spolia, is jam nunc ducentos nummos Philippos militi,
Quos dare se promisit, dabit.

Denique ne tricer hic ulterius, proximos illos nimis aberrantes manifestò:

Nunc alteris etiam ducentis usus est, qui dispensentur
Ilio capto, uti sit mulsum, quî triumphent milites.

verbis transpositionis pauculis concinno:

Nunc alteris etiam ducentis usus est, capto Ilio
Qui dispensentur, uti sit (d) mulsum, quî triumphent milites.

Neque inter omnes ulla mihi restitutio melior videatur hac postremâ. Jam cum oratione servi, ratio versuum pariter mutatur: & ex alio genere illi sunt:

NI. Cuja nam vox prope me sonat? CH. ó Nicobule. NI. quid fit? quid,
Quod te misi, ecquid egisti? CH. rogas? congredere. NI. congredior.

Sed iidem in hunc constituendi modum:

NI. Cuja nam vox prope me sonat? CH. ó Nicobule. NI. quid fit? quid, quod
Te misi, ecquid egisti? CH. rogas? congredere. NI. congreditor.

Deerat priori syllaba: *congreditor* altero feci, cujus penultima longa, juxta flexum ἀρχαϊκὸν, in eo ipso verbo Plauto familiarem. Ut uterque jubet invicem alterum congredi, sive congrediri. Mox etiam:

Tacitus conscripsit tabellas: obsignatas mihi has dedit:

numeri volunt, *obsignatas has dedit mi*. Sed deinceps variè versus miscentur, & ille quasi triumphalis ex genere superiorum est tetrametrorum:

Nunc superum limen scinditur, nunc propè adest exitium Ilio.

Ita namque & legendum inserto *propè*: tum valdè decorum, tali versu rem eam hic dici, qualibus antea fuerat prædicta.

Illis in extremo variantium versuum:

Verùm qui satis videat, grandes satis sunt. NI. animum adverte igitur.
CH. Nolo inquam. NI. at volo inquam. CH. quid opus est? NI. at enim id, quod jubeo, facias.
CH. Jabsum est. tuus tibi servus tuo arbitratu serviat.

partim deest, partim superest aliquid. Quantum ego rationem omnium video, sic optimè componentur:

Verùm qui satis videat, grandes satis sunt. NI. adverte igitur.
CH. Nolo inquam. NI. at volo inquam. CH. quid opust? NI. at enim id, quod te jubeo.
Facias. CH. justum est. tuus tibi servus tuo arbitratu serviat.

Contrahitur ultima vox in dissyllabam.

CA-

(d) Hunc ipsum morem mulso militum in triumpho accipiendorum attingit idem Bacchid. 4. 9. 149.
Sed, spectatores, vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho: pervulgatum est, nil moror.
Verumtamen accipientur mulso milites.
Hic aliud agentes Isidor. 22. 3. & Pollucis 6. 2. haud levem fortasse errorem deprehendamus. Ubi enim de mulsa verba faciunt (erat hæc potio ex aqua, & melle composita) *Melicratum* vinum melle mixtum, & *Hydromelum* potionem ex aqua, & malis Matianis factam perperam affirmat Isidorus; & Melicratum vinum, quod *Oenomeli* appellant scripsit Pollux. Uterque valde hallucinatus. Mulsum enim est *ἀνομέλι*, multa μελίκρατον, & ὑδρόμελι, quod mihi quidem Philologorum nobilissimi vel libentissime assentiuntur. Sed, ut eo redeamus, unde digressi sumus, singularem Livii locum, & observatione dignissimum in medium proferre libet: P. Scipione mortuo, elatoque, ac pileato, sicut in triumpho ierat, famam fuisse, narrat, Q. Terentium Culleonem in funere ante lectum ivisse, & ad portam Capenam mulsum prosequutis funus dedisse, quod ab eo inter alios captivos in Africa ex hostibus receptus fuisset: ut (id enim Terentium in animo habuisse suspicamur) à P. Scip. quamvis extincto funus sequentes, quasi milites à triumphante mulso donati esse viderentur.

CAPUT IX.

Neque haud. De sede versus unius, de alterius lectione, & sensu disputatum. Alii levius correcti. Scenula tota in numeros reposita.

EMersimus è fluctibus æstuantium numerorum, qui placidiores, & constantiores excipiunt nunc, negotii nobis nihil, aut parum facturi. Sed versus ecce dubius se effert, dubius inquam suæ sedis, ut mihi quidem videtur. Nam quod Chrysalus dicit, *Inde à principio jam impudens epistola est*. Vulgò post illa Nicobuli:

Ausculta porrò, dum hoc quod scriptum est pellego:

vereor, ne dicere debeat anterius paullò. sed illic rursum hæreo, magisne conveniat hoc ordinari modo:

CH. Malum quidem hercle magnum, tibi dico. NI. quid est?
CH. Inde à principio jam impudens epistola est.
Non prius salutem scripsit? NI. nusquam sentio.

an isto:

CH. Malum quidem hercle magnum, tibi dico. NI. quid est?
CH. Non prius salutem scripsit? NI. nusquam sentio.
CH. Inde à principio jam impudens epistola est.
Non dabis, si sapies.

Utrovis sanè horum loco fuerit benè: neque malè tamen est prorsus, quo vulgò collocatur. Ubi malet quisque, sedem ei aut faciet novam, aut veterem relinquet. Ex illo:

NI. Prius te cavisse ergo, quàm pudere æquum fuit.

eximendum *te*, numerorum denuò caussâ: at ex isto, *abs*, non nisi quia potest abesse, & abest alicunde:

NI. Nunc si me fas est obsecrare abs te pater.

Post plures, hi leguntur:

CH. Nihil ego tibi consilii hodie quidquam dabo,
Neque ego haud committam, ut si quid peccatum siet,
Fecisse dicas de mea sententia.

In primo verba pones ordinatius: *Nihil ego tibi hodie consilii*: altero non mutabis *haud*, ut nescio qui: nec item *Neque*, cujus loco Lambinus cogitabat *Namque*, si scriptura non esset emendata. Est verò illa: nec Plauto insolens duas jungere negationes Græcorum more. Sic Epidico habuimus:

Non fugio. domi adesse certum est. neq; ille haud objiciet mihi.
Pedibus sese provocatum.

Mox: *Duæ conditiones sunt, utram tu accipias vide.*

Inverte, *tu utram acci.*. Pauculis interiectis:

NI. Ne ille edepol Ephesi multò mavellem foret,
Dum salvus esset, quàm revenisset domum.
Quid ego istuc quod perdundum est properem perdere?

Miram nobis comminiscitur Lambinus ultimi versus explicationem: imò ridiculam verius, quàm miram. Distinctio induxit illum, quam non aptam videre poterat homo tam argutus, si quam aciem in interpretationibns abusus est sæpe, fuisset usus potius ad emendationes. Interpunges:

Quid ego istuc? quod perdundum est, properem perdere.

Optabat senex, Ephesi hærere filium, quam domum rediisse: quod deinde vanum votum rejicit: & quid ego, inquit, hoc frustra? satius est perdere festinem, quod esse video perdundum: Itaque statim argentum abit promere, Chrysalo manere jusso. Verissima hæc, & simplicissima sententia: simplicior autem fortasse, si scribatur, *Quid ago? istuc quod perd.* non tamen, an verior etiam, scio. At argutari si mihi liceat, variare personas possim ad istud exemplum: *CH. Quid ego? NI. istuc quod p.* Cum de filio dixisset senex, malle domum non rediisset, lascivus, & insultans hero servus ad spectatores, vel secum (nam ipse senex non exaudierit omninò:) quid de me, forsan inquit, censes? etiamne me Ephesi adhuc malles, qui si non rediissem, hoc te argento tanto tam pulcrè non emungerem? Callidè, & facetè, de quo

docti

docti judicabunt: quibus testor inantè, primò quod attuli tam simplex nondum displicere, imò per adhuc placere mihi præ isto argutiore. Sed jam nova tempestas oritur in sequente scena versuum turbatorum, quam tranquillabo facilè tamen, ac totam scenam, ut restituendam suis numeris puto, simul aliis quibusdam emendatis, hic apponam: quæ omnia per se quisque dein ad vulgatas editiones comparabit.

PHILOXENUS.

Quàm magis in pectore meo foveo, quas meus filius turbas turbet:
Quam se ad vitam, & quos ad mores præcipitem insciitus capessat:
Magis curæ est, magisq; afformido, ne is pereat, neu corrumpatur.
Neq; placitant mores, quibus video vulgò gnatis parentes
Esse. scio ego, fui illa ætate, & feci illa omnia, sed modesto more.
Duxi, habui scortum: potavi, edi: donavi, sed enim id rarò.
Ergo ego dare me ludum meo nato institui: ut animo obsequium
Sumere possit: æquum esse puto. sed nimis nolo desidiæ
Eji dare ludum. Nunc ad Mnesilochum, quod mandavi, viso,
Ecquid ad virtutem eum, aut ad frugem opera sua compulerit:
Sicut eum, si convenit, scio fecisse: eo est ingenio natus.

CAPUT X.

It; abit dies, sol. Vesper hic est. Ingens in animo cohibile. Reliquæ in Bacchides censuræ multæ. Scenæ integræ versus constituti. Post, alia versuum, sensuum, personarum errata remota. Pleraque explicationibus adversus alios illustrata. Fragmentum denique Bacchidum contra alium emendatum.

TRaduco me fortassis apud quosdam industriâ meâ, quibus vel stultum videbitur, alienos versus scribere; vel irritum, in Plautinis adeò laborare. Non tamen eo revocor, unam quin ejus hic etiam scenam totam demercar mihi, dehinc levius ista hujus generis, nec levia ubique omnia, sed enormia maximè curaturus: ita quidem ubertim nusquam uno loco, quantumvis observata pluria, congesturus. Hæc autem, cui nunc immineo, scena vehementer habet opus ista castigatione, cujus lacceti plerique versus, potissimùm sub finem, at ne singulis excerpendis frustillatim comminuatur, adscribetur hic integra, ut in aliis fecimus antè mistis, & quæ sana erant, & quæ nunc sanata. quæ videre singulatim unusquisq; tamen, & judicare poterit, ac debebit ex collatione vulgarium librorum.

NI. Quicunq; ubi ubi sunt, qui fuere, quiq; sunt futuri posthàc
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones: hos
Solus ego omnes longè anteeo stultitia, & moribus indoctis.
Perii. pudet. hoccine me ætatis ludum bis factum esse indignè?
Magis quàm id repeto, tam magis uror, quæ meus filius turbavit,
Perditus, atq; etiam eradicatus sum: omnibus exemplis crucior.
Omnia me mala consectantur, omnibus exitiis interii.
Chrysalus me hodie laceravit, Chrysalus me miserum spoliavit.
Is me scelus usq; attondit dolis doctis indoctum, ut libitum est.
Ita miles memorat meretricem esse, ille quam uxorem esse ajebat.
Omniaque ut quidque actum est, memoravit. eam sibi hunc annum conductam,
Reliquum id auri factum, quod ego ei stultissimus homo promisissem.
Hoc est, hoc est, quod parecescit: hoc est demum, quod percrucior.
Me hoc ætatis ludificari. imò edepol sic ludos me factum
Cano capite atq; albâ barbâ: sic miserum me auro esse emunctum?
Perii! servum meum me non nauci facere esse ausum? atq; ego, si alibi
Plus perdiderim, minus ægrè habeam, minusque adeo id mihi damno ducam.

PH.

PH. Certò hîc propè me mihi loqui nescio quis visust. sed quem video.
Hic quidem pater Mnesilochi est. NI. euge, socium ærumnæ, & mali mei video.
Philoxene salve. PH. & tu. unde agis? NI. unde homo miser, & infortunatus.
PH. At pol ego ibi sum, esse ubi miserum hominem decet, atque infortunatum.
NI. Igitur pari fortuna, ætate uti sumus, utimur. PH. sic est: sed tu,
Quid tibi est? NI. pol mihi prorsus idem est quod tibi. PH. numquid nam ad filium
Ægritudo hæc attinet? NI. admodum. PH. idem in pectore mihi est morbus.
NI. At mihi Chrysalus optimus homo perdidit filium, me, atq; omnem
Rem meam. PH. quid tibi ex filio nam, obsecro, ægrè est? NI. scies, id: periit
Cum tuo, ambo æquè habent amicas. PH. qui scis? NI. vidi. PH. hei mihi, disperii.

Hactenus unius omnes versus generis, cujus fuerunt, & scenæ superioris, trochaici nempe tetrametri acatalectici: qui sequuntur jam ultimi tres, catalectici sunt, unâ syllabâ prioribus impares: quos non apponerem, nisi mendum simul inde non contemnendum ablaturus:

NI. Quid dubitamus pultare, atque huc evocare ambos foras?
PH. Haud moror. NI. heus Bacchis, jube sis actutum aperiri fores,
Nisi mavoltis fores, & postes comminui securibus.

Scripsi *ambos*, non *ambas*. Nec enim Bacchides evocaturi erant, sed filios suos: quos & produci, emittique sibi unà cum servo postulant sequente scena. Qua scena quæ non rectè videntur habere nobis, huic capiti adjungam, & Bacchides dein, germanum sororium jugum, abjungam. Scribitur in ea:

BA. Soror, est quod te volo secretò. SO. ehò amabo. NI. quò illæ abeunt?

Vocanti sorori non aptè respondet altera, *eho amabo*: quod ipsum est vocantis. An igitur nihil eam respondere faciemus, & seni dabimus ista verba? *NI. eho amabo, quò illæ abeunt?* Non ineptè: quanquam nec admodum seni convenerit hoc *amabo*, lene scilicet nimis pro irato. Fortè traducendum ita:

BA. Soror, eho amabo, est quod te volo secreto? NI. quò illæ abeunt?

Utrum malis, nescio quantum; utrovis modo nihil alteram respondere, nihil interesse judicabis. Post multa:

NI. Nisi abeas, quamquam tu bella es, malum tibi magnum dabo jam. BA. patiar.
Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias. NI. ut blandiloqua est?
Hei mihi metuo. SO. hic magis tranquillust.
I hac mecum intrò, atque ibi, si quid vis, filium concastigato.

Quid caussæ est, cur senex metuat sibi? an ne & ipse inducatur blanditiis meretricis, & jam labascat? Non opinor. nec enim è sequentibus hoc apparet: ubi diutiusculè constat adhuc in suo rigore. Magis credam, meretricis ipsius ea verba: quæ cùm minas senis, & verbera nihil se metuere dixisset, ad sororem jam conversa, tamen metuere fateatur, sive ne ab irato sene vapulet, sive ne frustra conetur eum labefactare. Cui opportunissimè subjunxerit altera mox, *hic magis tranquillus est*: sed subjunxerit hoc tantum. Nam quæ ei reliqua adscribuntur, ejus non sunt, sed sororis, cujus nomen literis BA. notatur: in quo discrimine deinceps etiam error, ubi personæ hujus indices literæ scriptæ pro alterius, quæ per istas SO. designari aliàs solet. Huic Philoxenum tractandum delegarat illa, quæ Nicobulum sibi legerat iratiorem. Ne res igitur, & sensus ipsi confundantur, ita personas suis, ut alibi, peculiaribus notis hic quoque distingues.

. . . . BA. patiar.
Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias. NI. ut blandiloqua est!
BA. Hei mihi metuo. SO. hic magis tranquillust.

BA. I hac mecum intrò, atque ibi, si quid vis, filium concastigato.

NI. Abin' à me scelus? BA. sine, mea pietas, exorem. NI. exores tu me?

SO. Ego quidem ab hoc certè exorabo. PH. imò ego te oro, ut me intrò abducas.

SO. Lepidum te! PH. at scin' quo pacto me ad te intro abducas? SO. mecum ut sis.

PH. Omnia quæ cupio commemoras.

Deinceps frustra illa versuum duo:

Quem quidem ego ut non excruciem,
Alterum tantum auri non meream.

non incommodè conjunxeris, & versum unum reliquis similem feceris, additione perquam levi, facilique:

Quem quidem ego ut non excruciem, alterum tantum auri non meream mi.

Sequitur aliud, sed in interpuncto, erratum:

NI. Age jam id, ut ut est, & si est dedecorum, patiar facere: inducam
Animum.

Durius *patiar facere*, nec à Plauto, qui *facere* sequentibus junxit, ut sic distinguas: *patiar: facere inducam Animum*. Terent. Andr *Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere*. In illis vitii prorsus nihil, quæ saltem ut intelligantur rectè, contra Lambinum nobis interpretanda:

NI. Quod semel dixi, haud mutabo. BA. it dies, ite intrò accubitum.

Filii vos exspectant intus. NI. quam quidem actutum emorimur.

Hæc enim postrema nihil ille vult aliud valere, quàm: Satius est, nos continuò emori, quàm talia flagitia admittere filiis, & servis nostris arbitris. Nihil alienius: nec ulla vi talis inde sensus potest extorqueri. Quantum ego video, Plautus hoc vult, jocans quidem suo more. Cum Bacchis diceret, exspectant vos filii; subjicit argutans senex, id exspectant quidem illi, quam mox emoriamur: non adventum nostrum desiderant, sed mortem, ut scortari liberè, suaque ex sententia sine metu agere omnia possint, & vobiscum voluptuantes benè sibi facere suo modo. Sæpè tales in Comœdiis filii amatores, quibus unicè paterna mors in votis. Ex iis Philolaches sequenti fabulâ:

Utinam meus nunc mortuus pater ad me nuntietur,
Ut ego exhæredem meis bonis me faciam, atq; hæc sit hæres!

Imò hac ipsa Pistoclerus:

Scribe. MN. quid scribam? CH. salutem tuo patri verbis tuis.
PI. Quid si potius morbum, & mortem scribat? id erit rectius.

Eam igitur illis verbis sententiam subesse puto. Quod ibidem autem *it dies*, id Pseudolo quoque, *SC. Pseudole*:

LE. It dies. ego mihi cesso, i præ puere. & Rudente, *SC. Heus mane.*

Catulli hoc aliis notatum, *Abit dies*: cui Plauti item simile, *sol abit*, quod Mercatore, SC. *Divum atque hominum*. Sed unum hic etiam nobis superest, in quo Lambinus æquè turpiter hallucinatur.

BA. Vesper hîc est, sequimini.

Interpretatur *hîc*, domi nostræ, & *vesperem*, nuptias. Vesperi enim sponsa viri domum deducebatur, & cantabatur Hymenæus. Ita prorsus. Sed quid ista huc? aut quò tam longè explicatio ducta? Malam rem istis nugis: quas miror, & indignor aliis probatas. *Hic* provocabulum esse debet, non adverbium, & δεικτικῶς pronuntiari: ut *Hoc* alibi solet. Terent. Heautontim. *Luciscit hoc jam*. Curculione nostri: *Nam hoc quidem edepol haud multò pòst luce lucebit*. Nec aliud hic quidquam intelligitur, nisi vesperem jam esse, vel adventare vespertinum tempus, in quem sensum, ire diem, paullò antè dixerat: & hac subjectione, cœnæ horam esse monet, ut introeant tandem, & accumbant. Claudamus Bacchides fragmento Bacchidum, quo ipso, ni fallor, easdem Gulielmius noster inchoavit. Apud Nonium in *Modicum*:

Qui-

Quibus ingens in animo utibile eſt modicum, & ſine vernilitate. Ille noſter corrigebat, *Quibus ingenium animi utibile, eſt modicum*: cui non obluctor, maximè quia ſententiam facit non ineptam: vix germanam tamen illam è verbis, nec ipſis fortè germanis. Opinor à Plauto ſcriptum, *cohibile eſt & modicum.* Neque forſan *ingens in animo* mutandum, quod ſonat τὶ μεγαλόψυχον, & illud ferox, atque vix domabile animi juvenilis. Agitur planè de juvenibus ex eo genere, quibus animi illud ingens non ſit effræne, ſed cohibile, modeſtum, & ſine laſcivia procaciori.



VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI MOSTELLARIAM DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES

AD

NOBILISSIMUM, ET EXCELLENTISSIMUM VIRUM

ALEXANDRUM MASSARIAM

PHILOSOPHUM, ET MEDICUM Clarissimum.

CAPUT I.

Tradere in pistrinum. Obolere allium. Arbitrem. In usu, in specie: Mostellariæ mostella pluscula correctione, & interpretatione domita.

QUæ Mostellariæ nomen fecerunt monstra, sunt in ea præter ipsa Plautina generis alterius adhuc multa, spuria, atque irreptitia; quibus domandis non suffecerunt tot viri fortes, & eximio eruditionis, ingeniique robore: nec ego sat dignus illis subsidiarius vel optio, tantum abest, ut Hercules aliquis ἀλεξίκακος, vel ἀποτρόπαιος. Adnitar tamen post illos & ipse, quod possum, experiarque non clava, sed calamo quid possim, ea quidem spe, ut subigere pleraque confidam, à multis hanc fabulam purgaturus, donec existat ille tandem Hercules, qui ab omnibus, & hanc, & reliquas, totumque Plautum ad talos à vertice perpurgabit. Ac initio mostellæ sunt levia quædam, à quibus initium commodè faciemus. Primâ scenâ levissimum est in versu:

TR. Quid tibi, malum, hîc ante ædes clamatio est?

qui sibi poscit *clamitatio*: & id manuscripta habuerunt, unde *clamitas* in excusis priscis. Paullò gravius sequitur ibidem in continuis aliquot, fluxæ, ac malè vinctæ sententiæ:

GR. Tu (e) urbanus verò scurra, deliciæ popli,

Rus

(e) Re vera Urbani scurræ dicebantur, quod in Urbe fere semper essent, ubi potentiorum, ac ditiorum mensas captabant. Quid enim ruri agerent? Quum Rus potius mali, quam boni ominis scurris esset. Quo tempore enim ab urbe aberant rusticaturi domini, ut Plautus alibi, scurrarum guttur, ac venter esuriales ferias residebant. Hi jocularibus dictis animos profusorum hominum oblectantes aliena quadra vivebant. Quod autem ludiones in scena dicteriis, jocis, gestuque ipso, ac habitu corporis risum excitabant scurræ dicti sunt, quales mimi fuere. Hinc Prudent. περὶ στεφ. 11. 320.

Dum scurra saltas fabulam.

Funeribus hoc genus hominum interfuisse olim invenio (atq; in primis Archimimum,) qui gesticulatione, corporisque

Rus mihi tu objectas? sanè credo Tranio,
Quòd te in pistrinum scis actutum tradier,
Cis hercle paucas tempestates, Tranio,
Augebis ruri numero genus ferratile.
Nunc dum tibi libet, licetq; pota, perde rem.

Languet nimis etiam contentio, quam sic animabis:

. . . . . sanè cedo, Tranio:
Quid? te in (f) pistrinum scis actutum tradier?
Cis hercle paucas tempestates &c.

Tu me ruris, inquit, colonum increpas? cedo, & concedo sanè. quid te futurum autem putas? An brevi te nescis catenarum fore, & pistrini? Ominor, ac spondeo tibi, paucos intra dies ad heri reditum rusticus tu quoque fies, sed ferratus, & ex genere annulatorum. *Tradier* autem in *trudier* non mutandum: Rudente:

Quos mecum duxi, hunc qui ad carnificem traderent.

Mox habes: *. . . . . at te Juppiter,*
Diique omnes perdant, oboluisti allium.

Cujus similes locutiones in Sueton. Vespas. cap. 8. *Adolescentulum fragrantem unguento, cum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit, Maluissem allium oboluisses: literasque revocavit.* Caligul. cap. 23. *Ille antidotum oboluisset, quasi ad præcavenda venena sumtum.* Ad finem rectè:

Paucorum mensium sunt relictæ reliquiæ.

nec male *relicæ* sive *reliquæ*. Finis ipse non concipitur in hodie vulgatis, ut debet:

Nunc rus abibo. nam herilem filium
Video corruptum hic ex adolescente optimo.

Restituendus ex antiquis, inserto *eccum*, ac distinctiunculâ juvandus:

Nunc rus abibo, nam eccum herilem filium
Video corruptum hic ex ad. opt.

Versus, sensusque volunt. Nec enim corruptum jam videt demum, aut intelligit, sed corruptum illum advenire nunc commodùm in scenam prodeuntem. itaque *eccum*

---

que motione defuncti personam agentes, dicta, factaque ejus imitabantur, procacitate, gestuque utentes, vel ad virtutes ejus laudandas, vel ad vitia perstringenda. Svetonium consule Vespas. c. 19. n. 6. *Sed in funere Favor Archimimus, personam ejus ferens, imitansq; ut mos est, facta, ac dicta vivi* &c. quod apud eundem, & hic, & alibi.

(f) Oppurtune versus hos præ manibus quum haberem, in elegantissimum Apuleii locum incidi Met. 8 p. 277. ubi Apulejanus Asellus, quem Philebus Pistor in auctione comparaverat, concinne satis, & lepide miserias, laboresq; qui & pistrinum, & eos, qui in pistrinum deduntur, consequi solent enarrans inducitur. Me navaturum esse operam, quod existimarem, si elegantissimum locum sub lectorum oculos subjicerem, perscripsi. *Philebus Pistor me præstinavit, & ad Pistrinum, quod exercebat, perduxit. Ibi complurium jumentorum multivii circuitus intorquebant molas ambage varia. Nec die tantum, verum perpeti etiam nocte prorsus instabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam: sed mihi ne rudimentum servitii perhorrescerem, novus dominus loca lauticia prolixe præbuit. Nam & diem primum illum feriarum dedit, & cibariis abundanter instruxit præsepium; nec tamen illa ocii, saginæq; beatitudo duravit ulterius. Sed die sequenti, molæ, quæ maxima videbatur, matutinus adstituor, & illico velata facie propellor ad incurva spatia flexuosi canalis, ut in orbe termini circumfluentis reciproco gressu mea recalcans vestigia, vagarer incerto errore* (probant se nobis valde, qui legunt *errore certo*.) Et non ita multo post: *Dii boni! quales hi homunculi, vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorsumque plagosum, scissili centunculo magis inumbrati, quàm obtecti! nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem injecti, cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti, frontes literati, & capillum semirasi, & pedes annulati.*

cum addit, & ne conſpiciatur, abit. Alterâ ſcenâ non multò potiora ſunt, quorum emendatione gloriari haud poſſis. Tamen videantur. Abſolutâ ædium ſtructurâ, dictiſque ædificiorum argumentis ingreditur alteram inſtitutæ orationis partem adoleſcens:

. . . . . nunc etiam volo
Dicere, ut homines ædium eſſe ſimiles arbitremini.

Credo *arbitrem* ſcribendum. Nam de ſe ſolo ait, quem diu ſecum hoc diſputaſſe profitebatur ſuprà ſcenæ principio:

Eam rem volutavi, & diu diſputavi,
Hominem cujus rei, quando natus eſt,
Similem eſſe arbitrarer, ſimulacrumq; habere.
Id repperi jam exemplum.

Quas abjeci literas, illi appenderunt, quos inuſitatior offendebat verbi, Plauto creber ille tamen, flexus. Statim:

Ei fundamenta ſubſtruunt liberorum,
Extollunt, parant ſedulò in firmitatem,
Ut & in uſu boni, & in ſpeciem populo
Sint, ſibique aut materiæ ne parcunt,
Nec ſumtus ibi ſumtui eſſe ducunt.

Parum intereſt, *in uſu* ſcribas hic, an *uſum*: itemque infrà:

Ergo ſum in uſu Factus nimio nequior.

Ubi cave feceris *inuſu*, una voce, quod nuper ſunt commenti. Senſus abhorret, qui eſt idem illic cum hoc ſuperiore: valetque, vel in utendo, ut Bacchidib.

. . . . . Quia iſtæc lepida ſunt memoratu:
Eadem in uſu, atq; ubi periculum facias, aculeata ſunt.

vel ipſam notat utilitatem, ut Manil. lib. 2.

Effectu minor in ſpecie, ſed major in uſu.

Qui locus in Plauto *ſpeciem* confirmet etiam, pro qua voce malim omninò tamen ego *ſpecimen*. Id enim intellectus loci totius poſtulare videtur, ubi liberi ſic ædibus conferuntur, ut in exemplum hi quoque ſint populo pariter, ut illæ: unde quivis ſpecimen ſibi expetat, & ſimiles ſuo uſque ſumtu procudant. Vim allegoricæ comparationis univerſæ cum reſpicis, & ſingula mutuò aptas, vides hoc requiri. Eodem loco nihil retulerit, *ibi* malis, an è veteribus *ſibi* in verſu, qui fractus, turbatuſque cum reliquis ipſe temerè factus eſt hendecaſyllabus: *Nec ſumtus ſibi ſumtui eſſe ducunt*. Paullo pòſt.

Unum ubi emeritum eſt ſtipendium, igitur tum
Specimen cernitur, quò eveniat ædificatio.

Vix abeſt, quin in iſta verſuum confuſione voculæ hic aliquot perierint, & ſuo more Plautus ſcripſerit, *Specimen ſpecitur, certamen cernitur*: quod alibi repetit ſæpiſculè. Sub finem:

Quo neque induſtrior de juventute erat
Arte gymnaſtica, diſco, haſtis, pila,
Curſu, armis, equo: victitabam volupe,
Parſimoniâ, & duritiâ diſciplinæ aliis eram.

Laudes eaſdem Philolachi tribuit ſupra villicus Grumio:

Quo nemo adæquè juventute ex omni Attica
Antehac eſt habitu parcus, nec magis continens.

Et Atys apud Catullum de ſeipſo item:

Ego gymnaſii fui flos, ego eram decus olei.
Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi eſſet orto mihi ſole cubiculum.

Cui poſtremo verſui è Bacchidibus illos contuleris:

Ante ſolem exorientem niſi in palæſtram veneras,
Gymnaſii præfecto haud mediocres pœnas penderes.

Ubi genera etiam armorum eadem ferè, quæ hic, pædagogus enumerat Lydus:

Ibi curſu, luctando, haſta, diſco, pugillatu, pila,
Saliendo ſeſe exercebant magis quàm ſcorto, aut ſaviis.

Sed iis miſſis, in hoc Moſtellariæ loco, quem propoſui, an credemus ita ſcripſiſſe Plau-

Plautum, ut vulgatur ? *victitabam volupe*. Negationem addidit ille, quam omninò sententia reposcit, *victitabam haud volupe*. Minimè delicatum in victu fuisse ait, qui quidem parsimonia, & duritia fuerit aliis exemplo disciplinæ. Scio Lambini interpretationem: vixisse duriter, & tamen ita jucundè. Sed interpretatio est Lambini, qui prorsus hic Lambinus.

CAPUT II.

Euge! Tum. Si. Varia loca, & insignia quædam variè, insigniterque correcta, declarata. Versus alienus, si fortè, monstratus unus: alii trajecti. Nonius reprehensus.

Scena *Jampridem* sequitur: in qua errores mixti parvis magni. Minimus ille principio:

. . . . . quam mihi amor, & cupido
In pectus perpluit meum, neq; jam me unquam obtegere possum.

ubi nemo non malet *usquam*. Deinceps nullus iste forsan:

PHILO. Ergo ob hoc verbum te, Scapha, donabo ego profecto hodie aliqui.

Nam quis *Ergo* repudiarit ? Nihilo minus, *Euge!* potuit auctor scripsisse, quomodo infrà in hac ipsa scena:

PHILO. Lepidè dictum de atramento, atq; ebore. euge! plaudo Scaphæ.

Paullo pòst omnino commutari personæ sic debent, ut alii quoque, ni fallor, olim voluerunt:

PHILE. Nolo ego te assentari mihi. SCA. nimis tu quidem stulta es mulier.
Ehò, mavis vituperari falsò, quam verò extolli?
Equidem pol, vel falsò, tamen laudari multò malo,
Quàm vero culpari, aut alios meum speciem irridere.
PHILE. Ego verum amo, verum volo mihi dici, mendacem odi.

Pugnat in se locus aliàs confuso discrimine personarum; cui dedit occasionem illud *malo*, quod ancilla de se temporis, ut vocant, præsentis flexu, præteriti significatu: nisi si *malui* planè rescribendum, contractis extremis vocalibus in syllabam unam. Sensus enim is est, olim ita se animatam, cum forma sua amoribus idonea fuisset. Nam nunc hac ætate non potest, ubi nec laudi, nec vituperationi tali in ipsa locus. Et fuerat eadem olim, quæ Philematium hodie: ut ipsa testatur infrà:

. . . . rem vide, quæ sim, & quæ fui antè.
Nihilo ego, quàm nunc tu, amata sum, atq; uni modò morem gessi,
Qui pòl me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit,
Reliquit, deseruitq; me. tibi idem futurum credo.

Ubi *crede* simul emendetur. Nam alteram persuadere vult, ut credat: eoque prædixerat:

Postremò si dictis nequis perduci, ut vera hæc credas,
Mea dicta ex factis nosce.

Ante quæ fuit illud:

SCA. Ecastor erras, quæ quidem illum exspectas unum, atq; illi
Morem præcipuè sic geras, atq; alios asperneris.

Hic si mutandum *exspectas* nescio: quod usurpari sic potuit, ut solent, manes, aut moraris. Si tamen, *expetas* non præoptarim, quod alii fabricantur, sed *exoptes* potius, quoniam & libri veteres *expectes*. Ac versus hoc postulat magis, alterum pœnè spernens: itaque Cistellariâ planè noster:

Quia ergo illum unum mihi exoptavi, qui cum ætatem degerem.

Sed an temerè est, quòd in antiquis omnibus *Tu* præfixum legitur, hic τὸ *Ecastor*? Alii putarunt, qui rejecerunt: non ego. *Tum* inde faciendum mihi sedet: quod ad sensum mirificè facit. Orabat Philematium moneri, si quid erraret: igitur (id valet, *tum*) hoc erras, inquit illa, quandoquidem vis moneri. Longè infrà:

SCA. Video te nihili pendere præ Pilolachete omnes homines.
Nunc ne ejus caussa vapulem, tibi potius assentabor,

Si

Si acceptum ſat habes, tibi fore illum amicum ſempiternum.

Dubito, an non ultimus hic verſus alienus, & è ſuperioribus repetitus, ubi ferè idem:

SCA. Si tibi ſat acceptum eſt, fore amicum tibi ſempiternum,
Atq; illum amatorem tibi proprium futurum in vita,
Soli gerundum cenſeo morem, & capiundos crines.

Nam inquam ſententiam hic iteretur? Et plena eſt eorum, quibus hæret: nec ipſe novam aliam abſolvit. Niſi fortè ſic illis jungetur, ut *ſi* quoniam interpretemur: uti ſolet interdum in Plauto, alibique ſolere item in Virgilium Servius notavit. Id niſi eſt, ineptus ille planè: ac ne ſic quidem ſatis aptus, ut verear, ejiciendum eſſe: quod profectò malim etiam, ſi doctus aliquis mecum velit. Aliud hulcus mox iſtic ſedet:

PHILO. Ob iſtuc verbum, ne, nequidquam, Scapha, tam lepidè dixeris,
Dabo aliquid hodie tibi peculi, Philematium mea.

Quorſum voces adduntur, *Philematium mea*? Scaphæ peculium promittit, unde ad amicam nihil. Et puncto ſententia claudenda poſt *peculi*. Reliqua an exclamatio ſunt impotentis amatoris? Ita videatur: ſed ſit nimis illa quidem nuda. Quid ergo? periit ne quis alius verſus? Neſcio. An Scaphæ danda hæc cum ſequentibus iſtis?

SCA. Philematium mea,
Suo quidque loco eſt. PHI. vide.

Nec iſtud ſcio: multoque minus credam. At quidquid de illis eſt, proximi verſus altera pars ſcribenda ſic planè:

Vide capilium, ſatin compoſituſt commodè:

abſque interrogationis etiam nota. Nec enim Nonium nugatorem audies, qui generis mutationem ſomniat nobis in voce *capillum*. Plautina phraſis illa eſt: vide capillum, eſtne, ſive ſitne compoſitus commodè ſatis. Induxit eum & illius ignoratio, & ſcriptio hæc ambigua, *compoſituſt*. Jam majore intervallo ſequitur inſignis locus, inſigni nobis emendatione demerendus:

PHI. Lubet, & edepol mihi tecum. nam quod tibi lubet, idem mihi lubet,
Mea voluptas. PHILO. hem iſtuc verbum vile eſt viginti minis.
Cedò, amabo, decumbe. næ emtum tibi dare hoc verbum volo.

Hæc Lambinus quomodo interpretatur? nolle Philolachem gratuitum ſibi iſtud verbum, ſed amicæ pretium pro eo redditurum. Nugæ. Verba qui patiuntur? Emtum aliquid alicui dare, eſt ſcilicet, emere ſibi. O Plaute, non es Plautus, ſi ſic loqueris. Sed & priora, *Cedò, amabo, decumbe*, quid ſibi volunt? Interpres ibi quidem ſilet: an tamen ad decubitum invitabit amicam in ipſa via? Nihil abſurdius: nec falſis quidquam hodierna lectione. Nos aliam tibi damus, tanto ſermonis elegantiâ (præficiſcinè dixerim) venuſtiorem, quanto ſententiâ commodiorem. Nec ullam vim affero verbis, & ſi unum divido, cujus reliquum alii necto. Vide:

. . . . . PHILO. hem iſtuc verbum vile eſt viginti minis.
PHILE. Cedò, amabo, decem; benè emtum tibi dare hoc verbum volo.
PHILO. Etiam nunc decem minæ apud te ſunt: vel rationem puta.
Triginta minas pro capite tuo dedi.

Perſonis etiam variavi: quod pariter oportet. Exſultabat amicæ verbo adoleſcens, quod tam charum ſibi ait, ut viginti minis non ſit carum. Ibi illa, jocone, an ſerio? ſi emere velit, non viginti ſe poſcere, ſed vel decem, ac pulcrè vendituram, ut benè emat. At hic callidus æquè adverſus obrepentem meretriculam, emtum ſibi jam tum id verbum reſpondet: ac ſi ratio ineatur, etiam ultrò reſiduas ſibi apud ipſam decem minas, præter illas viginti, quibus nunc verbum æſtimarit. Nam dediſſe pro ejus capite, cum liberaret, minas triginta: quibus ſi viginti iſtas demat, ſupereſſe ſcilicet etiam decem, quas poſcat. Hæc vera loci ſententia, quam eruere non potuit, ut ut ſe torſerit miſer Interpres: nec potuit alius, ſine emendatione noſtra: quæ *decem* & *bene*, opportuniſſimè eduxit ex *decumbe*: *næ*. In iis enim cardo verſatur univerſæ rei. Quando autem hoc benè ſucceſſit, attentemus aliud in eadem adhuc ſcena. Proximè fini verſus ita digeruntur:

PHI.

PHI. Age accumbe igitur, cedo aquam manibus, puer. appone hîc mensulam.

PHILO. Qui invident, ne unquam eorum quisquam invideat prorsus commodis.

PHI. Vide, tali ubi sint, ubi unguenta. PHILO. quid opus est? cum stacta accubo.

Quos ajo trajectos, & extimos duos cohærere, medium item cum illo, qui primum proximè antecedit. Ordo is omnium esse debet:

PHILO. Bene igitur ratio accepti, atq; expensi inter nos convenit.
Tu me amas, ego te amo: meritò id fieri uterq; existimat.
Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo suo semper bono:
Qui invident, ne unquam eorum quisquam invideat prorsus commodis.
PHILE. Age accumbe igitur. Cedò aquam manibus, puer. appone hîc mensulam:
Vide, tali ubi sint, ubi unguenta. PHILO. quid opus est? cum (g) stacta accubo.

Quis non videt, & Philolachetis orationem, & Philematii continuam sic habendam? Ad puerum illa junctim omnia de discubitus apparatu: ille de amoris sui felicitate, & hujus vel invidis, vel amicis: quæ eadem ipsa verba in illos usurpare mihi lubeat, qui restituta hæc à nobis gaudebunt, aut invidebunt.

CAPUT III.

Anni sexaginta prò multis. Plurimis locis hæc fabula contra alios emendata, explicata. Versus unus ejectus, plures concinnati.

SUaviter, & eroticè prorsus, si Veneri placet, argutatur Lambinus ad versum proximæ scenæ:

Sine cadere me. DE. sino: sed & hoc quod mihi in manu est.

Quid credas id esse, quod in manu Delphio fuit? Florem ille censet purpureum, vel aureum potius illum, quem Moly scriptor Priapejus indigetat, ipsamque radicem Callidamatis, aut suum sibi fortassis etiam hortulum, ut alii opinentur, in quo mereatur illa scilicet pangi. O interpretationem dignam cachinno Catonis non severi illius, sed Catulliani, imo & illius, cui certè risum expresserit invito tam bellum, & festivum hoc commentum. Nec tamen erraverit fortasse longius, si scriptura sit sincera. De ea cum diligentius cogito mecum ego, legendum *tibi* videtur, non *mihi*. Potius enim Callidamates tenuerit aliquid Delphii, quidquid id fuisse tandem arbitremur. Forte mammam saltem, aut manum: quo maximè videtur sensus ire. Nam cùm sinere juberet ille se cadere; facturam ita hæc ait, ut ipso cadente cadat id quoque, quod teneat simul. Ipsa autem unà casuram innuit se: quod liquidò versus sequens interpretatur:

Si cades non cades, quin cadam tecum.

Illius ergo aliquid, aut ipsam amplexus etiam tenuerit adolescens, & erit *tibi* rescribendum. Sed tenue nimis hoc, & frivolum, quod haud poteram tamen prætere. Non multo momenti plus in sequenti:

. . . . . *DE. Cedò manum: nolo equidem te affligi.*

CA.

(g) *Stacte* (nam & stacta, & stacte) *latex oleumve* inquit Taubmn. *e cinammomo, & myrrha incisa sudans, à στάζω stillo*: egregie; sed e Minæa tamen præcipue, si qua Plinio fides, qui lib. 12. cap. 26. inter complura myrrhæ genera Tiglodyticam sylvestrium primam censet, Erythræam sequentem, & Minæam, in qua Stacteam, & Atramiticam esse confirmat. Meliorem Stacten ponit Columella lib. 10. Myrrham Achaicam, quam Græcam esse dicit, ut viri docti interpretantur, eam nempe, quam Cilicia, & Amanus mons ferre perhibetur.

C.A. Hem tene, age, i simul quò d' ego eam, an scis?
DE. Scio.

Ac tamen hic quoque non taceo, distinguendum sermonem personis sic videri:

C.A. Hem tene. DE. age, i simul. C.A. quò d' ego eam an scis?

Verùm nugatoriam istam scenam mittamus, & sequentem perlustremus. Ibi primùm:

Ubi sunt isti plagipatidæ, ferritribaces viri?
Isti, qui bastis trium nummorum caussa subeunt sub falas?
Ubi aliqui quindenis bastis corpus transfigi solent.

Meritò Lambinus suspectam habet in versu medio vocem *bastis*, quæ ex proximo malè inserta. (*h*) Deleo cum illo ego, tantò audacius, quia non exstare video in antiquis Veneto, & Coloniensi, quos sæpe laudo, libris: sed ex iisdem ad caput versus refero particulam *vel*, quam neglectam temerè reflagitat ipse sensus: *Vel isti, qui trium nummorum*. Discriminat enim, ut debet, hos, qui sub falis, à verberonibus, & ferriteris illis. Mox autem ubi de cruciariis:

Sed ea lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia:

quia veteres alii libri *offringantur*; credam verum, quod habent iidem illi, quos modo dixi, *affigantur*. Sed hæc quoque tenuia: gravius igitur aliquid propè finem ejusdem scenæ. Locus primùm integer adscribetur: post de eo nostra censura.

TRA. (i) Pluma haud interest, patronus an cliens propior siat
Homini, cui nulla in pectore est audacia.
Nam cuivis homini, vel optumo, vel pessumo,
Quamvis desubitò facile est facere nequiter:
Clavim cedò, atq; abi intrò, atq; occlude ostium.
Verùm id videndum est, id viri docti est opus,
Quæ designata sint, & facta nequitiâ,
Ne quid patiantur, quamobrem pigeat vivere:
Tranquillè cuncta, & ut proveniant sine malo.
Sicut ego efficiam, quæ facta hic turbavimus,
Profectò ut (l) liqueant omnia & tranquilla sint,
Neque quidquam ut nobis pariant ex se incommodi.

Ho-

(h) Miror in eo codice, qui cum variorum observationibus ex Friderici Gronovii prodiit Lugdu. Batav. ex officina Hackiana CIↃ IↃC LXIV. *τῷ bastis* ex hoc versu minime expungi, quod elegantissime in alterum conjicitur. Id magis miror, quod Lipsiana interpretatio statim subjicitur, quæ ad amussim cum Acidaliana, & Lambiniana convenit. Lipsius autem hastas hostium in falis transfigentium in manu ponit, non vero eorum, qui trium nummorum caussa falas subeunt. Ecce tibi Lipsii explicatio totidem verbis exscripta. *Tres nummi hic tres asses: ad stipendium militare (etsi ad circum etiam referre possis) diserta allusio Comici servi irridentis, quod tam exiguo pretio auctorati castella, & turres ligneas hostium (id enim falæ) subirent bastis aliquot configendi.*

(i) Non video quid Salmasius efficiat Ciceronis testimonio, *Pluma haud interest, utrum melius conveniat homini timido, & ignavo Cliens, an Patronus*, ut lectionem suam confirmet *patronus, an cliens propior sit*: Viderint alii. Lambinus ut solet interturbat, qui *potius* legit. Scioppianam, & Gruterianam lectionem libentissime sequimur, quæ & interpretum locupletissimis probatur, & concinniori sententiæ, ac planiori aptissima est.

(l) Plautinus hic locus: *quæ facta hic turbabimus, Profectò, ut liqueant omnia, & tranquilla sint*, lucem affert Ovidianis versibus Metam. lib. 3. Fab. *Narcissus in Florem*, ubi post vers.

Et lacrymis turbavit aquas, obscuraque moto
Reddita forma lacu est, quam quum vidisset abire,
Quo refugis? &c.

Hos legimus:

Quæ simul aspexit liquefacta rursus in unda
Non tulit ulterius.

Viri alioquin docti, cujus adnotationes Studiosi litterarum adolescentes versare solent nocturna, ut ajunt, diurnaque manu, allatam ad hunc locum explicationem non sine risu legere nobis acci-

Horum qui quintus est versuum, ajo hinc delendum. Non ei locus hoc loco, cui verè suus est propius ad ipsum finem, unde perperam iteratus, & huc relatus. Illic ecce legitur idem, legique planè debet:

Clavim cedo, atque abi intrò, atque occlude ostium:
Et ego hinc occludam.

Jusserat efferri sibi clavem Tranio suprà:

. . . . . clavem mihi harunc ædium Laconiam
Jam jube efferri intus, hasce ego ædes occludam hinc foris.

Eam puer nunc fert demum: qui dum mitteretur à Philolache, secum interim ipse solus omnia ista, quæ posui. Et verò rumpi tam aliena insitione quî tela sermonis illa potest, quæ arctissimè ex se nexa?

Nam cuivis homini, vel optimo, vel pessumo,
Quamvis desubitò facile est facere nequiter.
Verùm id videndum est, id viri docti est opus,
Quæ designata sint, & facta.

Sed eorum reliqua nihil attinet iteratò scribere, nisi quia & ipsa emendationis egent non unius, atque unus fortè versus etiam transpositionis. Itaque rescribo eadem in hunc modum:

Verùm id videndum est, id viri docti est opus,
Quæ designata sint, & facta nequiter,
Tranquillè cuncta uti proveniant sine malo,
Et ne quid pariant, quamobrem pigeat vivere:
Sicut ego efficiam, quæ facta hîc turbavimus,
Profectò ut liqueant omnia, & tranquilla sint,
Neque quidquam nobis pariant ex se incommodi.

Nequiter legi primùm cum Douså F. nec pugno, si quis cum Palmerio malit *nequia*, vel retineat idipsum quod vulgatur. Ordinem deinde versuum sententiæ mihi prævivit ordo, qui talis in altero membro *Sicut ego efficiam*. Confer & videbis. Respondent sibi mutuò versus: huic

Tranquillè cuncta uti proveniant sine malo;
ille *Profectò ut liqueant omnia, & tranquilla sint:*
illi *Et ne quid pariant, quamobrem pigeat vivere;*
iste *Neque quidquam nobis pariant ex se incommodi.*

Unde præter æqualem seriem ipsorum, verbum etiam *pariant* restituimus, rejecto vulgari *patiantur*, & Lambiniano *patiatur*. Nam & verba se respiciunt invicem: qua ratione non tamen ausus sum in altero *tranquillent* facere, cum *liqueant* sit in altero. Alioqui poterat venustè quoque scribi: *Tranquillent cuncta, & ut proveniant sine malo*. Sed de his jamdudum satis. Alia scena sequitur, *Habeo Neptune*: in qua non erat opus fortasse tam accurata annorum computatione, quam vir magnus instituit de Theuropidis, & alterius, qui huic ædes vendidisset, ætate, ad istum locum:

TH. In somnis? TR. mirum quin vigilanti diceret,
Qui abhinc sexaginta annis occisus foret.

Sed nec altero opus, quò confugit: ad decorum scilicet in perturbatione servi mendacium. Non enim exactè subducendi ad liquidum sexaginta isti anni, nec habendi planè pro sexaginta: quos pro multis posuisse saltem hic auctor potest, ut pariter eosdem pro ætate longiuscula, Mercatore, scenâ *Amicè amico*. Fracti autem, & interpolati versiculi jam proximi: *In-*

---

accidit. *Liquefacta*, inquit, *improprie, pro liquida*. Quid *est*, *quod improprie pro liquida*? Rideo, ut frontem feriam. Meridie non lucere affirmet necesse est, qui neget & ex Plautino loco, & ex Ovidiani sententia apparere clarissime τῶ *ex unda liquefacta* nihil aliud significare nisi ex unda jam turbata, ac demum *composita* & clara aspexisse Narcissum &c. Liquefacta enim a liqueo, quod ex Latinorum usu *sedare*, & *componere* est. Ita siquidem Plautus:

. . . . Quæ facta hic turbavimus,
Profecto ut liqueant omnia, & tranquilla sint.

Eodem pacto Aqua clara esse non potest, quæ prius composita minime fuerit.

Interdum ineptè stultus es,
TH. Taceo. TR. sed ecce quæ ille inquit.

Quid versiculos dixi? non sunt: & verba vagantia sine lege saltem, nec Plauti genuina. Leguntur alibi enim alia, ex quibus ista eligo, & in unum hunc versum illigo:

Interdum ineptè stultu's. TH. taceo. sed ille quid?

Inferius de industria Lambinus ineptivit, cum optimam lectionem veterem mutavit:

TH. Quid tute tecum loquere? TR. abscede ab janua.
Fuge obsecro hercle. TH. quò fugiam?

Fugam clarè servus suadet cum obsecratione: tamen ille fecit *Euge? obsecro hercle?* Quorsum hic *Euge*, laudantis vox adeoque exsultantis? Nihil importunius: quod sequutos miror illos, qui recensitum cum judicio Plautum aliàs dederunt. Paullò pòst omnes libri:

Ita me Dii amabunt, mortuum illum credidi
Expostulare, quia percussisses fores.

At ratio suadet *percussissem* scribi. Non de sene caussatur, qui neque tetigerat; sed de se ipso, quem simulabat insimulatum à mortuo, cum ab hero vocaretur:

TH. Heu Tranio. TR. non me appellabis si sapis.
Nihil ego commervi, neq; istas percussi fores.

Mox etiam:

TH. Scio, quid modò igitur cur tantopere extimueras?

Vel *quid* ejicies veterum auctoritate, vel potius distingues ex meo arbitrio:

TH. Scio, quid modò igitur? cur tantopere extimueras?

Ultimo versu:

Quid ego hodie negotii confeci, malùm?

Quomodo convenit in ipso fine interjectiva particula, quam esse vult Lambinus? Magis emendari deceat?

Quid ego hîc hodie negoti confeci malus?

CAPUT IV.

Nisi quid. Ne gry quidem. Calida consilia deos subjicere. Vulnera Plauti multa sanata. De versuum plurium lectione, sensu, loco disputatum. Quatuor omninò ejecti, unus transpositus. Alia contra alios dicta.

IMmemor est sui noster ille, qui scenæ proximæ versu:

Manifestare res est, nisi quid occurro prius:

mutavit, *nisi quod occur.* idemq; in Terentio genus alterum dicendi probavit, astruxitque Phormione, cum sic emendaret:

Ne quid propter tuam fidem decepta potiretur mali.

Sed & Plauti oblitus erat, qui hac ipsa iterum scena sic:

Ne inconciliare quid nos porrò postules.

Et Pœnulo:

Id ego, nisi quid dii, aut parentes faxint, qui sperem haud scio.

Tacitus etiam in istum modum Annali 14. *Quod contrà subsidium sibi? nisi quid Burrhus, & Seneca expergiscerentur.* Abstineatur igitur à non sano tantùm, sed pulcro etiam membro medicina: quam rectius ad sequentia converterimus, ubi igne, & ferro videtur opus. Urendum enim, & secandum in istis:

TR. Numquid dixisti de illo quod dixi tibi?
TH. Dixi hercle verò, atq; omnia. TR. væ misero mihi.
Etiam fatetur de hospite? TH. imò pernegat.
TR. Cape hercle te obsecro cum eo unà judicem.
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi.
Tam facile vinces, quàm pirum volpes comest.
Metuo ne technæ meæ perpetuò perierint.

Irrepserunt hic iterati è sequentibus quatuor versus: quorum primus statim, reliqui tres paullò inferius suo loco exhibentur. Eam repetitionem à Plauto cur esse non

non putem, duo dicam argumenta. Primo consilium dat hero servus, quod nullus ille dum petierat: nec venustè per ordinem rei ultrò ingeritur. Illic demum illo quærente:

Quid nunc faciendum censes?

opportunè Tranio, *egon' quid censeam?* cum reliquis, hic præmaturè collocatis. Ad hoc, malè divellitur intempestivâ illâ consiliatione servi trepidatio, continuit his expressa verbis:

. . . . . væ misero mihi!
Metuo ne technæ meæ perpetuò perierint.

Quæ cohærere prorsùm debent, atque ita, deletis insititiis, ipse locus ordine germano rescribi:

TR. Nunquid dixisti de illo, quod dixi tibi?
TH. Dixi hercle verò, atq; omnia? TR. væ misero mihi!
Metuo ne technæ meæ perpetuò perierint.
TH. Quid tute tecum? TR. nihil enim. sed dic mihi,
Dixtin' quæso? TH. dixi inquam, atq; ordine omnia.
TR. Etiam fatetur de hospite? TH. imò pernegat.
TR. Negat? TH. negat, inquam. TR. perii oppidò, cum cogito.
Non confitetur? TH. dicam si confessus sit.
Quid nunc faciundum censes? TR. egon' quid censeam?
Cape obsecro hercle tecum unà judicem:
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi,
Tam facilè vinces, quam pirum volpes comest.

Non judicet mihi quisquam, nisi diligenter inspectâ sermonis serie, per quam videbit haud constare prorsus ejusmodi inculcationem. Infrà corruptus alio modo locus iste est, ubi clamantem danistam compescere, & absterrere frustrà Tranio laborat:

TR. Quid? tute hominem, hominum omnium teterrime,
Venisti huc externatum? agas quod in manu est.
Non dat, non debet. DA. non debet? TR. nec erit quidem.

In eo legendum primò:

TR. Quid tu te homo hominum omnium teterrime
Venisti huc extentatum?

Ita Lambini sententia rectè fit, quam veram elicuit è non rectis omnino verbis. Aliorum scripturæ, quas affert, & interpretatur idem, vanæ. Sed ultimum deinde hoc quid est? *nec erit quidem*. Variè mutant varii: nemo aptè. Nos emendamus, *ne gry quidem*. Non amo me, aut mea, sed aptissimè sic emendamus, ac verissimè. Literas vide; huc eunt: sententiam; multò magis. Nihil Planè deberi servus ait: cui facit unicè *gry* istud, notum & ex aliis, & Aristophane vel uno.

Statim nec hoc sanum est:

Ferre hoc potes? an mavis, ut aliquò abeat foràs?
Urbem exul linquat factus hinc caussa tui?
Cui sortem vix dare licebit. DA. quin non peto.

Nec satisfacit Gulielmii conjectura, *actus hinc*. Aliud latet in *factus hic*: ut ego opinor, ipsum *fœnoris*. quo reposito clarissimus est sensus:

Urbem exsul linquat fœnoris caussa tui,
Cui sortem vix licebit dare?

Verba enim sic in altero etiam versu transponenda. Quòd si literarum singulos apices rimaris, haud difficilem mutationem nostram judicabis, quam sententiæ aptissimam aspectu primo jam vidisti. Non magno deinceps intervallo facinus iterum audax molior, & versum exturbare paro, cujus hic non esse veram sedem assentientur omnes mihi, cum veram demonstraro. Illorum alterum dico:

DA. Non edepol nunc me te tuis verbis territas.
Calidum hoc est, etsi procul abest, urit malè.

Quodnam hoc illud calidum? Infelix explicatio Lambini, cujus me miseret, ac tædet. Apage tam exsensos sensus. Non est Danistæ versus: Tranionis est, cui pessimo facinore à temerariis scriptoribus ereptus. Illi infrà de calido mendacio argutanti restituendus:

Calidum hercle audivi esse optimum mendacium:

Calidum hoc est, etsi procul abest, urit malè.

Quo modo nisi Plautus junxit, nihil humani, aut divini à quoquam mihi credi volo. Quis dubitet autem, cui palatum, vel leviter sapiat ad Plautinos jocos? Calidum mendacium servus instituit, quod in re subita optimum dicatur: hoc verò verè calidum esse, quod è longinquo etiam urat. Ludit nempe in vocis ambiguitate, quæ & calorem notat, & celeritatem. Unum tamen in versus ejus non traductione quidem, sed lectione dubium. *Abest* an de mendacio ipso, an magis de sene, cui imminet, accipiendum? Vix equidem de neutro putem: scribamque lubentius *abes*, ultimâ, quod Plauto frequens, productâ: vel *astes*, ut per secundam personam sententia exprimatur ad quemvis pertinens generatim. Simillimus quidem locus est Epidico, qui videatur hoc quodammodo suadere: scena, *Satin' ille*.

AP. Apage illum à me. nam ille quidem Vulcani irati est filius.
Quaquà tangit, omne amburit: si prope astes, æstu calefacit.

De hoc, ut cuique videbitur: de traductione, nihil ambigi patiar, aut mutari. Quid autem sensus illi subesse versui dicemus, qui hos à nobis recens junctos proximè jam consequetur?

Quidquid Dei dicunt, id rectum est dicere.

An, ut Lambinus voluit, deorum subjectionem accipiemus, qui trepidis, ac subitaneis in rebus ultrò consilium suggerant? Atqui *dictant* tum, non *dicunt*, sit legendum. Ac sanè divinitus objici videatur, quod incogitabiles ipsi arripimus in angusta necessitate. Non tamen huc respexisse Plautum hic censeam, sed corrupta ejus verba, quæ in aliam longè sententiam possint emendari. Mihi subit: *Quidquid dein sit, nunc id certum est dicere.*

Videbat Tranio, discrimen imminere sibi à tam calido mendacio, quod ureret jam nunc malè: contemtor illius tamen, & hujus semel placiti retinens, quidquid erit posteà, inquit, nunc ne deprehendar, omninò dicam, quod in mentem unum venit. Appositum id quis neget, verba, sive sensum spectet? De hoc quidem clarius: sed de illis nec obscurum. *Dein* quam facilè *dei* parit! *Dicunt* aliquanto ægrius, *sit nunc*: tamen sine vi majore, leviusculè mutatis literis, & traductis. Nam *certum* à Dousa F. mutuati sumus, qui verè sic, inversâ item priore syllaba vulgati *rectum*. Firmat, quod est in veteribus *decretum*: alterius quasi lectionis, ut ipse ait, interpretamentum.

CAPUT V.

Privum. Juerit, juverit. Cibo juvari. Ratis an pars navis? Navis consertur. Auspiciò. Correcta pluries Mostellaria, & contra varios explicata, illustrata.

Nondum omitto scenam, in qua modò fui: quia est etiam in ipsa, quod non debeat omitti. Illud haud ineptè sanè vulgò nunc legitur:

TH. Quod illud argentum est? TR. huic debet Philolaches
Paullum. TH. quantillum? TR. quasi quadraginta minas.
DA. Ne sanè id multum censeas, paullum id quidem est.

At in antiquis ineptius quidem ita:

. . . . . *TR. quasi quadraginta minas.*
Ne sanè id multum censeas. TH. paullum id quidem est?

sed unde aptius nos aliquid extricamus. Illi verò Theuropidis verba faciunt, *paullum id quidem est*: non verè, præcedentia Tranionis. Danistæ enim ea prorsus. Jam nobis faciendum quid putes? Membra versus ipsius aliter collocanda, ut senex prior, danista posterior loquatur:

TH. Paullum id quidem est? DA. ne sanè id multum censeas.

Rem divinavi. Seni de argento quærenti, paullum esse respondebat servus: urgentique summam, ad minas quadraginta fatebatur. ibi ille admirabundus, & in iram pronus, Paullum tibi quidem tot minæ videntur? inquit. Sed occupat Danista opportunè, blandeque palpat, ne multum id sanè arbitretur: cui bonam gratiam Tranio refert, & capta inde occasione invehitur in ipsum, ut commotum senem aliò avertat ab instituta expostulatione:

TR.

TR. Audin? videturne obsecro hercle idoneus,
Danista qui sit? genus quod improbissimum est.

Tamen, ut fœneratorem illudat, herum non eludit: qui cavilli, ac nugarum impatiens premit eum rursus, & rem dicere jubet, versibus, qui nec ipsi videntur incorrupti:

TH. Non ego istuc curo, quis iste sit, unde sit:
Illud volo mihi dici, id me scire expeto.

Interpolatos quidem è veteribus apparet; unde pauculis leviter mutatis sic fortasse fuerint concinnandi:

TH. Non ego isthunc curo qui sit: illud unde sit,
Volo mihi dici, id me privum scire expeto.

Distinctionem talem sensus flagitat universim: de verbis singulis non pugno. *Privum* tamen è *primum* non malè scripsisse videor, id enim quod quærit, non primum, sed solum cupit scire. Forsan eadem vocula superius hac scenâ sic mutanda:

TR. Sortem accipe. DA. imò fænus, id primum volo.

Namq; fœnus ibi primum poscit, absque sorte, quam deinde palam se ait nolle. Sed jam hinc ad sequentem scenam veniamus. Ejus principium est hoc ipsum:

Melius anno hoc mihi non fuit domi,
Nec quando esca una bene meruerit magis.

In quo statim offendo ad verbum *meruerit*, quod nulli bonæ ibi rei. Corrigo, *me iverit*, id est juverit. Catull. *Non ita me Divi, vera gemunt, iverint.* Verissimè. Jam diu nullâ se escâ magis ait delectatum. *Juvandi* verbum scitè in ea re usurpatur, quia & voluptatem notat, & utilitatem. Juvamur enim cibo, qui Græcis exinde ὄνηαρ appellatus: ut eruditè notarunt ad illum Captivorum locum:

Neque unquam quidquam me juvat, quod edo domi:
Foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat.

Progrediens non prætergredior illum locum:

Sed Simo, ita nunc ventus navem nostram subitò
Deseruit. SI. quid est? quomodo pessimè potuit?
Quæne subducta erat tuto in terram antehac?

Ubi malè emendant, *pessum ire potuit.* Non enim periisse dicitur, sed periclitari navis à vento deserta. Possim vulgatam defendere, sed malo aliter ipse, personâ interjectâ:

. . . . . SI. quid est? TR. quomodo pessimè potuit.
SI. Quæne subducta erat?

Quæritur ἀλληγορικῶς, quid navi sit? respondetur, ita esse, ut pejus non potuerit. Quod mirum deinde videtur in ea, quæ quasi in terram fuerit subducta. Quid autem in sequentibus statim istis?

TR. Hei. SI. quid est? TR. me miserum! occidi. SI. qui? TR. quia
Venit navis, nostræ navi quæ frangat (m) ratem.

quid

(m) Optime more suo Acidalius noster, cui nullus adhuc, quod sciam, Plauti interpretum palmam præripuit. Ejus lectio *nostram vi, quæ frangat ratem*, nec per vim, & ægre detorta est, & in hunc locum venit sponte sua, &, quod caput est, sententiæ apprime convenit, & lucet ipsa per se, nec ulla ope indiget, ut sese legentibus probet. Ad locum vero Bacchidum quod pertinet act. 4. sc. 6. v. 26.

Bene navis agitatur, pulcre hæc confertur ratis.

valde dubito, an utraque *indiscreto* significatu sumenda sit, atque haud scio an usus, notioque propria *ratis* sit hic intelligenda, & agitata navis cum rate ipsa conferenda. Ad bella n. & rates plurimos usus habuerunt, & cum navibus in maritimis præliis concurrere olim consueverunt. Ratem enim simul cum Navibus discurrebant, hisque sæpe numero auxilio erant, ut conjicere est ex eo Ciceronis Verr. 4. 2. *Obstitisti, ne ex Italia transire in Siciliam fugitivorum copiæ possent: ubi? quando? qua ex parte? cum aut navibus, aut ratibus conarentur accedere.* Rates etiam inopia navium factas in auxilium a Basilio missas fuisse tradit Floruſ. 4. 2. Baleares item inconditas rates ascendisse ejusdem testimonio accipimus, & præna-

quid inquam est ratis? An non ipsa etiam pro navi? Velut pars tamen ejus hic usurpatur. An rectè? Censeant viri docti, quos video locutionem hanc ut Plautinam in scriptis suis imitari. At mihi mutandum aliquando visum *nostram vi quæ frangat ratem*. Fortè non frustra; facilis enim in iis literis iste error. Sustineo tamen approbationem. Bacchidibus etiam utraque junguntur quidem:

Bene navis agitatur, pulcrè hæc confertur ratis.

sed indiscreto ibi significatu. Conferri dicitur agitata navis alteri navi, ut concurrant scilicet, ac mutuò impingant. Is enim verus sensus, quem nec Lambinus assecutus est, de appulsu ad portum nugatus; nec qui hunc reprehendit postea nobilis vir, qui ad compagies, & coagmenta, structuramque ipsam ratium trahit. Nihil uterque dicunt. De periculo ibi quoque imminente, imò præsente Chrysalus figuratè sic loquitur, cum malum sibi strui videret ab hero, qui servos arcessebat ad ipsum vinciendum. Porrò eadem Mostellariæ scenâ:

Si quid erit quod illi placeat, de exemplo meo
Ipse ædificato. TR. eon' voco huc hominem? SI. voca.

Scribes: *TR. Eon', voco huc hominem? SI. i, voca.* Et *eon'* accipies planè verbum, non adverbium cum Lambino. Deinceps in iis verbis, unde novæ initium scenæ perperam in antiquis factum:

Nunc hunc haud scio an colloquar: congrediar:
Heu Theuropides.

nimium quantum variant iidem antiqui, quibus ea, quæ posui Lambinus supposuit: rectè quidem, sed in his etiam ipsis occultius adhuc videtur aliquod mendum. Non enim placet ea forma locutionis hoc loco, quam Lambinus esse vult, ut *haud scio*, ponat, & affirmet. Quid huic & Ciceronis exemplis inter se simile? In modesta affirmatione utitur ille, nec alii quicunque minus: at ei qui locus hic in tali re? Sed nec deliberat secum servus, an herum sit aditurus. Imo verò non alia caussâ veniebat, nisi ut alloqueretur, & vocaret ad ædes inspiciendas. Patet ex ordine gestæ, & gerendæ rei: Haud scio igitur ego, an pro *haud scio an* deletis, una voce rescribendum *auspicio*. Sanè & alibi sic hæc vox dissiluit, ac mutavit, ut proveniret ex ea, vel *haud sitio*, vel etiam hoc ipsum *haud scio*. quod sciunt in Plauto, & ejus emendatione versati. Jam sensus pulcher, & aptissimus rei. Ait servus, bono se auspicio herum compellaturum. *Auspicio* enim valet *auspicatò*, ut Epidico:

Ut importem in coloniam hunc auspicio commeatum.

Infra sequitur:

TH. Non videor vidisse postes pulcriores pol mi hi.
SI. eo pretio emti fuerant olim.

Nollem veterum editionum lectionem mutatam, quæ verba *Pol mihi* Simoni tribuunt rectius. Huic enim magis debentur, etsi conveniunt & illi. Cum pulcros postes laudaret alter, hic respondet, sanè tali, id est pulcro pretio sibi olim emtos. Nam sic explicabis simpliciter: non cum Lambino, tali pretio, ut debeant pulcerrimi esse. Pulcrum, luculentum pretium: item pulcrè vendere, & similia ubique in nostro frequentata. Inferius:

SI. Quid? quid est? TH. errabo potius, quam perductet quispiam.
SI. Ædes dico. TH. ergo intrò eo sine perductore. SI. i, licet.

Non invitus patiar ex antiquis addi *Per ædes*. nam & sensus clarior fit, & numeri possunt ferre. Reliqua autem per interrogationem efferenda: *TH. ergo intrò sine perductore?* Denique ubi delicias Tranio facit in canicula abigenda:

TR. abi dierecta. abin' hinc in malam crucem.
At etiam restas? abi istinc. SI. nihil periculi est, age.
Tam placida est, quam est aqua.

Suspe-

terravigantes inopinato impetu subinde terrere consuevisse. 3. 8. Jam vero prædatorias rates habuisse Insularum incolas sitarum ante Nabatæam regionem litteris prodit Strabo, qui diu quieti quum fuissent, tandem ratibus suis navigantes ex Ægypto deprædari [illegible] runt. Utres præterea paleis, [illegible] plenos, quos *ratarias* [illegible] bant ad trajicienda flumina in [illegible] se legimus: ratarias tamen [illegible] naves ratibus similes scriptit I[illegible]

Suspectum in responsione senis ultimum verbum *aqua*: & repetitio alibi *aquila*, quod est tamen pro eodem. Sed an temerè fecerim ex hoc *ovicula*? Mihi non videar. Etenim facilis, & mutatio talis, & res magis suadet oviculam dici placidam, quàm aquam, tum tranquillam canem illi potius, quàm huic comparari. Non canem, sed oviculam meram esse ait senex. Vidento tamen alii, si quid aliud latet in vulgatioribus antiquis. Nam hi nescio quid de fœta cane referunt, & mox etiam legunt, *Quando vis ire intrò, audacter licet*: ubi nostri hodie, *Vise: ire intrò audacter licet*.

CAPUT VI.

Peculium, æs, opes de suo, à malo, de vetito. Thesauri è pauxillo, quasi paxillo. Ferocem facere. Puere. Eij. Vitia verborum, versuum, ordinis, personarum variis modis quam plurima tolluntur. Loca ambigua, & joca noviter declarantur. Assensum aliis, ab aliis dissensum.

UNum est scenâ *Quid tibi visum*, quod reliqua pura omnia conturbat: atque id in insigni loco isto:

TR. Egone te joculo modò ausim dicto aut facto fallere?
TH. Egon abs te ausim non cavere, ne quid committam tibi?
TR. Qui tibi nunquam quidquam, postquam tuus sum, verborum dedi.
TH. Ego enim cavi rectè. TR. eam mihi debes gratiam, atq; animo meo.
TH. Sat sapio, si abs te modò uno caveo. TR. tecum sentio.

Vitium in personis, inquam, est, & verbis, sed majus in illis. Sensus arguit manifestò. Nam quomodo Tranioni gratiam ullam debet senex, si ipse rectè cavit? Quin sibi debet omnem, atque ita sensit, dixitque. Scribo, personis aliquot sublatis, unaq; insuper literulâ mutatâ, cum alia interpunctione:

TH. ego enim cavi rectè: eam mihi debeo gratiam, atq; animo meo:
Sat sapio, si abs te modò uno caveo. TR. tecum sentio.

Nunquam deceptum me, inquit, id equidem non tuæ fidei debeo, sed meæ prudentiæ: qui tum rectè denique, quod satis est sapio, si possum à te mihi saltem, & studeo cavere. Certa, & perspicuæ veritatis emendatio hæc, cui nemo refragetur. Ejusmodi est illa proximâ scenâ, quam aliis debitam, non adscribo mihi, sed ut incertam à nuperis editoribus relictam, assero Plauto. Quid enim ista lectione verius, quid elegantius, cui vulgatam ineptissimam prætulerunt?

Sed hi si reprehensi sunt, faciunt à malo
Peculium, quod nequent facere de suo.

Non sensus aliter sit ullus idoneus, & locutionem non similis Apuleji tantum probat Asini lib. 9. *Nisi nos putatis æs de malo habere*: Sed & Ovidii Fastor. 5.

Sed jam de vetito quisque parabat opes.

Imò Plauti ipsius Cistellar:

Item ut aliæ pariunt, quæ à malo quærunt sibi!

Nam sic emendatur etiam illic rectè, quod aliis æquè non eripio, sed acceptum ab illis, illisque referens acceptum, meo pariter assensu firmo. Animadvertes autem, in hoc nostro jam loco, non id planè phrasin eam valere, quod in aliis: sed ambiguè & per jocum ad serviles cruciatus, ac pœnas accommodari. Servi enim ex fuga reprehensi à malo peculium faciunt, id est, è verberibus thesaurum mali colligunt: quod sequenti versu magis explicatur:

Augent ex pauxillo, thesaurum inde parant.

Ubi non equidem corrigendum planè censeam cum Gulielmio nostro *paxillo*, sed quod vulgatur, id ambigua pronuntiatione simul pro hoc ipso capiendum. Jocus enim hic quæsitus etiam, ut spectatores utrumque exaudirent, dubii, magisne è palo seu paxillo, an paullo, seu pauxillo peculium augeri diceretur. Hæc argutia Plautina: quam non est ille satis assecutus: secutum autem esse Plautum nemo negabit mihi, qui

qui rem confiderabit attentius, & ipsa verba. Ducunt enim hæc etiam eò fingula. Et ordinem vide: Peculium faciunt: id ex pauxillo augent: ita thefaurum parant. Parantur enim thefauri paullatim augendo, & αυμςὸν ἐπίσωρςὸν apponendo. Neceffe fuit hoc vel breviffimè oftendi, ne jocus amplius falleret infcientes. Infrà in illis, quæ jungi cum hac fcena debere Lambinus cenfuit, & cum illo ego, fublatis è medio perfonis, quæ notatæ quafi novam fcenam ordiuntur, & ad caput hujus adfcriptis fimul univerfis. Nec enim interrumpit, vel levi etiam interfpiratione Phanifcus orationem continuam fuam, priufquam ab alio fervo revocetur. Sed in illis trajectionem noto verfus unius, fi tamen ullus ibi legitimus verfus, ac non verborum dicere potius debui, quod utcunq; fit; hæc, quæ adfcribam, trajecta videntur:

PH. Mihi fum, libet effe, quid id curas?

Eorum fedes non vera, quam nunc habent: fed quam habebunt, fi hoc ordine omnia refcribantur:

..... SER. mane tu, atq; affifte illico.
Etiam refpice. (f. refpicis?) PH. mihi moleftus ne fis.
SER. Vide, ut faftidit fimia.
Manefne ilico impure parafite?
PH. Qui parafitus fum? SER. ego enim
Dicam: cibo perduci poteris quovis.
PH. Mihi fum. libet effe. quid tu id curas?
SER. Ferocem facis. quia te herus tam amat.

Ubi inferuimus, ab utraque parte cohærentia fibi volunt. Cum parafitum alter increpuiffet, & unde, oftendiffet: fubjicit hic, fibi fe effe, qui fit, atque ita libère, nec quidquam illius intereffe. Quod tam liberum refponfum pro fuperbia accipit ille, & ferocem fe fibi facere ait, quòd ab hero tam ametur. Cave enim cum Lambino mutes *facit*. *Facis* omninò retine, contra quod exemplum nullum ftat eorum, quæ in diverfum ab illo afferuntur. Non planè fimile, fed nec diffimile prorfus eft hoc illis, fi commodè interpreteris. Atque ferocem alicui fe facere, dixit alibi quoque nofter. Ad hæc, *fum & effe*, quia parafiticus fermo, vergunt hic in edendi fignificatum, decorà ambiguitate. Multa porrò minuta funt in hac fervorum confabulatione, fed haud tanti, ut diligentius notentur. Sene interveniente, verfus eft inter alios:

PH. Puer nimium es delicatus. PH. ei adverfum venimus.

quo fcribes, *Puere*, verfus ipfius caufsà: & eadem ibidem *eij*. Deinceps jam quoque funt frivola quædam, à quibus malo abftinere. Sequitur fcena *Perij hercle*: in qua de lacuna fufpiceris infigni ante iftum verfum:

SI. Quæfo edepol me fpecta, & refponde mihi.

Nam abruptus fermo videtur, & debent alia præceffiffe, quibus ab argenti debitione ad ædium infpectionem gradus fiat. Scilicet de ædium emtione alterum contendere, alterum negare prius, aliaque oportuit invicem agere, quam ad extremum hoc delaberentur. An verò de induftria Plautus ifta diffimulavit? Ita eft. Confultò rejecit omnem eam narrationem, ne fæpius in fcena contra legem Comicam, & cum fpectatorum tædio, eadem iterarentur. Atq; id ipfe in fine innuit:

TH. Eadem ego opera hæc tibi narravero,
Quis me exemplis hodie ille ludificatus eft.

Ceterùm paullo ante eum finem, quod legis:

TH. Hei mihi, difperii, vocis non habeo fatis.
Vicini, interii, perii.

Vide ne fcribendum tibi fit, *Vicine*: ut ad hunc folum Simonem exclamet. Statim perfonæ malè mutarunt in novitiis omnibus libris:

Te ludificatuft, & me hodie indignis modis.
Quid tu ais? SI. hæc res fic eft, ut narro tibi.

Eas ex veteribus ita rurfum digeres:

SI. Quid tu ais? TH. hæc res fic eft, ut narro tibi:
Ludificatuft med hodie in perpetuum modum.

Abfurda lectio altera: nec Theuropidi convenit quærere, quid alter ajat: fed cum ipfe ludificatum fe diceret, miratur id Simo, & interrogat, uti folemus in re inopinatà. atque ille ita prorfus effe refpondet, ut dixerit, idemque iterum verbis fermè iifdem dicit.

CA-

CAPUT VII.

Fores, quod ostium. Illi. Captare cum aliquo. Captatio in gladiatoriâ: inde alio traducta. Tranius. Plautus sæpissimè, locis etiam difficillimis aliquot, correctus, illustratus. Lacunæ in eodem suspicio: Quadrigarii apud Gellium emendatio. Aliorum hinc inde correctiones, atq; interpretationes rejectæ.

Difficilior est sententia ob intricatiorem verborum structuram, malamq; simul interpunctionem istius loci Scenâ, *Qui homo*.

Abii illâ per angiportum ad hortum nostrum clanculum,
Ostium, quod in angiportu est horti, patefeci fores,
Eaq; eduxi omnem legionem, & mares, & feminas.

In quorum medio versu ordinando cum frustrà Camerarius, & Lambinus laborassent, ad mutationem confugerunt, neque sic tamen sententiam satis expedierunt. Nos distinctionem aberrare leviter dicimus primùm, quæ sic concipienda.

Ostium quod in angiportu est, horti patefeci (n) fores:

deinde jam ordinem, & sensum hunc esse patet: patefeci fores horti, quod est ostium in angiportu. Figurata syntaxis, *fores, quod ostium*. Horti fores erant ostium in angiportu. Rem & narrationem totam non aliter intelligere est, nisi hac mente. Ait servus, per angiportum adiisse se ad hortum: ejus horti fores, quæ sint domus ostium in angiportu, id est, per quas ibi commeatus ad ædes ipsas, & retrò pateat, eas inquam fores patefecisse, atque illà manipulares suos quasi ex obsidione in tutum eduxisse. Versu deinceps illo:

TH. Illico intra limen astate illic, ut cum extemplo vocem.

scribes propter versum *illi*, quod significatu eodem Plauto alibi frequens, nec hic tantùm interpolatum. Mox:

TH. Doctè, atque astutè mihi captandum est cum illo, ubi huc advenerit.

Malè Lambinus, *captandus est cum illo*: quasi dicat senex, cum Simone adjutore suo captandum sibi esse Tranionem. *Captandum est* retineri prorsus debet: nescio si & *cum illo*, quod valet cum Tranione. Durum enim, cum aliquo captare. Nam absolutè poni magis amat. Actius Philocteta apud Nonium in *Cautim*:

Contrà est eundum cautim, & captandum mihi.

Ac gladiatorium planè verbum est, ut hinc apparet, & magis è Lucani Poematio ad Pisonem:

Arma tuis etiam si forte rotare lacertis,
Inq; gradu clausis libuit consistere membris,
Et vitare simul, simul & captare petentem.

Quin *captatio* in disciplina gladiatoria etiam apud Quintilianum lib. 5. c. 14. *Ut gladiatorum manus, quæ secundæ vocantur, fiunt & tertiæ, si prima ad evocandum adver-*

(n) *Horti patefeci fores, quod est ostium*: ita Noster concinnè more suo, & ad rem accommodatissimè: *Figurata*, inquit, syntaxis; verumtamen addendum erat, *& ex usu vocum, ac significatione elegantissima*. Ostium n., si qua accuratissimis Grammaticorum fides, *clausas fores* dixerunt veteres, januam autem *apertas*. Rectè igitur servus fores clausas, quæ sint domus ostium, in angiportu se aperuisse ait, atque manipulares suos eduxisse. Idipsum notavit Servius ad Virg v. 43. lib. 6.
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,
Unde ruunt totidem voces responsa Sybillæ.
Non sine caussa, inquit, *dixit aditus, & ostia; nam Vitruvius, qui de Architectonica scripsit, ait, cum ab aliquo arcemur ingressu, id ostium dici*; Quod huic assentitur Isidorus 15. 7. *Generaliter quidem ostium est, per quod ab aliquo arcemur ingressu, dictum*.

adversarii ictum prolata erat : & *quartæ* , *si geminata captatio est* , *ut bis cavere* , *bis repetere oportuerit* . Quæ non temerè attuli , sed ut per occasionem hanc Quadrigarii loco variè lancinato id ipsum verbum reddam , apud Gellium , in descriptione certaminis singularis Galli cum T. Manlio: *Ita* , *ut antè dixi* , *constiterunt* . *Gallus sua disciplina scuto projecto cantabundus* . *Manlius animo magis quam arte confisus* , *scutum scuto percussit* , *atque statum Galli perturbavit* . Pro *cantabundus* inepta voce , *contabundus* alii , alii *cautabundus* , alii nescio quid ineptius etiam. Mihi certum , *captabundus* reponendum. Ita enim ex disciplina se composuerat , ut adversarium captaret , proprio , ut ostendi , in ea re verbo . Sed in Plauto non damnes tamen *cum illo* . Sic enim eadem formâ locutionis *cavere cum aliquo* dixit ultimâ scenâ :

TH. Hercle mihi tecum cavendum est , *nimis quam es orator*
catus .

Porrò ibidem est :

TH. Nunc ego ille huc veniat velim .

Veteres *illum* , Plautinissime : & malum illis, qui mutarunt . Non longè sequitur :

Dixi ego istuc idem illi .

quod ridiculè Lambinus interpretatur . Ego censeo , versum unum , & fortassis alterum hic deesse . Nam Tranio quædam interfatus est ad Simonem redarguendum , quæ eadem jam senex dicit se quoque ipsi dixisse . Non vana ea suspicio , quam ipsa quidem res ingerit . Nam quis è verbis cum extorqueat sensum , in quem Lambinus torquet ? Nunc verò ad alium scopulum deferimur , ubi metuo , ne infelicius hæreamus .

Statim est hic locus :

. . . . . *TR. quid ait ? TH. servos pollicitus est dare*
Suos mihi omnes quæstioni . TR. nugas . nunquam edepol dabit.
TH. Dat profectò . TR. quin & illum in jus jube ire . TH. jam
mane .
Experiar , *ut opinor* , *certum est* . *TR. mihi huc hominem cedò* .
TH. Quid si igitur ego accersam homines ? TR. factum jam esse
oportuit ,
Vel jube ædes mancipio poscere . TH. imo hoc primum volo ,
Quæstioni accipere servos . TR. faciundum edepol censeo .
Ego interim hanc aram occupabo .

transpositus est omninò : & verba præterea quædam non suæ personæ adscribuntur. Sic autem omnia putamus restituenda :

TH. Dat profectò . TR. quin & illum in jus jube ire . TH. itan' ?
mane :
Experiar , *ut opinor* : *certum est* . *mihi huc hominem cedo* .
TR. Vel jube ædes mancipio poscere . TH. imo hoc primum volo ,
Quæstioni accipere servos . TR. faciundum edepol censeo .
TH. Quid si igitur ego accersam homines ? TR. factum jam esse
oportuit .
Ego interim hanc aram occupabo .

Res ita geritur , quæ per se tamen clara . Non credere simulabat Tranio , servos in quæstionem datum iri : quod cum senex certus asseveraret ; etiamsi dentur , inquit ille , tamen & ipsum in jus voca . Ibi quid faciundum sibi , senex deliberat : & itane censes ? inquit : mane , ut mecum etiam cogitem . Cumque cogitasset aliquandiu , inclinat eò , ut jure experiri velit: mox idem planè statuit , &, uti solet in Comœdiis , poscit hominem sibi dari , ut statim ad judicem cum illo . Tum servus ut magis incitaret , subjicit de ædibus mancupio poscendis : sed , ut nunc verba leguntur , dubiè , uti nescias , quem poscere eas velit . Lambinus ad filium Theuropidis trahit : incommodè , ut opinor . De Simone magis capi queat : neque commodè tamen hoc quoque satis . An autem *jubeo* legendum ? ut herum Theuropidem ipsum jubeat servus , vel mancipio negatas sibi ædes postulare . Quidquid hujus est ; ubi Tranio hæc dixisset , differt senex itionem in jus , ne sic elaberetur ille interim , quem comprehendere per servos quasi quæstionarios vellet , ac prius hos accipere velle quæstioni ait , deinde legibus experiri . Quid faciat ? assentit Tranio : cumque

que vocaturus illos fenex effet, id quoque permittit, fed de loco fibi cavet, non imprudens infidiarum, quæ velut infcio ftruerentur. His quæ continua funt:

. . . . . *TH. quid ità? TR. nullam rem fapis.*

in iis melius fcribas, *nullam ad rem*, ut Perfà, *Sapis multum ad genium*, quamquam *nullam rem* fimpliciter interpretari potes, *nihil*. Inferius, admodum eft controverfa lectio in hoc verfu:

Nunquam edepol bodie inultus deftinaverit tibi.

Nota enim Lambini, aliorumque commenta. Rudem ego fententiam dicam, fed quæ fortè prævaleat iftis nimium argutis. Nam quid fi fcribatur?

Nunquam edepol hæc hodie inultus defignaveris mihi.

Nuper ad Curtium oftendimus errorem perpetuum in verbis *deftinare*, & *defignare*: quem quis neget hic committi quoque potuiffe? Mens quidem fenis ita commodiffimè exprimatur. E proximo ifto:

TR. Ne faxis fis. nam elixus effe quàm affus foleo fuavior.

deleto *fis*, quod in antiquis eft nullum, & verfus jubet non effe. Venimus ad ultimam fcenam, quam leviter hoc enim capite percurremus.
Primo ejus verfus:

Ubi fomnum fepelivi omnem, atq; dormivi crapulam.

dubites, an non *fomno* verius. Nam mollius certè, crapulam fomno, quàm fomnum ipfum fepelire. Nifi verba fortaffis ipfa, commutatis eorum fedibus, aliter jungenda:

Ubi fomnum edormivi omnem, atq; fepelivi crapulam.

Sed neutrum horum ego affirmarim. Poft plufcula fanum illud quoque fit:

Fateor peccaviffe, amicam liberaffe, abfente te,
Fœnori argentum fumfiffe.

tamen inclino, ut *potaviffe* putem refcribendum pro *peccaviffe*. Nam ordine omnia facinora commemorat, & peccata fanè non vult videri. quamquam infra nihil etiam de potatione, fed hercle de delicto Callidamates idem:

. . . . . *nos deliquimus:*
Fœnus, fortem, fumtumq; omnem, quanti amica eft, omnia
Nos dabimus.

Illo verfu:

CA. Tace parumper, fine me viciffim loqui, aufculta. TH. licet.

tranfpone verba, *fine viciffim me loqui*. Vides numeros flagitare. Subinde locus ifte non habet optimè:

Si hoc pudet, feciffe fumtum, fupplicii habeo fatis.
TR. Difpudet dari iftam veniam. quid me fiet nunc jam?
TH. Verberibus cadére lutum pendens, tametfi me pudet,
Interimam hercle ego, fi vivo. CA. fac iftam cunctam gratiam.

Camerarius ita fupplevit, *Difpudet dari*: quem Lambinus, & alii poft fecuti. At *Difpudet* Tranionis profectò verbum non eft, fed Callidamatis: qui, cum fenex fatis effe fibi diceret, fi filium pudere, imò difpudere eum, amplius afféverat. Nec rationis eft quidquam, cur vel pudeat veniæ iftius fervum. Sed & reliqua fic vitiosè cuduntur, quæ melius aliquantò in Lambinianis. Omnia fic velim concinnari:

Si hoc pudet, feciffe fumtum, fupplicii jam habeo fatis.
CA. Difpudet. TR. dat (vel, *dedit*) *iftam veniam. quid me fiet nunc jam?*
TH. Verberibus cadere lutum pendens. TR. tamen, fi me pudet?
TH. Interimam hercle ego, fi vivo.

Quia Philolachi veniam pudor conciliaverat, ipfe quoque fervus indidem eundem fibi fperat: & cum verbera minaretur fenex; tamenne, inquit, verberabor, fi & me pudet? Simul irridet facilitatem fenis, & inanes minas.
Statim:

Tranioni remitte quæfo hanc noxiam cauffa mea.

Aut in trifyllabum *Tranioni* contrahetur, aut *Tranio* refcribetur, illo fæpe in fimilibus ufurpato flexu, quafi *Tranius* effet nominandi cafus. Exempla ubique promta. Adhuc verfus ille peccat:

. . . . . *TH. tu quiesce hanc rem modò*

Petere: ego illum verberibus, ut sit quietus, subegero:

sed in sola dimensione, quæ verba traduci suadet in hunc modum:

Petere: ego illum, ut sit quietus, verberibus subegero.

Adhuc etiam ille peccat idem ferè:

Ibi utrumque, & hoc & illud poteris ulcisci probè,

sed vocula ei excidit, quam ex veteribus repones:

Ibi tum utrumque, & hoc &c.

Et tandem à mostellis parta nobis quies.



VA-

VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI MENÆCHMOS DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES

AD

NOBILISSIMUM VIRUM

ABRAHAMUM ORTELIUM

GEOGRAPHUM Regium.

CAPUT I.

Epidamnus an & Epidamnium. De janua compeditorum admonitiuncula. Cari parasitici. Menæchmorum prologus, & principium noviter, itemq; cum aliis, & contra alios corrigitur aliquoties, atque explicatur.

VIx à mostellis aliqua nobis quies, & ecce rursus ab insanientibus Menæchmis sollicitamur. Aggrediamur hos quoque, & in tempore, priusquam insania percipit, adhibeamus aliquid medicinæ, quod melius certè faciemus, & opportunius, quàm ille Medicus ibidem. Nec perfacile tamen id est nobis, ut hic de se jactabat, neque planè:

Sanos futuros, mea ego id promittam fide.

Sed quod est in nobis, sedulò fiet, & magna cum cura, sine suspiratione quamvis ulla, curabuntur. Age, sublimes deferantur in nostram medicinam, etsi quidem non inviti, lubentes imò potius & volentes: quippe qui morbum suum agnoscant jam, non negent, nec dissimulent hodie, quod olim simularunt: postquam verè in eos expetiit insania temerè quondam affectata. Jamq; deliramenta quæ loquuntur, ab initio, & ordine ad finem auscultemus. Periochâ fabulæ:

Hic fuerat auctus, ille surreptitius.

Negat hoc sanum varietas in voce *auctus*, quæ quanquam non malè, coactè sanè tamen explicatur, *adoleverat*. & si istum sensum volumus, cur non veterem scripturam malumus, *altus*, vel *alitus*? At ego non hanc intrudo: istam vulgatam emendem libentius, & scribam:

Huc fuerat ductus, ille surreptitius.

Ea mens prorsus est, raptum illuc abductum: nisi tamen *avectus* etiam conjicias indidem: quod non excludunt quidem numeri, licet difficilius admittant. *Auctus* qui retinebit contra nos, videat ne cum Lambino præter ætatis incrementum etiam de jure civitatis interpretetur. Si illuc trahi tam laxa vox potest, quidni debeat aliò ulterius, ut & hæreditate, & uxore, & liberis etiam fortassis, & aliis rebus multis auctus intelligatur? Valeat ineptum adeò commentum, & vapulet ejus auctor. In Prologo qui versus sic scribitur:

Ei nati sunt filii duo gemini:

verbo transposito rectius scribatur, *filii gemino duo*: quod ut ut tenue, magis tamen

men est ad numeros Plautinos: à quibus nimium quantum aberrat inferior iste:

Puer inter homines aberravit à patre.

Trochæum enim in Jambico qui feremus? Is equidem nunc tamen tertia regione. Mutes facilè, dispositis aliter, aliterque verbis: quorum hic præ omnibus ordo, qui potest multiplex iniri, mihi placet:

Puer aberravit inter homines à patre.

pes primus ut tribrachys constituatur. Statim quo exemplo Plautus dixerit *Epidamnium*, quæ urbs *Epidamnus* ubique, nec alio usquam flexu nominata?

Is puerum tollit, avebitque (o) Epidamnium.

Sed ita non nisi per eos scriptum videtur, qui versum refinxerunt. Hujus enim causâ, cum extrema illa vox esset, *i* literam efficiendo jambo immiserunt. Atque id nuper adeo: cum veteres *Epidamnum* habeant, qui iidem *in* addunt, haud temerè, & unde spero versum aliter inque pristinum habitum reconcinnassere. Sic faciam:

Is puerum tollit, in Epidamnumque avebit.

Trajectio non insolens: minus adiectio *in* particulæ, quæ bis hoc ipso prologo deinceps iterata:

Nunc in Epidamnum pedibus redeundum est mibi.

Item: *Hodie in Epidamnum venit cum servo suo.*

Mirum verò in illo versu:

Eumque hæredem fecit, qua ipse obiit die.

Mirum inquam factum, si eadem demum die, qua casu obiit raptor, raptus est hæres institutus. Hoc enim verba sanè volunt: quod qui fieri potuit? aut si potuit, quid ita fingere Plauto fuit necesse? Valdè vereor ne sit corrigendum, *quòm ipse obiit diem*: alio, nec tam adstricto ad ipsum fatalem diem sensu. Atque ita Pœnuli Prologo noster: ubi hic idem omnibus verbis, literis, & apicibus versus:

. . . . . eumque adoptat sibi pro filio,

Eumque hæredem fecit, cum ipse obiit diem.

Primâ scenâ in Parasiti circumspecta de custodia fugitivorum cautione, prudentique consilio, variè de verbi *januam* sanitate, aut sanatione fuit agitatum:

Tum compediti januam lima proterunt,

Aut lapide excutiunt clavum.

Nihil ego conjecturis aliorum derogabo, nihil addam; nisi moneam sanè eos, qui porrò correctionem molientur (nam adhuc quidem nemo verum tetigit, ut ego judico) non obstinatè laborent in peculiari aliqua voce exsculpenda, cui necessariò adjuncta verba *lima proterunt* jungantur: quasi prorsus aliò referri hæc non queant. Possunt enim, ac forasse debent ad sequentem *clavum*. Nam hunc vel excutere lapide, vel lima proterere compediti dicentur. Id si observetur, faciliorem emendandi viam fore credo. Atque ipse cogitavi aliquid in hunc modum: sed non probo, locumque felicioribus ingeniis relinquo, quibus usui sine dubio erit hæc admonitiuncula nostra, si non alii, certè quidem illi, ut ne temerè in quærendo, quod fortè non est, se defatigent. Ad ejusdem scenæ finem, in explicatione ejus versus accedo planè Palmerio:

Id

(o) *Epidamnum* dixit contra Veterum Romanorum consuetudinem, eo nimirum, ut opinor, quod non Romana comœdia est. Anilibus enim superstitionibus fere innumeris obligati Romanorum animi Dyrrachium maluerunt fere semper, quam Epidamnum. Mali enim ominis voces apud eos erant non eo modo, quæ adversi aliquid significarent, verum etiam quæ sono ipso gravius aliquid, aut acerbius præ se ferrent. *Epidamnum* quidem vocem rejectam ab iis fuisse, Dyrrachiumque ejus loco positam, in formulis juris veteris, quas Brissonius diligentissime collegit, & explicavit, olim me legisse memini. Quare nec *adversam avim* dixere in auguriis, sed *alteram* dixere, studueruntque maxime, ne acerbi aliquid, aut mali vel sonaret, vel significaret nomen primi militis in delectu, quod ut faustum esset attentissime cavebant. Sed id genus sexcenta apud reconditioris eruditionis studiosos homines jam congesta videre poteris percommode, si libuerit. Nobis hæc hoc loco notasse, & benevolo lectori indicasse sat est.

Id quoque jam, cari qui instruuntur deserit:

sed abeo leviter in scriptura. Nam *quoniam* volo ex *quoque jam*, nectoque hanc sententiam verbis versus proximi, ne sic absoluta malè pendeat:

Id quoniam, cari qui instruuntur, deserit,
Nunc ad eum inviso.

Ajebat parasitus, intervallum dierum plurium intercessisse, cum Menæchmi cœnas non frequentarit, ac domi interim de suo benè, an malè victitarit: jam autem postquam (id enim valet *quoniam*, ut alibi superius ostensum) sumtus, & præsidium vitæ familiaris defecerit, ad illum revisere se velle, ut antiquam Saturitatis almæ sodalitatem recipiatur.

CAPUT II.

Egere aliquid. Scortum ducere: ad cœnam concidere. Ob industriam. Mille passuum mora. Expeditè fabulari. Variè multa emendantur, & quædam insigniora. Refutantur aliorum supervacuæ correctiones, ineptæ explicationes: nostræ firmantur.

Parcè, nec semper, ubi opus erat, aliorum refuto emendationes: interim non abstineo tamen, si quæ occurrant vaniores, & insigniter falsæ, maximè quæ sine caussa vulgatam lectionem mutant, quin uno verbo afferam hanc, & defendam. Sicut hic Sc. *Ni mala*:

Lanam, aurum, vestem, purpuram benè præbeo, nec quidquam eges.

frustra corrigitur *quiquam*. Antiquè enim *egere* cum accusandi etiam casu: nec exemplum Catonis ignotum illis esse potuit apud Gellium lib. 13. cap. 22. quod ita scribendum, ut subjiciam: *Si quid est, quod utar; utor: si non est; egeo. Suum cuique per me uti, atque frui licet. Vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere.* Mox eadem scenâ illud emendationis eget, quam nemo tamen attentavit:

Atq; adeo, ne me nequidquam serves, ob eam industriam
Hodie aucam scortum ad cœnam, atq; aliquò condicam foras.

Malè verba *ad cœnam* prioribus nectuntur, posterioribus nectenda. Scortum enim ducere, singularis est phrasis, omnibus ferè Plauti comœdiis usurpata: & ad cœnam condicere, pariter singularis, nec minus frequens. Trajice igitur verba:

Hodie ducam scortum, atq; aliquò ad cœnam condicam foras.

Quod ibidem est *ob eam industriam*, Plautina item est locutio, aliis non ita familiaris. Infra hac fabulâ:

Ob istanc industriam etiam faxo amabit amplius.

Diversi paullùm sensus ab hac illa *ob industriam* simpliciter, saltem pro de industria: cujus unum hic exemplum satis. Casinâ:

. . . . . illa autem quasi ob industriam
Mihi advorsatur.

Sed hæc adhuc levia errata, & quasi primæ mentis aberrationes: plenum delirium in istis est:

ME. Perge. PE. non pergo hercle ego, nisi scio qua gratia
Litigium est tibi cum uxore. ME. hoc mihi abs te caveo cautius.
Clam uxorem ubi sepulcrum habeamus, & hunc comburamus diem.

Et delirat æquè Lambinus interpretatione. Quid parasiti interest, caussam litigii scire, quod Menæchmo cum uxore? Tum quomodo cavet hic ab illo sibi, cum manifestò se prodit? Denique ultimus versus unde pendet? nisi sic à parasito cavetur, si uxor celatur. Nugæ. Longè latet aliud, quod sagaciter è parte sententiæ sum odoratus, ac vestigiis ejus tenaciter hærens in totam abditiorem denique penetravi. Peccant interpuncta simul, & personæ. Primùm sic emenda:

ME. Perge. PE. non pergo hercle ego, nisi scio qua gratia.
Litigium est tibi cum uxore: hoc mihi abs te caveo cautius.

ME. Clam uxorem uti sepulcrum habeamus, & hunc comburamus diem.

Jam ita cape. Jubet Menæchmus supparasitari sibi parasitum: at ille renuit blandiri gratis, nisi sciat qua mercede: atque ob eam caussam, inquit, diligentius abs te mihi caveo, & præscire certò præmium cupio, quia litigium tibi audivi cum uxore esse, ut haud facilè me domum sis ad cœnam vocaturus. Responder Menæchmus, eo pretio, quidquid dices, dices, ut hunc diem luculentum nobis, & hilarem, ipsa uxore clam, sumamus. Quid elegantius, & verius fuerit hac restitutione? Similem in errore simili ad scenæ finem dabo.

Ibi vulgatur:

ME. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium:
Mihi, tibi, atq; illi jubebo jam apparari prandium,
Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus.
PE. Expeditè fabulatus, jam fores ferio? ME. feri:
Vel mane etiam mille passum commoratus cantharum.
Placidè pulta. PE. metuis, credo, ne fores Samiæ fient.

In quibus æquè turpiter errat Interpres: neque potuit non errare in tam vitiosa lectione. Sed vitiosam ille nescivit, aut quisquam post eum suspicatus est. Tu scies, personas hic quoque malè dispositas, itemque malè interpunctiones: & ad hoc exemplum mihi credes emendandum:

PE. Expeditè fabulatu's, jam fores ferio? ME. feri:
Vel mane etiam. PE. mille passum commoratu's cantharum.
ME. Placidè pulta. PE. metuis credo, ne fores Samiæ fient.

Liquida jam horum per se satis sententia non postulat amplius declarari. Tamen hoc dico, quod non omnes videbunt; quid innuant ista, *mille passuum commoratus es cantharum*: à quorum obscuritate pristina fluxit omnis depravatio. Indicant ea parasiti festinationem, & impatientiam moræ: qui cantharo, & potationi destinatæ imminens, ægrè fert cohiberi se, quin statim fores pulset. Ait autem, *mille passuum commoratus es*, solitâ Plauto phrasi, qui sic Truculento quoque:

AS. Quid jam me revocabas improbe, nihilique homo?
Quæ tibi mille passuum peperit moræ mora.

Præter id, notabis, opponi Expeditè fabulari, & Mille passuum commorari, per tacitum jocum, quo ludit in metaphora ab itineribus ducta. Nam itinerum verbum propriè est *expedite*, à quo cum cœpisset, pergit in eadem figura, & de mora tot passuum subjungit. Ipse scenæ finis an liber erroris?

ME. Mane mane obsecro, hercle ab se ecca exit. PE. ô! solem vides,
Satin' ut occæcatus est præ hujus corporis candoribus.

Mihi non videtur: & legam sanè, distinguamque priore versu ita primùm:

Mane, mane obsecro hercle: eapse ecca exit.

deinde personam etiam parasiti sustulerim, & reliqua continuem omnia sub Menæchmi, cui censeo magis convenire, sed cum levicula etiam mutatione:

ME. Mane, mane obsecro hercle: eapse ecca exit. oh, solem vide:
Satin' ut occæcatust præ hujus corporis candoribus!

Hoc tamen docti prius arbitrabuntur: quorum judicia non aliena à nostro spero. Tenue quid in hac scena præterii, quod tamen hic nunc dicatur:

ME. Olfacta igitur hinc, Penicule lepide, ut fastidis? PE. decet.

Non placet responsio parasiti, *decet*, languida: & qui eum fastidire decet? Fortè *licet* fuit, assentiendi formula solennis, quia nunc denique olfacturus est: aut *cedò*.



CA-

CAPUT III.

Jusso, jussim: Obsonatoris officium, ac disciplina: In verbis pauca, multa in personis, & sensu novantur. Omnia explicantur, illustrantur. Viri docti sententia contra Lambinum reprehensa; Lambini defensa, cum nova ibidem additione: hujusdem alibi ultrò damnata.

PRincipium scenæ sequentis in libris nostris sic conceptum legimus:

ER. Anime mi, Menæchme, salve. PE. quid ego? ER. extra numerum es mihi.
PE. Idem istuc aliis adscriptivis ad legionem fieri solet.
ME. Ego istic mihi bodie apparari jussi apud te prælium,
Hodie ut fieret, in eo uterque prælio potabimus.

Hæreo ego primùm de secundo versu, an non Erotio tribui debeat, quo argutissima meretrix cœptam semel allegoriam ipsa persequatur. Id verò non suspicarer; nisi sequentia Menæchmi verba inducerent eò. Is enim ex illo Erotii responso ducere videtur occasionem porrò allegoriæ ejusdem continuandæ: quod tamen non videtur apertè satis, nisi verba prius emendentur, uti censeo ego pro sus emendanda:

ME. Ergo isti, ac mihi bodie apparari jussi apud te prælium.

Lego, ut vides, *isti ac mihi*: verè. Sensit ita planè Menæchmus, & de se, ac parasito etiam proximo versu *uterque* capit, uti Lambinus olim interpretabatur, immeritò hic à V. N. Dousa explosus, qui de Menæchmo, & Erotio contendit accipiendum, eo argumento, quia Peniculus extra numerum esse dictus sit paullò antè. Ratio non ratio: quam cum alia, tum illud maximè refutat, quod sequitur de adjudicatione, cum utro noctem meretrix sit futura. Necessariò ibi capies cum utro illorum, Menæchmone ipso, an parasito. Nam quid absurdius, quàm ut Erotium judicare debeat, cum Menæchmo suo, an secum ipsa velit esse? Et quid erit, ipsam secum esse? Tum quæ parasiti partes erunt, si cum amica solus Menæchmus est potaturus? Enimverò illi promissa erat potatio jam anteriore scenâ:

ME. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium.
Mihi, tibi, atque illi jubebo jam apparari prandium,
Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus.

Et infrà certè non excluditur:

ME. Jube igitur nobis tribus apud te prandium accurarier.

Nec excludi profectò debet: & quia casu postea exclusus fuit, inde nimirum omnes Menæchmo huic cum uxore, & meretrice turbæ. Sed quid hæc talia colligo ad probandum, quod est per se diligentius intuenti manifestum? Ibidem *jusso* scripsi, sive tu males *jussim*: quorum utrumvis alibi suprà reposuimus. Nondum jusserat hic, sed erat jussurus; ut constat ex hisdem locis, quos jam jam notavi ex hac, & priore scena. Altero jussurum se dicit, altero demum jubet. Atque ita Menæchmus ad Erotium ait: quia commodùm de re militari, & adscriptivis argutata es, ut sermonem meum tuo attemperem, ac persistam in comparatione, jussero mihi, & adscriptitio huic alteri militi, quem extra numerum tu habes, tanquam integræ legioni prælium parari: in quo hodie mox committendo, potando pugnemus, ac uter bellator melior inveniatur cantharo decertemus: teque a leò, cujus hæc est legio, victoriæ statuo arbitram, quæ cum alterutro, cui adjudicabis, ex arbitrio tuo noctem istam agas. Quam paraphrasin adhibui, ut sententia universa magis omnibus liquesceret: ac facilius quivis assentiretur mihi sic jam initium totum rescribendum:

ER. Anime mi, Menæchme, salve. PE. Quid ego? ER. extra numerum es mihi.
Item ut aliis (vel, illis) adscriptivis ad legionem fieri solet.
ME. Ergo isti ac mihi bodie apparari jusso apud te prælium,
Hodie ut fiat: in eo uterque prælio potabimus.

Ute.

Uter ibi melior bellator erit inventus cantharo;
Tua legio est, adjudicato cum utro istanc noctem sies.

Porrò in una Dousica editione vitium est, quod ne latius serpat, ac propagetur in alios libros, maturè evellendum, & exstirpandum:

PE. Meretrix tantisper perblanditur, dum illud, quod rapiat, videt.

Versus, sensusque *blanditur* exposcunt, abjecto *per*, quod adhæsit à finæ particulæ præcedentis. At in omnibus est gravius aliud in proximo, de quo nemini in mentem unquam venit. Aperiemus nos, & ostensum ejiciemus.

ME. Sustine hoc, Penicule, exuvias facere, quas vovi, volo.
PE. Cedò. ME. sed obsecro hercle salta sic cum palla postea.
PE. Ego saltabo? ME. sanus hercle non es. PE. egone an tu magis?
ME. Si non saltas, exue igitur.

Gravissimè personæ errant: nec bonum ullum sensum erueris è verbis, ita distributis. An Menæchmus exuit pallam, & Parasito dat induendam, ut in ea saltet? Ita volunt: sed falsò. Nec exuit ille, nec dat parasito. Quid hic ergo poscit, cum ait *cedò*? & quid huic ille sustinendum tradit? Ego dicam. Exuvias facturus Menæchmus, id est pallam Erotio destinatam exuturus, pallium dat intereà peniculo sustinendum: pallium, inquam, quod Pallæ superinduxerat occultandæ, & in quo aliàs prodibat in scenam, ut solet in Comœdiis palliatis. Id cum Peniculus reciperet, simul orat Menæchmum, ut exuto hoc, nudatâ illâ saltet jam in scena aliquantulum antè, quàm & ipsam deponat. Ubi hoc negat alter, adhuc quippe sobrius, exuere statim jubetur, & exuit, exutàque Erotium suum ex voto donat. Ita igitur, verbis nihil immutatis, personas saltem reconcinnabis:

PE. Cedò. sed obsecro hercle, salta sic cum palla postea.
ME. Ego saltabo? sanus hercle non es. PE. egone, an tu magis?
Si non saltas, exue igitur. ME. nimio ego hanc periculo
Surripui hodie. Meo quidem animo &c.

Quòd disputant, uter minus sanus, sic accipiendum. Insanum Menæchmus parasitum arguebat, qui saltare se sobrium, & sic palam juberet: at hic illum contrà, qui saltare nollet, & pallam tamen indutus esset, quæ non sumebatur nisi in hunc ipsum præcipuè usum. Et hoc sanè alii docuerunt: mentem tamen intimam Plauti non viderunt. Paullò pòst:

ME. Scin' quid volo ego te accurare? ER. scio. curabo quæ voles.

Non scit Erotium, nec credam simulanter affirmare: potius distinctione mutatâ aliter interpretandum, *ER. scio, curabo quæ voles*. Omissa particula *si* fuerit, uti crebrò venusteque solet, atque exstiterit hic sensus: si sciam, aut sciero, curabo. Addam huc, quod in sequente scena pariter corruptum. Ultimi versus sunt:

ER. Elocuta sum, convivas ceterùm cura. CY. licet.
Cocta sunt, jube ire accubitum. ER. redi citò. CY. jam ego hic ero.

Eorum priore Lambinus putidè exponit hæc, *convivas ceterùm cura*: quæ sumi simul haud debent, sed distinctione tali separari: *ER. Elocuta sum convivas: ceterùm cura*. Atque ita libri veteres disertim, qui & *tu* in fine adjiciunt, non sanè penitus respuente versu, sensu autem pœnè flagitante. Quærit de convivis Cylindrus, quot, & qui sint futuri: his enumeratis, Erotium, dixi, inquit, illos: cetera jam tuum est curare, & ut cures vide. Respondet ille, curaturum: imò cœnam jam paratam, nec per se moram esse, quin vel accubitum statim eatur. Id adeò ex disciplina Obsonatoris, quem pulchrè Martialis in hunc modum describit nobis in Apophoretis, sub eo ipso lemmate *Obsonator*. (*p*)

Dic

(p) Eleganter etiam ex obsonatorum disciplina officia alia depromit, enumeratque Seneca Ep. 47. *Adjice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt, cujus rei illum sapor excitet, cujus delectet aspectus, cujus suavitate nauseabundus erigi possit*. Genus hoc hominum Plautus in eorum censum refert, quos *auricalcho contra* sibi dari postulat Pleusides Act. 3. sc. 1. v. 64. quorum omnium speciem se præbere posse profitetur. Senex Periple-

Dic quotus, & quanti, cupias cœnare, nec unum
Addideris verbum: cœna parata tibi est.

Qui locus mirè cum hoc Plautino consentit: & est non dissimilis alius Pseudolo nostri:

Hem illic ego habito. intrò huc abi, & cœnam coque
Properè. CO. quin is accubitum? i, convivas cedò:
Corrumpitur jam cœna.

CAPUT IV.

Certum facere: De verbis alicujus metuere, cavere sibi: Au tergo! Scio; ut me dices. Censura nova in loca tacta aliis, & intacta: contra illos emendata quædam, & explicata. Plauto versus olim fugitivus nunc recens restitutus. Eadem totidemq; verba Plauti, & Varronis in invitatione ad discumbendum ostensa, forsan ei rei solemnia.

Lepida disputatio est initio proximæ scenæ, de nautarum voluptate, ubi terram conspiciant ex alto:

ME. Nulla est voluptas navitis, Messenio,
Major, meo animo, quàm quando ex alto procul
Terram conspiciunt. MES. major, non dicam dolo,
Quàm si adveniens terram videas, quæ fuerit tua.

In qua friget tamen altera pars Messenionis, qui adversus herum, majorem contendit nescio quam, non illam certè, quam Lambinus interpretatur. Quid enim hic locus ad decoctores, quos perstringi putat, ac notari? Dico, quod apud me sentio: superflua particula *Quàm* est, quæ à stolidissimo homine adjecta pulcherrimam sententiam evertit. Abjice tu, & lege:

. . . . . ME. major, non dicam dolo,
Si adveniens terram videas, quæ fuerit tua.

Maximam voluptatem censet Menæchmus, si terra saltem videatur: at mjorem hac servus, si terra patria videatur. Et verè hoc ex ipsa re, & magis è servi persona, qui itinerum, & diutinæ circumvectionis pertæsus, desiderat unicè patriam, & redire domum perpetuò suadet, urgetque herum magnâ instantiâ, ut deinceps est videre. Argutiola in verbo *fuerit* inanis est: nec in ea ullum sententiæ hujus impedimentum. Nec abnuam tamen, si quis emendare malit *fuat*: ut omnis ambiguitas tollatur. Deinde Plautinam tenuem phrasin non sperne observare:

Ergo istuc quæro certum qui faciat mihi.

qua usus infrà iterum hac fabulâ, Scen. *Ut ætas*:

Nec quid sit, certius mihi facit.

Et Pseudolo:

. . . . . nimis velim, certum qui
Mihi faciat, Ballio leno ubi hic habitat.

Mox

plectomenes ibid. v. 67. Locum Plauti perscribere libet, qui meo quidem judicio elegantiarum est, ac venustatum plenissimus.

PE. Tute me ut fateare faciam esse adolescentem moribus:
Ita apud omnes comparebo tibi res benefactis frequens:
Opus ne erit tibi advocato tristi, iracundo? ecce me.
Opus leni? leniorem dices, quam mutum est mare.
Liquidiusculusq; ero, quam ventus est Favonius.
Vel hilarissumum convivam hinc indidem expromam tibi,
Vel primarium parasitum, atq; obsonatorem optumum:
Tum ad saltandum non cinædus malacus æque est, atq; ego.

Mox illo versu:

Verùm aliter vivus nunquam desistam exsequi.

emendant *vivum*: quod etsi confirmari similis locus possit Rudente, Sc. *Quid mibi mel.*

Neq; si vivit, eam vivam unquam quin inveniam desistam.

tamen & *vivus* retineri potest, bono etiam sensu, ut dum ipse victurus sit, fratrem vivum an mortuum quærere sit exsecuturus. Atque hoc casu Amphitruone dixit:

MER. Tu me vivus hodie nunquam facies quin sim Sosia.

quamquam & ibi quidam mutat *vivo*, temerè & nec versu, nec sententiâ consultâ. Sed præter exemplum, ratio est etiam hic illius vulgati retinendi. Non enim vivum tantùm exsequi statuit, sed & mortuum, usq; dum mortuum saltem certò sciat, atque in id vel omne vitæ ipsius suæ tempus impensurus. Addo, nisi retineatur, inutilem vocem esse *aliter*: quod tenujus explicare nimis hercle tenue sit, ac jejunum. Ad finem scenæ magnâ negligentiâ verba quædam, ac versus integer in hodiernis libris est omissus:

NE. Ego istuc cavebo: cedo dum mibi huc marsupium.
MES. Quid eo vis? ME. ne mibi damnum in Epidamno duis.

Omissum enim negligentiâ puto, non ejectum de industria: qui sententiæ absolvendæ sit necessarius, & planè Plautinus, & in plerisque veteribus exstet. Reduco, & repono:

ME. Ego istuc cavebo, cedo dum mibi huc marsupium.
MES. Quid eo vis? ME. jam abs te metuo de verbis tuis.
MES. Quid metuis? ME. ne mibi damnum in Epidamno duis.

Occasionem negligentiæ dedit affinitas verborum initialium in utroque posteriore versu, *Quid eo vis*, & *Quid metuis*: itemque finalium, *tuis* & *duis*. Metuebat autem herus, quia servus ἔτυμον Epidamni deduxerat à damno. Id valet *de verbis tuis*: quæ Plautinissima locutio, & inferius hac Comœdia iterata:

Nunc homo insanire occœptat: de illis verbis cave tibi.

Magnum flagitium commisissem, ni suum tam elegantem versum auctori vindicassem: quem miror in tot libris expositum, à nullo agnitum, aut sublatum. Scenâ sequenti, *Bene obsonavi*, ridiculæ sententiæ, quin hercle nullius iste versus:

Sed eccum Menæchmum videon' à tergo meo?

Quomodo enim à tergo suo videre possit Menæchmum, nisi respiciat? Quid respiciat autem, cum ante eum sit ille, non à tergo? Stabat enim, vel ambulabat ad ostium, quo pergebat ipse rediens obsonatu. Ita directò eum antè se vidit, quod sanus jam quivis per se videt. At non quivis mihi corrigat:

Sed eccum Menæchmum videon'? au tergo meo!

Tergo suo metuit tam tardus obsonator, etsi minimè quidem tardus, cum ante fores prius convivas adesse videt, aut videre potius videtur exspectantes, quàm è foro redierit ipse, cœnamque apparârit. *Au* Plauti interiectio in metu & alia perturbatione, adeoque commiseratione, sæpius usurpata. Nec quidquam verius istâ conjecturâ: nescio si item illâ:

Menæchme salve. ME. di te ament. scis quis ego sum?
CT. Non hercle verò. ubi convivæ ceteri?

Malim equidem, *CT. Novi hercle verò*. Neque tamen per εἰρωνείαν subsistere lectionem alteram negarim. Ulterius, benè emendarunt hoc:

. . . . . ME. responde mibi
Adolescens, quibus bîc pretiis porci veneunt
Sacres sinceri? CT. nummo. ME. eum à me accipe.

Sed melius adhuc potest, & debet forsan ex antiquis editionibus: *CTL. nummo uno. ME. en à me accipe.* Liquidò enim ex, *nummum unum en*. Mutatio saltem facta casus est, quæ eadem infrà,

Nummum illum quem mibi dudum pollicitus dare &c.

quamquam ibi profectò minimè necesse est ad hanc formam iterum mutare, quod quidam faciunt audacius, non considerata locutione, quæ Plauto bonisque scriptoribus aliis frequens, ut pluribus exemplis Lambinus ostendit ad hunc Amphitruone versum:

Naucratem quem convenire volui, in navi non erat.

Adhuc ibidem:

CT.

CT. Jam ergo hæc madebunt faxo, nihil morabitur.
Malo, *Jam ego*. Nam *ergo* non video cur probetur. Sequitur scena, *Sine fores*. In ea primùm verba:

Ubi lubet, ire licet accubitum:

totidem eademque sunt apud Varronem ταφῇ Μενίππου: *Ubi lubet, ire licet accubitum. Accedo strenuus, fussilimus, quòd esurigo findebat costas.* Unde solennia suspicari liceat fuisse vocationi, vel invitationi ad discumbendum. Inde longo intervallo:

ME. Hercle quin tu rectè dicis: eàdem ignorabitur,
Ne uxor cognoscat te habere, si in via conspexerit.

Forte melius interpungas, *Ne uxor cognoscat, te habere si in via conspexerit.* Sed id si melius, melius etiam scribas *agnoscat*. Paullò pòst:

Eho Messenio accede huc. MES. quid negotii est? ME. scire vis?
MES. Quid ergo opust? ME. opus est. MES. scio, ut mendices.
ME. tanto nequior es.
Habeo prædam, tantum incepi operis.

Non unum in his peccatum, etsi nullum agnoscit interpres, ideoq; mirificas comminiscitur explicationes. Primùm transposita verba cum personis sunt: *MES. Quid ergo opust? ME. opus est.* deinde corrupta illa, *scio, ut mendices.* Emendo:

ME. Opus est. MES. quid (vel quod) ergo opust? ME. scio, ut me dices. ME. tanto nequior (es.)
ME. Habeo prædam.

Ait Menæchmus, cum servum vocasset. Opus sibi esse, vel ut posteà loquitur, Opus se incepisse. quærit ille, quodnam? Veretur hic profiteri statim, & reprehensionem conviciaque metuit à suo sibi servo. Itaque præfatur, scio, quem me dicturus sis: nequam scilicet, ac nihili hominem. at ille, tanto igitur nequior es, qui sciens tamen non caveas. Obscurum illis fuit, *ut me dices*, qui mutarunt: & qui id mutarunt, reliqua etiam traduxerunt, ut ista scilicet cohærerent, *Opus est, ut mendices*. Egregiè. Terentium non meminerant saltem, nec vel illum intellexerant ita quoque loquentem Phormione: *Videas, te atq; illum narres.* Nam Plauti similia plura dedimus alio loco: quibus hoc nunc addatur è Persa: *PÆ. Satis jam dictum habeo. SO. quid tu? confitere, ut te autumo? PÆ. Fatear, si ita sim.*

CAPUT V.

In dies singulas escas edere. Au, iterum. Argutiæ in particulis Huic, Mihi, Tibi, cum verbo auferendi, & esuriendi. Leves aliquot emendationes in verbis: graviores hæ deinde in versu iterato, qui ejectus; tum interpretationes in obscurioribus, qui correcti contra Interpretem, & illustrati.

NE illud quidem rectè Interpres, quod erat facilius tamen scenà *Plus annos*.

Affatim est hominum indies, qui singulas escas edunt.

Quos ille nobis fingit escarum singularum esores? non unius generis: vel qui domi prandent, vel soli cœnant, vel qui cibo uno contenti dapes plures, aut lautiores sibi non apponunt. Nullos horum Plautus dixit, ut quos dixerit facilius tu videas, verba sic scribito, & interducito:

Affatim est hominum, in dies qui singulas esculas edunt.

Et quid ego jam interpreter, illos dici, qui semel in die cibum sumant? Alia scena est, *Potin ut quiescas*. Ibi interpolata ista:

Non hercle is sum, qui sum, nisi hanc injuriam
Meq; ultus pulcrè fuero, observabo, quid agat,
Hominem. post deinde adibo ego hunc, atq; alloquar.

cognoscimus è priscis libris, qui ita: *Hunc primum. post hunc hominem adibo.* Ac facile est emendare:

. . . . . observabo, quid agat,

Hinc

Hinc primùm: pòst deinde hominem adibo, atq; alloquar.

Postea non laborant hæc, nisi fortassis ab interpunctione:

PE. Nequeo, quæ loquitur, exaudire, clanculum,
Satur nunc loquitur de me, & de parti mea.

Sed ab ea quoque leviter: & levis correctio,

PE. Nequeo, quæ loquitur, exaudire, clanculum
Satur nunc loquitur.

Rursus alia scena, in qua unum hoc notamus:

ME. Nunquam hercle factum est. AN. an non meministi obsecro?

Corrigendum hic quoque scilicet *an*, quod item superius paullò: *AN. au! non meministi obsecro?* Sed addatur & alterum, sic scribendos istos versus:

ME. Non habeo. AN. at tu quandoque habebis, tum dato.
Numquid vis? ME. hæc me curaturum dicito.

quamquam in priore, *quandoq;* invito nemini obtrudam: in altero, *me* alterum audacter quamvis expungo. Magnis nunc gradibus, ut vides, imus, ac facilè multa transimus. Sed erit brevi, ut denuò adhærescamus. Scenâ, *Ut hoc*:

Qui neq; leges, neq; æquum bonum usquam Colunt.

Inserunt veteres, *neq; æquum neq; bonum*. Quis adeò recipere tergiversetur? Post pluria ibidem:

ME. Dic mea uxor, quid tibi nunc ægrè est? PE. bellus blanditur tibi.

non etiam spernas, quod quidam vetus habet, *quid tibi nam ægrè est?* Ac supra de ea forma non semel.

Ellus etiam, pro *bellus* queas suspicari. Post pauciora:

. . . . . ME. quid hoc est uxor? quid nam hic narravit tibi?
Quid id est? quid taces? quin dicis quid sit? VX. quasi tu nescias.
Palla mihi est domo surrepta. ME. palla surrepta est tibi?

Hic jam incipimus obhærere: sed haud difficulter eluctabimur. Ajo delendum postremum horum versum, qui præmaturè positus hìc, & supervacuò, paullo post iterum, & suo demum loco scriptus:

. . . . . VX. quando nihil pudet,
Neq; vis tua voluntate ipse profiteri, audi, atq; ades:
Et quid tristis, & quid hic mihi dixerit, faxo scias.
Palla est mihi domo surrepta. ME. palla surrepta est tibi?

Vides, nunc demum effari uxorem, postquam ipse fateri nihil ultrò voluit: atque id ipsa attestatur, ut mireris, quo judicio quis idem suprà dicentem fecerit, & quo animo tulerint hactenus alii, nec adverterint ineptissimam repetitionem. Tu obterere non dubitabis: & obtrito, reliqua sic nectes:

Quid id est? quid taces? quin dicis, quid sit? VX. quasi tu nescias,
Me rogas. ME. pol haud rogem te, si sciam.

Sed alteri loco, ubi rectè is versus, quid argutiæ porrò inest?

Palla est mihi domo surrepta. ME. palla surrepta est tibi?
PE. Viden' uti scelestus captat? huic surrepta est, non tibi.
Nam profectò tibi surrepta si esset, salva nunc foret.

Mirificè, ut solet, torquet se Lambinus: nec tamen proficit vel hilum. De scripturæ sinceritate videndum primùm, mox de interpretatione. Germanam Plauti lectionem, ut ego judico, non habemus: igitur nec joci sensum assequimur satis. In particulis *huic* & *tibi* obscuritas, quam discutere possum similibus exemplis: sed non possum sine correctione. Cum enim Plauti argutationem alibi in iisdem voculis iteratam considero, permutatæ hic mihi videntur, & altera supposita alterius loco. Quòd si ita restituamus:

PE. Viden' uti scelestus captat? tibi surrepta est, non huic
Nam profectò huic surrepta si esset, salva nunc foret:

facile sit mentem odorari. Sed prius scire & hoc oportet, ad Menæchmum ista parasitum loqui, non ejus uxorem: quod præter sententiam ipsam, quæ verbis nunc inest, probat etiam sequens Menæchmi ad illum sermo: *Nihil mihi tecum est*. Sensus autem nunc iste: Cum mirabundus per simulationem quæreret ab uxore maritus, an surrepta ei palla esset, atque ibi particulam *tibi* vocalius extulisset; nequam para-

rasitus, & ubique intentus ad invidiam illi faciendam, cavillatur eam in aliam ex ambiguitate partem à captabundo sic prolatam. Nam torquet *tibi*, quasi sit in tuum usum, vel tuo bono: atque igitur redarguens eum, non huic, inquit, uxori tuæ, sed tibi, ut tu loqueris, est surrepta: siquidem huic surrepta si esset istâ mente, salva scilicet esset. Ita ludere Plautum in ea phrasi, non mirabitur, qui similia cogitabit loca. Tria nunc eorum mihi in memoria: nec scio si plura apud eum reperiuntur. Simillimus iste Aulularíæ scenâ *Foras foras*.

STR. Quid tibi surripui? EV. redde huc sis. STR. quid tibi vis reddam? EV. rogas?

STR. Nihil equidem tibi abstuli. EV. at illud quod tibi abstuleras cedò.

Nec dissimilis Captivor. Scen. *Quanto in pectore*.

HE. Esurire mihi videre. ER. mihi quidem esurio, non tibi.

Et Pseudolo, Sc. *Si unquam*:

Juppiter te mihi servet. ST. immo mihi.

Hæc de hoc loco nostra opinio: quam non ægrè feram ab alio convelli, si melior afferatur. Oro autem, qui judicaturi sunt, ne temerè traductionem particularum in nobis damnent, aut putent licentiorem. Equidem aliter qui possent tam intricatæ tricæ solvi, nullam viam vidi.

CAPUT VI.

Non audes? Degerere. Se tenere. Plurium locorum novæ, nec paucarum contra alios novatæ emendationes cum explicationibus aliis nostris.

DUm falsò repetitum versum utrobique persequor, & in suo denique cubili, uberiore cohærentium explicatione premo, neglexi interim prudens imprudens intermedium locum, cui debita nunc emendatio reddetur:

. . . . . PE. ó hominem malum!
Ut dissimulat! non potes celare: rem novi probè.
Omnia hercle ego edictavi.

Lego *novit*: ut de muliere capiatur. Nam hanc novisse jam ait omnia, se edictante, nec posse, quamvis dissimulet, celari. *Novit* inquam lego: nisi tu males uxoris personam inserere ex vetustis:

Ut dissimulat! VX. non potes celare; rem novi probè.
PE. Omnia hercle ego edictavi.

Ego me, quàm libros, hic sequi malo: & sentire me rectius scio, qui continuam orationem agnosco. Scenâ eadem infrà legimus:

ME. Ego faxo referetur. VX. è re tua, ut opinor, feceris.
Nam domum nunquam introibis, nisi feres pallam simul.
ME. Ego domum?

Ultimum scilicet hoc per ἀποσιώπησιν explendum, Ego domum nunquam introibo? ut Lambino videtur. Mihi illa friget: & sanè lubens immutata paullum ea verba annectam sequentibus parasiti:

PE. Ebo dum, quid mihi futurum est, qui tibi banc operam dedi?

Nam post uxoris verba discedit Menæchmus, resistansque parasitus abeuntem etiam illam quasi revocat, & mercedem operæ poscit. Etsi forsan & quæ sunt uxoris nunc verba, possunt esse parasiti: qui priora ad Menæchmum abeuntem, quasi consulens, & adsuadens, id quod videntur innuere voces *ut opinor*, reliqua sic, ut correximus, ad uxorem nec ipsam ulterius morantem. Sed hoc utro sit modo, parum refert. Proxima scena, *Quis hic me*, sine vitio prorsus sit, absque illo sit uno grandi satis & enormi:

ME. Nimis iracundè hercle. tandem heus tu, tibi dico, mane,
Redi. ER. etiamne astas? etiam audes meâ revorti gratiâ?
ME. Abiit intrò, occlusit ædes: nunc ego sum exclusissimus.

Persona Erotii tollenda, quæ nihil amplius nunc loquitur in scena, sed irata in ædes se proripit, desertumque miserum Menæchmum nec verbulo dignatur. Ille autem

frustrà sic fugientem revocat, ut adscribam, interpunctis leviter etiam correctis.

ME. Nimis iracundè hercle tandem. heus tu, tibi dico, mane:
Redi: etiamne astas? etiamne audes meâ revorti gratiâ?
Abiit intrò, occlusit ædes.

Verbum *audes* decepit alios correctores, quod nesciebant valere, vis, sive etiam dignaris. Ita enim suprà quoque:

ME. Dic modo quod te jubeo. PE. dico, homo lepidissime.
ME. Ecquid audes de tuo istuc addere? PE. atq; hilarissime.

Nam exempla alia pueris nota quid persequamur? Ad scenam ultimi, ut distribuunt, actus primam veniamus. In ea quoq; unum adhuc saltem, & id levissimum:

MV. At mihi negabas dudum surripuisse te,
Nunc eandem ante oculos attines. num te pudet?

Muto, *non te pudet?* Nec adeò nihil interest, utrum hic horum malis: quæ quàm diversa sint significatione, vulgus haud advertit. Pergo ad subsequentem, *Ut atat*, Versum,

Nescio quid vos velitati estis inter vos duos:

una voce transposita reddas meliorem:

Nescio quid velitati estis vos inter vos duos.

Deinde:

Una opera prohibere ad cœnam ne promittat postules:
Neve quemquam accipiat alienum apud te.

Cur *te* maluit, quam *se*?

Statim: . . . . . *serviren' tibi?*
Postulas viros? dare una opera pensum postules.

Veteres immittunt, *unâ illi operâ*: & ego versus caussa, neq; excludente sententia, admitto. Porrò ego nihil muto:

MV. At ille suppilat mihi aurum, & pallam ex arcis modo:
Me despoliat, mea ornamenta jam ad meretrices degerit.

Nulla enim caussa, cur *modo* & *tam* improbem. Sed nec abnuam pro illo, *domo*; pro hoc, *clam* supponi. Illud plerumq; hic additum leges: *Ferebat, hodie tibi quam surripuit domo*. Item: *Palla est mihi domo surrepta*. Item: *Palla, inquam, periit domo*. Item: *Cum pallam, atque aurum meum Domo suppilas uxori tuæ, & tuæ Degeris amicæ*. Ubi *degerendi* verbum simul iterum usurpat. Sed quid hæc superstitiosius inculco? Pòst, omnes libri exhibent:

ME. Tun' senex ais habitare me hic in illisce ædibus?
SE. Tu negas? ME. nego hercle verò. MV. nimio hac impudenter negas,
Nisi quò nocte hac emigrasti. SE. concede huc sis filia.
Quid tu ais? num hinc emigrasti? ME. quem in locum autem obsecro?
SE. Non edepol scio. MV. profectò ludit te hic. SE. non tute tenes?

Sed omnes malè, nec uno modo. Præcipuum id erratum, quòd non observatur, hactenus cum Menæchmo solo colloqui senem, & destitisse paullò longius filiam, ut hæc omnia non exaudierit, nec interloquatur, nisi à patre vocata ibi demum, cum ait, *Concede huc sis filia*. Tamen illam, quasi propè astans sermones una misceret, ad virum fecerunt loquentem ea, quæ senex ipse ad generum: uti contrà, cum ultrò interrogatur, pro illa respondentem substituunt virum: omnia turpiter, & fœda confusione. Repone ad nostrum hoc exemplum:

SE. Tun' negas? ME. nego hercle verò. SE. nimio hoc impudenter negas,
Nisi quò nocte hac emigrasti. concede huc sis filia:
Quid tu ais? num hinc emigrasti? MV. quem in locum.

Ecce, negante falsò genero de habitatione, miratur ejus impudentiam senex, & interim emigrasse hac ipsa nocte aliò suspicatur: quo nomine filiam vocat, & quærit, an igitur emigrarint? *Emigrastis* enim ibi lego. Responsum autem hujus non improbo, ut à Gulielmio nostro constitutum: malo tamen scribere, ut libri veteres non mutilati planè referunt: *MV. quem in locum, aut quam ob rem obsecro?* Quod sanè versus tantum non flagitat, hians nonnihil, si *autem* Gulielmianum solum, elegans alioqui & sententiæ aptum, recipiatur. Etiam divido ibi vocabulum *tu te*.

Nam

Nam bina sunt, atque veteres quidam disiunxerunt. Interrogat senex, an non se teneat, id est ædes suas norit. At bonus Lambinus mulieri tribuit, quæ miretur patrem ipsum non sentire derisionem Menæchmi illudentis.

CAPUT VII.

Pugnorum satio & messis. Cuui. Traducti aliquot versus: plures à diversis vitiis purgati, & luce explicationum illustrati.

VErsuum integrorum traductiones in hac Comœdia necdum monstravimus: offert se nunc exemplum unum, & infrà suo loco alterum ostendemus.
Ille versus:

ME. Hei mihi, insanire me ajunt, ultrò cum ipsi insaniunt.

multò legitur inferius, quàm ubi debet. Et pignus dem quodvis, nisi post hos superiores statim fuit collocandus:

MV. Viden' tu illi oculos virere? ut viridis exoritur color
Ex temporibus, atq; fronte! ut oculi scintillant! vide
ME. Hei mihi. insanire me ajunt, ultrò cum ipsi insaniunt.

Ac fortassis amplius, qui nunc sequuntur etiam trajiciendi, ut sit iste deinceps ordo:

MV. Ut pandiculans oscitatur! quid nunc faciam mi pater?
SE. Concede huc, mea nata, ab istoc quam potes longissimè.
ME. Quid mihi melius est, quàm quando illi me insanire prædicant,
Ego me assimulem insanire, ut illos à me absterream?
Evoë, Euie, Bromie, quò me in silvam venatum &c.

De posterioribus tamen his non affirmem, etsi valdè sic concinna structura: sed concinna quidem, non & planè necessaria: quod de priore contendo, nec dissensurum quemquam puto diligentius examinantem. Jam illic:

SE. Filia. MV. heus quid est? quid agimus?

Non convenit *heus*: magis, *heu*. vel *hem*. Aut detur ipsum *heus* patri. Paullò pòst distinguendum ita:

Ibo, adducam, qui hunc hinc tollant, & domi devinciant,
Priusquam turbarum quid faciat amplius. ME. enimvero nisi
Occupo aliquod mihi consilium.

Nam senis etiam illud *amplius*, non Menæchmi. Mox mihi rectum est:

Pugnis me vetas in hujus ore quidquam parcere?

quod scio qui mutare velit, *pugnos pascere*, & alium, qui *spargere*: quia tanquam de satione, & messe in hunc modum alibi. Hac fabula inferius:

Hisce ego jam sementem in ore faciam, pugnosq; obseram.

Rudente: *Jam hercle tibi messis in ore fiet mergis pugneis*. Abstineo hic, & velim ubique ipse, mecumq; omnes, ubi necessitas nulla cogit. Ea cogere videtur, ut illic verbum inferatur, quod est in aliquo veteriorum codicum:

ME. Haud male illanc amovi: nunc hunc ego perimam impurissimum.

Nec versus admodum reluctatur: quamquam hoc aliàs pleno, plena sententia quoque est, si *amovebo* subintelligatur ἀπὸ κοινοῦ repetendum: aut pro *ego*, scribatur *ago* vel *agam*. Id in medio sit. A paucis versibus legendum planè ex antiquis:

ME. Faciam quod jubes, securim capiam ancipitem, atque hunc senem
Exossabo, deinde dedolabo assulatim viscera.

Non enim rectè dices exossari viscera seni, sed ipsum: & illa saltem dedolari. Scenâ *Quid esse*:

SE. Magna cum cura ego illum curari volo.
MED. Quin suspirabo plus sexcentos in dies.
Ita ego illum cura magna curabo tibi.

Nec hæc, nec alia Lambini planè recta lectio: nec habet ullum locum illud *in dies*. *Sexcenties*, è cuivis ultimis syllabis illud enatum, simpliciter scribendum: atq; ita ver-

verba deinceps in versus digerenda:

MED. Quin suspirabo plus sexcenties, ita
Ego illum cum cura magna curabo tibi.

Inserui *cum* de librorum veterum auctoritate, & ea ratione, quia repetere cum aliis verbis senis hoc quoque medicus debebat.

Ultimum versum:

Atq; eccum ipsum hominem. observemus quam rem gerat:

totum medico adscribunt: vix puto rectè. Nam ille qui norit Menæchmum, nisi præmonstratum? Igitur seni priorem partem demus, alteram saltem ipsi:

SE. Atque eccum ipsum hominem. ME. observemus, quam rem gerat.

Sequenti scenâ in personis itidem erratum:

ME. Quin tu te suspendis? MED. ecquid sentis? ME. quidni sentiam?
MED. Non potest hæc res ellebori jugere obtinerier.

Ridiculum est, medicum interrogare, an sentiat Menæchmus: & hic verò nimis respondeat molliter, si illud ab eo quæsitum. Rogat non nisi senex, & ipsum medicum, & nihil aliud, quàm ecquid sentiat insanum esse, qui sic salutantem exceperit: tum medicus, se verò sentire, & tantum, inquit, esse morbum, ut ellebori jugere vix possit expugnari. Sic ergo restituatur:

ME. Quin tu te suspendis. SE. ecquid sentis? MED. quidni sentiam?
Non potest hæc res.

Paullò pòst nescio si verba senis etiam medico potius tribuenda:

Jam hercle occeptat insanire primulum.

Suadet ratio sanè quædam, & similis deinde locus:

MED. Nunc homo insanire occeptat.

Mox illud vitiosum:

MED. Mane modò. etiam percontabor. SE. aliam occipis fabulam.

Nec sine vitio restituunt *occipias* vel *occipisse*. Non enim jubet alium ordiri sermonem, qui à verbis ad rem veniri vult, & omnem moram damnat. Ego tentarim:

MED. Mane modo. etiam percontabor alia. SE. occidis fabulans.

Et puto verum tetigisse. Cum alia percontari etiam velle diceret medicus, gravatur hoc senex, & occidis hominem, inquit, tuis fabulis: ad vulgi dictum fortè simul alludens, quo medicus importunè garrulus fertur alter ægroto morbus. Ille tamen pergit, & inter alia quærit etiam illud:

Perdormiscin' usq; ad lucem?

ac respondet Menæchmus: *facilin' tu dormis curans?*

Perdormisco, si resolvi argentum, cui debeo.

Sed nec quærit ille, nec hic respondet benè. Ut alia non arguam, versus qui constat? Illene fert in fine verbum *curans*? quod ineptè interpretantur etiam, cùm aliquâ curâ urgeris. Curare scilicet à quoquam sic unquam usurpatum: & si sit; versus, inquam, an id feret? Mittam vel hoc, vel alia ibidem exagitare: magis operam dabo, ut omnia emendentur. Atque emendata sic opinor fore:

Perdormiscin'? ME. usq; ad lucem. MED. facilen' obdormis? ME. cubans
Obdormisco, si resolvi argentum, cuui debeo.

Ne mihi quisquam nugas alias adhunc locum. Duo Medicus interrogat, & respondet alter, ac utrumque: utrumque uterque rectè, aptè, verè. Primùm, totamne noctem continuè dormiat, an somno intervigilet interrupto, aut diu vigilet abrupto: deinde, quàm facili utatur illo deo, & an promtè, aut ægrè obdormiscat. Hic de se ita fatetur: & facillimè vix dum lecto compositum incipere statim condormire, sed si curis argentariis sit liber; & hunc tam benè conciliatum somnum uno quasi tractu perducere ad ipsam lucem. *Cuui* scripsi caussâ versus, ut alibi *fuuit*, *pluuit*: quod qui nolet, vocalium in medio concurrentium alteram non elidat.

CA-

CAPUT VIII.

Satin' hoc pro sano? Sedatè servire. Ora commentare. Noscito. Restitutio ordinis in versu trajecto uno; in pluribus corruptis aliis, verborum, sententiæ, numerorum, firmata ubiq; & declarata.

Alia in eadem scena leviora sunt, quæ nolo tamen reticere. Iste versus scribitur ita rectè:

Satin' hæc pro sano maledicta maledictis respondeo?

& se tuetur alio suprà simili:

Hoc quidem edepol haud pro insano verbum respondit mihi.

Nec ego quidquam cupio mutare: tamen quia nonnullis in libris *hoc* reperitur, vide si ferri & illud potest distinctiuncula mutatâ:

Satin' hoc pro sano? maledicta maledictis respondeo.

Ferè clarior, & planior ita sensus. An non, inquit, hoc tamquam sanus facio, quod maledictis respondeo maledicta? Nonne oratio mea sanitatis indicium est meæ, qui quidem parem regeram pro pari? Sed hoc nimis leve forsan, & potuerat taceri. Non nego: quin potuerat & illud:

Ad me face ut deferatur. SE. itan' censes? MED. quippini?

neque tamen musso. Versus enim nonnihil interest, ut plenius, planiusq; duæ voculæ scibantur:

Ad me face uti deferatur. SE. itane censes?

Etiam istud gravius non est, & nihilominus dicetur, ut ne Lambino concedamus:

MED. (q) Elleborum potabis faxo aliquot hos viginti dies.

Ita contendo legendum, quidquid ille contra amicum suum de altero *aliquos* arguetur. Hoc quoq; par ceteris:

. . . . . tu servos jube, hunc
Ad me ferant. SE. jam ego illic faxo erit. MED. ego abeo. SE. vale.

Sed non negligo propter versum, qui *deferant* requirit. Et significantiore hoc composito bis anteà in hac re usus. Denique jam illud superat, atque ut ita dicam, præponderat alia levitate:

Quid illuc est, quod me hic homines insanire prædicant?

Imitor Lambinum, is *hice* fecit: ego amplius *med' hice*. Quid autem? an non satis caussæ, quod illud etiam jubet versus?

Atqui ultimo jam versu magnus error:

Hic ergo usque ad noctem.

Magnus? imò nullus. Omissum enim de industria verbum subintelligendum. Esto. Libri tamen veteres ajunt non omissum, & legendum, *Hic ero*. Nunc si quid gravius in sequenti scena, videamus. Scribunt hodierni libri:

. . . . . propterea heri imperium

Ex-

(q) Non insaniæ modo purgandæ, sed & aliis morbis potionem ellebori, ut præsentissimum remedium adhiberi consuevisse harum rerum scriptorum optimi prodiderunt. Constat enim Plinio teste nigrum elleborum paralyticis mederi posse, & alvum trahere, & bilem, pituitasque expellere. Vide cap. 5. lib. 25. Narrat insuper Drusum Tribunorum popularium clarissimum comitiali morbo liberatum eo medicamento apud Anticyram, ubi tutissime sumitur. Anticyras autem insulas, quas tres ponit Horatius Ep. ad Pis. v. 300. Strabo autem duas, ut ellebori feracissimas laudant sæpe numero Poetæ, aliique scriptores. Non *meracum* modo *elleborum* dixit Horatius Ep. lib. ep. 2. quod validius est, sed & ipsas Anticyras meracas metonymice appellavit Persius Sat. 4. v. 16.

Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam jactare popello
Desinis, anticyras melior sorbere meracas?

Imitatus autem Horatium est, meracum qui dixit purum, & simplex, nulloq; temperamento admixtum.

Exsequor benè, & sedatè servio.
Prisci pro sedatè, *sedulò*. Sed nolo hic illos prævalere. *Sedatè* pendet à superiore isto: *Cui cor modestè situm est.*
Deinceps recentes, veteresq; pariter omnes scribunt:
Metuam ego haud multum quidem, prope est, quando
Herus, quod strenuè faciam, pretium exsolvet.
Ego autem ita velim: *Metuam ego, haud malum quidem*. Non enim leviter sese metuere dicit, qui valde sanè metuit, ut superior oratio testatur: sed metuere quidem; non tamen malum. Herum metuit, ne peccet: non pœnam, ubi peccarit. Atque id contra morem servorum aliorum: quos nihil aliàs metuentes tum demum ait metuere, postquam promeruerint malum. Se verò ad eorum exemplum esse; qui cum culpa careant, tamen interim metuunt, soli utibiles heris, ut hic, & iisdem versibus in Mostellaria prædicantur. Sed jam unum aliquod majusculi momenti penset aliorum tenuitatem. Versus ultimi scenæ ejus transpositi sunt, atque in ordinem verum ita reponendi:
. . . . . *nunc fores pultabo, adesse ut me sciat.*
Sed metuo, ne serò veniam depugnato prælio,
Neq; utrum ex hoc saltu damni salvum scio eliciam foras.
Qui nunc postremus est, in Coloniensi libro omissus erat: qua putes nisi trajectionis hujus occasione? Venetus habet sanè: sed *meum* legit pro *utrum*: quo firmari videatur aliorum conjectura, *ut eum* rescribentium, etsi quidem *utrum* nunc hoc ordine magis mihi placet. Scenâ, *Per ego*: ubi nunc legimus:
ME. Ecquis suppetias mihi audet afferre? MES. ego, here, audacissimè.
Plautus scripserat:
ME. Ecquis suppetias mi audet ferre? MES. Ego, here, atque audacissimè.
Ac statim:
Mittitis? ME. nunc obsecro te, quisquis es, operam ut des mihi.
personâ non mutatâ, sed retractâ: *ME. Mittis nunc? obsecro te.* Liberatorem nactus Menæchmus ad raptores suos confidentiusculè, Videtis hunc, inquit, & jam me mittitis? Inferius:
Nimis autem benè ora commentavi atq; ex mea sententia.
Non de mento aut commentatione commenta aliorum probo: *carmentavi* tamen, aut *carminavi* nec admittam. Quin eò usque Lambini interpretationem sequar, ut dicat, ora iis verberibus conscribillasse, tamquam librum commentarium literis. Longius non traham. Ora illorum pro commentario habuit, & in illis commentavit, quod hodie dicimus commentatus est. Porrò ubi manumissus Messenio tamen pro servo futurum se ait patrono, atq; orat, ut recipiatur:
. . . . . *sed patrone te obsecro,*
Ne minus imperes mihi, quàm cum tuus servus fui.
Apud ted habitabo, & quando ibis, unà tecum ibo domum.
languidè & ineptè Menæchmus respondet, *Minimè*, quasi abneget palàm: quod si fecisset, aliam servus orationem subtexuisset, non istam; *Nunc in tabernam &c.* Quin tu deles personam inculcatam, & coalitum id verbum dividis vicissim, continuato sermone servus ut ita narret:
. . . . . *& quando ibis, unà tecum ibo domum.*
Mane me: nunc in tabernam: vasa & argentum tibi
Referam.
Jubet eum exspectare se, dum eat, & redeat: quod mox iterat, *heic me mane*. Neque de hac correctione ulli dubitandum. Mox:
Alii me negant eum esse, qui sum, atq; excludunt foras.
Etiam hic servum esse se meum ajebat, quem ego emisi manu.
Scribo, *At jam hic*. Opponit varia, & diversa, contrariaque mira.
Proxima scena, *Men hodie*:
. . . . . *MES. quin modò*
Eripui homines, qui te ferebant sublimem, quattuor,
Apud hasce ædes.
Mira locutio, eripui homines: cùm hominibus eripuisset ipsum. Trajice verba:
Eripui te, quem homines sublimem ferebant quattuor.

Hy-

Hypallagen alii volunt, contra quos Lambinus putidius explicat, & de voce *quattuor* nugatur, unico *t* scribenda. O hominem acutum! Qualem autem versum facit, si brevem syllabam istam? non equidem par ceteris erit, uti debet. Sed corruperat eum trajectio, ut alius videretur: nunc similem reliquis è nostra trajectione rursus agnoscis. Mox ibidem ediderunt nuper, *Quin ego occurro, teque eripio*: atque ita veteres sanè; verùm placet impensius *Quòm* recentiorum. Contrà eadem particula in veteribus est sequente Scenâ *Si valtis*, ubi nostri *quoad* supposuerunt:

M. SO. Pol profectò haud est dissimilis, meam quoad formam noscito.

Utrum melius hic censebis? Ego *quòm* antiquom. Nam sensus est, non, quoad nosco; sed, cum recognosco meam formam. Id valet noscitare: quod qui non ita ceperunt, particulam mutarunt. Eadem ultimâ scenâ.

Tanquam si me emeris argento, liber servibo tibi.

malo verba collocare, ut in veteribus digeruntur, *si emeris me argento*. Et ibidem:

O salve insperate multis annis, postquam conspicor, Frater.

Lego, distinguoque:

O salve insperate, multis annis pòst quem consp.

Nescio si quis hoc alius antea monuit, uti dubiâ memoriâ suspicor, sed est tanti, denuo moneri, quia vera emendatio, & immeritò spreta, si ante nota. Simile Pacuvii Teucro:

Quàm te post multis tueor tempestatibus!

In fine: *Venibit uxor quoq; etiam, si quis emtor venerit.*

Versus hunc ordinem verborum magis velit: *Venibit quoq; uxor etiam*, etsi ultimam in *venibit* posse produci equidem, & solere in nostro quoq; plura alia ad eum modum non ignoro.



VA-

VALENTIS ACIDALII

IN PLAUTI MILITEM
DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES AD CLARISSIMUM VIRUM
ALDUM MANUTIUM
P. F. A. N. ANTIQUARIUM, Et Oratorem.

CAPUT I.

Ut qui. Quin ut. Insanùm, & insanè quomodo usurpentur. Multæ Militis labes initio detersæ, plerisque interpretamenti fax adhibita. Versus unus maximè controversus, pensiculatiùs examinatus, & rescriptus è Varrone.

MEnæchmi, non pro insanis falsò vel insimulati, vel simulantes, sed verè insanientes, resipuerunt maximam partem ab aliorum, nostraque medicina: nunc Gloriosi Militis Clypeum videamus, quem si curare de mandato ipsius ita non poterimus, ut splendor ei clarior sit,

Quàm solis radii esse olim, cum sudum est, solent,

utque oculorum præstinguat aciem lectoribus; à situ saltem, & rubigine vindicabimus, extersumque diligenter in nitorem tamen aliquem dabimus, ut hebetiorum oculos non feriat, sed juvet, & circumfusam undique caliginem illustratus illustret, aspectuque sui commendet se magis acutioribus etiam, exuto pristino horrore. Acrostichide periochica, sententia versus ejus claret satis:

Licere ut quiret convenire amantibus:

sed verba sunt maculis interpolatorum nonnihil offuscata. Nec enim *Licere ut quiret* à Plauto esse, cognoscas ex antiquiore lectione, quæ diversa quidem nunc *Liceret ubi quire:*, nunc *Liceret utique*: & scias indidem verum esse, *Liceret ut qui.* Plautina particularum harum conjunctio fefellit hactenus hic: quæ alibi tamen apud ipsum crebra. Captivis SC. *Quò illum*:

Et eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier.

Asinariâ SC. *Nequeon.*

At ita tu es animata, ut qui expers matris imperii sies.

Bacchidib. SC. *Ibo.*

Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem?

Non insolens nimis accidet hoc ei, qui vulgatum cogitabit *ut ne*; itemque Plauti aliud *Quin ut*: in quibus utrisque superfluit *ut*, particularum geminatione: sed magis in altero, siquidem *Quin* ipsum, ubi resolvis, est *quine*: cui tamen etiam *ut* additum Aulular. SC. *Velim te.*

Neque occultum id haberi, neq; per metum mussitari,
Quin participem pariter ego te, & tu me ut facias.

Jam

Jam primâ fabulæ ipsius scenâ, magna loci istius obscuritas:

PT. Istuc quidem edepol nihil est. AR. nihil hercle quidem hoc,
Praut alia dicam: tu quæ nunquam feceris.
Periuriorem hoc homine si quis viderit,
Aut gloriorum pleniorem, quàm illic est,
Me sibi habeto, & ego me illi mancupio dabo.
Ni unum Epityrum edam apud illum, esuriens insanè benè.

Obscuritas inquam est: etsi Lambino, cui ubiq; omnia, hoc quoq; liquet. Sed per Musas, qualis interpretatio ejus est ad postremum horum versum? Eum cogit sententiâ cohærere cum superioribus, à quis planè dissidet, & nullo potest modo jungi. Non per se potest, quia absurdus, ut mox ostendemus: non per illos, quia sensus eorum jam absolutus non admittit. Etenim ista plena oratio est, & omnia à se ulterius excludit:

Periuriorem hoc homine si quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem, quàm illic est,
Me sibi habeto, & ego me illi mancupio dabo.

Quis ferat his caudam illam supervacuam appendi? quam ut possent quoquo modo subnectere, *Ni* fecerunt primò, deinde & amplius interpolarunt, abjectâ voce unâ, reliquis aliquot trajectis:

Ni unum epityrum apud illam esuriens insanè edam.

At in vetustioribus omnibus *Si* legitur, nec aliter apud Varronem lib. VI. de LL. ubi planè etiam scribitur integer his omnibus verbis, quorum postremum tamen & antiquæ editiones omiserunt:

Si unum epityrum edam apud illam esuriens insanè benè.

Ita fluctuatum jam olim hic videmus: atque id opinor, quòd numeros non expedirent, qui difficillimi sunt sanè, neque tamen ut eorum ratio iniri nulla ab intelligente possit. Ad hoc neque illud viderunt, cui hæreret adverbium *insanè*, itaque cum *esuriens* junxêre quidam, alii cum *edam*, inter quos est & Lambinus. Atque velim ab his exemplum, ubi usurpata locutio hæc ad id exemplum. Quod ego memini, nunquam *insanè* istâ formâ, cum pro *vehementer*, ut interpretatur ipse Varro; sumitur: nunquam aliis orationis partibus reperi junctum, nisi nominibus, ut isti, cum quibus loquendum jam mihi est, loquuntur, adjectivis, aut inde adverbiis formatis. Hinc apud Plautum, *insanùm magnum negotium* Bacchidibus, *insanè bonam porticum* Mostellariâ, *insanùm malum* Trinummo: tum *insanùm valdè* Nervolaria, è qua Nonius citat *Insanùm valdè uterq; deamat*: unde vir magnus tamen ejicit ipsum *valdè* tanquam glossema, paullò inconsideratius. Quidni enim utraque ista, quantumvis ejusdem ferè significatus, junxerit Plautus? & verò junxit necessariò, quando, ut ajo nunc, & opinor, dicturus non fuit *insanùm deamat*: quod non credam usque eò, dum alio doceat exemplo, cui nihil insit dubitationis. Itaque nec hic admitto dum, aut committo *insanè*, vel *esuriens*, vel *edam*, sed prorsus *insanè benè*. Atque eò distinctionem poni volo post *esuriens*, ne sententia confundatur amplius: quæ talis est jam denique totius versus. Totius, inquam, & solius hujus versus, nam novum, diversumq; à præcedentibus orditur ipse, & perficit sensum. Hunc ut clarius perspicias, verba sic ordinabis: *insanè benè, si esuriens unum epityrum apud illum edam*. Elliptica locutio est, & ad particulas eas intelliges, est vel erit: uti solet vulgò, cum dicimus: Benè, si hoc, vel illud. Cum dixisset parasitus, mancupio se futurum illius, qui periurum, & gloriosum magis hominem vidisset, subdit, in ista servitute benè, ac nimis benè futurum sibi, si esuriens vel epityrum unum edat. Etiam plura de hoc verba fieri nihil est opus, ostensa lectione pariter, & sententiâ verâ. Nam veram illam, Varro probaverit satis; hanc etiam, verba singula, totusque locus accuratiùs examinatus. Ac de numeris jam ante dixi, difficiles quidem, sed tamen à perito posse redigi in suas quosque leges. Illud levius, sed monendum postremò tamen, primo versu integri loci hujus, ut eum hic adduxi, *non hercle quidem hoc*, sed *hercle hoc quidem* verbulo transposito legendum versus caussâ, quomodo veteres ipsi planè. Porrò autem alia quoque leviora hujusdem scenæ hoc ipso capite complectamur.

Proximus priori loco versus:

PT. Ubi tu es? AR. eccum edepol. Vel elephanto in India:

rectius distinguetur: *AR. eccum. Edepol vel eleph.*
Inferius:

Factum est hercle, memini fieri.

trajicienda, ut paullò antè, particula: *Factum hercle est:*
Etiam inferius:

Triginta Sardi, sexaginta Macedones
Sunt homines, tu quos occidisti uno die.

non scio si mutandum,

. . . . Macedones
Sunt, omnes tu quos occ. u. die:

Etiam non inferius:

AR. Rogitabant: hiccine Achilles est, inquit, tibi?
Imo ejus frater, inquam, innuit illarum altera:
Ergo me castor pulcher est, inquit, mihi
Et liberalis visus, cæsaries quàm decet!

Hic primò non aptè quæsisse videtur quæcunque femina fuit, si fuit tamen, aut quæsivit ulla, an iste miles parasito pro Achille sit. Rectius quæsierit, an is ipse sit Achilles: quod & responso quadrat magis, cum non Achilles quidem, sed ejus frater affirmatur. Deinde, *innuit* valdè suspectum, neque probius *annuit* Lambinianum, nisi cum alia distinctione. Postremò vetus lectio mutata imprudenter est: *vide cæsaries quàm decet*. Melior hæc alterâ, quam & versus damnat. Eratque in conspectu miles, cum ista de eo dicerentur. Ergo totum locum rescripserim hunc in modum:

AR. Rogitabant, hiccine Achilles est? inquit mihi.
Imò ejus frater, inquam, annuit illa, tum altera,
Ergo mecastor pulcher est, inquit mihi,
Et liberalis. Vide, cæsaries quàm decet!

CAPUT II.

Oppida scenica. Deridiculo esse. Labiorum ductatio, & valga suavia post alios plenius explicata. Interibi. Quod Dii volunt, ut Dii voluerunt, formulæ excussæ. Atque. In vicem. Versus trajectus unus: plures variè correcti adversus alios, & illustrati.

PAlæstrio jam deinceps in hanc fabulam σολοικίζεται, non optimo poetæ consilio, neque præmeditatè, aut cautè satis ad indecorum evitandum, quod ostendit jam olim Gulielmius noster. Sed is Palæstrio cum ita narrat:

Hoc oppidum Ephesust: inde est miles meus herus.

multi variè locutum eum volunt, quidam *inde*, ut hic excusum, alii *indidem*, alii *ibidem*, vulgus librorum *idem*. Rursùm veteres editiones nihil habent horum, sed ita scribunt omisso quocunque verbo:

Hoc oppidum Ephesus est, miles meus est herus.

Omnium fortassis hæc rectissimè, namque & versus est ita plenus, & sanè ad sensum quid addi referat aliud, ego non video. Quin ineptam censuerim aditionem qualemcumque. Cum enim Ephesi res tota fingatur agi, quorsum dicatur *ibidem* miles esse, quem ibi quidem necesse est fuisse? aut quid ad rem pertinet, Ephesium eum esse, ut *inde* vel *indidem* scribatur, quorum hoc versus etiam difficilius admittit? Nugæ sunt: quæ si non sunt, aliud latere quid putem in vulgato *idem*. Forsan *in diem* fuit, ut in istum diem oppidum istud Ephesus fore dicatur per jocum, qualis in Prologis alibi sæpè. Ut Menæch.

Hæc urbs Epidamnus est, dum hæc agitur fabula.
Quando alia agetur, aliud fiet oppidum.

Et Truculento:

Athe-

Athenæ istæ sunto, ita ut hoc est proscenium,
Tantisper, dum transfigimus hanc Comœdiam.

Sed nec hoc probo: lubentissimeq; veteres, quas dixi, editiones sequar. Ex quibus illo statim versu:

Is deridiculust quaquà incedit omnibus:

colligo non sincerum planè *deridiculus*: & quia *derisui* habent, esse glossam credo istam alterius æquivalentis vocis *deridiculo est*. De quo nec ipso pugnavero tamen. Quantulum enim interest, hoc, an alterum, quod nunc libros obtinet, præferatur? Sequitur continuò locus à pluribus jactatus:

Itaq; hic meretrices labiis dum ductant eum,
Majorem partem videas valgis suaviis.

Nam quis non de valgis suaviis aliquid dicendum putavit sibi? Nec omnia dixerunt tamen, & non omnes apta. Post omnes præter omnes N. V. Dousa pater in Præcidaneis ad Petronium: sed hic omisit etiam (pace viri dixerim) unum, in quo præcipua vis sententiæ universæ. *Suavia* non basia, sed ipsa labia cum Scaligero accipit rectè: rectè idem *ductationem labiorum* pro contumeliosa non basiatione, sed subsannatione: minus rectè *valga suavia* pro ipsa oris, inter subsannandum, obtortione. Non enim hoc ait Plautus, valgis suaviis militem à meretricibus assiduò rideri, sed inde adeò, quòd assiduò labiis eum ductent, valga suavia ipsis esse. Dum perpetuò, quaqua incedit miles, perderidiculum fastidientes meretrices oris eum non lasciva, sed contemnifica obtortione insectantur, obtorta sibi ipsis ora fecerunt, ut maxima earum pars ex sannarum illa frequentatione videatur jam valgis suaviis, ora seu labia pravè distorta gerat. Hoc voluit poeta, poeticè ferè nimis: quod nemo tot interpretum animadvertit: aut animadversum, atque ita sentire se, certè non expressit.

Porrò quod vulgatur:

Interim ut hic miles forte Athenas advenit:

ex antiqua lectione *Interim ivit hic*, emendandum est, *Interibi hic*. Mutatio solennis V & B huic etiam errori inter infinitos similes mater. Et adverbium priscæ, Plautinæq; notæ pro *interea* nemini ignotum. Mox:

Eamq; invitam huc mulierem in Ephesum advehit.
Ego, quanto citius possum, mihi navem paro,
Ubi amicam herilem Athenis avectam scio.

Malo primùm *avehit* in primo versu cum veteribus, etsi parva caussa. Altero Latinum vix agnoscam, *quanto citius possum*, quod est à Lambino: cui nec optimè substituebat Gulielmius noster *quantocyus*. Omnes veteres, *quantum unus possum*. Accipio inde *quantum possum*, quo nihil Plautinius potest. At *unus* an abjiciemus? Liceat, quando veriùs absque eo quidem constat. Quid autem, si trajiciamus potius? ut illis hæreat, *unus mihi navem paro*. Convenienter hoc sanè rei: ne comites diu exspectaverit, sed solus conduxerit sibi statim navim, ut quam citissimè ad herum perveniret. Eliges, utrum horum malis, nam vulgatum planè debes nolle. Dicam verò unum etiam: transponendum videri eum ipsum versum, ut iste sit ordo:

Ubi amicam herilem Athenis avectam scio,
Ego quantum possum, mihi navem paro,
Inscendo, ut eam rem Naupactum ad herum nuntiem.

Et hunc ordinem meliorem, mihi jam persuasi: fortè nec ægrè tibi. Statim est:

Ubi sumus provecti in altum, id quod Dii volunt,
Capiunt prædones navim illam, ubi vectus fui.

Sic magnus Lipsius constituit, & ait in rebus subitis ita solitos loqui. Vellem exempla dedisset, nam quæ ego legi, non eò spectant. Apulejus Apolog. 2. *Verùm, ut Dii voluêre, quasi cæca bestia in cassum hiavit*. Horat. lib. 1. Od. 12. *Et minax (sic Dii voluêre) ponto Unda recumbit.*

Virgil. 5. Æneid

Jamq; dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic Dii voluistis) habebo.

Valer. Cato Diris:

Tanta meæ vitæ, cum diis, fecêre rapinam.

ut Scaliger quidem legit, & ad Græcorum σὺν θεοῖς trahit, quod in malam etiam par-

partem vult, fine exemplo tamen is quoque, usurpatum. Mihi, dicam apertè, nunquam potuit ista formula in hoc loco se probare: nec multum dubito, quin è vulgato *id quod volunt*, corrigendum potius sit *atq; advolant*. Intende in literarum ductum sensum verborum: nec à meo judicio longius abibit tuum. Interim ego mihi scribam:

Ubi sumus provecti in altum, atq; advolant
Prædones, capiunt navem illam, ubi vectus fui.

Usus elegantissimus particulæ *atque*, & jam notissimus. Bina tamen habe simillima exempla. Bacchidib.

. . . . . forte ut assedi in stega,
Dum circumspecto, atq; ibi tum lembum conspicor.

Mercatore:

Postquam illic quod volui transegi, atq; ego conspicor
Navem ex Rhodo.

Usurpatur non planè pro *continuò*, *statim*, ut ubique interpretantur; sed ita in re inopinata, & improvisa, subitaneaque.

Propius finem difficile est, ut illud sanum sit:

Et mox ne erretis, hæc duarum hodie vicem,
Et hic, & illic mulier feret imaginem.

Bis repeti quidem *duarum*, & jungi cum *vicem* simul, & *imaginem*, durum est: neque sententia valdè bona. Plautum scripsisse credo *in vicem*, id est per vices. Nam vicibus, nunc hic, nunc illic, ferebat imaginem duarum. Manifestò autem corruptum istud ibidem:

Ita sublinitum est os custodi mulieris.

Non enim dum sublinitum erat: & omnia dicuntur in futurum. Veteres *sublinitur*, quod bonum, nisi melius *sublinibitur*.

CAPUT III.

Curas, an rugas cogitare. Consilia, facinora coquere, decoquere. Inaudire. In maximum malum cruciatum insilire. Illi, isti. De sublatione ædium in crucem, & ædium metaphorâ ad hominem servum, opiniones aliorum refutatæ. Ædes, ut domus, pro familia. Pede, capite sistere. Scenæ Militis duæ examinantur: multis locis contra viros doctos, pluribus alia emendantur, explicantur. Locus Truculento illustratur.

SCenâ, *Nisi hercle*, parva sunt etiam menda quædam, aliis non sublata. Nos analecta, ut ubique, item illic converremus.

PE. Quære, ego hinc abscessero abs te huc interim, illuc sis vide
Quemadmodum abstitit, severa fronte, curas cogitans.

Correctio facilis *astitit*, vel *adstitit*, quam libri quoque suggerunt vetustiores. Non à sene Palestrio, sed ab hoc ille absistebat, qui priore versu se dicit abscessurum. Et status servi designatur: ut infrà per idem verbum: *Euge, euge, euschemè hercle astitit*. Ibidem placet Dousica interpretatio τοῦ *cogitans*, ut sit, cogens, quæ prima genuinaque verbi est ex origine ipsa significatio. Sed ego *curas* etiam mutare tentabam, ut *rucas* fieret transpositis literis, quod est *rugas*. Rugarum quidem coactio severæ isti fronti maximè convenerit: neq: curarum tamen congregatio minus. Illicò sequitur:

Dextera digitis rationem computat, feriens femur
Dexteram ita vehementer, quod tactu ægrè suppetit.

Non potest ferri lectio hæc, quæ magni tamen viri correctio. Verba, sensusq; absurda. Verissimum, quod Lambinus excudit, non quia Lambinus probet, sed quia veteres idem excusi: *ita, vehementer quod facto opus est, ægrè suppetit*. Ita namq; distinctione juvabis, ut ordo sit verborum manifestior, & ex illo sensus. Femur, inquit, ferit, per iram fortassis, aut pœnè desperationem: adeò ægrè suppetit, quod

vehe-

vehementer est facto opus. Atq; ita demum versus integer est, qui brevior aliis uno pede. Mox etiam:

Eccere autem capite nutat, non placet quod repperit.

Mutat vir doctus, *nunc placet*: malè. Nondum repererat, quod placeret. Cur enim deinceps tantoperè laboret etiam in quærendo? Quin ipsa adeò nutatio capitis indicat displicere: nec conquievit ante, quàm senex acclamat, *Habet opinor*. Repererat aliquid jam tum, sed necdum probabat. Itaque amplius de eo deliberat: quo nomine subjicitur,

Quidquid est, incoctum non expromet: benè coctum dabit.

Sic enim illo versu lego, non *expromit*: & distinguo cum illo, quem in altero non sequor. Quidquid id consilii est, inquit, benè percoquet, ut maturum det, non crudum. Qua metaphorâ libenter utitur Plautus, aliiq; cum eo, in re consiliorum. Noster. Persâ:

Usq; ero domi, dum excoxero lenoni malum.

Porcius Latro Declamatione in Catilinam: *Consilia nefaria facinoris in amplissimi c ivis M. Leccæ domo decoquebantur*. Sæpè Sidonius Apollinaris: ut lib. I. Epl. 11. *Cumque de capessendo diademate conjuratio Marcelliana coqueretur, nobilium juventuti signiferum sese in factione præbuerat*. Deinde:

Apage, non placet mihi profectò illa ædificatio.
(r) *Nam os columnatum poetæ inesse audivi barbaro.*

Optimè de hoc loco N. Dousa: cui nihil ego, nisi veterem lectionem ab illo neglectam restituo. Et habet, *inaudivi esse*: quin melius, ac verius, nemo dubitarit. Illud posteà malè interpunctum est:

Accipe opem, auxiliumque ad hanc rem properè, hoc non placidè decet.

Tu facito: *ad hanc rem, properè hoc, non placidè decet*.
At de isto versu quando tandem convenietur?

Magnum illic honorem incipissis, magna munis mœnia.

Omnes aliquid dixerunt: nec mihi lubet meum somnium tacere. Quid, si mutes? *Magnam illic, homo, rem incipissis*. Vide, si placebit. Ego, an sit emendatio verior, nescio: sed certè vix facilior est, id scio. Dicamne verò, quid illic desideretur?

PA. Ut si illic concriminatus sit adversus militem:

Quidni dicam? A versu enim desideratur *fiet*; id quod in veteribus exstat. Inferius:

At quem hominem investigando sumam operam, hinc dissimulavero,
Qui furit conservus, qui hodie fuerit sectatus simiam.

Versu posteriore, posteriore loco scribe *fuit*. Numeris plurimum consules, simulq; sententiæ nonnihil: quæ ut universa magis juvetur, ausim, & priorem versum ita legere:

At quam hominem investigando sumam operam, hanc dissimulavero.

Jam ordinatior equidem verborum structura: Dissimulabo operam, quam sumam investigando hominem, quis fuerit, qui simiam sectatus fuit. Propius à fine:

Res

(r) De Nævio hic sermonem fieri putat Dousa, quem in triumviralia vincula conjectum fuisse narrant, quod in comœdia vehementius arserit, ac viros honestissimos, nobilissimasque familias acriore morsu petiverit. ejus rei judicio damnatus pœnarum satis quum dedisset liberatus fuit à Trib. Pl. postquam Leonte, ac Hariolo fabulis scriptis palinodiam cecinit, styloque deferuescente maledicta, quæ in plures conjecerat, revocavit. Vide quæ diximus ad cap. I. ad addit. F., ubi locum difficilem, ac perobscurum Volcatii Sedigiti unius literulæ mutatione obvium fecimus. Quod enim per errorem legebatur *fervet*, *fervet* scripsimus nulla vi scriptioni facta, & sententia plane aperta, ut inibi videre est. *Os* autem *columnatum* ideo dictum existimant, ut cogitantis habitus exprimatur. Solebat autem Nævius dum aliquid commentaretur mento manu, brachioque inniti. Quod idem Dousa, quem modo laudavimus.

Res parata est, vi' pugnandoq; hominem capere certa res est.

Versus caussâ voculas postremas duas in unum contrahe, *rest*. At ipsum versum memini olim in scenam proximam ablegare: de quo nunc quiesco. Postremo:

Nam illic est Philocomasio custos meus conservus, atq; it foras.

Emenda, *conservus, qui it foras*. Hæc in hanc scenam. Alia sequitur, & in ea non pauciores adhuc mendæ, quædam etiam graviore.

Initio statim:

Certò edepol scio me vidisse hîc proximæ viciniæ
Philocomasium herilem amicam sibi alium quærere.

Vel versus indicet vitium, quod & verba innuunt defectiora. Deest enim vox, quæ cum *alium* jungatur. Quæ inserenda autem? an, *sibi virum alium*? an, *amicam amicum sibi alium quærere*? Ni versus habenda ratio foret, non insererem quidquam, sed mutarem, *sibi malum quærere*. Nunc quis scit, an non optimum fuerit, *clam* saltem particulam immittere, quæ delitescere videatur in ultima syllaba τῦ *amicam*?

Philocomasium herilem amicam clam sibi alium quærere.

Nam ad *alium* subintelligi facilè aliud quid potest, quod exprimi non adeò necesse. Mox deinde:

SC. Metuo. PA. quid metuis? SC. ne hercle hodie quantum hîc familiarium est
Maximum in malum, cruciatumq; insiliamus. PA. tu sali
Solus.

Si hiatum admittis, quem non ubique cavit Plautus, in versu; dele copulam appensam voci *cruciatum*, uti sine illa scribunt eam nobis codices antiqui. Et *maximus malus cruciatus* nonne sic eleganter, ut *maxima mala crux*, vel *res*? Post pauca:

Atque ego illà aspicio osculantem Philocomasium cum altero.

Non damno *illà*, malo tamen *illî*. quod est Plauto illic, ut inferius hac scena *istî*, pro istic.

PA. Nempe tu istî ais esse herilem concubinam?

Nam ita scribendum ibi quoque, cum vulgò alterum usitatius scribatur. Corrupta sæpissimè illa, quæ versuum ratio, plerumque nec rarò libri veteres produnt. Illo versu tantùm suspicor:

Tuis nunc cruribus, capitiq; fraudem capitalem hinc creas.

Suspicor, *cruribus, scapulisq;*, & hoc inde, quia nec eleganter capiti capitalis fraus creari dicitur, nec aptè in supplicio verberali caput, & crura junguntur. Suspicor etiam deinceps:

Iterum si id verum est, tu ei custos additus perieris.

legendum, *additus, eo perieris*: ut respondeat ei, quo in præcedenti versu, *hoc perieris*: tum ut versus perficiatur, debilis alias, & mancus. Sed mitto suspicari, & jam de isto loco judico:

Edepol facinus fecit audax. hoccine si miles sciat?
Credo hercle hae sustollat ædes totas, atq; hinc in crucem.

Tollunt ex altero versu comma, & *atq;* continuò interpretantur. hoc viris, & juvenibus doctis assentiar, si sit opus, in *ædium* metaphora non possum, nec est opus. Quod illud enim metaphoræ genus, aut quæ figura tandem alia, ut pro ædibus homo unus capiatur? Atqui, ajunt, Pœnulo, Sc. *Quid nunc*, manifestum ejus exemplum. Huccine ibatis? nec satis erat ibi ineptisse, nisi huc eædem nugæ accommodarentur? Sed quam illa vana Pœnuli explicatio, suo loco ostendimus: nego saltem nunc hic eidem locum. Quid igitur est, quod ædes in crucem sublatum iri dicuntur? aut tolli qua ratione possunt? Labitur eò vir doctus, ut ad morem priscum trahat, quo in magnis sceleribus damnati non ipsi tantùm supplicio plecterentur, sed ædes eorum quoque diruerentur. Id quid huc faciat, ego non video: nec ipse fidit sibi, cum tandem è Truculento similem, ut videri vult, atq; est sanè, quamquam non ex illius sententia. locum affert, ubi de ædibus tanquam de homine Plautus etiam loquatur. Sc. *Date soleas.*

Quantillo mihi opere nunc persuaderi potest,
Ut ego his suffringam talos totis ædibus?

Loquitur ille verò, sed non tanquam de uno homine, nec quasi quæ de homine alioqui propriè, μεταφορικῶς ibi de ædibus dicantur. Quin ædes & hic, & illic pro ipsis sumuntur hominibus, sed pluribus, nec alio modo, nisi quo domum vulgò familiam

appel-

appellamus. Ideò *totæ ædes* utrobique, ut totam familiam intelligamus. Atque in Milite familiares omnes capi debere, testes sunt loci ibidem plures, qui cruciatum domui toti minitantur. Ejus ipsius scenæ, in qua sumus, initio verba erant, quæ paullò antè corrigebamus;

. . . . . ne hercle hodie quantum hic familiarium est,
Maximum in malum cruciatum insiliamus.

Scenâ *Nisi hercle* fuit:

PA. Sis jube transire huc quantum possit, se ut videant domi
Familiares: nisi quidem illa nos vult qui servi sumus
Propter amorem suum omnes crucibus contubernales dari.

Alia sunt etiam loca: sed cui rei cumulemus? Certum satis, familiæ toti militis crucem hanc imminere: quod cum sit certum, quid dubitationis relinquitur, ædes ibi totas ita prorsus interpretandas? Nec aliter est Truculenti loco: ubi familiæ meretriciæ miles talos suffringere minatur ita, quomodo Periplectomenes senex fieri jubet hac fabula militis hominibus:

Nisi hercle defregeritis talos posthac quemque in tegulis
Videritis alienum.

Atque illa talorum elisio crebra in Plauto alibi, ut appareat inter supplicia servilia sic talifragium, ut crurifragium fuisse. Hæc de locis his opinio est nostra, quam mihi non tantùm novitas turbat usurpationis hujusce ædium pro familia domus, quantùm stabilit conspirans in eam mentem ipsorum locorum sententia: quam aliam esse non posse satis est demonstratum. Hic in Milite tamen quòd ajebam assensurum me iis, qui *atque* pro statim accipiunt, si opus fit: ajo nunc, opus non esse, si *hunc*, ex *hinc* legatur. Per *hunc*, scilicet hominem, se designet, ut reliquos familiares per *has totas ædes*. Sed ajet alius contrà, nec hac mutatione opus esse: quod non negabo, patiarq; facilè sententiam aliorum ista parte prævalere, dum nostra prævaleat alterâ potiore. Nunc hujusdem scenæ reliqua subtexamus.

PA. Sceledre, Sceledre. SC. quis homo interminat? PA. est te alter audacior?
Quis magis diis inimicis natus, quàm tu, atq; iratis? SC. quid est?

Audebon' sollicitare verbum *interminat*? Audacem me dixerint: tamen sollicitabo. Non faciam autem temerè, sed caussâ certâ neque parvâ. Ea est, quia nulla præcessit interminatio, sed inclamatio, seu invocatio nuda. Quod satis caussæ esse, qui cogitabunt, sentient. At emendandum etiam planè mecum sentient, si vestigia considerabunt literarum, quas in hunc modum, ejectis personis insititiis, mutamus:

PA. Sceledre, Sceledre: quis homo in terris nam alter est te audacior?

Præter literarum ductum, etiam sententiam mihi nunc vide: qua nihil aptius fatebere, nisi malignus es, aut imperitus. De divulsione τȢ *quisnam* alibi supra non semel egimus. Et in fine versus una, atque altera vocula trajicienda necessariò fuit, ut constaret versus: cui sic consulendum erat, etiam si vetus lectio retineretur. Infrà:

Vin jam faciam, ut stultividum te fatearis? SC. age face.

Non imperfectus hic quidem est versus, perfectior tamen, è veteribus addito alio verbo, *SC. age face, volo*; quod sententiam illustrat etiam, & hic fuisse pareat ex sequenti versu, ubi idem hoc repetit, scilicet quia præcessit:

PA. Neq; te quidquam supere corde, neq; oculis uti? SC. volo.

Pòst, versus quoq; caussâ:

PA Quid nunc, si ea domi est, si faciam ut eam hinc exire videas domo:

transpones verba, *exire hinc*. Porrò ibidem:

SC. Consilium est ita facere. PA. pedes ego jam illam huc tibi sistam in viam.

Non aptè cum Lambino *pedes* accipietur, pedibus iter faciens, non aliis sublatus, nam quid hoc joci intempestivi? *Pede*, aut *pedibus* scribendum puto, ut jocetur in loquendi modo, quo alias *capite sistere* dixit. Curculione:

Quin cadat, quin capite sistat in viam.

Captivis: *Nam qui obstiterit, ore sistet.* Infra hac Milite:

Hui illecebrose! capite sistebas cadum?

Jam

Jam ultimum hic mendum, præpositionis omissæ in libris nostris:

Neq; cuiquam, quam illi nostra meliust famulo familia.

quam è veteribus induco rursùm, *quàm illi in nostra*.

CAPUT IV.

Multæ, variæque in unam scenam divinationes, interpretationes novæ veteribus quibusdam aliorum probatis, & improbatis.

Plenius, & longius aliquanto caput hoc prius fuit; quam prolixitatem fastidire, plerosq; scio. Sed absolvere volui quas orsus eram scenas: neq; me sanè juvat inanitas in his maximè, quæ leviora, numero debent, quando pondere non possunt, æstimari. Sequitur Sc. *Præcepta*, & in ea primum istud:

PA. At metuo, ut satis sis subdola. PA. cedo vel doctas, docebo.

Memini malas, ut sint malæ, mihi pol è quo superfit.

Hanc scripturam prætulerunt omnes: ego Col. Flor & Aldinam, *mihi sola ego supersum*. Ait, ad alias malas collatam se à nulla, nisi à seipsa superari. Nisi tamen ex altera faciendum censeas potius, *mihi epol quoq; supersit*. Aliis malitiæ multum est: mihi uni plus satis, & nimio nimis. *E quo* non fero prorsus, nam unde? Nusquam referas satis aptè. Sed ait alia.

PH. Ubi iste bonus servus, qui propudii me maximè innocentem

Falsò insimulavit? PA. hem tibi, hic mihi id dixit. PH. tibi quæso? dixti

Tuten' vidisse in proximo hîc, scelesta, me osculantem?

Versu primo scribem *maximi*, antiquo flexu: ut non *maximè innocentem*, sed *propudii maximi* jungas. Altero ridiculè Philocomasium mirabunda quidem interrogat Palæstrionem, ipsine Sceledrus dixerit: quasi vel alii cuiquam ille, vel hæc ab ipso Palæstrione delatum ad se voluerit dissimulare. Quin is eà caussâ introierat, ut eam videret, & de illius verbis, ipso sciente, insimularet: quæ unà exiens statim quærit nunc hominem sibi illum dari, qui detulerit ad ipsum. Corrigas non uno modo. Namque *tibi* vel omittere possis, quod non legitur illic in veteribus, & jungere *quæso dixti*: vel his junctis, quia legitur illud tamen in illis superius, istic collocare: *Falso tibi insimulavit?* Benè: tibi insimulavit, id est, apud vel adversum te. Rursum, quia blandius videtur ad criminatorem pro scelesto increpatum *quæso* à retraxeris id quoq, aliò cum ipso *tibi* levissimè mutato:

PH. Ubi iste bonus servus, qui propudii me maximi innocentem

Falsò insimulavit? ubi quæso? PA. hem tibi. hic mihi id dixit

PH. dixti

Tuten' te vidisse.

Namq: & in tertio malim ut hic scripsi, quàm ut in vulgatis: etsi minimi id inter reliqua momenti. Deinceps est:

PA. Pergin' scelestæ intendere, atq; hanc arguere? PH. ecastor ergo

Mihi haud falsum evenit somnium, quod noctu hac somniavi.

PA. Quid somniasti? PH. ego loquar, sed amabo advortito animum.

Versus & loquendi ratio in horum primo transponi jubent Philocomasii ista *Ergo ecastor*. Ultimo *advortite* legendum, & fortassis etiam *ambo*. Nam ad utrumq; sanè somnium narrat, non unum Palæstrionem, quod audire, & credere Sceledrum plurimùm referebat, nec aliâ nisi hujus caussâ narratur. Quamquam patrocinari vulgatæ lectioni videtur illud Sceledri paullò pòst:

Palæstrioni somnium narratur.

Sed longè aliter est: & aliam non ita pridem illic quoque lectionem fecit N. Dousa: *Palæstrionis som. narratur*. Huic tamen accedere non possum ego. Contra enim eamdem rationem est, Sceledrum scire, aut suspicari, Palæstrionis hæc omnia consilio,

lio, & astu fingi, dici, geri. Muto personam, & Palæstrionem ipsum facio dicere illum totum versum:

PA. Palæstrionis somnium narratur, perge porrò.

Ita est, nec potest lepidius. Ad spectatores versus Palæstrio somnii hujus auctorem se jactat: mox illam narrare porrò jubet. Et verò fuerat ille auctor, qui fallaciam hanc de sorore gemina cum sene prius institutam, ingressus ad Philocomasium paullò antè, ei præmonstravit: nisi tamen ipsa scenam ultrò juvat somnii fictione, cùm rem tantùm universim informatione rudi ab illo accepisset. Atq; ita nihilominus emendatio nostra procedit. Transfert enim, & meritò, commenti totius in se primam laudem primus auctor. Inferius:

Ita me insimulatam perperam falsum esse somniavi.

Lambinus *falsò*, sed adverbia bina, ut jungantur? Antiquam lectionem reducendam potius, *perperam fuisse somniavi.*
Statim:

Heus hercle quàm præsentia omnia! abi intrò, & comprecare.

Accepto Cl. Passeratii *omina*, si non erunt meliora *somnia*: quibus nihil detrahit multitudinis numerus pro unitatis. Sic quidem *apologus* etiam *præsens* Sticho dicitur, SC. *Ita me dii*, ut hic somnium, quæ pariter quasi coràm geri viderentur.
Ibidem mox:

SC. Timeo quid rerum gesserim hic, ita dorsus totus prurit.
PA. Scin' te periisse nunc quidem domi certò? SC. certa res est,
Nunc nostrum observare ostium voluisse. PA. at Sceledre quæso.

A Nostrate Camerario est hoc *voluisse*, unde Gulielmius noster *volup est*. Nam Lambini *ne evolet*, obsecro taceatur. Nec tamen noster ille rectissimè, qui reliqua interpretatur etiam ex sua magis, quàm Plauti mente. Vetus scriptura est, *ubi esset*. Inde nihil exsculpo aptius, quàm *ubi est*. Ostium vult observare herilis domus, ubi tum Philocomasium erat. Ita loquebatur initio fabulæ:

Prædones capiunt navem illam, ubi vectus fui.

Sed de hoc quidquid est, priora malè distincta personis, malè intelliguntur, quæ certum est sic rescribenda:

PA. Scin' te periisse? SC. Nunc quidem est domi certò, certa res est,
Nunc nostrum observare ostium.

Non domi periisse Palæstrio Sceledrum ait; sed hic, domi certò esse jam Philocomasium, quæ jam jam ipso vidente erat ingressa: itaque certò statuit ostium nunc observare. Major autem turba in sequentibus ibidem:

SC. Me eam non vidisse arbitraris? PA. næ tu hercle, obsecro, opinor,
Resipisce, si ad herum hæc res pervenerit, peribis pulcrè.

Viderunt omnes, & quis non videat? non cohærere locum, & illa maximè verba *obsecro, opinor*. Itaque variè varii mutant, hic è Vaticano, ille aliter inibidem, alius etiam aliter aliunde. Nihil omnium probo. Veteres editiones hoc legunt ordine: *Næ tu hercle opinor obsecro respice.* Dico sedem verborum mutatam, & fuisse in autographis, *opinor obsecro resipisce, næ tu hercle*. Hinc ad emendationem pergo:

SC. Me eam non vidisse arbitraris? PA. opinor? obsecro resipisce.
Næ tu hercle, si ad herum hæc res pervenerit, peristi pulcrè.

Quid potest ordinatius, seu verba, seu sententiam, seu versus ipsos spectes? Omnia in unum conspirant: ut qui probaturus hoc non sit, ei pauca nostrorum futura sint proba.



CAPUT V.

Commeatus parietem transtinet, utrόque continet, quomodo hic, & Sticho accipienda. Scena iterum integra diligenter exspensa. Multi in ea versus concinnati, mutata interpuncta, verba emendata, personæ distinctæ, sententiæ explicatæ. Locus unus confusior, eximiè correctus, & enarratus.

LEntè pergo, ut in tam lenta materia possum: dum ubique teneor, & circumvenior à multitudine vitiorum, quibus plenior est cognominis hæc Militi fabula, quàm ipse olim gloriarum. Initio tamen scenæ sequentis illud vitium fortè non est, & si est, leve est, nec nisi à distinctione:

Quæ me in locis Neptuniis, templisque turbulentis
Servavit sævis fluctibus, ubi sum afflictata multum.

Nam & hæc vulgaris bona, præ qua nihilominus malie possit alius istam:

Servavit, sævis fluctibus, ubi sum affl. multum.

Levius etiam erratum in versus dimensione deinceps:

Sed facinus mirum est, quomodo hæc hinc nunc potuerit transire.

Syllaba superest: & monosyllabam voculam eximunt veteres libri, *nunc*, qua nec ad sensum quidquam opus, nec est in simillimo, geminoque planè versu scenæ præcedentis:

Nisi mirum est facinus, quomodo hæc hinc potuerit transire.

Pòst item quis mendosum illud affirmarit?

SC. Men' rogas, hem, qui sim? PH. quin ego hoc rogem, quod nesciam?

Verisimile valdè tamen est, *homo qui sim* scripsisse Plautum: ideò, quia sic rogaverat Philocomasium, *quis tu homo es?* Quæ sequuntur plusula magnam habent similitudinem cum illis Amphitr. sc. prima, ubi Sosiam sic fecerat Mercurius, ut dubitaret: de se ipso, quis esset, an idem, qui semper, an mutatus, an deniq; se ipsum perdidisset sui oblitus: quæ collata magnam lectori parient voluptatem. Inferiùs nec illud vitiosum manifestò:

At istuc non decet, & meo adeò hero facis injuriam.
PH. Egone? PA. tute.

quamquam multò magis Sceledro tam vehementi accusatori convenerit illud *tute*, quam Palæstrioni, secundas velut agenti, & ex simulatione leviter interdum scenæ servienti. Sed iste versus planè jam in versus legem enormiter peccat:

An ista non sit Philocomasium, atq; ejus alia similis.

Verba collocant aliter antiqui, *atq; alia ejus similis sit*: rectè, si *siet* in ipso fine scribas. Porrò autem gravius, & occultius mendum:

PA. Sceledre, manibus amisisti prædam. SC. tam ea est, quàm potis,
Nostra herilis concubina. vin' tu hoc facere strenuè?
PA. Quid faciam? SC. affer mihi machæram huc intus. PA. quid facies ea?

In his, & quæ sequuntur aliquantò plura, personæ vices inter se mutarunt. Nam ut nunc res est, Sceledrus Palæstrionem in ædes ad machæram efferendam ire jubet, qui ipse tamen iit, in scena illo restitante. Patet hoc ex inferiore loco:

SC. Heus Palæstrio, machæra nihil opus. PA. quid jam? aut quid opus est?
SC. Domi eccam herilem concubinam. PA. quid? domi? SC. in lecto cubat.

Quid clarius, quàm Sceledrum redire, & renuntiare quæ vidisset intus? Ad hoc, iisse liquet eundem ad machæram efferendam, qui nunc non allatâ nihil opus eâ dicit. Tum, Palæstrio certè, dum ille abest, ad spectatores interim ista loquitur:

Neq; equos, neq; pedes profectò quisquam tanta audacia.

cum reliquis quæ adhærent. Tamen hunc ab illo mitti faciunt in ædes: quo fieri nihil

hil absurdius potest. Primùm adeò personas tibi concinnabo; dein artificium, & astum Palæstrionis in hac tota re monstrabo:

. . . . . SC. tam ea est, quàm potis,
Nostra herilis concubina. PA. vin' tu hoc facere strenuè?
SC. Quid faciam? PA. affer mihi machæram huc intus. SC. quid facies ea?
PA. Introrumpam rectà in ædes, quemq; hîc intus videro
Cum Philocomasio osculantem, eum ego obtruncabo extempulò.
Visane est ea esse? SC. Imo edepol planè ea est, sed quomodo
Dissimulabat? PA. abi machæram huc effer. SC. jam faxo hic erit.
PA. Neq; eques, neq; pedes profectò quisquam tantâ audaciâ,
Qui æquè confidenter quidquam, quàm quæ mulieres
Faciunt: utrobiq; orationem doctè ut edidit!
Ut sublinitur os custodi cauto, conservo meo.

Simulat Palæstrio vindicaturum se injuriam illatam hero, si sit ea Philocomasium, quæ ad vicinum introjisset: itaque in ædes heriles abire Sceledrum jubet, & machæram efferre sibi, qua obtruncet quemcumq; osculantem cum ea vidisset. Id autem hoc vaferrimo consilio, ut, quando Philocomasium in vicini domum ingressa nunc primùm esset, ille statim in heri ædibus offenderet eamque, atque ita non esse eandem persuaderetur. Sed callidissimus mortalium, & ad omnia fingenda promtissimus, ubi hoc constituisset, jamq; iturus esset alter; repente dubitare de consilio isto se simulat, an introrumpendum omninò cum gladio ad vicinum sit: quippe non explorata satis re, neque certò agnita muliere, si sit prorsus herilis illa amica. Inde quasi sui pœnitens, impetumque revocans, amplius à conservo quærit, *Visane est ea esse?* qui ut labentem erigat, & impellat hæsitantem, respondet, *imò edepol planè ea est.* Sed idem addit, *Sed quomodo dissimulabat!* id quod non interpretabere, tanquam interroget ultrò, quomodo potuerit dissimulare? Non interrogatio est, sed admiratio: & hoc ait, Planè quidem illa est: sed quam vafrè, & astutè dissimulabat! Ibi Palæstrio confirmatus abire denuò ad efferendum jubet: atq; illo abeunte, manens in proscenio pronuntiat illos sex proximos continuos, ut jam antè dixi, versus. Quorum postremus,

Nimis beat, quod commeatus transtinet jam parietem.

creditur ab omnibus rectè ita legi, à quibus unus excludo me, nec assentior, quomodo ligna transtinere duos parietes dicuntur, sic & commeatum dici posse parietem hunc transtinere. Quæ enim commeatus, & tigni in hanc mentem similitudo? Neq; tamen mutatione magna opus sit: sed vocula *jam* in *trans* mutata rem confecerit. id adeò magis, quia ejus loco veteres hanc ipsam disertè habent, qui verbum tamen ipsum *transtinet* non habent. Commeatus transtinet trans parietem, locutio est, simillima illi quæ Sticho. SC. *Cum benè,*

Eà ibò obsonatum, eâdem referam obsonium
Per hortum: utroq; commeatus continet.

Ex quo loco volebam etiam olim hic *continet*: sed nunc caussam fuisse vanam intelligo. Quin jam neque *jam* fortassis immutandum videatur, si *transtinet parietem* resolvas, & præpositionem a verbo composito, ut sæpè solet, ablatam nomini jungas: ut commeatus tenere trans parietem intelligatur. Ac *tenere* non aliter etiam Stichi illo loco forsan usurpatum. nam *continet* esse Plauti more potest, simul tenet. cui opinioni, & particula *utroque*, & tota ibi sententia favet. At si qui superiore in loco Palæstrionis illam, quam fecimus, hæsitationem minus esse commodam censeat, illis alium proponam dirigendarum personarum modum: qui sanè mihi quoque nunc vehementius probetur:

PA Sceledre manibus amisisti prædam, tam ea est, quàm potis,
Nostra heriles concubina. Vin' tu hoc facere strenuè?
SC. Quid faciam? PA. affer mihi machæram huc intus. SC. quid facies eà?
PA. Introrumpam rectà in ædes, quemq; hic intus videro
Cum Philocomasio osculantem, eum ego obtruncabo extempulò.
SC. Visane est ea esse? PA. imo edepol planè ea est: sed quomodo
Dissimulabat! abi machæram huc effer. SC. jam faxo hic erit.
PA. Neq; eques, neq; pedes profectò &c.

Hæc

Hæc explicatione jam ulteriore non egent, tam sunt omnia clara; sed nec confirmatione, tam videntur esse certa, & indubitata. Quod autem eâdem adhuc scenâ sic excuditur prope finem:

SC. Quid jam? PA. quia hanc attingere ausus mulierem hic in proximo.

sententia melior in ea suadet, *hinc è proximo*. Nam non id dicere vult, quòd in publico alicubi mulierem attigisset, quam attigerat in eo ipso, quo nunc uterque abstabant, loco: sed quòd è vicini proximi ædibus aliquam sic tractasset.

CAPUT VI.

Perrectum in Milite emendando. Correctiones quædam noviter allatæ: veteribus aliorum detractum, vel additum. Trajectio una firmata: altera timidè tentata.

Rectissimè vir magnus viderat, sequente scena, *Satin' abiit*, transponendum inter illos versum:

SC. Ita sum coactus Periplectomene, ut nesciam
Utrum me postulare prius tecum æquum siet,
Nisi istæc non est hæc, neq; ista sit mihi:
An me expurgare hic tibi videatur æquius.

Sed reliquos etiam corrigendos leviter non viderat: quos è veteribus libris partim, partim ex versuum, sensusq; considerata ratione sic restitui nos velimus:

SC. Ita sum coactus, Periplectomene, ut nesciam
Utrumne postulare tecum æquum prius,
An me expurgare hic tibi videatur æquius.
Nisi si istæc non est istæc, neq; istæc est mihi:
Sicut etiam nunc nescio quid viderim.
Ita istæc hujus similis est nostræ tua.

In eadem deinde quamquam illud est non pessimum:

PE. Vidistin' istam? SC. vidi, & illam, & hospitem
Complexam, atq; osculantem.

tamen scribi, interpungique malo: *SC. vidi & illam, & hospitem complexum atque osc.* Porrò etiam quæ in Vaticano fuit, eadem est in plerisque antiquioribus istius versus lectio:

SC. Nunc demum à me insipienter factum esse arbitror.

de qua nemini hærendum amplius, uti nihil habendum insipientius vulgatâ. Probat unicè quod subditur, *at non malitiosè tamen Feci*. Ulterius:

Dato excruciatum me, egomet me dedam tibi.

ἱματικώτερον, *Da tu excruc.* Egomet, inquit, tibi me dedam: tu me porrò da excruciandum tuo arbitratu. Adhuc ulterius:

PE. Næ tu hercle, si te dii amant, linguam comprimes.
Posthac etiam illud, quod scies, nesciveris,
Nec videris, quod videris. SC. benè me mones.
Ita facere certum est me, satin' oratus abiit?
Nunquid nunc aliud me vis? PE. ne me noveris.

Priores hic versus ita scripsi, ut vellem scriptos ubique: de posterioribus etiam videndum. In iis, quis oculis sincerè veritatem obtinens ineptiam non perviderit illorum? *satin' oratus abiit?* Nec interloqui servum sic deceat, neq; senex abierat certè: qui nec abit usquam ante abitum illius. Manet enim post ipsum: & digressurus hic ab eo, quærere id voluit, satis ne sibi exoratus esset, & placatus. In eam mentem scribo, levissimè è veteribus adiutus:

Ita facere certum est, sed satin' oratu's? PE. satis.
SC. Nunquid nunc aliud me vis?

Nisi tamen coacta minus scriptura videbitur: *sed satin' oratu's? PE. abi.* quam numeri non abhorrent planè. Solet enim Plautus interdum producere verbum *es*: ne trocheum putes contra jus, fasque jambis immisceri. Ibidem statim:

Ut

Ut miles eum extemplo à foro adveniat domum,
Domi comprehendat unà.

Corrige: *Domi comprehendar, unà hic & Palæstrio*
Me habent venalem.

Ac distinguit ita quidem Coloniensis vetus: à nobis autem *t* in *r* convertimus saltem. Statim etiam:

Nam nunc satis, & plus nimio merui mali.

Versus *commerui* requirat: sed veteres melius inserunt, *Nam jam nunc satis.* Ita igitur potius expleatur. Jam abiit Sceledrus, & remanens senex de ἀναισθησίᾳ ejus ita infit:

PE. Illic hinc abscessit, sat edepol certò scio,
Occisam sæpe sapere plus multò suem,
Cum manducatur, ne id quod vidit viderit.

Parenthesim hic nobis Lambinus struit: nolo eam ego. Nihil enim sensu cohærent illà, *Illic hinc abscessit, ne id quod vidit, viderit.* Quid veteres autem? Per interrogationem efferunt hæc separatim, *ne id quod vidit viderit?* quasi miretur senex, & hoc dicat: Utine non viderit id, quod vidit? Quam sententiam non absurdam difficulter ex iis verbis integram confiteri putem. Et est aliud, quod suspicor. Quid hoc? ne sedem commutaverint inter se bina diversorum versuum membra. Fluxerit enim oratio percommodè ab hac trajectione:

Cum manducatur, usque adhuc actum est probè.
Nam illius oculi, atq; aures, atq; opinio
Transfugére ad nos, ne id, quod vidit, viderit.

Tamen ægrè patior divelli jam hæc:

. . . . . usq; adhuc actum est probè:
Nimium festivam mulier operam præbuit.

Sed potius quàm à tam commoda trajectione desistam, unà cum parte illa versus hunc integrum eodem transtulerim: quod etsi non necessarium, tamen si quis velit, non incommodum fore dico. Postremus ejus scenæ versus quot medicos sortitus est, & interpretes?

Ibo intrò: ne, dum absum, illis sortito fuam.

Nec absurda magnorum virorum ingeniosa commenta, quamtumvis diversa, censeo: simplicem tantùm ex veteri scriptura proferam sententiam, de qua doctiores illi ipsi sententias porro ferant. Legunt prisci libri, *illi in sortito siem.* Si *fient* scripseris, an non alia toleraveris? *Sortito* ἀρχαϊσμὸς in inflexione, pro sortitu: quo de nomine ad Casinam superius agebamus, atque actum ipsum sortiendi interpretabamur. Jam vero senex hic nihil aliud metuit, quàm ne reliqui senatores illi, dum ipse absit, in ipso opere sint, sortitionem jam aggressi. Qui sensus idem facilior etiam è vulgatiore lectione, *illi sortiti fuant.* Sed non addo amplius, nec judicium interpono de tam controverso loco: qui hoc ipsum quidquid est, quod dixi, jam ultrò dixi in judicium à me mitti aliorum.

CAPUT VII.

Quis homo sit magis? Ut: Autem. Merces, i. merx. Quidvis satis est. Scena tota recensita. In ea trajectio ostensa; versus concinnati; verba, personæ, interpuncta, alia atque alia variè, nec pauca contrà alios, correcta, explicata. Joci quidam etiam enarrati. Etiam Turpilii locus defensus.

Longam, & longè lepidissimam illam scenam jam ordiamur, in qua tam pro juvene se gerit facetissimus noster senex. Hujus principio turpissimam deprehendo luxationem ejus quidem loci, in quo magni viri se exercuerunt, neque de illa, quod admirari cogor, quiquam tamen fuere suspicati.

. . . . . nam opus est nunc tuto loco,
Unde inimicus ne quis nostris spolia capiat consiliis,

Unde inimicus ne quis nostra spolia capiat auribus:
Nam bene consultum, inconsultum est, si inimicis sit usui:
Neq; potest, quin, si id inimicis usui est, obsit mihi.
Nam bonum consilium surripitur tibi sæpissime,
Si minus cum cura aut catè locus loquendi lectus est.

Ut de binis minimo secus simillimis, & iisdem pænè versibus nihil dicam, quos non sic à Plauto factos, sed ab hæsitatione descriptorum natos geminos timidè suspicor, ceterorum ordinem consulum sententiæ convincit ordo, qui quidem talem illum retexi vult, ut ipse retexatur, ac retegatur:

. . . . . nam opus est nunc tuto loco,
Unde inimicus nequis nostr. &c.
Nam bonum consilium surripitur tibi sæpissimè,
Si minus cum cura, aut catè locus loquendi lectus est.
Jam (vel Tum) benè consultum, inconsultum est, si inimicis sit usui:
Neq; potest, quin, si id inimicis usui est, obsit tibi.
Quippe si resciverint inimici consilium tuum,
Tuopte tibi consilio occludunt linguam, & constringunt manus:
Atq; eadem quæ illis voluisti facere tu, faciunt tibi.

Jam demum sensus omnis in aperto: quem qui verum aut anteà vidit, aut nunc non videt, uterq; non scio quo sit ipse sensu. Sequitur ab exiguo intervallo:

PE. Ecce nos tibi obedientes. PA. facile est imperium in bonis.

Legendum *bonos*: quod videor alibi monuisse. Continuò sequitur:

Sed volo scire, eodem consilio, quod intus meditati sumus,
Si gerimus rem. PE. magis ad rem non potest esse utibile.
PA. Imò quid tibi Pleusides? PL. quodne vobis placeat, displiceat mihi?
PE. Quis homo scit magis usquam, quam tu, loqui lepide, & commodè?

Variè, sed leviter omnes peccant versus. Longior hic, ille brevior, alius alias non satis expeditus. In consilium veteres adhibui, qui nonnihil assuaserunt præter quod ipse statuissem:

Sed volo scire, eodem consilio, quod meditati intus sumus,
Si gerimus rem. PE. imò: magis adò ad rem esse utibile non potest.
PA. Quid tibi Pleusides? PL. quodne placet vobis, displiceat mihi?
PE. Quis homo scit magis usquam, quàm tu, commode, & lepidè loqui?

Quamquam de postremo melius fortè consuli poterat, si scriberetur:

PE. Quis homo sit magis usquam, quàm tu? loquere lepidè, & commodè.

Nota locutio, *hominem esse*, crebra M. Tullio etiam, & quibuscunque priscis. Rursum intervallo parvo:

Eaq; expetere te ex opibus summis mei honoris gratia.

Benè *honoris*, quoniam erga hospitem. *Amoris* tamen antiqui, nec id pejus: atq; ita sæpius postea de re eadem. Jam majusculo:

PE. Ut apud te exemplum experiundi habeas, ne petas foris.
Nam qui ipse haud amavit, ægrè amantis ingenium inspicit.

Poterat desistere Lambinus à personarum mutatione, si quomodo, & seni versus prior conveniret, attendisset. Eum ei sic accommodare par est. Non foris exemplum petendum est, qui ipse habeat in se, in se olim expertus. Ita mihi non aliunde amantium rationes discendæ, notæ mihi ipsi pridem, & usu pernotæ: ut facilius servire tuis, & indulgere nunc possim. Qui enim ipse nunquam amavit, ægrè amantis ingenium perspexerit, nec rectè, aut promtè consuluerit. Ego verò vetus amator ab adolescentia percallui omnia, & scio comitatem in te exercere: qui ne nunc quidem hoc ætatis exarnerim è voluptariis rebus, nec planè ab amoribus sim alienus. *Ut* in initio horum neque mutari attinebat, etiamsi veteres ipsi *Quum*. Valet illud, quando, vel ubi, quomodo sæpiculè in Catullo. *At* autem proximo versu facilè concesserim:

Et

Et ego amoris aliquantum habeo humorisq; meo etiam in corpore.

qui longior est justo, nisi *meo* eximas exemtum editionibus priscis. Quæ eædem inferunt rursus, *unquam*, minus tamen alias defecto illi:

Item ero: neq; ego unquam oblocutor sum alteri in convivio.

Sed pleniores numeri, cum id receptum. Ejusmodi versuum minutiora errata plura, atque infinita sunt: quæ nec omitti, nec annotari omnia decet. Longius hinc, rectè Cl. Pithœus:

Tum ad saltandum non cinædus malacus æquè est quam ego.

Sed vel *atq; ego* scribes etiam, vel *quamd' ego*. Post:

Liberæ sunt ædes, liber sum: ego me uti volo liberè.

Lambinus ita: veteres aliter, quorum elegantissimum *autem* doleo sic extrusum. Repono:

Liberæ sunt ædes, liber sum autem ego, me uti volo liberè.

Diximus alibi de eo: & hic exemplum tamen iterum habe ex inferiore Milite:

Facile istuc quidem est, si & illa vult, & ille autem cupit.

Ait senex, & se & ædes liberas esse: tum velle, ut liberè quisque se, & suis utatur. *ταὐτικῶς uti* posuit. Numeros autem explicabis, si pedem primum amphimacrum capias, aut ipsum *liberæ* in dissyllabum contrahas pro spondæo.

Multo inferius:

Illi inter se certant donis, ego mecum mussito.

Bona mea inhiant, certatim dona mittunt, & munera.

Priore versu non *at ego* cum Lambino, sed *egomet mecum* facito. Altero *nutricant, & munerant* è Vaticano accipiendum: præter hoc ex syllaba priore *τὸ dona*, quæ insuper habetur, *ideò* legendum: *certatim ideò nutricant, & munerant*. Sequenti proximè:

PA. Nimis bona ratione, nimiumq; aperta tu multam vides.

Propter versum, *nimisq; aperta*.

Hunc sequenti:

Et sibi sunt gemini, & trigemini, si te benè habes, liberi.

Malim *Ei tibi sunt*, nempe cognati. Atq; etiam, *si te benè habent*: nutricando nempe certatim, ut dixit, & munerando.

Deinceps:

PL. O lepidum caput, ita me dii, deæq; ament, æquum fuit
Deos paravisse, uno exemplo ne omnes vitam viverent.
Sicut merci pretium statui, pro virtute ut veneat,
Quæ improba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperat,
Itidem divos dispertisse vitam humanam æquum fuit.

Oratio non concinna. Facio:

Sicut merci pretium stat, uti pro virtute veneat,
Quæ improba est merces, pro vitio dominum pretio pauperet:
Itidem divos disp.

Veteres apertè *stat* habent, cui cum junctum *uti*, denegarunt utraque in unum *statui*. *Merces* autem, pro merx, nominandi casu dictum Carisius notat. Non multis interiectis:

Nam hospes nullus jam in amici hospitium diverti potest.

Volebam *nullus usquam in amici*. sed veteres, *tam in amici*: benè. Nemo ad tam amicum devertit, quin, quæ continuò narrat, experiatur. Ille versus:

Commodulum obsona, ne magno sumtu, mihi quidvis sat est.

in mentem revocat mihi Turpilianos istos:

Profectò ut quisq; minimo contentus fuit,
Ita fortunatam vitam vixit maximè:
Uti Philosophi ajunt isti, quîs quidvis sat est.

In quibus locutionem hanc vir maximus corrupit, substituens, *quîs vis* (sine *vix*) *sat est*. Pessimè, & contra Poetæ omnem mentem, ipsiusque rei veritatem. Lucilius sic alicubi quoque:

Cum tactum est, quidvis satis est.

Sed de Plauto tantùm nunc curemus, & hanc adeò scenam porrò, quantum potest, percurramus. Igitur ubi voracium hominum simulatam abstinentiam, & deinde manifestam ingluviem describit,

Sed

Sed percellunt se, & procumbunt, dimidiati dum appetunt.
malim distingui, *& procumbunt dimidiati, dum appetunt.* Genuinam sententiam si attendis, & discubitus rationem cogitas; assentieris. Dum superiore toto corpore, id est dimidiati procumbunt, ac proni imminent iis, quæ posita longiusculè fortè sunt, præ nimio appetendi studio, se veluti percellunt. Mox:

. . . . . PE. haud centesimam
Partem dixi, atq; otium nunc si sit, possim expromere.

Veteres, *otium rei si sit*: rectè, ut *nunc* sequenti versui reddatur, unde malo jure irrepsit in hunc anteriorem. Illius & numeri poscunt, & librorum auctoritas transscribit, addicitque vicissim ei suum istum fugitivum:

PA. Igitur id quod agitur, nunc huic primum prævorti decet.

Inde non procul:

PA. Herus meus ita magnus mœchus mulierum est, ut neminem
Fuisse æquè, neq; futurum credam. PL. credo ego istuc idem. . .

Quæ nunc Pleusidis verba sunt, esse Periplectomenis velim: cui magis certè conveniunt, vel ea ratione, quòd militem civem, & vicinum benè nosset, de cujus moribus nihil magnoperè Pleusidi constare potuit in Epheso hospiti novitio, & rudi. Firmare id possit sequens etiam seni huic proprius locus:

PE. Edepol quin te de isto multi cupiunt non mentirier.
Sed ego ita esse, ut dicis, teneo pulcrè.

Qui ipse difficilis, impeditus, & obscurus Lambino visus sententiam non videnti. Tamen conatur: sed ut qui in tenebris palpant, frustra. Lego primùm ego *nunc*, in vicem τȣ̃ *non*: jam facilè sic expono. Cùm ambigua locutione Palæstrio sectari omnes ultrò mulieres in Epheso militem dixisset, hic bonus senex esse quidem ita subjicit, & verum se scire, sed esse multos vel hic nunc in isto theatro, qui mentiri eum cupiant, optentque falsum utrumvis, sive ab uxoribus eorum appeti herum suum, sive contra ab hoc illas prædicasset. Nolint omninò militem talem, qualis memoratur, uxoribus suis, atq; etiam vel amicis, & filiabus metuentes.

Porrò jam:

Utiq; eam hic ornatam adducas matronarum modo.

Versus & libri suadent, *huc ornatam add. in matr. modum.*

Postea:

. . . . PE. audio.
PA. Ne me surdum verbera: tu si audis, ego rectè militi
Dabo, à tua mihi uxore dicam delatum, & datum,
Ut se deamet conciliarem.

Jocum subesse suspicor, quem non assequor, in verbis, *Ne me surdum verbera, tu si audis.* Interea dum quæram amplius, facilè patior à Lambino partem eorum dari Periplectomeni: sed tum Palæstrionem dicere statim malim: *tum, si audis.* Ceterùm Gulielmium nostrum non sequor *meis* reponenti pro *militi*, quantumvis ita veteres quidam libri. Sed versus alterum non patitur. Benè. Quid sequenti autem versu fiet, si ratio ducetur hujus saltem? Is enim etiam laborat: nec utrique rectius subveneris, nisi vocibus permutatis:

. . . . . ego rectè dabo
Militi: à tua mi ux.

Nec in reliquis eundem nostrum probo: magis, & omnium maximè, Pii lectionem, *Ut sese ad eum conciliarem.* Tamen nec meum damnare possum somnium, *Ut sed eomet conciliarem.* Eomet, id est eo ipso anulo: aptè. Quòd si vestigia vulgata etiam vides, nihil ad ea propius accedat. In fine:

Ut nunc etiam hic agit, actutum partes defendas tuas.

Malo *defendes*, sed quantillum auxilium istud? Ipse totus versus cujus est sententiæ? Tacet Lambinus, aliique. Mihi perstringere videatur actorem, uti sæpe solet in ipsos histriones obiter invehi, si possint omnia illuc trahi. Priora quidem sponte eunt, *Ut nunc etiam hic agit*: sed reliqua non sequuntur. Igitur in aliam mentem emendarim:

Unus etiam hic aget, actutum partes defendas tuas.

vel, *ac tu tum partes defendes tuas.* Jubet eum properare, ac partes suas celeriter curare, nam unum saltem etiam interim acturum, dum necesse sit esse ipsum, & mu-

mulierem cum ancillula paratos. Unus quidem Lucrio puer in proscenium venit, & illi mox composità fallacià statim: si id est, quod Palæstrio sentit, uti sanè certo non possum judicare.

CAPUT VIII.

Nisi quia: Eapse, bis: Aures merum orationis adbibunt: Regio consilii. Fundare navem, non profundare. Rogare? Quin? pro quidni? Aliæ locutiones. Binæ scenæ coactæ in unum caput. Earum plurimæ omnis generis, ut uno verbo comprehendantur, emendationes, cum interpretationibus necessariis. Aliorum commenta ibidem refutata sparsim, aut in melius flexa.

TAndem emensi sumus illam enormis ferè prolixitatis scenam: sequentes duas hoc jam capite perreptabimus, quando percurrere non licebit. Priore *Quantas res*:

LV. non operæ est Sceledro. PA. quid jam? LV. sorbet dormiens.
PA. Quid? sorbet? LV. illud, stertit, volui dicere.
Sed quia consimile est, quod stertas, quasi sorbeat.

Jocus ipse claret: versus postremus non sincerus. Suspendit lectorem, quasi alius sit exspectandus, sententiam absoluturus. At Plautus ita scripsit, quod est plenius:

Nisi quia consimile est, quòm stertas, quasi sorbeat.

Sic solet usurpari *Nisi*: cui glossema supposuerunt *Sed*, non ejusdem usus. Et quamquam vulgo per id interpretantur, non respondet tamen omninò. Dein:

Dimisit Nardini vini amphoram cellarius.

Omnes offendit hoc *dimisit*: quidni me? Nolo tamen quidquam eorum, quæ comminiscuntur, etsi N. Dousæ *demisit* in speciem valdè probum. Simplicius est & verius *Demsit*. *Vini* ejiciunt ibidem propter versum: ego muto è veteribus *unam*: scriboque totum ex antiqua etiam distinctione:

. . . . . tetigit calicem, clanculum
Demsit nardini unam amphoram cellarius.

Quæ denique ipsa verba vereor ne Palæstrioni danda sint, ex hoc pueri sermone rem suspicanti, & porrò stomachanti, *Ebo tu scelesle*. Post alia:

Neq; equidem heminas octo expromsi in urceum,
Neq; ille hic calidum ebibit in prandium.

Versus & sententia ducunt ad correctionem:

Neq; ego quidem h. octo exp. in urceum,
Neq; illic illinc calid. ebib. in prandium, aut *prandio*.

Statim exculditur:

. . . . . LV. quia enim obsorbui,
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.
Alii ebrii sunt, alia postquam potant via.
PA. Bono suppromo, & promo cellam creditam.

Hærent in emendatione τοῦ *postquam* & *via*, nec pergunt, quasi nihil aliud vitiosum. Et *poscam* quidem verè: *trua*, vel *ama* nimis acutè. Ceterùm transpositos versus esse quis vidit? Nos ita concinnamus.

. . . . . amburebat gutturem.
PA. Bono suppromo, & promo cellam creditam!
Alii ebrii sunt, alii poscam potitant.
LV. Tu idem hercle facceres.

Aut si transpositos non concedes, illud quidem cogêris, Palæstrionis esse binos versus, quos ei conjunctim asseruimus. Quid clarius, quàm eum stomachari in mores, & in æqualem conditionem conservorum, indignarique aliis poscam potandam, alios vino optimo inebriari? Infrà:

Ne dixeritis obsecro huic vestram fidem.

Veterem ordinem verborum quis, aut cur mutavit?

Ne dixeritis huic, obsecro vestram fidem!

Ibidem postremò:

Quia Sceledrus dormit, hunc subcustodem suum
Foras ablegavit à se, dum huc transiret, placet.

Versus alter exorbitat: redibit in viam traductione, *dum à se hæc.* quamquam, & illud ipsum *à se* mutari in *eapse* debet. Debet, inquam: cùm in antiquis ita sit liquidò perscriptum. Repones ergo:

Foras ablegavit, dum eapse huc transiret: placet.

Ad alteram nunc scenam, quæ hoc capite nobis instituta. Ei inter collocutorum personas præfigitur etiam *Milphidippa* ancillula: cujus nomen deleri melius sit, quia nullæ ejus in ipsa scena sermonis partes, sed adhuc κωφὸν πρόσωπον heram saltem pedissequio comitatur. Inibi verò primùm:

AC. Stultitia, atq; insipientia insulsa, atq; maxima hæc sit.

credo emendandum, *insulsitasq; maxima*: etsi nihil quidem cogit. Quis tamen elegantius illud non agnoscat? Sequitur:

PE. At melius est monerier. AC. meretricem commoneri
Quàm sanè magni referat, mihi clam est. quin ego me frustro,
Postquam admisere aures meæ tuæ moram orationis.
Tibi dixi, miles quemadmodum potis esset assecari.

Notæ aliorum hic notæ: *adhibere* & *oram*, illud accipio, non hoc item: pro quo ipse faciebam olim *merum*: ut in tralatione maneret, merum orationis adhibere: Viderint alii, si benè. Quæ turbæ autem ubique in his verbis, *assecari*, *deartuari*, *deasciari*, *deruncinari*, *detruncari*, & similibus? Hic *deasciari* verum esse inde puto, quod manuscripti Lambiniani *deasdare* habuerunt. In eo si *d* coalitum resolvas in *ci*, vides idem verbum esse. Sed nihilne aliud in toto loco? Præcipuum non dum etiam dixi. *Frustro*, quod maximè putant, minimè sincerum, *me frustro* mutari vult, *met ultrò*. Jam vide ut omnia sint perpurgata:

. . . . . quin egomet ultrò,
Postquam adhibêre aures meæ tuæ merum orationis,
Tibi dixi, miles quemadmodum potis esset deasciari.

Sententiam quid ingeram tibi? quæ nunc commoda demum & clara. Nihil se meretrix arguta monendam ait, quæ ipsa, cum paullum audisset ex sene rei destinatæ, ultrò modum ei dixerit perficiendæ. Sed subjicit ille:

PE. At nemo solus sapit. nam ego multos sæpe vidi
Regionem fugere consilii prius, quam repertam habere.

Ubi rectissimè præeunte Palmerio corrigimus:

Regionem fugere consilii, prius quam compertam habuêre.

sive cum Lambino etiam *haberent*. Sed non in eo tantum momenti: maximum in sententia eruta: multos aberrare sæpè à consilii regione, quam compertissimam habuerint antè. Nam apage, qui *Rationem* mutant. Illa voce libenter in consiliis, & fraudibus utitur noster. Suprà:

Dum in regionem astutiarum mearum te induco.

Et Pœnuli prologo alias similes conjungit:

Ejus nunc regiones, limites, confinia
Determinabo, ei rei ego sum factus finitor.

Lambini interpretatione nihil absurdius. Absurda autem porrò vulgi lectio:

PE. Ergo istuc metuo, quo venit vobis faciundum utrumq;
Nam id proderit mihi malitia, malè quod facietis ambæ.

Quidam *malitiæ* tentavit: sed non hoc satis, neq; verum. Scribo:

PE. Ergo istuc metuo, quòd venit vobis faciundum utrumq;
Nam id proderit mihi, militi malè quod facietis ambæ.

Dixerat Acroteleutium: malè, memoriter agere mulieres; benè, obliviosè. Tum igitur, inquit senex, idipsum in vobis metuo, quibus utrumque est agendum, malè & benè simul. Etenim dum militi malè facietis, mihi facietis benè: quando quod illi obest, idem mihi prodest. At rursus illa:

AC. Dum nescientes quid bonum faciamus, ne formida.
PE. Mala nulla meretrix est. AC. ne pave, pejoribus conveniunt.

Quorum valdè controversa lectio, maximè versus posterioris. Ego variè conjeci, sed plerorumq; pœnitet. Quod unum hic afferri dignum mihi visum, illud est:

AC.

AC. Dum ne inscientes quid bonum faciamus, ne formida.
Mala nulla meretrix est; ne pave: pejora ibus conveniunt.

Eludit alteram metus, & cautionis ejus partem: & noli formidare, ne quid bonum faciamus, inquit, dum ne faciamus inscientes. Non malæ vocandæ meretrices sunt, sed pejora iis nomina conveniunt. Quid autem verear tamen apponere, & aliam conjecturam, si cui magis se probare possit?

AC. Duæ ne scientes quid bonum faciamus, ne formida.
Mala una meretrix est: nunc duæ pejores huc conveniunt.

Sed ex ariolationibus nostris erit fortassis alius, qui verum eliciat oraculum: atque eo nomine lubentius incerta talia communicamus. Ex quo tamen genere non illud est, quod statim:

. . . . . PA. cesso ego illis obviam ire?
Venire salvum gaudeo, lepido hercle ornatu incedit.
PE. Bene opportuneq; obviam is Palæstrio: hem tibi assunt
Quas me jussisti adducere, & quo ornatu. AC. heus noster esto.
PA. Palæstrio Acroteleutium salutat.

Ante alia corrigendum hic *incedis*, quomodo veteres ipsi legunt. Alloquitur ipsum senem Palæstrio prior: & in salutatione *te* omissum est, *Venire salvum gaudeo*. Post deinde correctum benè verbis conjunctis, *heus noster esto*: quæ tamen Acroteleutio data, non rectè. Ut quid enim illa pronuntiet? & ad quem? Non ad senem: quia nulla in eo sic collaudando caussa. Non ad Palæstrionem: quia non norat hominem, neq; conscium sciebat adeò non auctorem, & architectum ejus omnis rei. Palæstrionis ipsius sunt, me judice: qui senem collaudat ob benè conciliatas tam lepidas mulierculas. Sub ejus igitur persona continuanda hæc cum sequentibus:

. . . . . PA. heus noster esto.
Palæstrio Acroteleutium salutat. AC. quis hic amabo est?

Nam sene prius ob diligentiam laudato, convertitur ad mulierem mox, & familiariter etiam salutat. Porrò:

PE. At tua præcepta: de meo nihil his novum apposui.

Bona, nec mutanda fortè scriptura: tamen quia *ipse* veteres habent, vide an sic fuerit:

PE. Ad tua præcepta de meo nihil ipse novum apposivi.

Ex iisdem proximo versu:

AC. Nempe ludificari militem tuum herum vis? PA. elocuta es.

colligas *rem locuta es*. Deinde:

PA. Atq; hujus uxorem esse te volo assimulari. AC. fiat.

probo magis aliorum *assimulare*: tum corrigo *fiet*. Ita enim ait semper, futurum esse, quod ille præit. Mox:

Quem ego militi darem tuis verbis. AC. nunc vera dicis.

Insulsè *nunc* additur: quasi, quæ antè non vera dixisset. Fortè *cuncta* fuit: aut ipsum *nunc* antecedentibus est nectendum Palæstrionis. Et statim:

Bene lineatum si semel carinam collocavit,
Facile esse navem facere, ubi fundata, & constituta est.
Nunc hæc carina satis profundata bene, & statuta est.

Ignotum verbum *profundare*: & cujus vis, si qua est, abhorret ab hoc loco. Valeat enim profundum facere, quomodo explicasse video, & rideo Lambinum. At hic sensus requirit, fundamentum ponere, quod dixit priore versu *fundare*. Mirum est, nisi divinavi verum. *Pro* decurtatum ex *probè*: quod proximo deinde verbo agglutinatum. Restituo:

Nec hæc carina satis probè fundata, & benè statuta est.

Quamquam in antiquioribus vestigium nullum ejus est, sed hæc lectio, non dubium quin interpolata; *satis & fundata est benè, & statuta*. Post pauca:

PA. Nempe tu novisti militem meum herum? AC. rogare mirum est.
Populi odium quin noverim?

Distinguebat aliter, & legebat Gulielmius noster: *AC. rogare? mirum, Populi od. quin noverim*. Non aliàs malè. Atque ita principio fabulæ, si emendes:

PT. Habes tabellas? AR. hui rogare? habeo & stilum.

Sic enim melius ex τοῦ *vis*, quàm Palmerianum *vah*. Et Terent.

Ah rogitare? quasi difficile siet.

Et

Et Horat. Epod.

Rogare longo putidam te seculo.
Vires quid enervet meas?

Atqui licet alias, ut dixi, non malè: non tamen & hoc loco benè. Præsto enim scripturam vulgatam sanam, quam non videri fecit ignotior particulæ *Quin* significatus. Eam pro *Quidni* poni dicebamus ad Amphitruonem, ubi item non intellecta mutabatur. Sed ita perspicuè, & indubitatò hic suprà, SC. *Inde ignem.*

; *SC. Men rogas homo qui sim? PH. quin ego hoc rogem quod nesciam?*

Ibi dum nemo sollicitavit: & Musis gratia, cum etiam nemo. Ne tamen tralatitiam nimis putent locutionem, *rogare mirum est*: usurpavit eandem, & hic suprà Plautus:

PA. Præcepta facito ut memineris. PH. toties monere mirum est

Jam illa hic in proximo:

. . . . . PA. num ille etiam te novit? AC. nunquam vidit.
Qui noverit me, quis ego sim?

potes absque interrogatione, conjunctimq; legere: *numquam vidit, Qui noverit me, quis ego sum.* Dein versus caussa è veteribus:

PA. Vos modo curate, ego illum probè jam oneratum huc acciebo.

non *accibo*. Postremò:

. . . . . hunc si dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris? AC. dat ne abs se mulier operam?
PE. Lepidus sum, & comis sum. AC. confido confuturum.

Vir magnus in nequiorem ista sententiam commutavit, *datne mulier ab se operam?* contra Plauti sensum. Non quærit enim senex, quid mittendum mulierculæ sit muneris, aut illa respondet, quid velit: sed quasi per admirationem, quantum, ait, muneris tibi mittam. Notum ita *quid* ubique frequentari. Locus similis Pseudolo, SC. *si unquam*:

PS. Taceo, sed ego quæ tibi bona
Dabo & faciam, si hanc rem sobriè accurassis!

In meretriculæ autem verbis *eapse* corrigendum pro *ab se*: quod sæpè & alii, & nos interpolatum sit in hac etiam Comœdia capite hoc ipso ostendimus. Inepta verò etiam senis ista: *Lepidus sum, & comis sum*, nec aptiora Palmerius fecit, *Lepida est, & comis est*. Emendabis aptissimè, *Lepidissimam, & comissimam*, operam scilicet, de qua quæsitum erat ab Acroteleutio, an ullam Philocomasium ipsa daret. Lambino enim suum *Lepidæ sunt, & comes sunt* condonemus: qua de lectione dicendum alias, quod ipse de Camerariana. Hæc scripturæ compendio peccant solùm *Lepidissam, & comissam*. Talia autem epitheta *operæ* quis addi nescit? Ubique in Plauto, lepida, festiva, benigna, amicabilis, adjutabilis. Et his verum, operam à Philocomasio talem dari, qualem senex prædicat è nostra correctione. Sed & reliqua verba non satisfaciunt, *AC. confide confuturum*, maxime, si sequentibus sententiâ copulentur. Aldinus codex casu, an de industria habet, *ac confido*, quasi senex etiam loquatur hæc, neque *ac* nota sit personæ novæ. Id adeò placet. Nam confidere se dicit senex omninò rem confuturam, quando omnes cum ipsa Philocomasio simul tam bonam operam navent. Ita sequentibus præponenda Acroteleutii persona, cui certè non conveniunt hæc magis, quàm seni, de fallacia tota rectius judicanti.



CA-

CAPUT IX.

Liberi per impositionem festucæ, non & ingenui statim per eandem. Jus ingenuitatis aliud, præter libertatem. De quibus incautior aliorum asseveratio, & confusio notata, correcta. Plautinis aliquot versibus medicina, luxq; facta.

VOluptas est quod agas, *si id procedit lepidè ex sententia*, ait noster proximâ scenâ: verè. Nec igitur mihi voluptas, quod hîc ago, quando procedit nescio an lepidè, non certè prorsus ex sententia. Tardè nimis enim progredior, & minuta, pleraque errata morantur invitum, quæ ut ipsi mihi fatigationem, ita lectori metuo nauseam, ac tædium objectura. Sed duremus, & parva quoque non parvum habere momentum putemus, sine quibus ipsa constare magna non possunt. Ergo ut quidque sub manus venerit, leve sit aut ponderosius, expendamus: & in ista Milite porrò si non militari, at quo gradu possumus, grassemur. Eâ ipsâ scenâ, cujus ipse primus versus huic exordiolo capitis hujus occasionem dedit, tenuia sunt quædam, & ea pauca, quod gaudeo, majoribus occupatis pridem, quod non doleo. Versum istum,

PA. Circumspicito, dum ne quis nostro hîc auceps sermoni siet:

scribe, distingue,

Circumspicito dum, ne qui auceps nostro hîc ser. siet.

Illi,

PT. Quid hic? unde est? PA. à luculenta atq; festiva femina:

insere, *atq; à festiva*. Tum alium deinde:

Ejus nunc mihi annulum ad te ancilla, ad te porrò ut deferrem dedit.

de veterum librorum sententia partim, partim mea opinione corrige:

Ejus hunc mi annulum ancilla, ad te porrò ut deferrem, dedit.

Statim:

PT. Quid? ea ingenua an festuca facta, serva an libera est?

Ingeniosissimè, doctissimeque Dousa F. hunc emendavit, cui nos numerorum caussa tenue nescio quid adjicimus, quod vix apparebit:

PT. Quid ea? ingenuan', an festucâ facta è serva libera est?

De sententia optimè ille. Nec enim, an serva esset, militem quæsiisse patet è Palæstrionis responso: neque an ingenua per festucæ impositionem facta, potuit quærere. Nemo enim sic ingenuus fit, sed liber. Ubi (ut aliorum assertionem temerariam mittam, etsi magni viri fuerunt, qui libertos, & ingenuos per festucam pariter fieri imprudentissimè scripserunt.) verba paullò consideratiora notabis ejus, quem dixi, cum ingenuum neminem fieri posse ait, nisi qui antè fuerit. Imò verò facti ingenui etiam, qui non nati, prorsus uti liberi: sed non, nisi antè liberi. Quomodo forsan & illius verba capienda, ut ambiguitas tantùm in iis, non inconsiderantia culpanda. Post libertatem indultam quidam, & in ingenuitatem asserebantur: neq; hæc est autem plena, & justa libertas, ut alii opinantur. Non enim ingenuitatis jus datum omnibus, qui manumissi etiam justa libertate: de qua eruditissimè fax unica priscorum rituum I. Lipsius ad Annal. Taciti XIII. Ingenuos, & libertinos clarè Seneca discriminat De beata vita c. 24. *Hominibus prodesse natura jubet, servi liberive sint, ingenui an libertini, justæ libertatis an inter amicos datæ*. Sed clarius, & ad nostram rem aptius Suetonius Octavio c. 74. *Valerius Messalla tradit, neminem unquam libertinorum adhibitum ab eo cenæ, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem post proditam Sex. Pompeji classem*. Mena libertus paternus Sex. Pompeji, classis ejusdem præfectus cum Menecrate fuit, attestantibus multis, & in his Vellejo nostro lib. 2. Huic quasi præmium, aut mercedem proditæ ejus classis Augustus ingenuitatem præter alia ornamenta dedit, diu antè libertino. Sed in Plauto insignis item porro hic ejusdem elegantissimi Dousæ emendatio:

Sed quis ea est? PA. senis hujus uxor Periplectomeni in proximo.
Ea demoritur te, atq; ab illo incipit abire, odit senem.

Ita sublatis intersecantibus personis restituit, pulcherrimè. Videatur autem etiam *incipit* mutandum, *hinc cupit*: quod tueor ego tamen simili infrà locutione.

SC. *Quid modi.*

Quæso ut memineris, si fortè liber fieri occœperim.

Deinde est:

. . . . . PT. cupio hercle equidem si illa vult.

PA. Quæ cupit.

Veteres cum interrogatione omnes, *Quæ cupit?* melius omninò præ isto altero languore. Sed quidam & *ea cupit*. Inde verum *Quæne cupit?* Quid ais, inquit, si illa velit? quæ quidem non vult, sed cupit. In triviis decantatum plus esse cupere, quam velle: unde multum differunt etiam cupiditas, & voluntas. Et *Quæne*, similesq; dictiones cum ab aliis, tum à nobis satis alibi illustratæ. Scenâ eâdem substitit versus infra mensuram, & deficit uno ipso pede:

Dono habere sibi, auferre abs te quo lubeat sibi.

Sed melius haud expleas, quàm *auferre abs te, abire quò lubeat sibi.*

Cui proximus:

PT. Placet ut dicis, sed ne istam amittam, & hæc mutet fidem.

requirit *istanc*, vel *sed enim ne istam.*

CAPUT X.

Circus ad ludos. Servo cinerem non quæritans. Vilest. Sisti. Multæ porrò in Militem emendationes locorum variorum, ut res, & ordo tulit. Defensa quædam contra alios, quædam aliter mutata. Pleraq; omnia dilucidè exposita, & firmata.

SUpervacuam moliti sunt emendationem viri docti primo scenæ proximæ versu, qu rectissimè scribitur sic:

Jam est ante ædes circus, ubi sunt ludi faciendi mihi?

nisi quòd interrogatio detrahenda etiam, & multò fugienda magis aliorum lectio *Jamne*, quem vel ipsa carminis mensura damnat. Ancillula cum prodiisset, vidit statim adesse quos volebat: nec igitur quærit sibi circum, sed paratum ait esse, ut ludos subitò committat. Quod dicendi genus etiam in Cornicularia fragmento nostri invenimus:

Quid cessamus ludos facere? circus noster ecce adest.

Mox versus excurrit, & syllaba amplius trahit iste:

MI. Numquis nam hinc propè adest, qui rem alienam potius curet quàm suam?

Subveneris facili medicina, *qui aliena potius curat quam sua*. In eodem etiam, vel *hic* legendum, ubi jam *hinc*; vel cum Dousa F. *abest*, ubi *adest*. Sed in proximo ille nimis exorbitat, nec ulla tenetur, in principio potissimùm, lege:

Domo si ibit, ac dum huc transibit, quæ hujus cupiens corporis est.

Lego: *Domina si domo huc transibit, quæ h. c. corporist.*

Deinceps ridiculè interpretatur hoc Lambinus:

Edepol hujus sermones haud cinerem quæritant.

Nec tamen facilius ferè quidquam. Non requirunt cinerem, quo eluantur, nitidentur: quippe jam tum tersi, ac splendidi, quod elucet clarissimè è sequenti versu, qui ab ipso Plauto positus in interpretamentum prioris:

PA. Quo argumento? PT. quia enim loquitur lautè, & minimè sordidè.

Sordida cinere defricari, & ejus in eluendo maximum usum quis nescit? At difficilior jam locus, in quo multi connixi parum effecerunt:

Hercle verò jam allubescit primulum, Palæstrio.

PA. Priusne quàm illam oculis tuis? PT. ideo id quod credo tibi,

Cum hæc locutus, illa autem absens adigit me, ut amem hercle hanc quidem.

Parum, inquam, ab aliis effectum, & eo minus, quòd numeros, plerique neglexerunt. Hos non minus, quam sensum, verbaque singula nos spectamus. In verbis magnæ

gnæ turbæ: sensus non futilior ullus, quàm istorum: *illa autem absens adigit me, ut amem hercle hanc quidem*. Pugnant cum ratione: contràque colligendum sit, hæc autem præsens subigit, ut amem illam absentem. Sed non junxit ita Plautus. Et servi verba sunt ultima, *hercle hanc quidem*, cum sequentibus continuanda. Cetera disjecta, nec posita suo loco. Nobis omnia videntur in hunc modum aptissimè emendata fore:

> *PA. Priusne quàm illam oculis? PY. tuis video id, quod credo tibi.*
> *Quid illa autem absens, cum hæc locuta subigit me ut amem? PA. hercle hanc quidem*
> *Nihil tu amassis: mihi hæc desponsata est, tibi si illa hodie nupserit,*
> *Ego hanc continuò uxorem ducam.*

Bardus, & elephantino verè corio circumtectus miles, nihil sentiens, aut sapiens, nisi sensu, & corde alieno, cum rueret in amorem nondum visæ, vidisse tamen ait, quia videret oculis Palæstrionis, quibus id videat omne, quod ipsi credat. Et sanè quod alii credimus, nostris an illius oculis videamus haud multum refert: imò videmus quasi coram, quod absens absentes credimus ita esse. Post quam sententiam, oculis, animoque in præsentem ancillulam defixus, & ex illa dominam æstimans, Quin illa, inquit, formâ tandem suâ faciet, cum hæc sermone me coegerit in amorem? Hoc etsi ambiguum, utram amari jam à se dixisset: tamen impotentiam heri sui tam, ut ille ait, omnivoli noscens, & videns servus, metuit, aut simulat metuere de ancilla ipsa, quam ab eo vetans affectari, sibique relinqui jubens, Hanc quidem, inquit, ne amaveris tu, & abstine à mea mihi desponsata. Hac in emendatione tam perspicua nihil vides me permisisse mihi magnopere, præter verborum trium traductionem, unius insertionem, & unius denique mutationem. Quorum postremum libri veteres, in quis apertè *subigit*, suaserunt: reliqua sententiæ ratio coegit, aliàs defectæ, turbatæque, nec aliter aut vix concinnandæ. Post multa, in quibus leviuscula quædam transilio:

> *PY. Age age, ut tibi maximè concinnum est. PA. nullum est hoc stolidius saxum.*
> *Redeo ad te, quid me voluisti? MI. quo pacto hoc dudum accepi,*
> *Istuc fero od te consilium. PA. quasi hunc depereat. MI. teneo istuc.*

Scribunt, *Redeo ad te*, &, ad militem, interpretantur, inconvenientissimè. *Venio* debebant, & ad Milphidippam. A milite dimissus jam erat, cum is diceret, *Age age, ut tibi maximè concinnum est*: & abierat, interque eundum illud in eum convicium fuderat, *nullum est hoc stolidius saxum*. Non satis verò scio, si personæ deinceps aliter ibidem tribuendæ. Videntur quidem ita locari melius:

> *Istuc fero ad te consilium, quasi hunc depereat. PA. teneo istuc.*
> *Collaudato formam.*

Ac statim veteres in eis mutant, ancillæ continenter adscribentes hos versus:

> *MI. Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi ut dudum demonstravi.*
> *Tu contrà cura, & contempla, & de meis venator verbis.*

Ita quoque melius, nisi valdè judicii fallor. Ait, instructam sibi omnem dolorum aciem, nec amplius se monendam: ipse modò contra sit intentus, & de suis verbis captet occasiones adjuvandi.

Porrò illic:

> *. . . . . PY. magnum me faciam.*
> *Nunc, quoniam illæc me collaudat. PA. viden' ignavum, ut sese inferat?*

Versus de alia paullò scriptura, sententiaq; monet: *PA. vide ignavum, ut sese infert*. Et sequenti è veteribus inserendum provocabulum:

> *Quin tu huic respondes? hæc illac est ab illa, quam tibi dudum.*

Plurimum intervallo:

> *Minus à nemine accipiet. MI. heu ecastor nimis vile est tandem.*

Lege *vil'st*, pro vilis est: qua de scribendi ratione diximus ad Amphitruonem.

Non hinc longè:

MI.

MI. Heu ecastor hominem periurum! PA. ut ludo? MI. quid ego ut sublecto os? PA. scitè.

MI. Sed amabo mitte me actutum.

Trahit versus prior ultra mensuram integro pede. Non ergo suspicari liceat, ultimam vocem ejus abjiciendam, quæ glossema possit esse? Imò ita verò: sed & altera demenda fortasse, quæ irrepserit pejore jure. Nec enim *sublectare* puto dicimus *os*, ut *sublinere*: simpliciter autem sublectare: quod hic aptissimum. Scribo igitur:

MI. Heu ecastor hominem periurum! PA. ut ludo? MI. quid ego? ut sublecta?

Sed amabo mitte.

Deinde sequitur:

Dic me omnia quæ vult facturum. MI. facis nunc ut facere æquum, Quum quæ vult, eadem tu vis. PA. non hic insulsum habet ingenium.

MI. Quumq; me oratricem haud sprevisti, sivistiq; exorare ex te.

Palæstrio interiectus de quo loquitur? Si de milite; interrogationis addenda nota: si de ancilla, quod magis opinor; *hæc* scribendum. Versus autem ultimus, ne non sit versus, ita reponendus:

MI. Quumq; me oratricem haud sprevisti, sistiq; te exorare.

Huic etiam proximus *admoderari* postulat in fine, non *admoderarier*. Sequitur Scena, *Quid mihi nunc*. A principio non procul:

Aurum atq; vestem omnem muliebrem habeat sibi,

Quæ illi instruxisti, sumat, habeat, auferat.

Bis *habeat* poni sanè nolim: atque altero versu correxerim, *sumat*, *abeat*, *auferat*. Dein:

Quibuscum comitata rectè deveniat domum.

Fortè, *Quibus concomitata*. Porrò autem:

PA. Cubare in navi lippam, atq; oculis turgidis

Nauclerus dixit, qui illas advexit, mihi.

PY. Is ad quos nauclerus hospitio divortitur?

PA. Quid vis? PY. ecquid fortis? PA. abi sis hinc.

Veteres ubi consulo, nascitur alia mihi lectio, quam vulgatæ præfero fidenter:

Nauclerus dixit, qui illas advexit, mihi.

Is ad hos nauclerus hospitio divortitur.

PY. Quid is? ecquid fortis? PA. abi sis hinc.

Ita planè illi, de verbis: personas à nobis accommodatas scies, quæ turpiter in illis etiam errant. Deinceps:

PY. Hoc age nunc istuc, quod das consilium mihi?

PA. Te cum illâ verba facere de ista re volo.

Libet etiam personas variare:

PY. Hoc age nunc. PA. istuc. PY. quod das cons. mihi?

Revocat à dicterio servum miles, & jubet hoc agere. respondet ille, agere se istuc ipsum. Inferius:

PY. Ilo igitur intrò, tu hic ante ædes interim Speculare, ut ubi illæc prodeat, me provoces.

PA. Tu modo istuc cura, quod agis. PY. curatum id quidem est.

Quid, si & hic easdem mutes:

PA. Tu modo istuc cura, quod ais, curatum id quidem est.

Tu tuum cura negotium, ait servus nam quod me jubes, ut hic speculer ante ædes, ac te provocem, id quidem jam curo. Sed ego hic nolo quidem auctor tibi fieri, cùm nihilo deterior vulgata sit lectio, quæ possit, vel ut melior defendi. Versu postremo:

Una exeuntes video hinc è proximo.

transpone si vis, *Unà video exeuntes.*



CA-

CAPUT XI.

Quod exercitus: Ordine ire. Tamen-etsi, in tmesi. Deos teque spero: Vereri alicujus. Aliæ loquendi formulæ, quas non est minutatim recensere. Correctiones aliorum veteres assertæ quædam, aliæ refutatæ: novæ nostræ plures varii generis allatæ. Loca ipsa diligenter excussa, & interpretationibus illustrata.

INvitus facio, ut ab aliis dicta repetam: faciundum in hac opera tamen est aliquando, cum optimè à quibusdam monita sperni video, quibus assertionem negare non possum, quam merentur. Velut hac scena sequente *Sequimini*, non semel emendationes repudiabunt Gulielmii nostri, & Palmarii, quibus elegantius tamen erat nihil neque certius. Tribus verbis has vindicabo: pòst novas à me dabo. In illis:

> . . . . *si præsenserit*
> *Miles, nihil hinc ferri poterit, hujus nunc quam maximè*
> *Opus est dolis.*

explicare maluerunt *hujus*, Acroteleutii, quàm distinguere, ut erat præmonstratum, *nihil hinc ferri poterit hujus. Nunc quàm max.* Quasi verò solius Acroteleutii dolis opus foret, quod sequentia refellunt pariter, & præcedentia. Vim similitudinis primò non attenderunt: qua sicut ascendenti sursum ex alto puteo periculum maximum est in summo, ne recidat; ita hic præcipuè cavendum nunc servus ait, ubi rem propè perduxerint ad supremum. Deinde omnium requiri vigilantem operam, & inde patet, cum Pleusides enumerat, qui, quot, & quales excubent in eam rem industria communi. Mox cum Palmerio fuit omninò scribendum, cujus nos tamen correctionem leviter adjuvamus:

> *PA. Quod apud nos fallaciarum exercitust, certò scio,*
> *Oppidum quodvis videtur posse expugnari dolis.*

Quantus exercitus, inquit, fallaciarum nobis est, facilè quodvis oppidum possit expugnari. *Quod exercitus*, pro quantum exercitus, cur admittere noluerunt? cur item nec illam dictionem *Ordine is*, in sequenti verissima ejusdem conjectura?

> *AC. Quasiq; istius caussa amoris ex hoc matrimonio*
> *Abierim cupiens istius summè nuptiarum. PA. ordine is:*
> *Nisi modo unum hoc: hasce etiam &c.*

Cum per singula iisset Acroteleutium capita doli, servus, ordine, inquit, & rectè omnia narras, nisi tamen unum etiam tibi hoc addendum. Ante hoc erat:

> *PA. Militem lepidè, & facetè, & lautè ludificarier*
> *Volo. AC. voluptatem mecastor mihi imperas. PA. & scin quem ad modum?*

Emendavit alius, *at scin.* non valdè necessarium id, aut versui non sufficiens tamen. Is ut pedibus bonis sit, *Voluptatem ecastor mi imperas* legendum, & secundam in *voluptatem* etiam syllabam Plauti more corripiendum. Deinde:

> *AC. Bene mones. PA. sed ubi ille exierit intus, istuc te procul*
> *Ita volo assimulare.*

Scribas *istic*, cum antiquis. Et statim:

> *Quasiq; ejus opulentitatem reverearis, & simul*
> *Formam amœnitatis illius, faciem, pulchritudinem*
> *Collaudato.*

Mutare tentant *Formam* in *Famam*. Potius *amœnitatis* capiamus amœnitates, quamquam disertè reponere malim ego:

> *Formam, amœnitatem illius, fac. pulchr.*

Dehin in proximo:

> *PA. Sat habeo, nunc tibi, ausculta, quæ imperabo. PL. dicito;*

emenda: *nunc tu ausculta; tibi quæ imper.* Item propè:

> *Facito ut venias ornatus huc ornatu nauclerico;*

fac transpositâ particulâ, *venias huc ornatus orn.* Et inferius:

Ut si itura est Athenas, eat tecum ad portum citò.

tralucto item verbulo, *itura Athenas est.* Quæ omnia versus ipsi poscunt, & libri veteres in plerisq; assentiuntur. Scenâ. *Quod volui.*

PA. Etiam me? quomodo ego vivam sine te? PT. age, es bono animo,
Idem ego te liberabo. nam si possit ullo modo
Impetrari ut abiret, ne te abduceret, operam dedi,
Verum oppressit. PA. deos sperabo, teq; postremo. tamen
Etsi istuc mihi acerbum est.

Totum hoc sic restituo:

. . . . . PT. age, es animo bono:
Idem ego te liberabo. nam si possem ullo modo
Impetrare ut abiret, ni (vel etiam, nec) te abduceret, operam dedi:
Verùm oppressit. PA. deos sperabo, teq; Postremò, tamen-
Etsi istuc mihi acerbum est.

De aliis dici nihil est opus. Adverbium vetus *tamenetsi* in tmesi hic est, ut Casina ostendit esse noster Gulielmius fine scenæ *Maximo.* Formula *Deos teq; spero,* Cistellariâ etiam SC. *Audire.*

PH. Deos, teq; spero. LA. eosdem ego.

Postremò novam sententiam inchoat apud Plautum solenniter. Scenæ porrò sequentis initium est:

MI. Hera eccum præsto militem. AC. ubi is est? MI. ad lævam. AC. video.
MI. Aspicito limis oculis, ne ille nos se videre sentiat.
AC. Video. MI. edepol nunc nos tempus est malas pejores fieri.
AC. Tuum est principium, obsecro, tute ipsum convenisti.
Ne parce voci, ut audiat. MI. cum ipso pol sum locuta
Placidè ipsa, ut libitum est mihi.

Multa hic inepta: quæ ne refutem longius, vide quomodo corrigam: unde perspicies etiam pòst ineptitudinem priorem.

MI. Hera eccum præsto militem. AC. ubi is est? MI. ad lævam videto.
Aspicito limis oculis, ne ille nos se videre sentiat.
AC. Video, edepol nunc nos tempus est malas pejores fieri.
MI. Tuum est principium. AC. obsecro, tute ipsum convenisti?
Ne parce voci.

Prior ancilla militem videt, nec hera statim, sed tertio versu, pòst illius astutam cautionem. Tum ipsa ad dolos se illamque incitat: illa autem, incipe saltem, inquit: nam tuum est ordiri. Orditur ergo, clara voce: quam ut imitetur & ancilla, monet. Initium autem callidè sumunt ab admiratione, quòd magnificus homo miles ab ancillula se passus sit conveniri: quod anteà non sic intelligebatur. Sanè omnia languida erant, & exanima, quæ nunc vivunt, vigentque, polita in scena rei, & actione. Sed & statim malè ad hanc veram loci sententiam illud:

PT. Audin' quæ loquitur? PA. audio, quàm læta est, quia adit ad te!
MI. O fortunata mulier! PT. ut amari videor! PA. dignus es.

Dant Milphidippæ verba, *O fortunata mulier!* quasi beatam exclamet heram, quæ amore potiatur illius herois. At contrà Acroteleutium ipsa hæc dicit, & felicem ancillam prædicat, quæ ab eodem illo tam benignè admissa sermonem cum eo miscuerit ita placidè & suo, ut jactabat, arbitratu. Huc quadrant magis omnia, quæ cum Palæstrione miles interim, ducta ex illarum oratione, & ejus isto sensu. Scribes autem in fine posterioris versus *dignu's* contractis vocibus, numerorum caussâ.

Posteà:

AC. Veneri pol habeo gratiam, tandemq; & oro, & quæso,
Ut ejus mihi sit copia quem amo quemq; expetisso.

Non placet *tandem*; *eandem* emendo: uti contrà Epidico SC. *Rem tibi,* faciebamus *tandem* ex *eandem.* Pauculis hic interiectis:

AC.

AC. Si pol me ducere volet uxorem, genua amplectar,
Atq; obsecrabo aliquo modo: si non quibo impetrare,
Consciscam letum:

Aut verbum mutabis *obsecrabo* in *exorabo*: aut interpunges aliter, *Atq; obsecrabo: aliquo modo si non quibo impetrare, Consc.* Nam quid est, aliquo modo obsecrare? Omnibus modis ait se tentaturam: si non possit aliquo impetrare, morituram. Forsan & *velit* legendum, ubi *volet*. *Exorabo* si males, alia distinctione non opus: nec opus eâdem, si velis *exobsecrabo*. Nam horum utrivis rectè jungetur *aliquo modo*. Statim;

PT. Probibendam mortem mulieri video, mulierem adibon'? PA. minimè.
Nam tute vilem feceris, si te ultrò largiere.

Versus prior excurrit ultra spatium huic generi finitum. Ejus ultimam vocem in caput alterius retrahe: qui tamen ipse tum peccabit idem vicissim. Sed dimensione apta succurrendum illi. In *feceris* exteratur sibilus, in trisyllabum *largiēre* contrahatur. Statim etiam:

Sine ultrò veniat, quæritet, desideret, te exspectet.
Summovere istam vis gloriam quam habes? cave sis faxis.

E Camerarii libris hæc lectio: unde Lambini & vulgi nimium recedit. Nos illam sequimur magis, quibus fides, & religio viri illius in tractandis manuscriptis explorata. Nec tamen in iis *summovere* fuisse planè credimus, aut si fuit, emendandum fuisse *Nisi imminuere*. Ita namq; velim:

Nisi imminuere istam vis gloriam quam habes: cave faxis.

Statim etiam nunc:

AC. Eo intrò, abi tu, illum evocato foras, mea Milphidippa.

Rei aptius sit, *Ebò, intrò abi tu*. Nec enim ipsa it, sed ire ancillam jubet, qua recusante, eundem sibi ait esse. nam non posse longius durare.
Jam hinc longiusculè:

PT. Naso pol jam hæc quidem videt plus quam oculis. PA. cæca certè est.

Non multum interest, contineat hæc miles, an ultima Palæstrio subjiciat: etsi illuc è veteribus quidam inclinant. Deinde:

MI. Non edepol tu illum magis amas, quam egomet, si per te liceat.

Fortassis *ames*: sed fortassis. Jam rarâ gemmulâ sermonis hoc caput obsignemus. Est ibidem:

AC. Mea Milphidippa, adi obsecro, & congredere. PT. ut me veretur!

in veteri quodam vidi, *ut mei veretur*! non, ut opinor, temerè. Sic certè Appulejus imitator ubiq; Plauti, lib. 2. Asin. *Quin, inquit, etiam ipse parentem tuam accedis, & salutas? Vereor, inquam, ignotæ mihi feminæ*. Et quis renuat veteres plures sic locutos, etsi plura non facilè inveneris apud alios exempla?

CAPUT XII.

De loci insignis emendatione Gulielmiana disputatum: ea reprobata: ipse constitutus aliter, ejectis vocibus insititiis è repetitione, versibusque compositis ad suam legem. Aliæ deinde correctiones, in quibus, & transpositio, sed ambigua.

NOn negligendus est nobis eadem scenâ locus iste:

MI. Verbum hercle non facere potis, si accesserit propè ad te.
Dum te obtuetur, interim linguam oculi præciderunt.
PT. Levandum morbum mulieri video. MI. viden' ut tremit, atq; extimuit,
Postquam te adspexit? PY. viri quoq; armati idem istuc faciunt,

Ne

Ne tu mirere mulierem. MI. jube domum ire, melius est. PY. sed quid vult me facere?
MI. Ad se ut eas: vivere tecum volt atq; ætatem exigere.

Versu primo notarunt ad oram librorum, *poteris* scribendum. Erraſſe typographum puto, & *poterit* ipſos voluiſſe, quod res vult, etſi non admodum. Altero recepi veterem lectionem, quam olim magnus Lipſius aſſeruit: cui probandæ quamquam librorum auctoritas, & ſententia verborum ſatis eſt, valdè facit tamen etiam ſuperior non diſſimilis orationis forma, cùm animum per oculos deficere ſibi Acroteleutium quereretur. In tertio metricum erratum eſt. Toto. n. pede ſuperat hic ceteros æquales. Et ab eo libens mutuetur aliquid aliquantò defectior quartus. Tmeſin admiſit iterum Plautus, & in *extimuit* ſyllaba prima tertii adhuc ſola eſt, reliquæ deinde quarti. Quintum ex emendatione Gulielmii noſtri in optima nuper editione ſic reſcripſerunt: de quo vellem tamen ab utriſque aliter conſultum. Nam ut ut argutè Gulielmius commentum ſuum explicet, ipſum verſum quomodo, vel ipſe, vel poſt eum ſuffraganei editores explicabunt? Numeri inquam non aſtipulantur, quos neglectos non oportebat. Jam quæ illorum menſuratio? Si generis ejuſdem cum reliquis capiemus, uti neceſſe eſt, tres omninò pedes abundabunt, quos in leges cogere non poſſis ulla contractione. Superfluit totum iſtud, *ſed quid vult me facere*. Id autem ad ſenſum maximè eſt neceſſarium. Ideoq; ut locus ei ſit, alia potius videntur abjicienda. Hic dum omnia circumſpicio, prodit ultrò ſe quiddam alienum. Eſt enim profectò alienum, quod Gulielmius ablatum à fine prioris verſus in hunc medium inculcavit. Ille ſic legebatur anteà:

Poſtquam te aſpexit. PY. viri quoq; armati idem iſtuc faciunt. jube domum ire.

Cui noſter adimenda optimo conſilio cenſuit iſta, *jube domum ire*: ſed eadem peſſimo tranſtulit in ſequentem. Verùm, quid aliud faceret, inquis, ſententia ſic ſuadente? Non ſuaſit illa tantopere, quanto verſus ipſe diſſuaſit: & hujus omninò pace fieri debuit, quidquid illius potuit. Non potuit autem ejus quidquam, ſi recta rem via reputaſſet. Ac miror, qua ingenii perſpicacitate fuit, non vidiſſe, irreptitias hic illas ipſas tres voculas, quæ paullò quidem pòſt ſuo loco iterum leguntur:

MI. Quia ædes dotales hujus ſunt. PY. itane? MI. ita pol. PY. jube domum ire.

Hinc quocunque modo repetitas, & illic perperam collocatas audacter affirmo. Quod qui difficilius credet, ille verò ſimilia multa in Plauto loca neſcit, ubi prorſus idem contigit, ad quæ non amplius ſtupemus. Sic ſcilicet ævi ſuperioris deſcriptores graſſatos in auctore noſtro ſcimus, ut tam incredibile nihil objici nobis poſſit, quin ab eorum temeritate partim, partim negligentia provenire potuiſſe credamus, adeoq; miremur, id quantillum eſt, quod ſanum habemus, ita ſanum ad nos perveniſſe. Deletis igitur hic illis, jam verſum facilè conſtituemus. Habent editiones ante hanc Douſicam omnes:

Ne tu mirere melius mulierem, ſed quid vult me facere?

Rectè, niſi quòd emendandum *melius*, & *plus* ſcribendum. Quam mutationem ne mireris, eadem adhibita ab ipſo Gulielmio Moſtellariâ, & à doctis comprobata. SC. *Illi bucedæ*.

Vide ſis ne forte ad merendam quopiam deverteris,
Atq; ibi ne pluſculè quam ſat fuerit biberis.

Illic eſt etiam vulgò *meliuſculè*: quæ mendæ ſimilitudo magis utrobique veriſimilem facit emendationem. Ita cenſemus nos de toto loco, cujus maximè controverſam iſtam partem ita dehinc reſcribes:

PY. Levandum morbum mulieri video. MI. viden' ut tremit, atque ex-
Timuit, poſtquam te aſpexit? PY. viri quoque armati idem iſtuc faciunt,
Ne tu mirere plus mulierem, ſed quid vult me facere?
MI. Ad ſed eas, tecum vivere vult, atq; ætatem exigere.

Nam in ultimo quidem planè cum Gulielmio ſcribimus ita, numerorum cauſſa, & quia conſtat lectionem alteram ex ſimplici vetere interpolatam. In fine hujus etiam ſcenæ vix illa perſonis ita legimus diſtincta, ut Plautus voluit:

PY.

PT. Sed quid ego video? PeA. quid vides? PT. nescio quis eccum incedit
Ornatu quidem thalassico. PeA. jam nos, volt hic profectò:
Nauclerus est hic quidem, videlicet accersit hanc hinc credo.

Melius ad scenam certè fuerit in hunc modum:

Nauclerus est hic quidem. PT. videlicet accersit hanc hinc. PeA. credo.

Cum nauclerum esse Palæstrio diceret, statim miles de illo suspicatur, qui concubinam sit arcessiturus: idq; dissimulator ille subjicit etiam se credere, cum esse planè sciret. Alternari sermonem verba ipsa quoque suadent, *videlicet* & *credo*, quæ inelegantius conjunguntur.

Scenâ, *Si alium*.

Verum cum multos multa admisse acceperim
Inhonestum propter amorem, atq; alienum à bonis.

Multò verior, quæ veterior lectio:

Inhonesta propter amorem atq; aliena à bonis.

quam posthabitam novitiæ miror. Indecorè de inhonesto amore Pleusides meminerit: nisi sic argumentari cum putant, si propter illum fecerint alii alia, sibi hoc licere magis propter suum honestiorem. At non est ita. Multa alios inhonesta, atque a bonis aliena fecisse dicit amoris caussa: quæ si condonata sint illis, veniam sibi faciliorem fore non inhonestæ hujus assimulationis. Post versum autem hunc deesse alium explendæ sententiæ, mihi non dubium est: uti neque parenthesin in illo fero, qui nunc proximus. Absolvit Pleusides institutam sententiam: cui cum subjungere exempla vellet, ac de Achille ordiretur, astantem cum Palæstrione militem videt, atque eo repressus commutandam sibi ait orationem, & commutat. Ibidem in istis suspicionem veterem meam dicam, quæ nunc minus placet, & ferè supervacanea videtur:

PT. Jamdudum res parata est. heus Palæstrio
Aurum, ornamenta, vestem pretiosam omnem ferat.
Duc adjutores tecum ad navim, qui ferant.
Omnia composita sunt, quæ donavi, auferat.

Offendebat me toties iteratum idem in versuum aliquot fine verbum, & exasperabant magis asperiusculi numeri in secundo. Denique mutabam sic, & traducebam:

. . . . . heus Palæstrio
Duc adjutores tecum ad navim, qui ferant.
Aurum, ornamenta, vestem pretiosam omnem heræ.
Omnia composita sunt, quæ donavi auferat.

Ex *ferat*, *heræ* fit clementissimè: & erat Palæstrio nunc Philocomasio servus, à milite suprà illi datus:

. . . . . donaviq; ei
Quæ voluit, quæ postulavit, te quoq; ei dono dedi.

Atque hinc infra queritur ipse muliebres sibi mores discendos. Sed non probare nitar aliis, quod mihi non antè satis.

CAPUT XIII.

Labra labellis artè ferruminare. Investigando operæ parcere. Dispennere, distennere, tennere, tenus. Plurima adhuc in Milite variè correcta, simul explicata.

SEnsim jam magis, magisque fini propinquavimus, & brevi Militem amittemus, verberatum tamen etiam nonnihil, ut boni consulat, si vasis salvis abeat saltem, nec intestatus. Punctiones aliquot adhuc stili nostri sentiet: quo fieri certè potest ut vulnera ultrò faciam ei, dum meditor medicinam. Sed innoxia erunt, spero, si quæ erunt: & sectionem quidem abstinemus omninò, neq; de industria nihili factum cupimus virum bonum. Scenâ *Quid modi*.

PH. Ibo, quamquam invita facio, pietas sic cogit. PL. sapis.

Moxhissat hic verbum *cogit*, quod à Lambino conciliatore. Veteres scribunt *sic cohibet*. Legitimi juris est credo, *sicce jubet*. Adultera deinde Lambini ejusdem interpretatio istorum:

. . . . . PT. nimium hæc flet. PH. nequeo
Cum te video.

Ait, non posse lacrumis Philocomasium temperare ad militis aspectum. Minus id est quàm pro re. Cum ipse diceret miles, nimis eam flere: illa hoc ait, non posse nimis se flere, ubi illum talem virum videat ultimò, & cogitet amplius non videndum.
Mox Palæstrio:

Nam nihil miror si libenter Philocomasium hîc eras,
Forma hujus, mores, virtus animum attinuere hîc tuum,
Quom ego servus, quando aspicio hunc, fleo, quia dijungimur.

Quorum medius versus nisi parenthesi claudendus, ultimus est eorundem faciendus. Nam illi quidem sententiâ cohærent prorsus:

Nam nihil miror, si libenter tu Philocomasium hîc eras,
Quom ego servus, quando hunc aspicio, lacrumor, quia dijungimur.

Ita simul enim ex antiquis scribendi fortè potius, parva diversitate, quæ non sensum, sed numeros spectat. Deinceps non fuit ipse miles manifestò magis in adulterio deprensus, quam is locus, aliorum pridem superventu, & incusatione:

PA. Nihil aquam moror. PT. cur? PA. malo ne ipse interveneris,
Quæso dum respicio, capita inter se nimis nexa hice habent.
Non placet, labra, & labella inter se ferunt admodum.

Ac de singulis hic erratis abundè dixerunt plures: quos inter ad restitutionem veram proximè Palmerius accessit, luculentissime totum insuper locum interpretatus. Ejus recipimus pleraque, & addimus à nobis istud. Antiqui codices in postremo versu omnes, *labra labellis ferruminavit acre malum*. inde præter alia sumtum aptissimum huic rei verbum *ferruminavit*, probo. sed amplius, *acre* negligendum non fuisse contendo. Nos *artè* facimus ex eo, quod est arctè.
Totum autem sic scribo:

. . . . . PA. malo merum, ne ipse interveneris
Quæso, dum resipiscit. PT. capita inter se nimis nexa hice habent.
Non placet, labra labellis ferruminant artè admodum.

Personas ita distinguere cur maluerim, à Palmerio pete. Sequitur:

PL. Tentabam spiraret an non, at eam ad nos jam oportuit.
Sin magis vis, ambos mittam. PA. nolo retineat, fleo miser.

De his ille, quem secutus sum prius, non optimè. Mihi liquet è veteribus, militis esse verba, *nolo retineat*, quæ sub ejus persona distingues, *PT. nolo, retineat.* Ajebat nauclerus, vel ambos se missos facturum (quod rectè de Philocomasio, & Palæstrione capiunt) si miles ita velit, nam sua nihil interesse. Tum ille, nolo, inquit: & retineat Philocomasium etiam servum, quem dono semel dedi. Reliqua Palæstrio ipse assilens dicat, *fleo miser*; an Pleusides, *flet miser*, in haud magno discrimine ponam.
Post illa:

PT. Age Palæstrio, bono animo es. PA. heu, nequeo quin fleam.

Geminandum erat *heu heu*, nisi veteres insererent *heu mihi*.
Statim:

PH Sed quid hoc, quæ res est? quid video? lux salve.
PL. Jam resipisti? PH. obsecro quem amplexa sum
Hominem? perii! sumne ego apud me?

Primus versus integer non est, alter alterius generis: qui tamen conformari ceteris possit ex antiquis, traducto in ejus initium Philocomasii nomine, quod insertum illic præcedenti:

PL. Philocomasium, jamne resipisti? PH. obsecro. q. a. sum.

At primo nihil, me judice, nisi lucis epitheton aliquod abest. Fortè, *lux salve*

-can

falve candida, aut alia talis, qua addita fit & ipse reliquis par, & plenus. Etsi mutationem numerorum non alias absurdam hic assensero, si quis contra tendet: sed & idem, quales sint igitur, ostendet. Illis mox verbis, *PY. Quid istuc negotii?* inserendum verbum è priscis, *Quid istuc est negotii?* Ridebis, id moneri, sed ride numeros, qui poscunt: atque paullò pòst etiam traduci illa volunt, *Ne quis hoc tibi vitio vortat.*

Iidem vitium, & istic indicant:

Cum venit in mentem, ut mores mibi mutandi sient,
Muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici.

Fortè sic Plautus reliquit:

Cum venit in mentem, mores ut mihi mutandi sient,
Discendi muliebres, obliviscendi stratiotici.

Deinde certè gemino *u* scripsit iterum *fuerim*, eorundem caussa.

PA. Cogitato identidem, tibi quam fidelis fuuerim.

Post rectè illud emendatur, si & rectè distinguatur:

PY. Scio, & perspexi sæpe, verùm cum antehac, tum hodie maximè.
PA. Scis imo hodiè: verùm factis fuxo pòst disces (aut etiam *dices*) *magis.*

Finis scenæ manifestò interpolatus:

Stultè feci, qui hunc amisi, ibo nunc intrò nunc jam
Ad amores meos, etiam sensi hinc, sonitum fecerunt fores.

Priore versu bis habes *nunc*, malè. Melius veteres, *ibo hinc intrò nunc jam.* Altero scribendum erat, *& jam* divisim, aut *sed jam*, nisi aliud lateret, quod non educo. Veteres illi enim *quis exit hinc*, ad sensum commodè, non ad versum. Penultimâ scenulâ quod est:

Investigabo, operæ ego non parcam meæ.

est unde potius legas, *Investigando ego operæ n. p. meæ.* Sic dictum, operæ investigando parcere, ut suprà, operam investigando sumere. Scenâ ultimâ mirum est, ubique sic malè interpungi istud:

PY. Perii. CA. haud etiam numero hoc dicis. jamne in hominem involo.

Ait, nondum numerò, id est citò nimis dicere. Dicebat imò, neque dum perierat. Distingue post *haud etiam*. Nondum periisti, inquit. *numero hoc dicis*: præmaturè periisse te dicis, præut peribis. Hoc sensu nihil venustius, nihil absurdius vulgato. Deinde:

PY. Ita me dii ament, ultrò ventum est ad me. PER. mentitur.
PY. perii.

Non displicet ista tam crebra militis exclamatio periisse se quiritantis. Hic tamen veteres libros censeo magis audiendos, qui legunt:

. . . . . *PER. mentitur. feri.*
PY. Mane dum narro.

Versus sequentis sic verba digeres:

PE. Dic. PY. oratus sum huc venire ad te. PE. quare ausus? hem tibi.

In illo:

PE. Ubi lubet, distendite hominem divorsum, & dispendite.

non lubet argutari cum Nonio in *dispennite*, quod pro *dispendite* nobis supponit: alioqui poteramus, & in altero *distendite*, quod mutare facillimum erat in *distennite*. *Tennere*, verbum antiquum, quod in Terentii Phormione Donatus notat: unde & *tenus*, quod Nonius in Bacchidibus Nostri laqueum interpretatur in aucupio tendi solitum sive tenni.

Proximum sic scribe:

Obsecro hercle te, mea ut audias priusquam secer.


Mox negatio superest in isto:

PE. Jura te non nociturum esse homini de hac re nemini.

Eam in *nunc* mutari debere certum: quod Lambini libri habent etiam illâ retentâ. Sed ita compones:

Ja-

Jura te nociturum esse homini nunc hac de re nemini.
Hunc in vicinia scribes ex antiquis pleniorem:
Si te salvum hinc mittimus ire Venerium nepotulum.
Paullò inferius:
PE. Si posthac prehendero, ego te hic arcebo testibus;
Sententiæ versusque caussâ distinguito, ac scribito:
PE. Si posthac prehendero ego ted hic, arcebo testibus.
Postremo propter etiam versum:
Namq; illic, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat.
Non *ille*. Jamque & nos tandem solvimus, ac mittimus mitem fatis Militem, qui iderit, mihine cognoscenti, an ignoscenti seni gratiam debeat majorem.



YA-

VALENTIS ACIDALII
IN PLAUTI MERCATOREM
DIVINATIONES, ET INTERPRETATIONES
AD
CLARISSIMUM VIRUM
JOANNEM CASELIUM
JURISCONSULTUM, PHILOSOPHUM, Et Oratorem.

CAPUT I.

Censuræ in Mercatoris initium. Loca quædam dubia post alios tentata, atque alio modo, si fortè, constituta.

MErcator Plautinus adulterinas, & improbas quasdam bonis, incorruptisque mixtas diu merces venditavit, quas Ædiles nostri non diligenter satis omnes inspexêre. Nos quæ sic fefellerunt, ventilabimus hic, & excutiemus, æstimabimusque, pro virtute ut cuique pretium stet, nec amplius tam dolo malo incauti decipiantur emtores.

Prologo exponitur:

Sed ea ut sim implicitus dicam, si opera est auribus,
Atq; ad advertendum animum adest benignitas.

Id initio statim non sincerum veteres arguunt libri, & ipsi numeri, qui mihi suadent interpolare sola transpositione particulæ unius: *Atq; advertendum ad animum.* In hoc tamen non erat magna fraus: in versibus proximis admodum sanè magna:

Et hoc parum etiam more majorum institi.
Per me ea percontatus sum vos, sumq; index illico.

Nam quid hic omnino sanitatis? Et Dii ne sirint, ut Lambini, & Alciati recipiamus emendationes, quibus vix putidius aliquid poterat dari. Dicam ego meam, sed ambiguam, ac duplicem adeò sententiam, cum venia doctorum, si neutra acceptabilis, etsi quidem utraque magis, ut ipse judico, quàm illorum, quos damnavi. Lacuna mihi visa hic olim fuit aliquot versuum, qui inter hos, & superiores interiecti continuissent principium narrationis illius, quam instituebat adolescens de novitiis his, & veteribus etiam amoribus suis in ipsa patria, quamque ab initio repetit posteà,

Illuc reverti certum, ut conata eloquar.

Hoc posito, versus istos sic scribebam:

Et hoc parum etiam, more majorum institi,
Pergræcatus sumtuosusq; sui inde illico.

Et capiebam, quidquid præcessisset, quòd diceret à se factum, id quidem parum etiam esse, nam aliorum exemplo, & quasi de majorum more pergræcari se incepisse, & sumtuosum illico fieri: quæ vitia mox hac occasione præcipua sectari narraret amo-

rem, maximè de elegantiæ damnosissimo studio questus. Hæc olim mens fuit: quam etsi non improbo nunc prorsum, tamen quod recens cogitavi, multo placet impensius, eò quia lacunam abolet, quam prius inducebam. Nullus enim videbitur esse defectus, si mutatione minori quoque & omnium facillima legatur:

Et hoc parum etiam more amatorum institi:
Percontatus sum vos, neq; sum index illico.

Cum narraturus Charinus esset amorum suorum initium, atque ordinem, præfatus veniam velut quæsierat, an vacaret spectatoribus, & benignè se essent audituri. Id nunc percontatum se esse prius, damnat, neque fecisse ait amatorum modo, qui cum ratione parum agant scilicet, & quod ipsis lubeat dicant sine respectu, ut loquuntur, aliorum. Indicare decuisse potius statim, quam delicias facere præfatiunculâ, & modestiâ amatoribus alienâ. Quò pertineat, quod infrà de multiloquio, & pauciloquio affert: quamquam illud excusat etiam ibi, æquè præter amantium morem. Videant eruditi, quid in utraq; conjectura sit, & utram, aut adeò an aliquam harum velint amplexari. Voces, quas utrobique neglexi. *Per me ea*, spuriæ sunt prorsus, & à librariorum interpretumq; hæsitatione natæ. Jam ab hoc scruposo loco ad planiora alia progrediamur. Est etiam in Prologo:

Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria.

Nec est malè: si fortè melius tamen incuria quam *injuria*, si verba utrinque proxima spectentur. Ibidem mox:

Principio atq; animus ephebis ætate exiit,
Atq; animus studio amotus puerili est meus.

rectè vidit elegantissimus Dousa F. repetitum in priori versu *animus* è sequenti, neque ceteram correctionem ejus improbo, moneo tantùm; ipse aliique videant, an non repetitum simul, & *atque*, junctum hic & illic alteri: quo abjecto pariter, etiam levius emendari possit,

Principio ut ex ephebis ætate exii,
Atq; animus studio.

Minor hæc mutatio, neque minus Plautina locutio. Deinde:

Summo hæc clamore: interdum mihi se colloqui
Abnuere, negitare adeò me natum suum.

Planè censeam è veteribus reponendum, *interdum mussans, colloqui Abnuere.* planè inquam, nam cur mutemus ulterius cum aliis idipsum, quod sic liquido ibi scriptum, & rei maximè aptum? Intervallo majusculo, ut nos facimus intervalla:

Navim, metretas quæ trecentas tolleret;
Parasse; atq; eapse merces vectatum undiq;
Adeo dum, quæ tum haberet, peperisset bona.

Magni Scaligeri hoc, quod in textum à Lambino receptum jam olim. Non secutus est Gulielmius noster, cujus nec ipse sequor æquè ingeniosam conjecturam. Hic faciebat, *atq; ea se in Persis vectatum undique*. At dissentaneus à se ipso sensus, in Persis simul & undique vectari. Nec dicturus fuisse Plautus videtur, in Persis. Ab altero etiam, ne sequar, deterret me *vectatum* agendi significatu. Mihi ipsi succurrebat, *atq; ea semet Sic vectatum undique*. *Cis* inverti, & in reliquis proximè item ad vestigia vulgata accedo. Scenâ primâ:

Simul autem plaudissimè eos, qui adversum eunt, aspellito.

Præter quæ alii hic mutant, etiam *eruunt* malim ego, quod in veterum aliquo vidi. Esse & fieri advorsum alicui, crebra Plautò phrasis. Atque mox:

Et currendum, & pugnandum, & ante jurgandum est in via.

Credo & *autem* potius scriptum, quod sic mutarat in *ante* Casinæ quoque Prologo, ubi de particula ea diximus satis. Ibidem:

Quam resisto, tam maximè res in periclo vortitur.

Alio verborum ordine veteres, *Quam maxime resisto, tam res in p. v.* & indubitatò meliore. Jambicus tetrameter ita versus est, quales & priores esse videntur. & sequentes ad illum usque,

AC. At tu edepol calidam picem bibito, ægritudo abscesserit.

à quo mutari in septenarios trochaichos incipiunt.

CA-

CAPUT II.

Balneæ veterum à via & aliàs, lassitudini eximendæ. Lubet scire me: Trajectiones versuum duæ ostensæ: alia multa variè correcta, explicata. Jocus etiam tenuior interpretatur.

ORdo versuum ille non pessimus est eadem primâ scenâ:

Perii, animam nequeo vortere, nimis nibili tibicen siem.
CH. At tu edepol sume laciniam, atq; absterge sudorem tibi.
AC. Nunquam edepol omnes balneæ mihi hanc lassitudinem eximent.

Vix scio tamen, an non melior futurus à transpositione, ut post mentionem lassitudinis, ac balnearum subjiciatur de sudore abstergendo: quod fore commodius videtur, quam ubi se nihili tibicinem servus dixit. Hunc in modum, inquam, versus fortè disponendi:

Perii! animam nequeo vortere, nimis nibili tibicen siem.
Nunquam edepol omnes balneæ mihi hanc lassitudinem eximent.
CH. At tu edepol sume laciniam, atq; absterge sudorem tibi.
AC. Domin' an foris.

Sed hoc valdè quidem dubium. Quòd autem ait balneas lassitudinem sibi non exemturas, scire licet, veteres ita se lavacris refovere solitos à defatigatione quacunque: ut Truculento Sc. *Pisces.*

AS. Non quis parumper durare opperirier:
DI. Quin hercle lassus jam sum durando miser.
Mihi quoque præ lassitudine opus est ut lavem.

Atque hinc potissimum inter caussas tamen alias illæ peregrè venientium lavationes: quarum in Plauto exempla multa. Amphitr. Sc. *Satin' parva.*

Ain' hers nos advenisse huc? AL. ajo, adveniensq; illico
Me salutavisti, & ego te, & osculum retuli tibi.
AM. Jam illud non placet principium de osculo. perge jam exsequi.
AL. Lavisti. AM. quid postquam lavi? AL. accubuisti.

Epidico Sc. *Male morigerus.*

ST. Epidice fateor. EP. abi intrò, ac jube huic aquam calefieri.

Etiam apud Appulejum lib. I. Metamorph. *Et vocatâ ancillulâ, Fotis, inquit, sarcinulas hospitis susceptas cum fide conde in illud cubiculum, ac simul è promtuario oleum unctui, & lintea tersui, & cetera huic eidem usui profer ocyter, & hospitem meum produc ad proximas balneas. satis arduo itinere, atq; prolixo fatigatus est.* Et apud alios ubiq; scriptorum. In Plauto ibidem porrò non videtur, & hoc mendosum:

..... *CH. ego animi pendeo,*
Quid illud sit negotii, lubet scire, ex hoc metu ut sim certior.

tamen & hoc è parva veterum librorum diversitate sic amplius lubenter mutarim:

..... *CH. ego animi pendeo,*
Quid illud negotii sit: lubet scire ex hoc me, ut sim certior.

Locutio, *lubet scire me*, Plautinissima, & ex earum genere, in quibus additæ verbis infinitivis particulæ *me*, *te*, *se*, ac similes abundant, quorum exempla etsi non erat opus ulla poni, duo tamen hic leguntor. Infrà hac fabula:

Non possum durare, certum est exulatum hinc ire me.

Militè suprà: ..... *verear magis*
Me amoris caussâ istoc ornatu incedere.

Ubi malè, qui *Mei* volunt emendare. Deinceps:

..... *CH. liberum*
Caput tibi faciam, paucos menses, AC. palpo percutis.

Rectè inferunt viri docti *cis*, sed non suo loco. Is autem est, *faciam paucos cis menses*. Nam latet ea particula in posteriore syllaba vocis jam antecedentis. Inferius vix est ut suo loco versus ille totus sit:

Hoc quidem te interrogo, responde. AC. quin tu si quid vis roga.

Ac me si audias, hunc facias seriem omnium istorum:

AC. Eloquar, quandoquidem me oras, tuus pater. CH. quid meus pater?
AC.

AC. Tuam amicam. CH. quid eam? AC. vidit. CH. vidit? væ misero mihi.
Qui potuit eam videre? AC. oculis. CH. quo pacto? AC. biantibus.
CH. I hinc directus à me. (hæ voculæ causâ versus ex antiquis inserendæ.) *nugare in re capitali mea.*
AC. Qui, malùm, ego nugor, si tibi, quod me rogas, respondeo?
CH. Hoc quidem te interrogo, responde. AC. quin tu si quid vis roga?
CH. Certen' vidit? AC. tam hercle certè quàm ego te ac tu me vides.

Nihil audacius affirmo, sed omnino germanus hic auctoris ordo: qui tam clarus, ut explicatione non debeat ulla comprobari. Post, locutionem non ego istam damno:

Neq; quisquam hominem conspicatus est, donec in navi super.

neque minus amo conjecturam amici, *donec in navim subit.* Ultimum sit hoc hac scena quod nunc dicam. Tribus continuis istis versibus immittendæ singulæ voculæ, quas adeò numeri ab editionibus priscis reposcunt:

Perii. AC. hem istuc nunc unum verbum dixisti verissimum.
Stultitia istæc est. CH. quid faciam? cedò. nam non credet pater,
Si illam matri meæ me emisse dicam.

Vide jam ipse, quid atque ubi cuique accesserit. Sequitur scena *Multis modis*: cujus initium planè idem, & Rudente, sed illic auctius uno versu, qui mirum nisi debuit hic quoque non omitti. Si tanti est, ultrò confer & expende. Hic sub initium autem in somnii narratione:

Ei ne noceret, quam domi antè habui capram,
Neu discordarent, si ambo in uno essent loco,
Posterius, quàm mercatus fueram, visus sum
In custodiam eam Simiæ concredere.

corrigendum fortassis *ambæ* primò: deinde certò, *Posterius quam mercatus fueram,* sine accentu, sine alia interpunctione. Sensus est. Cum jam ante capram haberet domi, veritus est illi alteram novitiam committere, ne inter ambas non conveniret, & altera noceretur. igitur hanc, quam posterius fuerat mercatus, in custodiam Simiæ dedit. Mox tenuis est jocus in verbo *ambadedere*, quem vix quisquam hactenus attendit.

Dicit capram, quam dederam servandam sibi
Suæ uxoris dotem ambadedisse. oppido
Mihi illud videri mirum, ut una illæc capra
Uxoris Simiæ dotem ambadederit.

Ludit in verbo, quod dixi. Sonus in eo est vocis *ambo*: cui opponit *unum*. Et ait mirari se, quomodo una capra dotem ambadederit. Hoc ita nisi accipias, nihil in iis verbis satis est: quamquam & illud simul ridiculè miratur, quomodo capra unica totam dotem arrodere circumquaque potuerit. Id quod manifestius apparet: neque minus tamen occultior ille jocus ibidem captatur. Scena *Profecto ego.*

DE. Decide collum, si falsum est uti loquar.

Non Lambini, non aliæ lectiones placent. Vellem scriptum, *si falsum est, nec uti loquor.* Ibidem pòst:

Nescis? ne objurga. hoc non voluntas me impulit.

Melior lectio, *Ne sis, ne objurga*: de qua monitum ab aliis puto. *Hoc* alii volunt esse *huc*: optimè: atque ita Servius, ac Priscianus in Marone:

Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto.

Libri tamen veteres aliter, neq; malè, distinguunt, *ne objurga hoc*: quasi sit, propter hoc. Ad finem:

. . . . . Sed optimè gnatum meum
Video eccum, opperior hominem, hoc nunc mihi viso est opus.

Scribi interpungique aliter versus, ac sententia volunt:

Video, eccum. opperiar hominem: hoc nunc mihi viso opust.

Ni sic *est* in fine trajicias, *hominem* sit delendum. Sed trajiciendum magis illud, atque idem pariter penultimo versu:

Nam ei dono advexe audivi, sed præcauto est opus.

Fac, *sed præcauto opust.*

CA-

CAPUT III.

Porro-scenæ examinatæ. Multa in iis emendata verborum, personarumq; mutationibus: numeri refecti: versus etiam unus traductus. Exposita, quibus opus fuit, & declarata.

SUbauscultemus nunc rivalium patris, ac filii de muliercula sibine, an aliis? imò sibi ridiculo certamine laborantium verecundam contentionem. Ea scenâ proxima, *Homo me*, continetur: in qua hoc leve mendum, si est mendum tamen:

DE. Ita volo, sed istuc quid est tibi? quid commutatust color?

Dices esse, quantulumcumque est, si lectionem meliorem hanc agnosces: *sed istuc quid est, tibi quòd commutatust color?* Inde porro majusculo intervallo:

DE. Ut morata est? CH. nullam vidi melius mea sententia.
DE. Mihi quidem edepol visa est, cum illam vidi. CH. ebo an vidisti pater?

Magis adhæream veteribus, qui versu altero *Sic quidem edepol visa est*. Elegans deinde locutio: *Vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium.*
quæ eadem Persâ: *At enim illi noctu occentabunt ostium, exurent fores.*
Statim: *Mibiq; objicient lenocinium facere.*
potius sit, *objiciant*: quo flexu reliqua sunt omnia verba. Porrò:

CH. Dixit se redbibere, si non placeat. DE. nihil istoc opust.
Litigare ego nolo vos, quàm tuam autem accusari fidem
Multo edepol, si quid faciendum est, facere damni mavolo,
Quàm opprobramentum, aut flagitium muliebre efferri domo.

Inconcinnum, ut diversæ sententiæ utrinquesecus adhæreant isti uni, *Multò mavolo*. Mutandæ paululum, & interpunctiones, & vocula una:

Litigare nolo ego vos, neq; tuam autem accusari fidem.
Multò edepol si quid f. e. f. d. mavolo,
Quàm opprobr.

Ex altero *quam*, *neque* feci: & subintelligitur, neque volo: De particula *autem* sic posita, & hic, & alibi supra dictum. Versu ultimo suspectum etiam *efferri domo*, pro quo substituant alii melius, qui possunt. Mox inde:

DE. Tace modo, senex est quidam, qui illam mandavit mibi
Ut emerem ad istam faciem.

Non *illam* Plautus, sed *olim* videtur scripsisse. Et hinc mox:

DE. Eccum illum video, jubet quinq; me addere etiam nunc minas.
CH. Hercle illunc dii infelicitent, quisquis est. DE. ibidem mihi
Etiam nunc annutat, addam sex minas. CH. septem mibi

Fuit cum paullò hic aliter vellem: *quisquis est. totidem mibi. DE. Etiam nunc an.* ut filius contra patris illas triginta quinq; minas, totidem licitetur, eadem ratione, qua statim contra sex alias, septem. Sed supervacuum id fortè, quamvis admodum sanè decorum. Versui illi vocula in libris omnibus deest, quàm hic inserui:

Potin' ut ne licitere adversum animi mei sententiam?

in quo turpiter etiam una superest in optima editione, *Potin' ne ut ne*. Pòst, ubi multa comminiscitur adolescens, quæ venditionem impedire posse sperat, ante alia patri objicit, non posse mancupio illam tradi mancupio non acceptam:

CH. Non ego illam mancupio accepi, sed ille illam accepit. DE. sine.

Ubi cum se accepisse negat, quis ille est, quem affirmat accepisse? An, cum quo communem sibi postea dicit? Nugæ. Corrigendum ajo:

CH. Non ego illam mancupio accepi. DE. sed ille illam accipit: sine.

Rejicit pater objectionem filii. Nihil referre de mancupio: quoniam licet ipse non acceperit, accipere tamen illum senem: id est, ita emere, tanquam si mancupio vendatur, nec eo deterreri ab emtione, quòd evictionis periculum non præstetur. Propius scenæ finem:

Ibi venibit. CH. vin' me tecum illò ire? DE. nolo. CH. non placet.
DE. Meliust te, quæ sunt mandatæ res, tibi prævortier.

Tolle comma, quo nunc loco est, & post *tibi* repone. Verborum enim hic ordo ac sensus: melius est te prævorti iis rebus, quæ tibi sunt mandatæ. Versu priore nescio si tollenda Charini persona: cui etsi minimè quidem placebat, ad portum una non ire, tamen levior est ea dictio quàm pro ejus affectu. Senex igitur ista potius continuet: *nolo, non placet. Melius est te*. Proxima scena unum noto, quod est perpusillum:

. . . . . *EV. atque eximam*
Mulierem pretio. CH. qui potius, quàm auro expendas? EV. unde at erit id?
Glossema est verbum *erit*, quod cum non habent meliores libri, tum versus omnino jubet abolere. Scenæ, quæ deinceps, principium hoc ipsum distingui sic quidam volunt:
Amicè amico operam dedi, vicinus quod rogavit,
Hoc emi mercimonium, mea es tu, sequere sanè.
Sed frustrà abhorrent locutionem, *dedi operam quod rogavit*, Plauto perquam familiarem. Satis unum exemplum Casinâ.
Quàm istanc operam à med impetres quod postulas.
In scena deinceps interiore turbatus ordo versuum pervulgatus:
PA. Ecastor jam biennium est, cum mecum rem cœpit habere:
Nunc, quando amicum te scio esse illius, indicabo.
LT. Quid ais tu? &c.
Restituo fidenter hunc à me novum.
PA. Ecastor jam biennium est, cum mecum rem cœpit habere.
LT. Quid ais tu? jam biennium est cum tecum habet rem? PA. certo.
Nunc quando amicum te scio esse illius, indicabo:
Inter nos conjuravimus, ego cum illo &c.
Qui sapit, probabit, atque etiam illud fortè deinceps, ubi verba personis sic interpartiri velim: . . . . . *PA. amabo an maritus ille est?*
Neq; est, neq; erit. LT. nolim quidem. homo hercle perjuravit.
PA. Nullum adolescentulum plus amo.
Magis profectò convenit, Lysimachum loqui secum de perjurio vicini senis, quam de adolescentis Pasicompsam. Ille sciebat enim certò perjurasse, si vera mulier narrabat: hæc dubitare tamen poterat, & noto amatori plus adhuc fidere, quàm ante illum diem non viso seni. Scenulâ, quæ continenter hanc insequitur, *Tandem impetravi*, non probus alter istorum versus: *Demum igitur cum senex sis, tunc in otium*
Te colloces, dum potestur: id jam lucro est.
Verba traduces, *Te, dum potestur, colloces*. ita pedibus incedet, quibus debet.

CAPUT IV.

Unum hoc. Deferre, dare, spondere dotis. Aliorum quædam refutata. Terentii locus defensus. Plautus sæpiculè correctus, illustratus: in eodem repetitio importuna duorum versuum ostensa.

SCenâ *Addam*:
Quid si igitur unum, factum hoc si censes, coquum
Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat.
De emendatione Gulielmio magis assentior quam aliis; de distinctione verò mihi potius etiam quàm illi. Scribendum:
Quid si igitur unum faciam hoc? si censes, coquum
Aliquem arrip.
Et *faciam* quidem apertè libri veteres: *unum hoc* sic apud Terentium Adelph.
ST. Labascit. unum hoc habeo: vide si satis placet.
Quod ipsum illic aggressus est mutare quidam, ineptè sic scribi ratus, & id certò se scire affirmans. At nos contrà scimus, elegantissimum, rectissimumque hoc: quod ipse substituit, alienissimum à loco, neque vel cum numeris quidquam validius pugnare. Frequentius *unum* solum in oratione sic Comici usurparunt. Nostri Bacchidib.
Magis unum in mente est mihi nunc, satis ut commodè
Pro dignitate obsonii hæc concuret coquus.
Casinâ: *Cedò. mane. unum venit in mentem modò.*
Menæchm. *Nihil quidem paveo, nisi unum, palla pallorem incutit.*
Suprà hic: *Unum quidem hercle jam scio, periisse me.*
Terent. Heautont. *Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiæ.*
Proximâ huic scenâ insititios esse duos versus censeo:
Divum atq; hominum quæ spectatrix atq; hera eadem es hominibus
Spem speratam cum obtulisti hunc mihi, tibi grates ago.
qui iidem infrà constituunt initium Scenæ secundæ quinti Actus; ubi germana eorum sedes: non hic. Etenim qui tanta convenerit hic exsultatio? Visone vix sodali rapiatur in gau-

gaudium tantum Charinus, ut re, quam ferret, neque cognitâ triumphet? Et quàm repente dejicitur vicissim! Nec hærent his commodè, quæ sequuntur. Illa vero commodissimè reliquis, si quæ volumus eximantur:

Sed isne est, quem currentem video? is ipsus est, ibo obviam.
Numquid restat? eheu disperii. Vultus neutiquam hujus placet.

Propono tamen hoc, non quia prorsus audiri me velim, & haberi pro sententia quod dixi: sed quasi refero ad Senatum literatorum, quorum judiciis examinetur, & stet, cadatque suspicio nostra. Ante hæc:

Sed tandem si podagrosis pedibus esset Eutychus,
Jam à portu rediisse potuit.

Nec produxisse primam videatur Plautus in *podagrosis*, aut aliàs non constet versus, deme voculam alterius versus initio, & huic insere:

Sed tandem jam, si podagrosis pedibus esset Eutychus,
A portu red. pot.

Pòst, cum versum, sensumque considero:

Odiosa est oratio, cum rem agas, longinquum loqui:

Labor, ut scribendum putem, *cum rem aveas*. Minuta alia scenæ ejusdem pudet consectari; nisi unum, quod à fine propius abest:

Si id fore ita, si ita animo acceptum est certum, id pro certo si habes.

Ecquis est qui ferre ταυτολογίαν tam insulsam possit? Ego de magna interpolatione olim suspicatus sum: nunc censeo mitius, & Plautum sic ferè scripsisse persuasum, & acceptum habeo: *Si id fore ita sat animo acceptum est certò, id pro certo si habes.* quamquam etiam dubitando locus, ne fuerit, *certum id aut pro certo si habes*. De prioribus certum, *sat* conficiendum ex altero *si ita*. Sequimur ad sequentem scenam:

ST. Da sanè hanc virgam lauri. DO. abi tu intrò. ST. eo.

Est qui personas deleat liber, & continenter omnia Dorippæ adscribat, præter extremum Syræ *eo*. Non damno: & fuerit tum *da*, porrige; non, in aram impone. Sed neq; vulgatum nostrum sustineo mutare: cui è veteribus aliis inserere tutius est, *abi jam tu intrò*. Ne alterum quidem ibidem ausim rejicere:

DO. Quid? mulier? ST. mulier meretrix. DO. veron' seriò?

Et tamen eleganter personæ varientur: *DO. veron'? ST. seriò. Nimium scis sapere.* Porro alia scenula *Parumne*:

. . . . . sed coquos quasi in mari
Solet hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur.

Deesse videtur, *Solet olim hortator*, ne claudicet versus: etsi non nescio produci interdum in *t* desinentia ejusmodi verba, maximè, si, ut hic, aspiratio excipiat, quæ quasi sit pro consonante. Sed in hoc genere vix id putem admittendum, atque *olim* sic solet interjici in re comparationis. Milite:

Quàm solis radii esse olim cum sudum est solent.

Iterum alia scena, quæ huic proxima:

Hem cui decem talenta dotis detuli.

Notare juvat locutionem non protritam, *deferre dotis*. Ita verba enim hic junxerim, ut *dare dotis* eadem formâ dictum, & à nostro, & à Catone apud Nonium in verbo *Receptitium*. Ibi ille: *Mulier & magnam dotem dat, & magnam pecuniam retinet. Ex ea igitur re familiari, ex qua sibi dote data retinuit pecuniam, à viro fortè irata repetere instituit. Apponit ei flagitatorem receptitium, hoc est, proprium servum, quem reliqua pecunia receperat, nec dederat dotis, & exceperat.* Plautus noster Persâ, SC. *Quæ res.*

Si hoc accurassis lepidè, cui rei operam damus,
Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi.

Idem Cistellar. SC. *Audire.*

Unde tibi talenta magna viginti pater Det dotis.

Nec aliter Aululariâ nunc capio, SC. *Præsagibat.*

Atq; eam despondė mihi. EU. at nihil est, dotis quod dem.

Ita distinxerim, nec aliorum aliam admiserim lectionem. *Spondere* etiam *dotis* est Trinummo, SC. *Neq; fuit.*

. . . . . LT. sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi.
CH. spondeo, & mille auri Philippum dotis. LT. dotem nil moror.

Ubique interpreteris, in dotem: & subintelligas, nomine seu loco dotis.

CA-

CAPUT V.

Plauti multa, magna minuta, vulnera obligata. Loca turbata, constituta: fracta, & mutila, de ingenio expleta, & refecta. Versus dubiæ sedis, vix tandem in certâ constitutus. Pseudolus etiam correcta. Explicationes additæ, ubi, & quantum opus fuit.

Acriter, & instanter eadem scenâ urget Dorippa maritum trepidantem, neque aut cuja deprehensa mulier sit, aut quod ejus nomen, vel illi fatentem, vel apud se invenientem. Ea pars turbata videtur nonnihil:

LY. Illa est. num etiam vis nomen dicam? DO. nihil agis.
Manifestò teneo in noxia. LY. qua noxia?
Illa quidem illa est. DO. quæ illa est? LY. illa. DO. io illa.
LY. Jam si nihil usus esset, jam non dicerem.
DO. Non tu scis quæ sit illa? LY. imo etiam scio.
De istac sum judex captus. DO. captus? jam scio.

Ac mei arbitrii sit, ita refingam:

Ista quidem illa est. DO. quæ illa est illa? illa io!
Non tu scis quæ sit illa illa? LY. imò etiam scio.
DO. Jam. LY. si nihil usus esset, jam non dicerem:
De istac sum judex captus.

Exagitat uxor hæsitationem viri, & eò toties vocem ejus illam repetit, quæ velut effutitia, & nugatoria in eo dicendo quod nescitur. Ita Trinummo, cum Sycophantam Charmides teneret: . . . . . *CH. quod est ei nomen? ST. quod edepol homini probo.*
CH. Lubet audire. ST. illi edepol, illi illi illi, væ misero mihi.

Dein, cum scire tamen senex diceret, illa quæ esset; hæc, *Jam*, inquit: quo verbo uno vehementissimè premit, & extorquet tandem aliquam confessionem. Itaque tergiversari non ausus amplius miser ille, non tamen se dicturum ait esse, nisi plane sibi necesse jam videret: atque commentus interim, quodcunque subvenire potuit, id profitetur. Scena sequente: *CO. Non estis cenaturi? LY. jam saturi sumus.*
Sed interii. DO. quid ais tu?

Languidum nimis hoc, *Sed interii*. Fortè scriptum, *St. interii*. Silentii nota silere iterum jubet coquum, ut prius:

LY. Abi. CO. quid abeam? LY st. abi. CO. abeamne? LY. abi.

Deinde minus etiam mendum:

Non ego sum, qui te dudum conduxi. CO. quid est?
Imo hercle tu istuc ipsus.

Tamen mendum: & scribes *istic*, ut est in antiquis, & sexcenties in Plauto, pro iste. Forsan & ibidem, *conduxit*. Paullò inferius:

LY. Cras petito, dabitur. nunc abi. DO. heu miseræ mihi.

Melius ex iisdem veteribus ipsi seni relinquas verba, quæ Dorippæ nunc legimus adscripta, ut continuet ille: . . . . . *nunc abi. heu misero mihi!*
Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus.
Aliquid mali esse propter vicinum malum.

Proximæ scenæ initio:

Hera quem me misit ad patrem, non est domi.

Magis etiam figurata, neque Plautina minus locutio in priscis, *Hera quò me misit ad patrem*. Et hanc restitui velim. Posteà ibidem:

ST. Sua quidem salute, ac familiæ maxima.

Veteres quos ubique laudo, inserunt *omni* Scribo *familiæ omnis*: id est totius. Jam ad illam progredimur scenam, cujus initium alibi in media scena temerè insertum supra censebamus. Est autem alter istorum versus:

Spem speratam quoniam obtulisti hanc mihi, grates ago.

scribendus fortasse potius ad illud prius exemplum:

Spem speratam quom obtulisti hanc mihi, tibi grates ago.

Meliores enim numeri, pleniorq; sensus. Ac deinceps æquè numeris, ac sensui deest aliquid in isto: *Domi erat quod quæritabam: ibi sex sodales repperi.*
Facilè suppleam à me: *Domi erat quod foris quæritabam.*

Nec

Nec abnegabis id germanum, qui Plauti perpetuum morem in particulis iis sic jungendis nosti. Inferius iterum contrahes *certa res*, quod non semel antea notavi:

EV. Cogito, quoniam ego illum curram quaeritatum. CH. certa res est.

Porrò deinde locus mutilus fortasse, certè quidem manifestò interpolatus:

Recipe te ad terram Charine huc. nonne ex adverso vides?
Nubis ater imberq; instat, aspice nunc ad sinistram
Caelum uti splendore est plenum ex adverso vides.

Inculcatum primò est posterius hoc *ex adverso vides*: deinde & illud *aspice nunc sinistram*. Alterum repetierunt, quia necessarium visum est in utraque parte, cum nihil pugnet contra rationem magis. Alterum fecerunt illi, qui antea legissent *Respice ad dextram*, quod est in antiquioribus libris. Quid autem dextrum, aut sinistrum hic faciat, ego hercle non video. Sed neque de terra convenit admodum: quando erat ipse sanè adhuc in terra. Latet alia vox in utravis istarum: quam quis ingenii acie se pervidere speret, ac in reliquis genuinam item assequi scripturam? Totum nos tamen in duos versus coegimus, non Plautinos ipsos, sed ò Plautinis nostros, ut refectis sententia tantum nuda compareret: *Recipe te retrò Charine huc: non ex adverso vides?*

Nubis atra, imberq; instat. caelum hic plenum splendoris est.
CH. Religionem illic objecit.

Deinceps vulgatur: *EV. Maximè quod vis audire, id audies quod gaudeas.*

Sta illico. amicus advenio multum benevolens. CH. quid est?

Versus alter labitur, & sententia volente quoque restituas sanè *nunctius* pro *amicus*. Nec longè illud: *CH. Ego istum in tranquillo, & tuto sistam tibi, ne time.* numeris non optimis. Eximunt veteres *tibi*, qui scribunt iidem *transquieto*. Mirum ni in una voce duae latent, & versus sic legendus, Eutychi praefixâ personâ, quae in optima, quam hic sequimur, editione malè mutavit in Charini:

EV. Ego istum in tranquillo, & quieto, & tuto sistam, ne time.

quamquam ex vulgata lectione versum etiam optimum sic conficias:

EV. Ego tibi istunc in tranquillo, & tuto sistam, ne time.

Etiamq; paullò pòst:

EV. Faciam. CH. longinquum istuc amanti est. EV. etiam metuis? omnia
Commonstrabo, amicior mihi nullus vivit, atq; is est
Qui illam habet.

Ait Eutychus, ut haec distinctio est, omnia se commonstraturum: quae qualia sint, non scio. Nihil praeter amicam videre cupiebat Charinus, & hanc solam it ei monstratum. Neque melior autem interpunctio in Lambinianis: *etiam metuis omnia. Commonstrabo*. Persona interposita liticulam dirimet:

..... EV. etiam metuis? CH. omnia.
EV. Commonstrabo.

Sic Terent. Heauton. *C. ita ajunt, & tu credis? M. omnia.*

Statim: *CH. Non curo istuc, illam quaero. EV. de illa ergo ego dico tibi.*
Sanè hoc non in mentem venit dudum uti tibi dicerem.

Versu priore scribendum fortè *istunc*. Alter alienus hoc loco mihi videtur; nec planè scio quid eo faciam. Nam quid est quod dicere se prius oblitum dicit? An hoc de amica reperta? non potest. Nunc enim ipsum repererat illam primùm, & hunc convenerat. Quomodo igitur, aut oblivisci dudum potuerit, aut narrandi, si meminisset, habuerit occasionem? Sed aliud quid fuisse oportet. Si aliud omninò; nihil id profectò ad hunc locum. De amica enim sola agitur, & satagitur. Quòd si delendus hinc, in hac quidem Comoedia locum illi vix alium dispicio. Sed an planè delendus, alii dispiciunto. Sed & hoc deinde vidento, an non dari commodiusculus eidem locus possit, tamen hac ipsa scenâ, ut illùc referatur:

EV. Mane parumper, atq; hoc audi. CH. cape sis puer hoc pallium.
EV. Sanè hoc non in mentem venit dudum uti tibi dicerem:
Mater irata est patri vehementer.

Distulit diu caussam Eutychus profiteri, cur adeò rectà ad amicam statim sodalem non introduceret: nunc quia videt tandem, ut retineatur fugitivus, celari non posse; simulat hactenus in mentem sibi non venisse, ut dudum diceret, quod dicturus planè de industria non erat, verecundiâ praepeditus in parentes, quorum iras, ac dissensum super ista ipsa amica prodere erubescat. Sequitur alius porrò locus, cui sedem, quam obtinet, etiam negem suam:

CH. Vera dicis. EV. nihil Charine te quidem quidquam pudet.

Nec enim sententia convenit admodum iis, quibus intersceritur: atque hi multò melius cohæreant non interrupti, scriptique in hunc modum:

EV. Egomet vidi. CH. quis eam adduxit ad vos? quis? EV. iniquè rogas.
Quid tua refert, qui cum istac venerit. CH. dum istic fiet.

Alteri *quis* immisi, propter versum, quod si males, Eutycho tribui etiam potest: altero scripsi propter sensum *istic*: id est, domi vestræ, ubi quidem esse ille dixerat. Jam autem si mihi dabis, abesse melius hinc eum intermedium versum: locum in hac scena commonstrem alium, ubi commodius adesse videatur. Sed levissima opus est antè mutatione, ut *dixi* scribam vice *dicis*. Et hoc cur graveris, nihil est caussæ. *Dicis* enim trajectâ saltem literulâ *dicsi* gignit: quod est ipsum *dixi*. Quæ antiqua scriptura non intellecta potuit occasionem dedisse, & mutandi in *dicis*, & deinde aliò versus traducendi. Sed nihil affirmo. Tantùm non malè collocatum iri dico post inferiorem multò versum istum: *CH. Nam hic quod dixit, id mentitum est. EV. vera dixi equidem tibi.*
Vera dixi, nihil Charine te quidem quidquam pudet.

Hoc quoque doctiorum, ac magis ingenio valentium judiciis æstimandum linquo. Interim illud ajo, versu, cui alterum nunc adjunximus, scriptum olim *id mentitust*: nec id resolvendum fuisse in *mentitum est*, sed *mentitus est*. Quod idem vitium Pseudolo hæret etiam SC. *viso*.

Malum, & scelestum, & periurum ajebat esse me.
SI. Pol haud mentitum est.

Ibi pariter emenda. Sed hac etiam scenâ nostrâ quædam sunt minuta, non prætermittenda, cum non suppetunt graviora.

EV. Quid si optabo? CH. deos orato, ut ejus faciant copiam.

Jocus elegantior, credo, fuerit, & irrisio apertior, si *orabo* cum veteribus legamus. Nam cum optare jussisset Charinus, ipsius erat, optatum præstare. Is autem in miseria etiam sua facetus, non se præstiturum, quod sodalis exspectabat, sed, quod non exspectabat, oraturum deos ait, qui præstent. Deinde mox:

Sed quin ornatum hunc reiicio, heus aliquis, heus actutum huc foras
Exite, illinc pallium mihi huc ferte. EV. hem nunc tu mihi ut places?

Jubente librorum veterum auctoritate; suadentibus simul numeris, versu priori demo alterum *heus*, & jungo *heus aliquis actutum huc foras Exite*. posteriori item demo *ut* cum ipsa interrogatione. Scripsit enim solens Plautus, *hem nunc tu mihi places*.

Statim: *CH. Optimè advenieus puere, cape chlamydem, atque hac, istinc sta illico.*

Malim *advenis*, & *istic*. Paullulò pòst inferes particulam non sensui, sed versui necessariam, è priscis: *CH. Quid manebo? EV. tempus non est nunc introeundi. CH. enicas.*

Ad finem: *Hic homo non sanus est. CH. medicari amicus quin properas?*

Exterendum *e* de medio verbi *properas*, numerorum caussâ.

CAPUT VI.

Scenula paucorum versuum, multis, gravibusq; trajectionum, & interpunctionum mendis liberata: tota enarrata,

Singularem scenam faciunt istos quinque versus, in quibus tam paucis mirabere lector, errores committi potuisse tot, & tam grandes.

DE. Quasi tu nunquam quidquam assimile hujus facti feceris.
LT. Nam mea uxor propter illam tota in fermento jacet.
Edepol nunquam cavi, ne quid facerem, vix vivus sum miser.
DE. At ego eam expurgationem habebo, ut ne succenseat.
Sequere me, sed exeuntem filium video meum.

Primò transpositos secundum, & tertium ipsa sententia clamat, magis quidem, si nunc tertius est rectè scribatur, ac distinguatur. Deinde personæ errent in fine. Nec enim Demipho suum videt exeuntem filium, sed Lysimachus suum. Exit enim Eutychus, nec Charini deinceps ullæ in scena partes, qua caussa delendum etiam hujus nomen postea, quod ineptè præscribitur, inter aliorum, ultimæ scenæ. Hæc omnia non ab aliis animadversa pridem, justa est quidem admirandi caussa. Quibus hoc addas, non cogitatum, indecorè Demiphonem præcedere Lysimachum in ipsius ædes, & eum sequi se jubere: nisi si tanquam conciliator illi viam, aditumque fortassis facit ad uxorem,

rem, atque eo prior ingreſſurus alterum ut obnoxium ducit. Hoc tamen abnegat ea ratio, quæ ab exeunte ſumitur filio: cujus quia pater Lyſimachus, is ſequi Demiphonem jubebit. Quamquam contra viciſſim alius dixerit, *Sequere me* Demiphonis adhuc eſſe verba, reliqua Lyſimachi tantùm. Ei non acceſſerim ego, nam ejuſdem perſonæ totus videtur eſſe verſus, qui duabus dividi ſe vix feret. Sed jam totam ſcenulam è correctione noſtra ſic reſcribemus:

DE. Quaſi tu unquam quidquam aſſimile hujus facti feceris.
LT. Edepol nunquam: cavi ne facerem, vix vivus ſum miſer:
Nam mea uxor propter illam tota in fermento jacet.
DE. At ego eam expurgationem habebo, ut ne ſuccenſeat.
LT. Sequere me, ſed exeuntem filium video meum.

Liquida omnium ſententia nunc, & indubitatò ſcriptura vera: In qua jocus tamen fortaſſis occultus, à diſtinctione. Nam cum negat Lyſimachus quidquam ſe feciſſe conſimile, *Edepol nunquam*: ludere potuit ita Plautus, ut ſolet alibi, ut continue pronuntiari voluerit & iſta, quæ ſunt ab illis ſenſu diſtuncta, *Edepol nunquam cavi ne facerem*. Quomodo fit contraria planè ſententia, & dum ſe vult excuſare ſenex, ultrò ſimul accuſat, ad riſum ſpectatoribus movendum: quò ſunt multa talia Plauti noſtri comparata, certè plura, quàm nos opinamur, hebetes nimis ad omnes tenuiculos hoſce jocos, & occultos ubique ſales pervidendos, atque intelligendos.

CAPUT VII.

Iterum trajectio verſus, aliæq; turpes interpolationes remotæ. Correcta alia quamplurima variis modis. Quædam loca diligentius excuſſa, & dilucidè explicata.

Ultimæ nunc ſcenæ merces videamus, an ſint omnes Plautinæ, quod ab initio nego. Namque initio in ipſo ſtatim interpolatio ſe prodit, quam item mireris antehac non deprehenſam. Iterum verſus trajecti: quique primus eſt nunc, eſſe ſecundus, & contra debet. Hoc adeò binis argumentis patet. Etenim & veteres ita libri palam ordinant, quorum non eſt pro nihilo ſemper auctoritas habenda: tum ratio qualemcunque hic firmat auctoritatem. Quid enim? an ex ſolo iſto Eutychi *Jam redeo*, ſpem bonam capere Demipho potuit, ut diceret, principium ſibi placere? Nihil id principium ad hujus, & alterius ſenis rem. At in ſecundo verſu eſt, quod eò facit, & utique meritò placet. Ad hoc, an ferri poteſt, compellante ſene, adoleſcentem, quaſi non exaudierit, ſecum aut cum alio loqui prius, ac deinde velut ultrò converti ad illos? Ajo non divellenda iſta. *Quid agis? quid fit Eutyche?* & *Optima opportunitate*. Planè reſtituendum, ut ſubjiciam:

EV. Ad patrem ibo, ut matris iram ſibi eſſe ſecuram ſciat:
Jam redeo. DE. placet principium. Quid agis? quid fit, Eutyche?
EV. Optima opportunitate ambo advenistis. LT. quid rei eſt?

Ordinem à libris quibus dixi mutuatus ſum, etſi videram ipſe per me, vel ſine libris requiri, nec tamen & verba prorſus illi omnia ſic ſcribunt, & perſonas diſtinguunt, ut hic nos exhibemus. Res autem non fert aliter: & Eutychus ad Charinum in ædibus Lyſimachi reſtitantem proloquitur iſta prima, quæ Demipho placere ſibi ait, nuntii ſanè boni omen in ſe continentia: qua ſpe erectus alloquitur eum ſtatim, & rem plenius audire geſtiens, quærit: cum ille viciſſim adventu ſenum lætus, opportunè ſibi eos offerri gratulatur, ac porrò nuntium ipſum perfert. In quâ etiam parte vix eſt, ut non aliquid inſinceri:

EV. Uxor tibi placida, & pacata eſt, certe dextras nunc jam
LT. Dii me ſervant. EV. tibi amicam nullam eſſe nuncio.
DE. Dii te perdant.

Nam pares equidem & inter ſe reſpondentes ſibi ſenum reſponſiones á Plauto factas putem: & ſi Lyſimachus, *Dii me ſervant*, dixerit; Demiphonem ſubjeciſſe, *Dii me perdant*: ſin hic ſubjecerit, *Dii te perdant*; illum dixiſſe, *Dii te ſervent*. Horum utrum verius neſcio, elegans utrumque ſcio: nec niſi alterutrum ſcripſiſſe poetam credo. Malè deinde interrogatio addita verbis illis eſt: *LT. quin tibi ambo operam damus?* quam aufer. Inferius, imaginem proverbii viſum Lambino eſt habere illud:

DE. Jam obſecro vobis hercle habete cum porcis cum fiſcina.

Et

Et habet: sed explicatum ab eo non, ut opinor, aptè satis, quod neque in nobis est: nisi fortè non *porcis*, sed *porris*, aut *sportis* scriptum, quod olim hariolabamur, ut illi nostrati simile sit, Pecuniam cum crumena. Quidquid autem est de verbis, & sensu, versum ita concinno:

DE. Jam obsecro hercle, habete vobis cum p. cum fisc.

Quæ continuò sequuntur:

EV. Redde filio, sibi habeat. DE. jam ut vult, per me sibi habeat licet.
Semper edepol. EV. quoniam ut aliter facias non est copiæ.

occultum fovent mendum, quod non patiar insignem loci venustatem amplius obscurare Corrigo: . . . . . *DE. jam ut vult, per me sibi habeat licet.*

EV. Temperi edepol, quoniam ut aliter f. n. e. c.

Irridet Eutychus intempestivam senis facilitatem, & tandem nunc, inquit filio concedis, postquam aliter non potes: non ultrò ac voluntate, sed ingratiis & coactus. *Temperi* vel *Tempori* Plautinum adverbium, pro maturè, suoq; tempore: cui per ironiam contrarium hic notat. Post aliquanta:

LT. Ora ut ignoscat delictis suis atq; adolescentiæ.

Ipsumne Demiphonem Lysimachus orare jubet? At quem? filium suumne an ipsius? Equidem non aderat Charinus, qui orandus esset: & oratorem verò sibi parat ille Eutychum, non ipsum orat. Nam hic quid oretur? Ignoscere Charini erat, in quem deliquerat pater. Non convenit igitur ista lectio: quam in sensum aptissimum refingo levissima mutatione. *Hujus* emendo pro *suis*. Inequitat æquali suo Lysimachus, & filium orat, orare atque intercedere apud filium illius pro illo velit. Ora Charinum, mi Eutyche, inquit, ut hujus boni senis adolescentiæ, delictisque per eam, ignoscat: falsissimè rem indignam perstringens, cùm quo modo quibus delictis quam veniam filii rogare solent à patribus, eodem iisdem eandem patri à filio nunc rogari cupit. Etiam mox apertius est mendum:

LT. Missas jam ego istas artes faciam. DE. & quidem ego dehinc jam
LT. nihil.

Facturum se missas nunc ait artes illas Lysimachus, qui ab iis jam olim alienus. Scribo: *Missas ego istas artes feci jam*, aut saltem ut veteres omnes manifestè præferunt, *Missas jam ego istas artes feci*. Futurum ajebat Demipho, ut in re simili gratiam aliquando parem Lysimacho referre possit. Hic non futurum respondet: quia pridem amare desierit, & à se spreverit artes eas ætati suæ indecoras: quod idem se quoq; alter in posterum facturum subjungit. Inferius:

LT. Vide. EV. me vide. LT. satis habeo, id quæso hercle etiam vide.

Scribendum: *LT. satis habeo: at quæso hercle, etiam vide.*

Timidus pater etsi credit filio, vix tamen credit: & satis habeo, inquit, tamen adhuc vide, an omninò res certa satis. Postremò:

EV. Eamus intrò, imò dicamus senibus leges censeo
Priusquam abeamus.

Suspicor, neque de nihilo, personas variandas. Nec enim omnia ista convenienter unus Eutychus. Introeundum alius censet: & uter senum quæso potius, quàm Demipho, qui suprà idem urserat, Lysimacho adhuc trepidante, & uxoris conspectum fugiente, magis quàm appetente? Illi jam obnititur Eutychus, & priusquam abeatur, condi leges etiam vult, quibus senes deinceps teneantur. Itaque sic repones:

EV. Eamus intrò. EV. imò dicamus.

Finis Tomi Primi.

CAROLI NEAPOLIS

ANAPTYXIS

AD FASTOS OVIDIANOS

CUM ADDITAMENTO

JO: FELICIS PALESII PATAVINI

T. D. ACADEMIÆ RECUPERATORUM SOCII, ET IN REGIO Borbonico Nobilium Collegio RR. PP. Teatinorum Humaniorum literarum Professoris.

VIRO
NOBILITATE, PRUDENTIA, AUCTORITATE
INCLYTO
CÆS. ALEXANDRO
ABBATI SCALIÆ
De Republica Christiana
OPTIME MERITO,



ERYCIUS PUTEANUS S.D.



NON totum adhuc sæculum, Vir Summe, caligo premit. Ecce, inter alia amœnioris doctrinæ sidera, CAROLUM NEAPOLIM, RESUTTANII in Sicilia Principis fratrem video, lucidissimis famæ radiis in subsidium litterarum emergentem. Fastos illustrat Romanos ac veteres, rarum ingeniosissimi Poetæ Peligni opus, & omnia sibi tempora obstringit, ac sua facit. Nos quoque suos, qui Antiquitatis summam Fastis æstimamus. Ἀνάπτυξις ista vere aurea, imo ætherea est, & æternitatem provocat. Me certe, quod a Cultissimo Viro JO: ANTONIO CANNAPARO tuo accepi specimen, typis Plantinianis adornatum, tam vehementer cepit, ut Poetæ ipsi novam ingenii fortunam gratulatus sim, novam famam, novam vitam. Sex libri florida NEAPOLIS industria EXPLICATI, instar duodecim erunt: & quemadmodum superstites conservatosque intelligemus plenius; ita missos minus jam desiderabimus. Totus hic quidem erit OVIDIUS, totumque [illegible] sex mensium numerus annum constituet. An-

num, ſed minorem: * ut magnum olim, & ſic geminum, vel incremento dierum, vel decremento Cares & Acarnanes diſtinguebant. Solum nunc igitur in Faſtorum Vate incrementum habemus; ut ſcriptoris τοῦ ἀναπτύσσοντος fama augeſcat ſemper, nullum umquam ſenium timeat. In flore maturitas eſt; & ubi deficient alii, novum ingenii vigorem NEAPOLIS ſumet, majori annos fructu, quam tempore emenſurus. Novos ille nobis Faſtos dabit, qui illuſtrat Veteres; novum ævum, qui ſæcula comprehendit. Hoc eſt profecto vivere, ſic ſcribere, ut æternus ſis; imo hoc eſt ſcribere, vita æternitatem mereri. Animus nobis colendus eſt; qui quanto eruditior, tanto nobilior; vere animus, quando reliqua ſibi obnoxia habet, ipſe non liber tantum, ſed dominus, Litteris ac Sapientia inſtructus. Pleroſque intuere: an id vere agant, ut Magni Clarique ſint? in ipſa maxime luce umbræ fiunt, omnemque vitam, velut pugnam, & ut proprie dicam, σκιομαχίαν habent: aliqui etiam ipſimet ſibi hoſtes; quia infeſti artibus, quæ veram pectori ab humanitate & elegantia magnitudinem inſerunt. NEAPOLIM, viginti duos natum annos, reſpiciant, & homines fient: ejus in exemplum aſſumant ingenium, & lucere incipient. Quid etiam? te reſpiciant, Magne SCALIA, & quid ſit vere hominem eſſe, quid lucere, intelligent. Vale, vive; vive, vale. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Septemb. M. DC. XXXVI.

* Cenſorinus de die Natal: *Cares autem & Acarnanes ſemeſtres habuerũt annos, & inter ſe diſſimiles, quibus alternis dies augeſcerent, aut feneſcerent.*

ERYCIO PUTEANO
ERUDITORUM OPTIMATI
CÆS. ALEXANDER
SCALIA
FELICITATEM.





ULTUM tibi debeo, qui Caroli Fastis Elogium præfixeris Elogio dignum. Nam quid amicæ Musæ primam lucem subeunti gratius apprecarer, quam laudem? unde vero gratiorem, quam a viro laudato? Neque tamen ita gratulor, quasi commendationis eguisse putem per se commendabilem librum. Mutuatæ lucis non eget, qui obscuros jam Poetas illustrat sua: nec intra oblivionem latet, qui oblivione fœda sæcula memoriæ redonavit; & Romam Romæ velut exhumatam restituit. Adde Sapientiæ miraculum alterum Adolescentiam, in aliis cum Sapientia rixantem. Si tamen Adolescens dicendus, qui priscorum Annalium monimenta digerens, Avorum ætatem vidit, & suam. Vel igitur divino nexu aliquo Senectutem Puberati composuit; vel adultus antequam adoleverit, de Adolescentia nihil traxit præter vividum mentis florem: minime ut mirer Apollinem litterarum Genium Juvenem pingi. His accedit ingenuus Nobilitate sanguis, qui purpura Virtutis est, & fucus triumphalis Musarum. Hinc illi præveloces Ingenii conatus contra Ignaviam viriliter insurgentis. Ejusdem quippe indolis est atramentum vel sanguinem strenue fundere; stylum tractare vel telum. Quamobrem non eram dubius quin ingentes Heroi plausus deberentur, qui quos ab interitu annos vendicat, suis inserit; inscribendus plane Fastis dum Fastos scribit. Sed quotidianæ Felicitatis non est, mi Eryci, laudem mereri, & continuo habere. Sequitur Minervam sua Noctua, eruditum quodque perosa lumen: illa inquam Invidia ubique fera, inter litteratos ferissima; quos (mirum) similitudo facit inimicos. Ne immerito Eruditi vocentur Cygni, qui soli avium, pennis rostrisque inter sese transfigunt, mutuisque vulneribus cadunt. Hæc denique Humaniorum Musarum inhumanitas est, in cognatos ingeniorum partus cæsim punctimque desævire: ut lictores inveniantur fere totidem quot Lectores. Unum vero fortunatissimum CAROLUM NEAPOLIM ab inexpiabili hac Furia impunem per te abire video: fecisti enim nobili Elogio tuo, ut committere

se

ſe luci audeat ſui ſecurus, & pagellæ unius objectu contra Invidiam abs te munitus, qui Invidiam viciſti. Quis ergo improbet quem tu approbas? quæ illum ventilet æmulatio, qui tua fretus penna ſupra nimborum tempeſtatumque arbitrium ſcandit? Ad Solem tentatus eſt quum tuos ante oculos ſtetit: itaque nullius aciem trepidat qui ſuſtinuit tuam. Cecidit jam cauſſa Detractor Puteano Judice, in cujus ſinu velut in Democriteo puteo Doctrinæ omnes demerſæ. O felices igitur Adoleſcentuli lucubrationes, quæ ad gloriam miſſæ gloriam potiuntur antequam prodeant: & de ipſo Typographiæ carcere votorum metam contingunt. At hæc quum vera ſint, uni tamen huic Invidiæ reluctari Carolus nequaquam poterit, quod ſuarum laudum Præconem te invenerit, qualem Achilli Magnus ille Macedo invidiſſet. Contrario igitur voto quem adverſus Invidiam inſtruis, hoc ipſo invidendum facis. Quin etiam Carolo ipſe invideas neceſſe eſt, eum laudatorem nacto, cujus tu invenire ſimilem numquam ſperes; nam digno decorari Elogio ille a te potuit, tu a nemine. Fallor: Elogium te tuum laudat; dum Carolum laudat; ipſamque æternitatem ad te recipis quam impertis: Solis inſtar, ad quem radii replicantur quos in ſpeculum ferit. Quid ergo reliqui, niſi ut alternis læti ſtudiis, tu Caroli gloria fruare, Carolus tua, ego utriuſque? Vale vir egregie, meque ut facis ama. Bruxellæ, VI. Kalend. Octobris M. DC. XXXVI.

KALENDARIUM VETUS ROMANUM.

A K. IAN. F		H K. FEB. N	D K. MAR. NP	
B F		A N	E F	
C C		B N	F C	
D C		C N	G C	*hoc die*
E NON F		D NON	H C	*cæsar. pontif.*
F F		E N	A NP	*maxim fact. est*
G C		F N	B NON. F	
H C		G N	C F	
A AGON		H N	D C	
B EN		A N	E C	
C CAR. NP		B N	F C	
D C		C N	G C	
E EID. NP.		D EID. NP	H EN	
F EN	*dies vitios*	E N	A EQ. NP	
G CAR	*ex s. c.*	F LVPER. NP	B EID. NP	
H C		G	C F	
A C		H QVIR. NP	D LIB. NP	
B C		A C	E C	
C C		B C	F QVIN. N	
D C		C C	G C	
E C		D FERAL. F	H C	
F C		E C	A N	
G C		F TER. NP	B TVBIL. NP	
H C		G REGIF. N	C. Q. REX. C. F	
A C		H C	D C	
B C		A EN	E C	*hoc die*
C C		B EQ. NP	F NP	*cæsar*
D C		C C	G C	*alexand recepit*
E F			H C	
F N			A C	
G C			B C	

C K. APR. N
D C
E C
F C *ludi matr mag*
G NON *lud*
H NP. *ludi*
A N *ludi*
B N *ludi*
C N *ludi*
D N *lud. in cir*
E N
F N *ludi cereri*
G EID. NP.
H N *ludi ludi*
A FORD. NP *lud*
B N *ludi*
C N *ludi*
D N *ludi*
E CER. N *lud in cir*
F N
G PAR. NP
H N
A VIN. NP
B C
C ROB. NP
D F
E C
F NP *ludi flor*
G C *ludi*
H C *ludi*

A K. MAII. N
B F *comp*
C C
D C
E C
F C
G NON. N
H F
A LEM. N
B C
C LEM. N
D NP *lud. mart in circ*
E
F
G EID. NP
H F
A C
B C
C C
D C
E AGON. NP
F N
G TVB. NP
H Q. REX. C. F
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C

H K. IVN. N
A F *mart. car. monet*
B C
C C
D NON
E N
F N
G N *menti in. capit*
H VEST. N *fer vestae*
A N
B MART. N
C N
D EID. N
E N
F Q. ST. D. F
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D F
E C

F K. IVL. N	E K. AVG. N	D K. SEPT. N.
G N	F C *fer. hoc die c. cæsar hisp. vict*	E N *hoc die fer. nep.*
H N	G C	F NP
A NP	H C	G C *ludi romani*
B POPLIF. NP	A NON. F	H NON. F *lud*
C N *ludi apollin*	B F	A F *ludi*
D NON. N	C C	B C *ludi*
E N *ludi ludi*	D C	C C *ludi*
F N *ludi*	E NP *hoc die cæsar hispali vic*	D C *ludi*
G C *ludi*	F C	E C *ludi*
H C *ludi*	G C	F C *ludi*
A NP *ludi*	H C	G N *ludi*
B C *lud. in. cir.*	A EID. NP	H EID. NP
C C *merk*	B F	A F *equor prob lud. rom. in. circ*
D EID. NP	C C	B N
E F *merk merk*	D C	C C *in circ*
F C *merk*	E FORT. NP	D C *in circ*
G C *merk*	F C	E C *in circ*
H LVCAR. NP	G VIN. F. P	F C *in circ*
A C *merk lud. vict. cæsar*	H C	G C *merk*
B LVCAR *lud.*	H CONS. NP	H C *merk*
C C *ludi*	B EN	A C *merk*
D NEPT *ludi*	C VOLC NP	B NP
E N *ludi*	D C	C C *mer. h. d. augusti nata lis. lud. circ*
F FVRR. NP	E OPIC. NP	D C
G C *ludi ludi*	F C	E C
H C *in circ*	G VOIT. NP	F C
A C *in circ*	H NP *h. d. ara*	G C
B C *in circ*	A F *victoriæ in. curia*	H F
C C *in circ.*	B F *dedic. est*	A C
D C	C C	

B K. OCT. N	A K. NOV. N	H K. DEC. N
C F	B	H
D C	C	A
E C	D	B
F C	E NON. F	C NON. F
G C	F F *ludi*	D
H NON. F	G C *ludi*	E
A F	H C *ludi*	F C
B C	A C *ludi*	G C
C C	B C *ludi*	H C
D MEDIT R	C C *ludi*	A AGON. NP
E AVGVST. NP	E EID. NP *epul indict*	B EN
F FONT. NP	F E *equor. prob.*	C EID. NP
G N	G C *lud. pleb. in circ.*	D F
H EID. NP	H C *in circ*	E CONS. NP
A F	A C *in circ*	F C
B C	B C *merk*	G SAT *feriæ saturn*
C C	C C *merk*	H C
D ARM. NP	D C *merk*	A OPAL. NP
E C	E C	B C
F C	F C	C DIV. NP
G C	G C	D C
H C	H C	E LAR. NP.
A C	A C	F C
B C	B C	G C
C C	C C	H C
D C *lud vict*	D C	A C
E C *ludi*	E C	B C
F C *ludi*	F C	C F
G C *ludi*		D F
H C *ludi*		E C

A D T A B U L A M
NOTÆ PERBREVES.

F. *Fastum diem adsignificat*, N. *nefastum omni ex parte, hoc est, diem quo nunquam licet fari.* NP. *nefastum priori parte; quod & solet notari his litteris* NEP. & NEPR. *Litterula* C *comitialem subindicat, ut* EN *mane & vespere nefastum, medio tempore fastum.* AGON *Agonalia.* LVPER. *Lupercalia.* CAR. *Carmentalia; denuo* CAR. *eadem iterata.* QVIR. *Quirinalia.* FERAL. *Ferales ferias.* TER. *Terminalia.* REGIF. *Regifugium.* EQ. *Equiria; denuo Mense Martio* EQ *eadem iterata.* LIB. *Liberalia.* QVINQ. *Quinquatria.* TVBIL. *Tubilustrium.* Q. REX C. F. *Quando Rex comitavit fas.* FORD. *Fordicidia.* PAR. *Parilia.* VIN. *Vinalia priora.* FLOR. *Floralia.* ROB. *Robigalia.* CER. *Cerealia.* COMP. *Compitalia.* LEM. *Mense Majo tertio repetitum Lemuralia, inter se nulla die continuata.* LVD. MART. *sunt Ludi Martis cognomento Ultoris.* TVBIL. & Q. REX. C. F. *idem quod Mense Martio.* MART. CAR. MONET. *Marti sacrum extra portam Capenam, item illud Deæ Carneæ, item dedicatio templi Junonis Monetæ ex voto Camilli.* VEST. *Vestalia.* MAT. *Matralia, Deæ Matutæ festa.* Q. ST. D. F. *Quando stercus delatum fas ab æde Vestæ.* POPLIF. *Poplifugium.* LVD. APOLLIN. *Ludi Apollinares.* MERK. *Mercatus seu dies Mercedonius.* LVCAR. *Lucaria.* VICT. CÆS. LVD. *Ludi ob Victoriam Cæsaris, adi Svetonium in Augusto, cap.* x. NEPT. *Neptunalia.* FVRR. *Furrinalia, Deæ Furrinæ sacra.* PORT. *Portunalia.* VIN. *Vinalia posteriora Mense Augusto.* CONS. *Consualia, quorum bis mentio in hoc Kalendario.* VOLC. *Volcanalia.* OPIC. *Opiconsiva.* VOLT. *Volturnalia.* H. D. ARA VICTORIÆ IN CVRIA DEDIC. EST. *Curia hæc fuit Julia, quæ dedicata una cum signo Victoriæ ab Augusto.* EQVOR. PROB. *Equorum probatio; cujus iterum memoria fit mense Octobri.* MEDITR. *Meditrinalia.* AVGVST. *Augustalia.* FONT. *Fontinalia.* ARM. *Armilustrium.* EPVL. INDICT. *Epulum indictum.* LVD. PLEB. *Ludi Plebei; de quibus sæpe Livius.* SAT. *Saturnalia.* OPAL. *Opalia.* DIV. *Divalia.* LAR. *Larentalia.*

ALTERIUS FRAGMENTUM

IN QUO

PARS MAII ET IUNII.

D C
E AGO. NP
F N
G TVBIL. NP.
H Q. R. C. F
A C FORTUN. PUBLIC. PR. IN. COLL
B C
C C
D C
E C
F C
G C
XXXI
MARS

A C
B C MINERVÆ. IN AVENTINO
C C SVM MAN. AD CIRC. MAX
D C
E C
F C
G C FORT. FORT. ET. AD XIIII. ET
H C
A C
B C
C C
D F
E C
VXX



A L I U D

I N Q U O

AUGUSTUS ET SEPTEMBER

E. K. AVGVST. SPEI. AD. FORVM. HOLITORIVM
NATAL. TI. CLAVDII. GERMANICI
F. IIII. N. FERIÆ. QVOD. HOC DIE IMP.
CÆSAR. HISPANIAM. CITERIOREM. VICIT
G. III. C
H. PR. C
A. NONÆ. C. SALVTI. IN. COLLE. QVIRINALE
B. VIII. F. SACRIFICIVM. PVBLICVM.
C. VII. C.
D. VI. C. SOL. NI DIGITIS. IN. COLLE. QVIRI
NALE. SACRIFICIVM. PVBLICVM.
E. V. NP.
F. III. NP. FERIÆ. ARÆ. OPIS. ET. CERERIS
IN. VICO. IVGARIO. CONSTITVTÆ. SVNT
G. III. C
H. PR. C. HERCVLI MAGNO CVSTODI.
IN. CIRCO. FLAMIN.
A. EIDVS. DIANÆ. IN. AVENTINO. ET
VORTVMNO. IN. LORETO. MAJORE
B. XIX. F
C. XIIX. C
D. XVII. C
E. XVI. PORTVNO. AD. PONTEM. ÆMILI
IANO. AD. THEATRVM. MARCELLI
F. XV. C
G. XIIII. C. VIN. NP. VENERI. AD. CIRCVM. MA-
XIMVM.
N. XIII. C
A. XII. CONS. NP. CONSO. IN AVENTINO: SACRIFICIVM
B. XI. F. N.
C. X. VOLCAN. NP. VOLCANO. IN. CIRCO. FLAMINIO
D. IX. C.
E. VIII. OPIC. NE. OPI. IN. CAPITOLIO
F. VII. C
G. VI. VOLT. NP. VOLTVRN. FLAMINI. SACRIFICIVM
H. V. F
A. IIII.....
B. III.....
C. PR.....XXI. NAT. C. CÆSARIS. GERMANICI

D. K.

D. K. SEPTEMBER.
E. IIII. NP.
F. III. NP. FERIÆ.
G. PR. C
H. NONÆ.
A. VIII......
B. VII......
C. VI......
D. V......
E. IV......
F. III......
G. PR.....
H. EIDVS JOVI.
A. XIIX. F. EQVO.
B. XVII. C. LVDI.
C. XVI. C. LVDI.
D. XV. C. LVDI.
E. XIV. C. LVDI.
F. XIII. C. LVDI.
G. XII. C. MERCA.
H. XI. C. MERCA.
A. X. C. MERCA.
B. VIIII. C. N. NATA
C. VIII. C. FERIÆ.
D. VII. C. VENER.
E. VI. C......
F. V. C......
G. IIII......
H. III......
A. PR......


ALTERVM KALENDARII FRVSTVM.

VR. IOVIS. VENER.

ÆSTAS. EX XI K. MAI. LVNAR

IN X. K. AVGVST

DIES. LXXXXIIII. NVNDINAE



o AQVINI

o INVICO

o INTERAM

o MINTVRN

o ROMAE

o CAEVE

o CASINI

o FABRAT

HIEMPS EX. X. K. NOV

IN XIIII. K. FEBRVAR



DIES

****

GRuterus exhibet pag. 136. 1. hoc marmoris frustum, (a) quod fuit penes Fulvium Ursinum. In dextera ejus parte deest aliud adsimile frustum, quod ita suppleri potest. In prima linea:

SATUR. LUNÆ. MARTIS. MERCUR. JOVIS. VENER.

qui sunt cujuslibet hebdomadæ dies.

Illud LUNAR, quod notatur in tertia linea, conjungendum videtur cum NUNDINÆ, ut dicat LUNARES NUNDINÆ, quæ statis Lunæ temporibus fiebant in Coloniis, sive Municipiis Romanorum, & locis, quæ enumerantur

o AQUINI
o IN VICO &c.

Dies vero, in quibus Lunæ phases fiebant, notari suspicor in eo schemate, quod in medio marmoris, sive umbilico videtur, quod injuria temporis fractum est.

In altero igitur marmoris frusto, quod deest, notatum fuit superne initium VERIS, nempe

VER. EX. XIII. K. FEBR. IN X. K. MAI DIES LXXXXI.

Inferius vero initium Autumni hoc modo

AUTUMNUS. EX. IX. K. AUG. IN XI. K. NOV. DIES LXXXXI.

In fine hujus marmoris dierum numerus, qui deest, ita supplendus

HIEMPS. EX. X. K. NOV. IN XIIII. K. FEBRUAR DIES LXXXVIII.

Hinc si dies totius anni colliguntur, erunt CCCLXV. quibus annus Julianus constat.

Maxima igitur (b) omnium difficultatum in explicatione hujus vetustissimi Kalendarii in eo consistit, quod est etiam valde curiosum, & notatu dignum, quod quatuor tempestatuum initia anticipant; nimirum Ver incipit die vigesima Januarii; Æstas incipit die vigesima prima Aprilis; Autumnus incipit die vigesima quarta Julii; Hiemps incipit die vigesima tertia Octobris; quæ initia neque cum aliis vetustis Kalendariis concordant, neque cum nostris. Hanc maximam difficultatem aliis enodandam relinquo: satis mihi est hoc insigne marmor, eo ut potui modo, supplevisse, ut rem gratam jubenti Viro Clarissimo facerem.

(a) Hujus marmoris frustum eruditissime illustrat V. C. Dominicus Gorius Florentinus de Antiquitate universa optime meritus, cujus gravissimi Interpretis illustrem explanationem in eruditorum lectorum commodum sub ipsius frusti exemplar conjeci.

(b) *Maximam hanc omnium difficultatum* vidit multo ante Carolus noster. Hoc auctore, neque occulti aliquid, neque gravioris momenti in fœdissimo artificis imperitissimi errore delitescere censeo, in quo indagando oleum, & operam perdam. Ita Carolus in Anaptyxi ad lib. 5. Fast. num. 208. *Columellæ incipit Æstas die nona mensis, Ptolemæo decimaquinta, Frusto veteris Kalendarii vigesima secunda: ex eo hæc verba:*

ÆSTAS EX XI. K. MAII.
IN. X. K. AUGUST.
DIES LXXXXIIII.

Sed adverte, quod ibi aut Mensium nomina falso sculpta, aut XI. Kalendas Maii est hujus mensis dies vigesima secunda, ut ejusdem Augusti dies X. Kal. Augusti: nam dementia est cogitare, voluisse aliquem initium Æstatis conjicere in diem vigesimam primam Aprilis, quum Ver alicui bipartitur. Hæc Neapolis, in cujus sententiam, quod ivi, operam me navasse arbitror. Erit eorum, qui discesserint, reconditiora (quod benevertat) diligenter perquirere, aliisque inventa humaniter demonstrare.

KALENDARIUM
CONFECTUM TEMPORE
CONSTANTINI MAGNI
ANNO CHRISTI CCCXXV.

JANUARIUS.

A a	Kal.	No. Ianuar. Idus Ianuar.	SENATVS LEGITIMVS.
A B b	IV		dies Ægyptiacus.
C c	III		Ludi. Votorum nuncupatio.
B D d	Prid.		Ludi.
E e	Non.		Ludi.
F f	VIII		dies Ægyptiacus.
C G g	VII		Iano patri CMXXIV.
A h	VI		
B a	V		Senatus legitimus.
D C b	IV		dies Carmentariorum.
D c	III		
E d	Prid.		
E F e	Idib.		IOVI STATORI CMXXIV.
G f	XIX		
A g	XVIII	Kalendæ Februarii	Carmentaria
F B h	XVII		dies Ægyptiacus.
C a	XVI		Ludi Palatini
D b	XV		Ludi.
G E c	XIV		Ludi.
F d	XIII		N. Gordiani CMXXIV.
G e	XII		Ludi.
H A f	XI		Ludi.
B g	X		Senatus legitimus. Sol in Aquario.
C h	IX		N. B. Hadriani CMXXIV.
I D a	VIII		N. Chartis.
E b	VII		
F c	VI		
K G d	V		
A e	IV		
B f	III		
A C g	Prid.		

FEBRVA-

FEBRUARIUS.

	D h	Kal.	No.Febr.	N. HERCVLIS CMXXIV.
	E a	IV		
B	F b	III		Senatus legitimus.
	G c	Prid.		Ludi Gottici.
	A d	Non.	Idus Februarii	Ludi.
C	B e	VIII		Ludi.
	C f	VII		Ludi. dies Ægyptiacus.
	D g	VI		Ludi.
D	E h	V		Gottici CMXXIV.
	F a	IV		
E	G b	III		Genialici GMXXIV.
	A c	Prid.		Ludi Genialici.
	B d	Idib.	Klendæ Martii	Virgo Veſta. parent. Senatus legitimus.
F	C e	XVI		
	D f	XV		Lupercalia.
	E g	XIV		
G	F h	XIII		Quirinalia.
	G a	XII		
	A b	XI		
H	B c	X		Sol in Piſcibus.
	C d	IX		Feralia.
	D e	VIII		Careſtia.
I	E f	VII		Terminalia.
	F g	VI		Regifugium.
	G h	V		Lotio. CMXXIV. dies Ægyptiacus.
K	A a	IV		
	B b	III		N· D. Coſtantini CMXXIV.
	C c	Prid.		Ludi votibi.

MARTIUS.

A	D d	Kal.	Nonæ Martii	N. MARTIS CMXXIV.
	E e	VI		
	F f	V		Senatus legitimus. dies Ægyptiacus.
B	G g	IV		
	A h	III		Iſidis navigium.
	B a	Prid.		
C	C b	Non.		Iuvenalia.
	D c	VIII	Idus Martii	
	E d	VII		Arma Ancilia movent.
D	F e	VI		
	G f	V		
	A g	IV		
E	B h	III		Iovi cůltori CMXXIV.
	C a	Prid.		Mamuralia. Senatus legitimus.
	D b	Idib.		CANNA INTRAT.

F E c	xvii	Kalendæ Aprilis	
F d	xvi		Liberalici. CMXXIV. Sol in Ariete.
G e	xv		
G A f	xiv		Cinquatria.
B g	xiii		Pelosia.
C h	xii		N. Minerves.
H D a	xi		Arbor intrat.
E b	x		Tubilustrium.
F c	ix		Sanguen. dies Ægyptiacus.
I G d	viii		Hilaria.
A e	vii		Requetio.
B f	vi		Lavatio.
K C g	v		Initium Cajani.
D h	iv		
E a	iii		
A F b	Prid.		N. Divi Constant. CMXXIV.

A P I L I S.

G c	Kal.		VENERALIA. Ludi. SENATVS LEGITIMVS.
A d	iv	No. April.	N. Dei Quirin. CMXXIV. dies Ægyptiacus.
B B c	iii		
C f	Prid.		Ludi Magalesiaci.
D g	Non.		Ludi Magalesiaci
C E h	viii	Idus Aprilis.	Ludi
F a	vii		
G b	vi		Ludi N. Castoris & Pollucis CMXXIV.
D A c	v		Ludi
B d	iv		Magalesiaci CMXXIV.
C e	iii		N. Divi Severi CMXXIV.
E D f	Prid.		Ludi Cerealici CMXXIV.
E g	Idib.		LVDI. SENATVS LEGITIMVS.
F F h	xviii		Ludi Cerealici.
G a	xvii		Ludi
A b	xvi	Kalendæ Maii	Ludi
G B c	xv		Ludi
C d	xiv		Ludi. Sol in Tauro.
D e	xiii		Cerealici. CMXXIV. dies Ægyptiacus.
H E f	xii		
F g	xi		N. Vrbis. CMXXIV. dies Ægyptiacus.
G h	x		
I A a	ix		
B b	viii		
C c	vii		Serapis.
K D d	vi		N. Antonini CMXXIV.
E e	v		
F f	iv		
A G h	iii		
A h	Prid.		Ludi Florales.

M A I V S.

	B a	Kal.		SENATVS LEGITIMVS.
B	C b	VI	Nonæ Maii	Ludi.
	D c	V		Floralic CMXXIV. dies Ægyptiacus.
	E d	IV		Ludi Maximati.
C	F e	III		Ludi Maximati
	G f	Prid.		Ludi
	A g	Non.		Ludi
D	B h	VII	Idus Maii	Ludi
	C a	VII		Maximati CMXXIV.
	D b	VI		N. Claudi CMXXIV.
E	E c	V		
	F d	IV		Martialici CMXXIV.
	G e	III		Ludi Perſici.
F	A f	Prid.		Ludi Perſici
	B g	Idib.		Ludi N. Mercurii SENATVS LEGITIMVS.
	C h	XVII	Kalendæ Iunii	Ludi
G	D a	XVI		Perſici CMXXIV.
	E b	XV		N. Annonts.
	F c	XIV		Zenziarius.
H	G d	XIII		Sol in Geminis.
	A e	XII		dies Ægyptiacus.
	B f	XI		Marcellus Roſaſamut.
	C g	X		
I	D h	IX		
	E a	VIII		
K	F b	VII		
	G c	VI		
	A d	V		
	B e	IV		Ludi Honor, & virtus Zinza.
A	C f	III		Ludi.
	D g	Prid.		Ludi.

I V N I V S.

B	E h	Kal.		FABARICI CMXXIV.
	F a	IV	No. Iunii	
	G b	III		Senatus legitimus.
C	A c	Prid.		Ludi in Numitia.
	B d	Non.		
	C e	VIII		Coloſus coronatur.
D	D f	VII	Idus Iunii	Veſta aperit. dies Ægyptiacus.
	E g	VI		
	F h	V		Veſtalia.
E	G a	IV		
	A b	III		Matralia.
F	B c	Prid.		
	C d	Idib.		N. MVSARVM. Senatus legitimus.

De	xviii	Kalendæ Iulii			
G E f	xvii		Vesta cluditur.		Sol in Cancro.
F g	xvi				
G h	xv				
H A a	xiv		Annæ sacrum.		
B b	xiii				
C c	xii				dies Ægyptiacus.
I D d	xi				
E e	x				
F f	ix				
K G g	viii				
A h	vii		Fortis fortuna		Solstitium.
B a	vi				
A C b	v				
D c	iv				
E d	iii				
B F e	Prid.				

I V L I V S.

G f	Kal.		SENATVS LEGITIMVS.		
A g	vi	Nonæ Iulii			
C B h	v		Fucato Lucinio		CMXXIV.
C a	iv				
D D b	iii		Ludi Apollinares.		
E c	Prid.		Ludi.		dies Ægyptiacus.
F d	Non.		Ludi		
E G e	viii	Idus Iulii	Ludi	Apollinares.	
A f	vii		Ludi		
B g	vi		Ludi		
F C h	v		Ludi		
D a	iv		Ludi		
E b	iii		Apollinares		CMXXIV.
G F c	Prid.				
G d	Idib.		Ludi FRAN. Æquit. or. pro.		
A e	xvii	Kalendæ Augusti	Ludi	Francici.	
H B f	xvi		Ludi		Sol in Leone. Senatus legitimus.
C g	xv		Ludi		Advent. D. CMXXIV. dies Ægyptiacus.
D h	xiv		Ludi		
I E a	xiii		Francici.		CMXXIV.
F b	xii		Advent. D.		CMXXIV.
G c	xi		Ludi.		
K A d	x		Neptunalici.		
B e	ix		N. D. Constantini		CMXXIV.
C f	viii				
A D g	vii		Ludi Votibi.		
E h	vi		Vict. Sarmatice.		CMXXIV.
F a	v				
B G b	iv				
A c	iii		Vict. Marcoman.		CMXXIV.
B d	Prid.				

A V G V S T V S.

No. Augusti. Idus Augusti. / *Kalendæ Septembris.*

	C e	Kal.	DIVI PERTINACIS CMXXIV.
C	D f	IV	
	E g	III	Senatus legitimus.
	F h	Prid.	Vict. Senati CMXXIV.
D	G a	Non.	N. Salutis CMXXIV.
	A b	VIII	dies Ægyptiacus.
	B c	VII	N. Constantini CMXXIV.
E	C d	VI	Ludi Votibi.
	D e	V	
F	E f	IV	
	F g	III	
	G h	Prid.	Lignapsia.
G	A a	Idib.	N. CIANES.
	B b	XIX	
	C c	XVIII	Senatus legitimus.
H	D d	XVII	
	E e	XVI	Tiberinalia. Sol in Virgine.
	F f	XV	
I	G g	XIV	N. Probi CMXXIV.
	A h	XIII	
	B a	XII	dies Ægyptiacus.
K	C b	XI	
	D c	X	Vulcanalia CMXXIV.
	E d	IX	
A	F e	VIII	
	G f	VII	
	A g	VI	
B	B h	V	Solis & Lunæ CMXXIV.
	C a	IV	
	D b	III	
C	E c	Prid.	

SEPTEMBER.

No. Septemb. Idus Septemb.

	F d	Kal.	SENATVS LEGITIMVS.
	G e	IV	dies Ægyptiacus.
D	A f	III	
	B g	Prid.	
	C h	Non.	Mammes Vindemia.
E	D a	VIII	
	E b	VII	
	F c	VI	
F	G d	V	N. Aureliani CMXXIV.
	A e	IV	
	B f	III	N. Asclepi.
G	C g	Prid.	Ludi Romanorum
	D h	Idib.	Ludi. Ro
L	E a	XVIII	Ludi Senatus legitimus.

H F b	xvii	Kalendæ Octobris	Romaniani.	CMXXIV.
G c	xvi			
A d	xv			
I B e	xiv		N. Trajani Triumpha.	CMXXIV.
C f	xiii		Pii Antonini	CMXXIV. dies Ægyptiacus.
D g	xii		Ludi Triumpha.	Sol in Libra.
K E h	xi		Ludi.	
F a	x		Ludi.	
G b	ix		Divi Augusti.	CMXXIV.
A A c	viii			
B d	vii			
C e	vi			
B D f	v		Profectio Divi	CMXXIV.
E g	iv			
F h	iii		Ludi Fatales.	
C G a	Prid.		Ludi.	

OCTOBER.

A b	Kal.	No. Octobris Idus Octobris	N. ALEXAND.		CMXXIV.
B c	vi				
D C d	v		Senatus legitimus.		dies Ægyptiacus.
D e	iv				
E f	iii		Ludi Alamannici.		
E F g	Prid.		Ludi	Alamanni	
G h	Non.		Ludi		
F A a	viii		Ludi		
B b	vii		Ludi		
C c	vi		Alamannici		CMXXIV.
G D d	v				
E e	iv		Augustales		CMXXIV.
F f	iii		Ludi Iovi Liberatori.		
H G g	Prid.		Ludi	Iovi Liber.	
A h	Idib.		Ludi		Equus adnixus fit Senatus legitimus.
B a	xvii	Kalendæ Novembris.	Ludi		
I C b	xvi		Ludi		
D c	xv		Iovi Liberatori		CMXXIV.
E d	xiv		Ludi Solis.		Sol in Scorpio.
K F e	xiii		Ludi	Solis	dies Ægyptiacus.
G f	xii		Ludi		
A g	xi		Solis		CMXXIV.
A B h	x				
C a	ix				
D b	viii				
B E c	vii				
F d	vi				
G e	v		Evictio Tyranni		Isia.
C A f	iv		Advent. divi		CMXXIV. Isia.
B g	iii		Ludi votivi		Isia.
C h	Prid.		Ludi		Isia.

N O V E M B E R.

D D a	Kal.	No.Novem.	ISIA ex ſen. CMXXIV. Senatus legitimus.	
E b	IV		Ternovena. dies Ægyptiacus.	
F c	III		Hilaria.	
E G d	Prid.			
A e	Non.	Idus Novemb.		
B f	VIII			
F C g	VII			
D h	VI			
E a	V		N. Nervæ & Coſtantii CMXXIV.	
G F b	IV		Ludi votibi.	
G c	III			
A d	Prid.			
H B e	Idib.	Kalendæ Decembris.	Ludi Plebei. Senatus legitimus.	
C f	XVIII		Ludi Iovis Epu CMXXIV.	Plebei.
D g	XVII		Ludi	
I E h	XVI		Ludi.	
F a	XV		Plebei CMXXIV.	
G b	XIV		N. Veſpaſiani CMXXIV.	
K A c	XIII			
B d	XII		Sol in Sagittario.	
C e	XI			
A D f	X			
E g	IX			
F h	VIII		Bruma. dies Ægyptiacus.	
B G a	VII		Ludi Sarmatici.	
A b	VI		Ludi	Sarmatici.
B c	V		Ludi	
C d	IV		Ludi	
C D e	III		Ludi	
E f	Prid.		Ludi	

D E C E M B E R.

D F g	Kal.	No.Decemb.	SARMATICI CMXXIV.
G h	IV		Initium muneris.
A a	III		Senatus legitimus.
E B b	Prid.		Munus arca. dies Ægyptiacus.
C c	Non.	Idus Decembris.	Munus arca.
F D d	VIII		Munus arca.
E e	VII		
F f	VI		Munus. Kandida.
G G g	V		
A h	IV		
B a	III		Septimonia.
H C b	Prid.		Ludi Lancionici.
D c	Idib.		Ludi SENATVS LEGITIMVS.

	E d	xix	Kalendæ Ianuarii	Ludi — Lancion.
I	F e	xviii		N. Divi Veri CMXXIV.
	G f	xvii		Ludi
	A g	xvi		Ludi Saturnalia.
K	B h	xv		Lancionici CMXXIV. Sol in Capricorno.
	C a	xiv		Munus arca.
	D b	xiii		Munus. Kandida.
A	E c	xii		Munus arca.
	F d	xi		
	G e	x		Munus arca.
B	A f	ix		Munus. Consumat.
	B g	viii		N. Invicti. CMXXIV.
	C h	vii		
C	D a	vi		
	E b	v		
	F c	iv		
D	G d	iii		N. Divi Titi. CMXXIV.
	A e	Prid.		Magistrati jurant.

Non abs re etiam visum hocce KALENDARIVM RVRESTRE *superioribus tabulis attexere, quia mire facit ad* FASTOS.

KALENDARIVM RVSTICVM QVATVOR LATERIBVS

MENSIS IANVAR
DIES. XXXI
NON. QVINT
DIES. HOR. XIIIIS
NOX. HOR. XIIII
SOL
CAPRICORNO
TVTELA
IVNONIS
PALVS
AQVITVR
SALIX
HARNDO
CAEDITVR
SACRIFICANT
DIS
PENATIBVS

MENSIS FEBRVAR
DIES. XXVIII
NON. QVINT
DIES. HOR. X S
NOX. HOR XIII
SOL. AQVARIO
TVTEL. NEPTVN
SECETES
SARIVNTVR
VINEARVM
SVPERFIC COLIT
HARVNDINES
INCENDVNT
PARENTALIA
LVPERCALIA
CARA. COCNATO
TERMINALIA

MENSIS MARTIVS
DIES. XXXI
NON. SEPTIMAN
DIES. HOR. XII.
NOX. HOR. XII
AEQVINOCTIVM
VIII KAL. APR
SOL. PISCIBVS
TVTEL. MINERVAE
VINEAE. PEDAMEN
IN. PASTINO
PVTANTVR.
TRIMESTR. SER
ISIDA. AVIGIVM
SACR. MAMVRIO
LIBERAL. QVNQVA
TRIA. LAVNIO

MENSIS APRILIS
DIES. XXX
NONAE
QVINTAN
DIES
HOR. XIIIS
NOX
HOR. X S
SOL. ARIETE
TVTELA
VENERIS
OVES
LVSTRANTVR
SACRVM
PHARIAE
ITEM
SARAPIA

MENSIS MAIVS
DIES. XXXI.
NON. SEPTIM
DIES HOR. XIIIIS
NOX. HOR. VIIIIS
SOL. TAVRO
TVTEL. APOLLIN
SEGET. RVNCANT
OVES. TVNDVNT
LANA LAVATVR
IVVENCI DOMANT
VICE. PABVLAR.
SECATVR
SEGETES
LVSTRANTVR
SACRVM. MERCVR
ET. FLORAE

MENSIS IVNIVS
DIES. XXX.
NON. QVINCT
DIES. HOR. XV
NOX. HOR. VIIII
SOLIS. INSTITIVM
VIII. KAL. IVL.
SOL. GEMINIS
TVTELA
MERCVRI
FAENISICIVM
VINIAE
OCCANTVR
SACRVM
HERCVLI
SACRVM
FORTIS
FORTVNAE

IN MARMORE QVADRATO INSCRIPTO

MENSIS
IVLIVS
DIES XXXI
NONAE
SEPTIMAN
DIES
HORARVM
XIIII
NOX HOR
VIIII S
SOL CANCR
TVTELA
IOVIS
MESSES
HORDEAR
[9] ET FABAR
APOLLINAR
NEPTVNAL

MENSIS
AVGVST
DIES XXXI
NON QVINT
DIES HOR XIIII
NOX HOR XI
SOL LEONE
TVTEL CERER
[10] PALVS PARAT
MESSES
FRVMENTAR
ITEM
TRITICAR
[11] STVPVLAE
INCENDVNT
SACRVM SPEI
SALVTI DEANE
[12] VOLCANALIA

MENSIS
SEPTEMBER
DIES XXX
NON QVINT
DIES HOR XII
NOX HOR XII
AEQVINOCT
VIII KAL OCT
SOL VIRGINE
TVTELA
VOLCANI
DOLEA
PICANTVR
[13] POMA LEGVNT
ARBORVM
[14] OBLAQVIATIO
EPVLVM
MINERVAE

MENSIS
OCTOBER
DIES XXXI
NONAE
SEPTIMAN
DIES
HOR X S
NOX
HOR XIII S
SOL
LIBRAE
TVTELA
MARTIS
VINDEMIAE
SACRVM
LIBERO

MENSIS
NOVEMBER
DIES XXXI
NON QVINT
DIES HOR VIIIIS
NOX HOR XIIIIS
SOL
SCORPIONE
TVTELA
DEANAE
SEMENTES TRITICAR
ET HORDIAR
SCROBATIO
ARBORVM
IOVIS
EPVLVM
HEVRESIS


MENSIS
DECEMB
DIES XXX
NON QVINT
DIES HOR VIIII
NOX HOR XV
SOL SAGITT
TVTEL VESTAE
[15] HIEMS INITIVM
[16] SIVE TROPAE
CHIMERIN
VINEAS STERC
FABA SERENTES
MATERIAS
DEICIENTES
OLIVA LEGENT
ITEM VENANT
SATVRNALIA

FULVII URSINI

ANNOTATIUNCULÆ

AD KALEND. RUSTICUM

FARNESIANUM.



MENSIS JANUARIUS.

M*Ensis Januar.* in Kalendario Vallensi MES. JANUAR. & sic deinceps exaratum est ea scribendi ratione, qua *Hortesius* antiqui dicebant, pro *Hortensius*, Græcos imitati, qui ὁςτώσι@, & multa hujusmodi sine N litera scribebant. Velius Longus: *Sicut Cicero, qui Foresia & Megalesia, & Hortesia sine n litera libenter dicebat.*

Non Quinct. Nonæ *Quinctanæ* dicebantur, quod quincto Mensis die essent: *Septimanæ* vero, quod septimo. Videndus Macrobius lib. 1. Saturn. M. Varro. *Primi dies mensium nominati Kalendæ ab eo, quod his diebus Kalentur ejus mensis Nonæ Pontificibus, quintanæ ne, an septimanæ futuræ, in Capitolio, in curia Calabra, sic: Dies te quinque Kalo Juno novella, septem dies te Kalo Juno novella.* Sic enim ex v. c. legendum, & *covella*, non *novella*, hoc est, *cælestis, a cavo, id est, cælo.*

Palus Aquitur. Colum. lib. 2. cap. 2. *Palos una opera cædere, & exputatos acuere centum numero potest*; & infra: *sive enim vineas possidemus, pali & ridicæ possunt dolari, exacuique, &c.* AQVITVR autem positum est pro ACVITVR, ἀξυνεῖς. ACVAM tamen Antiqui dicebant, non AQVAM, ne viderentur nomen, & ipsum trisyllabum significare, ut ait Velius Longus. Item QVI, vel QVOI, (o litera inserta, quo pinguior esset enunciatio) pro CVI: COQVVS pro COCVS: QVOTIDIE pro COTIDIE: Item pro DELICVERIT apud Plautum in Casina in VV. CC. est DELIQVERIT, & ita Nonius legit.

Salix harundo cæditur. Cato tit. 7. *Salicem Græcam circum arundinatum serito, uti siet, qui vineam alliges.* Varro lib. 1. cap. 30. *Salicem cædi, prata defendi.* Colum. lib. 2. cap. 2. *Arundineta nunc ponere, vel etiam pristina colere. Salicta facere, vel deputare, runcare, ac fodere*; & infra: *Possit etiam Salix decisa pridie ad lucubrationem expurgari*; & in lib. de arboribus: *Placet autem omnibus annis simul ac arundinem cecideris &c.* Colum. lib. 4. c. 32. de arundine. *Cæditur*, inquit, *deinde post brumam; nam usque ad id tempus incrementum capit.*

Sacrificant Dis Penatibus. In Kalendario Vallensi est: SACRIFIC. DIIS PENATIBVS.

MENSIS FEBRUARIUS.

S*Egetes Sariuntur.* Colum. lib. 2. cap. 2. *Eodemque mense ante Kal. Febr. Sarriendæ segetes autumnales &c.* Palladius in mense Jan. tit. 9. *Sed triticum, & far Sarritur quattuor foliorum, ordeum quinque &c.* SARIVNTVR unico R, quod antiqui mutas & semivocales non geminabant.

Vinearum superfi. colit. In Kalendario Vallensi est: VINEARVM. SVPERFICIVM. COLITVR. Colum. lib. 2. cap. 2. *Item vinearum fossio iisdem locis peragenda &c.* Palladius In mense Febr. tit. 20. *Nunc locis maritimis & calidis fodiendæ sunt vites; vel (si hæc provinciæ consuetudo est) exarandæ, & in eisdem locis palandæ, aut ligandæ sunt vineæ prius, quam gemma procedat &c.*

Harundines incendunt. In Kal. Vallensi est: HARVNDO INCENDIT, pro INCENDVNTVR, & INCENDITVR. Colum. lib. 4. c. 32. *Sed & macies ejus, cinere vel alio stercore juvanda est, propter quod cæsum plerique incendunt arundinetum.*

Parentalia Lupercalia Caracognato. In Kalen. Vallensi: LVPERCALIA PARENTALIA CARA. COGNAT. Hæc in Fastis *Charistia* dicuntur, de quibus ita Ovidius cecinit in libris Fastorum: *Proxi-*

Proxima cognati dixere charistia patres,
Et venit ad socios turba propinqua deos.

Val. Max. lib. 2. *Convivium solemne majores nostri instituerunt, idque Charistia appellaverunt. Præter cognatos & affines nemo interponebatur &c.*

MENSIS MARTIUS.

V*ineae. Pedamin. in Pastino putantur*. In Kal. Vallensi: VINEAE ET PEDAMINA &c. Varro lib. 1. cap. 8. de rust. *Quibus stat recta vinea pedamenta dicuntur*. Colum. lib. 4. cap. 26. *Tamen in his hæc, eorumque similia pedamenta post putationem retractanda sunt, partesque eorum putres dedolandæ &c.* Idem cap. 15. *Nam plurimum interest, adhuc nova consitione pedamen omne vestiri*; & lib. 2. cap. 2. *Igitur a Kalendis Martiis eximia est vitium putatio usque in decimum Kalendarum Aprilium, si tamen se gemmæ nondum moveant*. Pallad. in mense Martio tit. 1. *Martio mense locis frigidis putatio vinearum celebratur &c.*

Trimester seritur. Colum. lib. 2. cap. 9. *Atque adhuc de satione autumnali loquimur; hanc enim potissimam ducimus. Sed & est altera, cum cogit necessitas; trimestrem vocant agricolæ*. Pallad. lib. 3. tit. 3. de Statione trimestri, *Hoc mense*, inquit, *serendum omne trimestrium genus*. Cato tit. 25. *Trimestrem quo in loco sementim maturam facere non poteris; & qui locus restibilis crassitudine fieri poterit, seri oportet*. Pallad. lib. 1. tit. 6. *Trimestris satio locis frigidis & nivosis convenit, ubi qualitas æstatis humecta est, cæteris raro respondet eventu &c.*

Isidis navigium. In Kalendario etiam Vallensi est, ISIDIS NAVIGIVM. De Isidis navigio meminit Lactantius Firmianus lib. 1. cap. 27. *Certus dies*, inquit, *habetur in Fastis, quo Isidis navigium celebratur: quæ res docet, non tranasse illam, sed navigasse*; & Apulejus lib. 2. de Asino aureo hunc diem videtur designare, cum inquit: *diem, qui ex hac nocte nascetur, æterna mihi nuncupavit religio, quo sedatis hibernis tempestatibus, & lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelago rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei sacerdotes*.

Sacrum Mamurio. In Kal. Vallensi habetur itidem: SACRUM MAMURIO. Putamus autem designari diem eum, quo ancilia movebantur: tunc enim in fine sacri, Mamurii nomen Salii canebant, qui Numa regnante ancilia confecerat. Festus: *Rumentum in Auguralibus significare videtur interruptione, abruptione. Dum verba ancilibus movendis prait, si interim avis canerit, tum æque atque auspicio, auguriо rumentum estod.* Ancilia cum feruntur a Saliis, religio est antequam condantur, aliquid agere, & etiam proficisci; & eo tempore uxor Flaminis Dialis non pectebat crines. Corn. Tacit. *Fuere qui proficiscenti Othoni moras, religionemque nondum conditorum ancilium adferrent*.

Lavatio. Hoc verbum in Kal. Vallensi literis vetustate corrosis non legitur, nec in iis quidem schedis, quæ centum abhinc annis exstant apud me scriptæ manu Pomponii Læti; existimamus autem designari diem in Fastis VI. Kal. April. quo die Mater Deum lavabatur in flumine Almone. Augustinus lib. 2. c. 4. de Civitate Dei: *Cælesti Virgini, & Berecynthiæ Deorum Matri omnium, ante cujus lecticam die solemni* LAVATIONIS *ejus talia per publicum cantitabantur a nequissimis Scenicis*. Vibius Sequester in libro de Fluminibus: *Almon Romæ*, inquit, *ubi Mater Deum VI. Kal. April. lavatur*. Ammianus lib. 23. *Ubi diem VI. Kal. quo Romæ Matri Deum &c. & carpentum, quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur*. Videndus Arnobius lib. 7. Lucanus lib. 1.

Tunc qui fata Deum, secretaque carmina servant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybellen.

Martialis lib. 5.

Phrygiumque Matris Almo qua lavat ferrum.

Statius lib. 1. Silv.

Est locus ante Urbem, qua primum nascitur ingens
Appia, quaque Italo gemitus Almone Cybellen
Ponit &c.

Silius Italic. lib. 8.

. . . . . . *quique ostia Tusci*
Amnis amant, tepidoque fovent Almone Cybellem.

Claudianus:

Prælatoque lavas Phrygios Almone leones.

Ovi-

Ovidius in Fast.

Est locus, in Tiberim quo lubricus influit Almo,
Et magno nomen perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam, sacraque lavit aquis.

MENSIS APRILIS.

OVes lustrantur. Ovid. Fast. lib. 4.

Pastor oves saturas ad prima crepuscula lustret,
Unda prius spargat.

Juvenalis Satyr. 6.

. . . . . . *ne si centum lustraverit oves.*

Tibull. lib. 1. eleg. 1.

Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos,
Nunc agna exigui est hostia parva soli.
Agna cadat nobis, quam circum rustica pubes
Clamet, Io messes, & bona vina date.

& tunc fortasse oves signabant, ut ex Columella coniici potest in lib. 2. cap. 2.

Sacrum Phariæ, item sarapia. Spartianus: *Caracalla sacra Isidis Romam deportavit, & templa ubique ei deæ fecit.* Svet. in Othon. cap. 12. *Sacra etiam Isidis sæpe in lintea religiosaque vesta propalam celebrasse.* Lampridius: *Commodus sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubium portaret.* Val. Max. lib. 7. cap 3. *Isiaci habitu per itinera, viasque publicas stipem petens.* Plin. lib. 27. cap. 7. *Absinthium &c. hujus ramum Isiaci præferre solenne habent.* Lactant. lib. 1. cap. 21. *Isidis Ægyptiæ sacra sunt &c.* Tibull. lib. 1. eleg. 5.

Ut mea votivas persolvens Delia voces,
Ante sacras, lino tecta, fores sedeat.

Lampridius: *Isiacos vero Commodus usque ad perniciem pectus tundere cogebat.* Eutropius lib. 8. *Domitianus Isium & Serapium decenter ornavit.* Sed de sacris Isidis & Serapidis, sive Sarapidis (utroque enim modo scribebant) videndus Apul. lib. 2.

MENSIS MAJUS.

SEgetes runcant. In Kal. Vallensi: SEGETES RUNCANTUR. Varro lib. 1. cap. 30. de re rustica. *Segetes runcari, terram proscindi.* Runcari autem quid sit, Varronis expositor declaravit, qui ad id verbum hanc notam posuit, quæ deinde a librariis in textum est recepta: *Runcari, herbam ex segetibus expurgari.* Colum. lib. 2. cap. 2. *Seminaria, quæ sunt antefacta, runcari, & adhuc commode fodiri possunt.*

Oves tundunt, lana lavatur. Ita scribebant antiqui pro TONDENT, quod positum est pro TONDENTUR. Eodem etiam modo dicebant FRUNDEM pro FRONDEM, & FRUNTEM pro FRONTEM. Colum. lib. 2. cap. 2. *Oves Tarentinæ radice lanaria lavari debent, ut tonsuræ præparentur.* Palladius in mense Majo, tit. 8. *Locis temperatis nunc ovium celebranda tonsura est.*

Juvenci domant. In Kal. Vallensi: JVVENCI DOMANTVR. Videndus Varro, apud quem ita scriptum est lib. 1. cap. 20. *Novellos quum quis emerit juvencos, si eorum colla in furcas destitutas incluserit, ac dederit cibum, diebus paucis erunt mansuefacti, & ad domandum proni. Tum ita subigendum, ut minutatim assuefaciant, & ut tironem cum veterano adjungant; imitando enim facilius domantur.*

Vicea pabular. secatur. Colum. lib. 2. c. 2. *Sed & viciam in pabulum secare oportet, prius quam siliquæ ejus durentur &c.* Pallad. in mense Jan. tit. 6. *Hoc mense ultimo colligendi seminis causa, non pabuli secandi vicia seritur.* VICEA vero pro VICIA dicebant antiqui, ut VINIA pro VINEA, & permutatis literis VEA pro VIA Varro lib. 1. c. 2.

Segetes lustrantur. Virg. Bucol. Eclog. 1.

. . . . . . *& cum lustrabimus agros.*

& Georg. lib. 1.

Terque novas circum felix eat hostia fruges.

Tibul. lib. 2. eleg. 1.

Quisquis adest valeat, fruges lustramus & agros.

& Propert. lib. 4. eleg. 1.

Par-

Parva saginati lustrabant compita porci.
Cat. tit. 141. *Agrum lustrare sic oportet. Imperant suovetaurilia circumagi cum divis volentibus &c.*

Sacrum Mercur. Majus Mercurio dicatus. Plutarch. In Numa.

Et Floræ, Floralia in Fastis habentur VI. Kal. Jun. sed hæc aliaque hujusmodi, quæ in Kalendario Urbano sunt descripta, consulto a nobis omittuntur.

MENSIS JUNIUS.

S*Olis institium* VIII. *Kal. Jul.* in Kal. Vallensi SOLSTITIVM &c. Colum.lib.2. cap.4. *Circa Solstitium quod est* A.D. IX. *vel* VIII. *Kal. Julias.*

Faenisicium. In Kal. Vallensi, FÆNISIC. Colum. lib. 2. c. 18. *Altero tamen anno minora pecora post fænisicia permittemus admitti.* Pallad. in Junio tit.3. *Colligemus viciam, fænum resecabimus ad pabulum.*

Viniæ occantur. Colum. lib. 2. c. 2. *Sed frigidioribus regionibus pulverationem faciunt, quam vocant rustici occationem, quum omnis gleba in vineis refringitur, & resolvitur in pulverem*; & lib. de arborib. c.5. *Post Idus Apr. terram ad vitem aggerato; æstate deinde quam potes sæpissime occato. Jugerum vineæ quinque operis ablaqueant, quinque foditur, tribus occatur.* Palladius in Majo. tit.4. *Hoc mense arbores, & vites, quæ ablaqueatæ fuerant, occare, hoc est, operire jam convenit.* VINIÆ, pro, VINEÆ, antiqua scribendi ratio est, qua I & E, invicem mutantur; unde in veteri inscriptione est, LOCVM VINIÆ PVBLICÆ A PRIVATIS OCCVPATVM.

Sacrum fortis fortunæ. Hoc habetur in Fastis VIII. Kal. Julias.

MENSIS JULIUS.

M*Esses hordiar. & fabar.* In Kal. Vallensi, ET FABARIÆ. Colum. lib. 2. c. 2. *His diebus &c. ordeum metere, fabam Serotinam ducere, fabam maturam conterere, paleam ejus diligenter recondere, ordeum terere, paleasque omnes recondere &c.* Pallad. lib.7. tit. 2. *Nunc primo ordei messis incipitur, quæ consummanda est ante quam grana arefactis Spicis lapsa decurrant, quia nullis sicut triticum folliculis vestiuntur*; & tit.3. *Nunc & faba luna minuente velletur. Ante lucem sane & ante quam luna procedat, excussa & refrigerata ponatur.* HORDIAR. antiqua scriptura, pro HORDEAR.

MENSIS AUGUSTUS.

P*Alus parat.* In Kal. Vallensi, PALVS PARATVR. Colum. lib. 2. c. 2. *Vel etiam palis conficiendis idoneum tempus est.*

Messes frumentar. item triticar. Palladius lib. 8. tit.1. *Nunc Locis temperatis tritici messis expletur.* Varro lib.1. c.32. *Quarto intervallo inter Solstitium & Caniculam plerique messem faciunt, quod frumentum dicunt quindecim diebus esse in vagina, quindecim florere, quindecim exarescere, quod sit maturum*; & cap. 50. *Messis proprio nomine dicitur in iis, quæ metuntur, maxime in frumento, & ab eo est vocabulo declinata. Tria genera sunt messionis &c.*

Stupulæ incendunt. In Kal. Vallensi, STVPLÆ INCENDVNT, quod positum est pro INCENDVNTVR. Pallad. in mense Augusto tit.4. *Nunc urenda sunt pascua, ut & altorum fruticum festinatio reprimatur ad stirpes, & incensis aridis nova latius succedant.*

MENSIS SEPTEMBER.

D*Olea picantur.* DOLEA, pro DOLIA positum est, ea scribendi ratione, de qua supra dictum est. Colum. lib.2.c.2. *Hoc igitur quum exploratum habuerit villicus, sciat vindemiam sibi esse faciendam. Sed ante quam fructum cogere incipiat, cuncta præparanda erunt Superiore, si fieri poterit, mense. Sin minus, certe ut ante quindecim dies Dolia partim picata, partim defricata, & diligenter lota marina, vel aqua salsa, & recte siccata.* Palladius in Septembri, tit. 11. *In doliis picandis hic modus erit, ut dolium ducentorum congiorum* XII. *libris picetur.*

Poma legunt. In Kal. Vallensi, LEGVNTVR. Colum. lib. 12. c. 44. *Omne autem* po-

pomum, quod in vetustatem reponitur, cum pediculis suis legendum est, sed, si sine arboris noxa fieri possit, etiam cum ramulis; nam ea res plurimum ad perennitatem confert.

Arborum oblaquiatio. In Kal. Vallensi, ARBORVM. OBLAQVEATIO. Colum. lib. 2. c. 2. *Tum etiam arbores ablaqueare, nec minus vineas, easdemque putare*; & in lib. de arborib. cap. 5. *Ab Idibus Octobris ablaqueare incipito, ante brumam ablaqueatam habeto*. Sed *ablaqueare* tum apud Catonem, tum apud Varronem ubique scriptum est, non *oblaqueare*.

MENSIS OCTOBER.

V*Indemiae*. Colum. lib. 2. cap. 2. *His diebus locis maritimis, & calidis vindemia, & caetera, quae suprascripta sunt, commode administrantur, &c.* Vindemiae quae sunt necessaria, parari docet Cato tit. 23. & vindemia facta quae fieri debeant, tit. 26. & tit. 68. Vindemiarum tempus describit Varro lib. 1. cap. 27. Item vindemiam quomodo facere oporteat lib. 1. cap. 54. Pallad. in Septembri, tit. 2.

Deanae pro *Dianae*, ἀρχαϊκῶς. & ita in inscriptione Colotiana: M. AURELIUS. PACORUS. M. COCCEJUS. STRATOCLES. AEDITUI. VENERIS. HORTORUM. SALLUSTIANORUM BASEM. CUM. PAVIMENTO. MARMORATO. DEANAE. D. D.

MENSIS NOVEMBER.

S*Ementes triticor. & hordicr.* Pallad. lib. 12. tit. 1. *Decembri mense seruntur frumenta, triticum, far, ordeum, quamvis ordei satio jam sera sit, & faba circa septimum idus fieri potest.*

Scrobatio arborum. Cato tit. 7. *Scrobes invertito oleis, ulmis, vitibus, ficis simul cum semine*; & tit. 28. *In scrobe cum pones, summam terram subdito &c.* Scrobium ratio, & quot operis fiant, Colum. lib. 2. cap. 2. & de scrobibus latius lib. 5. cap. 5. & alibi. & Pallad. lib. 2. tit. 10. & tit. 13.

Jovis epulum. Jovis epulum septemviri Epulonum in Capitolio celebrant. Val. Max. lib. 2. cap. 1. *Feminae cum viris cubantibus sedentes coenitabant: quae consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit; nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in cellas ad coenam invitabantur.*

Heuresis. Heuresis quid sit, quaerendum; nam fortasse dies designatur is, quo Ceres Proserpinam filiam a Plutone raptam, omnibus terris perquisitam invenit. Apulejus lib. 2. de Asino aureo: *Sive tu Ceres alma frugum parens originalis, quae repertu laetata filiae, vetustae glandis ferino remoto pabulo, miti commonstrato cibo, nunc Eleusinam glebam incolis &c.* Fabula ita nota est, ut non egeat explicatione. *Repertu* autem Apulejus dixit pro *inventione*, quod verbum respondet Graeco εὕρεσις.

MENSIS DECEMBER.

H*Iemps initium*. Videndum, an sit fabrile erratum; nam in Kal. Vallensi est: HIEMIS INIT.

Sive tropae. chimerin. In Kal. Vallensi, TROPAEAE CHIMER. Sed haud scio quam recte; nam Graecis τροπαὶ χειμεριναὶ dicuntur, quae Varroni, & Columellae aliisque Latinis scriptoribus *Bruma*.

Vineae sterc. In Kal. Vallensi, VINEAE STERCORANTUR. Cato tit. 33. Colum. lib. 2. cap. 2. & 16. ubi tamen ait, stercus viribus ingestum vini sapori obesse.

Faba serentes. Non est erratum fabrile, licet in Kal. Vallensi sit, FABA SERITUR; nam FABA, pro FABAM positum est, ut infra dicetur. Palladius lib. 13. tit. 1. *Decembri mense &c. faba circa septimum Idus seri potest.*

Materias deicientes. In Kal. Vallensi mendose incisum est DECIENTES. Colum. lib. 2. cap. 2. *Nec minus in aedificia succidere arborem convenit, sed utraque melius fiunt luna decrescente ab vigesima usque in trigesimam, quoniam omnis materia sic caesa judicatur carie non infestari*; & paullo post: *Materies si roborea est, ab uno fabro dolari ad unguem per quadrata debet pedum xx. haec erit vobis una.*

Oliva legent. Putamus OLIVA pro OLIVAM positum esse, ut supra FABA pro FABAM, & in antiquis monumentis PRIVERNUM CAPTU &c. Pallad. lib. 1. tit. 6.

Grae-

Græci jubent olivam, cum plantatur & legitur, a mundis pueris & virginibus operandam, credo recordati arbori huic esse præsidem castitatem.

Item venant. VENANTUR integra lectio. Columella tamen præcipit villicum debere venandi studium, aut aucupandi vitare, quod iis rebus plurimæ operæ avocantur.

In Ædibus Bernardini della Valle, alterum hujusmodi Kalendarium extat ejusdem quidem exemplaris, sed tribus tantum lateribus inscriptum: singula enim latera menses quatuor continent. Pauca tamen in quibus hoc differt a Farnesiano in annotatiunculis proposita in sequentem pagellam simul collecta conjiciuntur.



1 SACRIFIC

DIIS

2 SVPERFICIVM

COLITVR

HARVNDO

INCENDIT

LVPERCALIA

PARENTALIA

CARA. COGNATORVM

3 VINEAE. ET

PEDAMINA

4 ISIDIS NAVIGIVM

SACRVM MAMVRIO

5 SEGETES

RVNCANTVR

6 IVVENCI DO

MANTVR

7 SOLSTITIVM

8 FAENISIC

9 FABARIAE

10 PARATVR

11 STVPLAE

12 VOLCANO

13 LEGVNTVR

14 OBLAQVEATIO

15 HIEMIS INIT

16 TROPAEAE

CHIMER VINEAE

STERCORANTVR

17 SERITVR

18 DECIENTES

CAROLUS NEAPOLIS L.



REDEVNT *ad te Fasti Nasonis jam me- lieri luce: vidisti hactenus a* VI. *Viris illustratos; quorum pars magna e semilitteratis, nec pro captu sui sæculi eruditis. Unus & alter in Notis verbosior; sed mirum quum aliquid boni ambobus excidit: alii quatuor tam presse, tam Laconice scripsere, ut vix quinque integras pagellas consumserint ad opus gravissimum: novit hoc qui Criticen suboluit. Cepi igitur stilum libens: nec ea mole absterrita tunc illa ætas; utinam Ordo, quem sacra potius, quam profana addecebant! is in caussa, ut fere jam bene disposita ad* VI. *Libros Anaptyxi, sed adhuc* ἐν παλιμψήστῳ, *triennii labores in musei angulum abjecerim; sed dissuasus a viris judicii maturi, & ad vulgandos serio hortatus, relegi iterum opellam, & ultimam manum imposui anno vitæ meæ* XXI. *Audisset ea fortassis antea tua judicia (hæc o grata mihi indies eveniant!) ni impedimento fuissent Juris utriusque studia; & quæ parum non obfuit, multis abhinc annis adversa & inimica valetudo: & vere hæc, & ætas, quæ jam nos ad majora vocabat, egit ut operi amplius non insudarim; quod lima, si quid video, adhuc egebat: eo tamen, ut ut est, fruere serie & erudite Lector. Tuis commodis hæc incommoda suscepi: tibi indies, timeo, (ita me ille amet, qui poterit omen avertere)*

. . . . ne quid faciam plus, quod me post minus fecisse satius sit. — Terent. in Hecyra.

Qui studiorum comites, nisi tristis languor & morbus? Apte Platonicus Maudarensis in Apologia de se ipso: Cui, præter formæ mediocritatem continuatio etiam litterati laboris omnem gratiam corpore deterget, habitudinem tenuat, succum exsorbet, colorem obliterat, vigorem debilitat. *At abite hinc in malam rem suspiciones istæ. Kalendarium a me appositum: breviter Fastos Ovidianos pæne delineat: ejusdem argumenti sunt trina alia fragmenta, excerpta ex Thesauro Inscriptionum Antiquarum; & illud Constantini Magni, jam pridem e bibliothecis literatorum editum: placuit has tabulas huc inserere, quia sæpicule a me citantur. Vale.*

PROPERA VIVERE, ET SINGULOS DIES SINGULAS VITAS PUTA.

SYLLABUS AUCTORUM
QUOS
CAROLUS NEAPOLIS
ILLUSTRAT, CITAT, EMENDAT.

CAROLI NEAPOLIS
ANAPTYXIS
CUM ADDITAMENTIS
AD PUBLII OVIDII NASONIS
Libros VI. Fastorum.



Publii Ovidii Nasonis. Praenomen istud, nomen, cognomen nostro datur in codicibus tritis & cascis: neque ullum hac de re apud Auctores ἀμφισβήτημα. Gens Ovidia fuit ordinis equestris. Idem Pelignus de se ad Suillum:

Seu genus excutias, equites ab origine prima
Usque per innumeros inveniemur avos.

Sed haec cognomento Nasonis: nescio an isti Ovidii, quos in hoc saxo legimus:

MESSIA. C. F. MONUM. FECIT
SIBI ET SUIS
C. OVIDIO T. F. TUMULO. ET
C. OVIDIO C. F. LUPERCO. ET
T. OVIDIO C. F. TUMULO.

Libros VI. Numero XII. esse debuerant; imo & fuerunt: ipse Fastographus in Tristibus:

Sex ego Fastorum scripsi, totidemque libellos.

Sed heu! periere: triste naufragium, lugete litterae. Quo autem tempore hos scripserit, habes ex ejus vita: quam in limine non inserui, quia accurate a plurimis scripta; in quibus quidquid uni deest, reperies in altero. At de Poetae obitu vide sodes, quae scripsit ad Eusebii annum MMXXXIII. Josephus Scaliger, ad hanc nostram litteraturam vere μοιρηγενὴς ἀνήρ.

AD LIBRUM PRIMUM.

v.1 C*Um caussis.* Ut Eratosthenes, qui τὰ φαινόμενα cum caussis & fabulis conscripsit.
v.1 *Latium digesta per annum.* Solare sive Julianum: cujus systema est dierum CCCLXV. cum quadrante diei, hoc est horis sex. Incipit ergo a Januario: qui mensis a Numa reliquis antepositus (ut in trascursu Commentarii mihi paullo magis cum cura de eo dicendum, si vel modicè valeam & vivam) imo additus a pio Rege; & hoc nomine dictus ab initio ad nostram aetatem. Commodo tamen Antonino imperante, in ejus gratiam, & verius concubinae, Amazonius nuncupatus. Sed evanuit nomen illud; invaluitque priscum statim post Commodi mortem, ex sententia S. C. Hac de re ita Ælius Lampridius: *Menses quoque in honorem ejus, pro Augusto Commodum, Augustum pro Septembri, Herculeum pro Octobri, Invictum pro Novembri, Exsuperatorium pro Decembri, Amazonium pro Januario, ex signo ipsius adulatores vocabant.* Sic legendus hic locus ex

emendatione viri Cl. qui prius confusus, & cum tricis, neque cum Dione conveniens; licet is adhuc discrepet. Nam Ῥωμαῖον vocat, quem Lampridius *Invictum*. (a)

v. 2 *Ortaque signa canam.* Promittit etiam παράπηγμα Astronomicum.

v. 3 *Cæsar Germanice.* Perperam aliqui opus hoc Tiberio dicatum putant: nam hic, cui sacravit Ovidius, est Cæsar ille Drusi Claudii Neronis filius; mater ei fuit Antonia minor, patruus Tiberius Nero, sed postea adoptione pater: nam quum Augustus Liviæ impulsu, data Tiberio in decennium Tribunitia potestate, eum adoptasset, ne is nimio honore elatus ad res novas consurgeret, Neronis Drusi fratris ejus filium prius adoptandum Tiberio dedit. Ad verbum hæc quæ dixi fere Dio Cassius lib. LV. Germanici vero cognomen hic meruit ob patrem; quem, & posteros, Senatus Germanicos dici voluit. Parens tamen defunctus, eo cognomine insigniri cœptus, mecum Historici. (b)

v. 7 *Annalibus eruta priscis.* Hic mentio fit annalium eorum, qui dicebantur, & Pontificalium libri, & indigitamenta, & commentarii Pontificum: his enim imposita erat ea cura, ut res gestas in tabulas referrent. Flavius Vopiscus in Tacito: *Quod post excessum Romuli, novello adhuc Romanæ Urbis imperio, factum Pontifices, penes quos scribendæ Historiæ potestas fuit, in litteras retulerunt.* Uberrime & clare Cicero de Oratore: *Erat initio Historia nibil aliud nisi annalium confectio: cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ caussa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Pontificem Maximum, res omnes singulorum annorum mandabat litteris Pontifex Maximus, referebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; iique etiam nunc Annales maximi nominantur.* Cur *maximi* dicti sint, ostendit Festi Abbreviator: *Non magnitudine*, inquit, *sed quod eos exarasset Pontifex Maximus.* Et sane alterum etiam iis etymon conveniret; nam veterum diligentia in LXXX. libros retulit; si fides Servio in Schedis: nec diffuse omnia in illis scripta, sed presse, & stricte, brevibus non integris notis. Huc spectare suspicantur Duumviri eruditi illa Livii sub initium lib. VI. *Perraræ & per eadem tempora litteræ fuere*, non ego, qui *perraras* stricta significatione accipio paucas, non breves. Ipse subdit paullo post rationem penuriæ: *Si quæ in commentariis Pontificum, aliisque publicis, privatisque erant monumentis, incensa urbe pleræque interiere.*

v. 10 *Sæpe tibi pater est.* Drusus Claudius verus pater, sive Tiberius adoptivus: malim hunc.

v. 10 *Legendus Avus.* Octavianus Augustus, quippe qui Tiberium adoptavit: hinc in inspectionibus antiquis scribitur Tiberii filius, Augusti nepos, Julii pronepos; exemplum erit hæc in Hispaniis reperta;

GER-

(a) *Latium digesta &c.* Miror Cuippingium, qui ad selectissimorum virorum annotationes solet fere semper Nostri (idest Neapolis) eruditissimas animadversiones adjicere, hanc, in qua recondita latet eruditio ex Lampridio depromta, prætermisisse. Nolim equidem aliquid gravius dicere, sed ut vere dicam, videtur in hac Lampridiani loci notitia Nostro paullum invidisse, qua non mutata modo Commodo imperante Nomina mensium Noster (quod Augusto Tiberioque Tyrannidem Occupantibus ab adulatoribus factum esse accepimus) demonstrat, sed & corruptam lectionem, neque cum Dione convenientem, felicissime emendat.

(b) *Lapsaque sub terras &c.* Ita ad hunc locum Crispinus in sua ad usum Serenissimi Delphini interpretatione: *Torserunt se hic multi, quod rerum ordinem turbasse videatur Poeta, quum prius oriri, quam occidere res, necesse sit. At enim omissa subtilitate omni, optime ordinem servasse illum dico, qui prius de illis astris mentionem fecerit, quæ omnino nobis sunt priora. Quoquo enim modo spectaverimus, nullus, illa quæ lapsa sunt, prius nobis conspicua fuisse, negaverit: tum præterea easdem prius fuisse, quæ laterent, quam cuiquam apparerent, nemini fuerit dubium. Videtur deinde Poeta numeri majoris lapsorum astrorum habere rationem*: Hæc Crispinus, ut sese, atque adeo Ovidium expediat, ingeniosissime concinnavit; sed nihil caussæ esse video, quamobrem in hisce excogitandis tantopere laboraverit. Ad Crispinianas istas observationes, Ovidium, hæc quum scriberet, minime spectasse vel juratus affirmarem. Quis enim ignorat, præstantissimos Poetas sæpe rerum ordinem turbare consuevisse poetico illo loquendi modo, quem Græci ὕστερον πρότερον appellant: Id fortasse Noster quod vidit, nihil quicquam de Ovidio defendendo sollicitus, rem, quæ intricatissima, & Crispino, & aliis visa est, paucis expedivit: *promittit jam* παράπηγμα *Astronomicum.*

GERMANICO
CÆSARI TI. F.
AUGUSTI N.
DIVI PRON.
COS.
L. TURELLIUS
L. F. GEMINUS
Æ D. D. S. P.

v.11 *Pictos fastos*. Bene miscet annales Pontificios cum fastis: in illis enim libris quidquid erat, in his visebatur etiam exaratum: nam qua die quidquid evenisset, fasta seu nefasta, recensendum erat in annalibus. Sed præter hos duæ erant apud veteres tabulæ, quibus fastorum nomen erat inditum; una, in qua varia dierum jura incisa, de quibus nos postea, solemnia Deorum sacra, ludi, & feriæ in eorumdem honorem, res & victoriæ aliquot insignes: & hoc argumentum hujusce optimi maximi operis, præter Ἀστρονομικά. Hujus generis fastos vulgavit primus Cn. Flavius; notat Valerius lib. II. cap. v. *Jus Civile per multa sæcula inter sacra, cærimoniasque Deorum immortalium abditum, solisque Pontificibus notum, Cn. Flavius libertino patre genitus, & scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus Aedilis curulis, vulgavit, ac fastos pæne toto foro exposuit*: & Livius lib. IX. de eodem: *Civile Jus repositum in penetrali Pontificum evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut quando lege agi posset, sciretur*. Et hæc de prima Tabula. Alia erat, in qua nomina fere omnium Magistratuum continebantur; frequens hujus apud Scriptores mentio. Idem libro IV. in Oratione Canuleii Trib. pleb. de novo Consule plebejo faciendo: *Obsecro vos, si non ad fastos, non ad commentaria Pontificum admittimur*, & Tacitus Annali III. *Nomen Pisonis radendum e fastis censuit & Magistratus*, & alia veterum martyremata.

v.12 *Cum Druso præmia Fratre*. Hic non filius Drusi Neronis, sed nepos ex fratre Tiberio. Germanico ergo frater erit adoptivus. Subjicerem lucis caussa stemma, ni tibi esset obvium in multis.

v.14 *Addidit ille dies*. Qui fuerint, dicemus σὺν Θεῷ, quum locus in Fastis poposcerit.

v.20 *Clario missa legenda Deo*. Vigebat Clarii Apollinis oraculum Nasonis ævo: imo Germanicus eumdem invisit, Auctore Tacito lib. II. Annalium: qui si verus, ut est, parum ad fidem Strabo scribit lib. XIV. nullum ætate sua oraculum ibi fuisse: Καὶ ἡ Κολοφὼν πόλις Ἰωνική, καὶ τὸ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν ποτε παλαιόν. viguit enim sub Tyberio ipse luculentus testis lib. XIII. & sub Augusto: nam lib. XII. fatetur novisse de facie virum magnum P. Servilium Vatiam Isauricum.

v.22 *Pro trepidis*. Lucanus in Panegyrico ad Calpurnium Pisonem, qui & facundiam his tuendis exercebat:

> . . . . . *Quum tua mæstos*
> *Defensura reos vocem facundia mittit,*
> *Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum,*
> *Et firmare jubet centeno judice caussas.*

v. 22 *Quum tulit arma reis*. Notavit & id Svetonius: *Oravit*, inquit de Germanico, *caussas triumphaleis*; & Dio Cassius lib. LVI. Καὶ αὐτὸς μὲν οὐδὲν ἄξιον μνήμης ἔπραξε, πλὴν ὅτι καὶ τότε ὑπερεδίκησεν.

v. 23 *Tulit impetus artes*. Nam inter cetera studiorum monumenta reliquit comœdias Græcas.

v. 28 *Quinque bis esse suo*. Sub Romulo ergo annus fuit decimestris: nec dubio locus, adeo certa opinio hæc contra Plutarchum, Licinium Macrum, L. Fenestellam, & alios.

v. 29 *Scilicet arma magis*. Congerit hic multa doctissimus Naso, ut probet quid Romulum ad hoc induxerit: quibus forte, nota vera origine, abstinuisset. Nam Romulus Regni initio novum annum minimè constituit: sed solum egit, ut mensis, qui quintus ordine erat aliis, fuerit suæ genti, & populo secundus; & alia hujusmodi: quum in Latio ante Urbem conditam annum decimestrem fuisse constet, & apud alias plerumque gentes; ut Athenis, ubi Clisthenes, post tyrannos, populum in decem tribus divisit: qua de re ita Ammonius Hermeas: Πρυτανεία· ἑλληνικῶς ὁ χρόνος. Διῄρητο γὰρ παρὰ Ἀθηναίοις ὁ ἐνιαυτὸς εἰς δέκα πρυτανείας, ὅσαι καὶ φυλαὶ ἦσαν, καὶ ἐπρυτάνευσαν ἑκάστη φυλὴ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἅπαξ. ἔδον καὶ τοὺς μισθοὺς, καὶ τὰ ἐνοίκια, καὶ τὰς πρυτανείας κατὰ μῆνα ἐπίλον.

v.35 *Per totidem menses*. Lex hæc lata etiam regnante Numa. Plutarchus in ipsiusmet vita: Ἀλλὰ τὸ μακρότατον πένθους χρόνον εἶναι δεκάμηνιαῖον, ἐφ' ὅσον καὶ χηρεύειν αἱ τῶν ἀποθανόντων γυναῖκες. Quæ ante nupsisset, ea ejusdem lege bovem fetam immolabat.

v.41 *Tertius a senibus*. Majus, Junius, Quintilis, Sextilis, & reliqui.

v.44 *Addidit ille duos*. Cave ista mutes: vulgaris illa lectio, *præposuitque duos*, est a mala manu: quid nos impellat, faciemus satis θεοῦ διδόντος ad illud,

Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni.

sub initium lib. II. (*a*)

v.47 *Ille nefastus erit*. Glossæ: Ἀποφράδες, *nefasti dies*; utraque tamen vocula & Græca, & Latina torqueri potest ad atros: Hesychio enim ἀποφρὰς ἡμέρα pro *atra* est: imo Luciano, Dioni Cassio, & aliis: *nefastus* pro eadem non semel Svetonio, & Cornelio Tacito: ratio a manu est. Considera primum, quid significet vere ἀποφράς, quid *nefastus*: illud postea, stare jus solitum aut die festo, aut atro. De festo nil dubium: de atro Dio lib. XLV. βουλή τε ἐγένετο, καὶ γνώμαι ἐπὶ τρεῖς ἐφεξῆς ἡμέρας, ἀπ' αὐτῆς τῆς νουμηνίας ἀρξάμεναι, προετέθησαν. ἔκ τε γὰρ τοῦ πολέμου ἐν χερσὶν ὄντος, καὶ ἐκ τεράτων, ἃ πλεῖστα καὶ ἐξαισιώτατα ἐγεγόνει, ταραττόμενοι, οὐδὲ τῆς ἀποφράδος, τὸ μὴ οὐκ ἐνεγκεῖν βουλεῦσαί τι τῶν συμφερόντων σφίσιν, ἀπέσχοντο. Sic non erit cur miremur has voces ab auctoribus invicem usurpari: hoc tamen adverte discrimen, quod omnis ater nefastus, sed non econtra; nam dies festus etiam nefastus. Hinc Dionysius ad clariorem explanationem atri dici: Τὴν δὲ ἡμέραν, inquit, ἐκείνην, ἐν ᾗ τὸ πάθος ἐγένετο, μέλαιναν τε καὶ ἀποφράδα τίθεται. lib. IX. Ant. Rom. (*b*)

v.48 *Fastus erit, per quem*. Locutus de festis, quibus insunt sacrificia, ludi; epulæ; venit ad profestos, ex quibus procedunt fasti, comitiales, comperendini, stati, præliares.

v.49 *Nec toto perstare die*. Sequuntur dies intercisi, quorum quibusdam horis fas est, quibusdam non est, jus dicere: nam quum hostia cæditur, fari nefas est; inter cæsa & porrecta fari licet, rursus quum adoletur non licet.

v.53 *Est quoque, quo populum*. Redit ad species profesti; comitiales videlicet dies, quibus cum populo agi poterat: *septum* est δρύφακτος. (*c*)

v.54 *Est quoque qui nono*. (*d*) Is est dies nundinalis, qui festus primo fuit: fastus postea lege Hortensia, imo fere ater: nam rebus incipiendis parum utilis habitus. Hinc Dio lib. XL. Κἀκ τούτου οὐκ ἔστιν ὅτι ἄλλο χρηστὸν συνέβη, καὶ ἡ ἀγορὰ ἡ διὰ τῶν ἐννέα ἀεὶ ἡμερῶν ἀγομένη, ἐν αὐτῇ τῇ τοῦ Ἰανουαρίου νουμηνίᾳ ἤχθη. Sed illud accidit per id tempus, si bene sentio, in curia Pontificium: mos enim fuit unum diem præter consuetudinem intercalare, quum harum concursus eveniret: idem lib. XLVIII. Καὶ ἡμέρα ἐμβόλιμος παρὰ τὰ καθεστηκότα ἐνεβλήθη, ἵνα μὴ ἡ νουμηνία τοῦ ἐχομένου ἔτους τὴν ἀγορὰν τὴν διὰ τῶν ἐννέα ἡμερῶν ἀγομένην λάβῃ. (ὅπερ

(a) *Pagina &c.* Recte: Hi enim Menses non simul præpositi, sed ita additi fuere a Numa, ut Januarius initium anno, Februarius vero finem faceret: quamvis procedente tempore Februarius (quando vero ignoramus) inter Januarium, & Martium sit interiectus.

(b) *Civica &c.* Inter atros dies Alliensis infaustissimus habebatur, quod eo die (XV. nempe Kalendas Septembreis) Romani a Gallis ad Alliam, & a Vejentibus ad Cremeram obtruncati fuere. Idem Ovidius in Ibin

Lux quoque natalis (ne quid nisi triste videres)
Turpis, & inductis Nubibus atra fuit:
Hæc est in Fastis, cui dat gravis Allia nomen,
Quæque dies Ibin publica damna tulit.

Advertendum hoc loco Ferias publicas a Rege sacrorum, & a Prætore indictas fuisse: a Rege sacrorum, ut rite sacra peragerentur, a Prætore vero, ut Forum conticesceret. Prætorem vero honoratum Naso quum appellat non ita multo post, ubi de diebus intercisis, intelligit Prætorem Urbanum, qui erat peregrino honoratior, & major: jusque edictorum ejus *honorarium* dicebatur.

(c) *Principis &c.* Intercisi dies, qui & endocisi dicebantur ita notabantur in Fastis F. P. hoc est Fastus Prior, & N. P. hoc est Nefastus Prior. Nefasti vero erant omnes feriæ, diesque vindemiarum, & messis quando res prolatæ esse dicebantur, cui contrarium est quum res rediisse dicuntur. Vide Plaut. Capt. I, I. ver. 10.

(d) *Ingenii &c.* Nundinalem diem fastum factum, lege Hortensia, affirmant alii, ut Rustici qui ad mercatum veniebant legesque, & judicia accipiebant, lites quoque curare possent. De lege hac mentionem fecit Noster (quod erat diligenti animadversione dignissimum) Crispinus vero ne verbum quidem. Miror.

(ὅπερ ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου σφόδρα ἐφυλάσσετο) καὶ ὅτι ἀνθυφῃρέθη αὖθις, ὅπως ὁ χρόνος κατὰ τῷ Καίσαρι τῷ προτέρῳ δόξαντα συμβῇ. Inde etiam propter sacrificium nundinæ in alium diem translatæ: vide eumdem lib. LX. sub finem anni DCCLXXXXVII.

v. 55 *Junonis cura Kalendas*. Unde ab his dicta illo *Juno Kalendaris*.

v. 56 *Idibus alba Jovi*. In arce quotidibus id factum. Varro ait, *quotquot mensibus*. Dubium tollitur ex eo quod illamet sacra nuncupata *idulia*, agna etiam *idulis*.

v. 58 *Proximus ater erit*. Dies posteri Kalendarum, Nonarum, Iduum, veteribus habiti infausti & inauspicati: insignis locus & ratio Joannis Tzetzæ Chil. x. hist. τγ.

Ἦσαν καὶ ἀποφράδες δὲ τοῖς παλαιοῖς, ἡμέραι,
Ἐν αἷς τι συνέβησαν θλίψεις καὶ περιστάσεις·
Ὡς τοῖς Ῥωμαίοις πώποτε τοῖς ἀνωτέροις χρόνοις,
Οἱ τότε ἐπερχόμενοι πρὸς πόλεμον καὶ μάχην,
Ἔπεσον τριακόσιοι τοῦ γένους τῶν Φαβίων.
Ὅτι καὶ πύλην ἔκλεισαν καθ' ἣν ἐξῆλθον οὗτοι,
Καὶ τὴν ἡμέραν ταῖς λοιπαῖς ἡμέραις οὐκ ἠρίθμουν·
Ὥσπερ καὶ ἔθνη ἕτερα δι' ἄλλας περιστάσεις.
Τὰς ἃς ἡμέρας ταῖς λοιπαῖς οὐκ ἔταττον ἡμέραις,
Ἔλεγον δὲ τὰς πρὸ αὐτῶν, καὶ μετ' αὐτὰς ἐν κλήσει.
Ἐκείνας οὐκ ἠρίθμουν δὲ τῶν ἡμερῶν τῇ κλήσει,
Ἀλλ' οὕτως ἔλεγον τυχὸν τρίτη καὶ μετ' ἐκείνην,
Ἢ πέμπτη, ἕκτη, ἢ λοιπαί, καὶ μετ' ἐκείνην πάλιν,
Οὕτως οὐ κατωνόμαζον ποτὲ τὰς ἀποφράδας,
Ἀλλ' ἢ πρὸ δὲ ἔλεγον ταύτης, ἢ μετ' ἐκείνην.
Οὕτω τὴν ἀποφράδα μὴν οἴδας λαβοῦσαν κλῆσιν.

v. 59 *Omen ab eventu est*. Nam quoties per hos dies sacrificatum ad pugnam, male patribus cessit: ut illa ad Cremeram, altera ad Alliam, & aliæ quas reperies per annales.

v. 65 *Jane biceps*. Sic & eumdem compellat Quintus Septimius apud Terentianum.

Jane pater, Jane tuens dive biceps, biformis
O cate rerum sator, o principium Deorum.

v. 68 *Otia pontus Habet*. Tiberio & Germanico hæc dicta, sed præcipue Augusto: idem ille ipse fassus in suo indice Ancyrano; & passim Romanus, & peregrinus stilus. Philo Judæus legatione ad Cajum: Οὗτος ὁ καὶ τοὺς φανεροὺς καὶ ἀφανεῖς πολέμους διὰ τὰς ἐκ λῃστῶν ἐπιθέσεις ἀνελών. οὗτος ὁ τὴν θάλατταν πειρατικῶν μὲν σκαφῶν κενὴν ἐργασάμενος, φορτίδων δὲ πληρώσας. οὗτος ὁ τὰς πόλεις ἁπάσας εἰς ἐλευθερίαν ἐξελόμενος, ὁ τὴν ἀταξίαν εἰς τάξιν ἀγαγών.

v. 70 *Et resera nutu candida templa*. Non precatur sinistrum aliquod omen; nam Janus non clusus belli index; sed poscit templi aditum ad sacrificia: vide, si vacat, ad hunc locum Pauli Marsi nugas.

v. 71 *Prospera lux oritur*. Kalendæ Januariæ dies totius anni celebrior novo Magistratu, novis munusculis, tot superstitionibus, quas tanget, tangemus, & nos; ideo primo inquit:

v. 72 *Bono die*. *Bonus* hic pro festo, ut apud Plautum in Pœnulo: *Die bono Aphrodisiis*: sic bona verba quæ festum addecent, non mala, non impudica. In re simili Attius Poeta vetus: *Ore obscœna dicta segregent*.

v. 76 *Spica Cilissa*. Pro (a) hac satis probavit Josephus Scaliger in Castigationibus ad Pro-

(a) *Spica &c.* Ad hunc locum Ovidianum, ita Crispinus: *De Nardo intellige, qui non modo in Syria, sed & in Cilicia Syriæ juncta nascitur. Inepte enim de Croco nonnulli exposuerunt. Inepte* igitur judicat Vir alioqui eruditissimus de croco intelligi, quod de Nardo, quæ in Cilicia nascitur, intelligendum est: nullum ne aliud, nisi Nardi, herbarum, genus in Cilicia spica inclusum? Equidem *inepte* cur dicat, idque tam facile conficiat, non video. Præceps enim vero judicium, quum nihil aliud habeat, nisi Nardum Cilissam, quod sequatur. Sed esto nec minus rectum, nec præceps judicium. At cur nullam rationem affert? Cur ad allata a doctissimo Viro Josepho Scaligero in castigationibus ad Propertium argumenta firmissima non respondet? Sed tu candide Lector vide, quæ Scaliger retulit ad Propert. v. 74. Eleg. VI. Lib. IV. Adi etiam Turnebum lib. 8. cap. 2.

Propertium, crocum intelligendam; & profecto ita est. *Spica* vero hic croci nucleus, ut de allio Cato: *Ulpici spicas tres, allii spicas tres*. Στάχυι videlicet, flos ipse croci, qui antequam aperiatur, τὰς τρίχας inclusas gerit, acuminato fastigio. Sic dixere fila illa lutea Græci, sive γλωχῖνας. Florentinus in Geoponicis de croco: Ἀνθολογεῖται δὲ ὅταν εὐχροήσῃ ἐκ μέσου τοῦ ἄνθους ἑλκομένων γλωχίνων, καὶ διαψυχομένων ἡμέρας τρεῖς, ἢ τέσσαρας.

v.77 *Templorum verberat aurum*. Puta inaurata sacrarum ædium lacunaria: de quo luxu facem pete a Criticis superioris ævi.

v.79 *Tarpejas itur in arces*. Ex more ipse ad Sextum Pompejum in gratulatione initi Consulatus anno DCCLXVI. lib. IV. de Ponto Elegia IV.

Ergo ubi Jane biceps longum reseraveris annum,
Pulsus & a sacro mense December erit.
Purpura Pompejum summi velabit honoris,
Ne titulis quidquam debeat ille suis.
Cernere jam videor rumpi pæne atria turba,
Et populum lædi deficiente loco;
Templaque Tarpejæ primum tibi sedis adiri,
Et fieri faciles in tua vota Deos:
Colla boves niveos certæ præbere securi,
Quos aluit campis herba Falisca suis.

Repetit & hic postremum carmen vix mutata vocula.

v.81 *Nova purpura Fulget*. Novi Magistratus insignia; sed hæc purpura, est prætexta Consularis: idem ad Græcinum Consulem: *(a)*

Prætextam, fasces adspiciamque tuos.

Hanc & togam pictam, & trabeam, & palmatam dictam repperi: observa ad Ausonium in Gratiarum actione.

v.90 *Græcia numen habet*. Inde Athenæus lib. XV. Ὅπα Ἰανὸς ὅσπερ ἡμῖν Θεὸς, ὃν καὶ πατέρα προσαγορεύομεν.

v.92 *Sitque quod a tergo, sitque quod ante*. *Idque* in utroque loco ponendum suadent prisci libri.

v.93 *Tabellis*. Hæ sunt hic pro schedis: cum litteratis loquor.

v.99 *Ille tenens baculum dextra*. Non aliter vidi cusum in nummis hujus simulacrum: in quibus istud & rectum notavi, & sedens in bipede; at baculum in sinistra etiam.

v.99 *Clavemque sinistra*. Adi Macobrium primo Saturnalium.

v.103 *Me Chaos antiqui*. Hinc illa ab eisdem de Jano relicta: *Qui cuncta fingit, eademque regit, aquæ terræque vim ac naturam gravem, atque pronam in profundum dilabentem, ignis atque animæ levem, immensum in sublime fugientem, copulavit circumdato cælo; quæ vis cæli maxima duas vires dispares colligavit*. verba sunt illius M. Messalæ Cn. Domitii in Consulatu collegæ.

v.107 *Lite suarum*. Νεῖκος ἐξ ὅλου, ex Orphei opinione. Vide Apollonium Rhodium ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν.

v.115 *Quæ caussa sit altera*. In meo infimæ vetustatis codice, *quæ sit caussæ altera forma*.

v.119 *Vasti concordia mundi*. Addit, & jus vertendi cardinis, idem illi tribuit Quintus Septimius;

Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.

Quatuor sunt cardines, in quibus mundus vertitur: Septemtrionalis & Meridionalis axis, Occiduus, & Oriens. Græcis ἀνατολικὸν κέντρον, δυτικὸν, ἀρκτικὸν, μεσημβρινόν. Sed vere quibus orbis innititur, est μεσημβρινὸν καὶ ἀρκτικόν, alia potius sunt solis κέντρα, quam mundi.

47 *Præ-*

(a) *Nova &c.* Ita Ausonius sub finem ejusdem Eucharisticæ Orationis: *Hoc senectuti meæ, hoc honori a te datum, supremus ille Imperii, & consiliorum tuorum Deus conscius, & arbiter, & auctor indulsit, ut sellam curulem, cujus sedem frequenter ornabis, ut Prætextam meam, Purpuræ tuæ luce fucatam, ut Trabeam, non magis auro suo, quam munere tuo splendidam, quæ ab Illyrico sermone is dignitas honestavit, apud Gallias illustriora præstares.*

v.125 *Præsideo cæli foribus*. Id sibi veteres induxerunt ob caussam, quam tetigit Macrobius primo Saturnal. *Janum* inquit, *quidam volunt Solem demonstrari, & ideo bifrontem; quasi utriusque januæ cœlestis ortus & occasus potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat*. Ex hac opinione Janum *matutinum* dixit Horatius lib. II. Satyra VI.

v.125 *Cum mitibus Horis*. Hæ quoque cæli custodes. ἀπὸ τοῦ ὁρεύειν eis nomen. Pausanias Eliacorum primo: Ὅμηρος δὲ ἐν Ἰλιάδι ἐποίησε τὰς Ὥρας καὶ ἐπιτετραφθαι τὸν οὐρανὸν, καθάπερ τινὰς φύλακας βασιλέως αὐλῆς. Iliados est v. sed hi versiculi:

Αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἃς ἔχον Ὧραι,
Τῆς ἐπιτέτραπται μέγας οὐρανὸς οὔλυμπός τε,
Ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος, ἠδ' ἐπιθεῖναι.

v.127 *Inde vocor Janus*. Huc spectat locus Tullii lib. II. de Natura Deorum: *Quod ab eundo nomen est ductum, ex quo transitiones perviæ Jani, foresque in liminibus profanarum ædium januæ nominantur*.

v.128 *Imponit libum*. Suspicor hoc illud esse, de quo Festus Pompejus: *Janual libi genus, quod Jano tantummodo libatur*.

v.128 *Farraque mixta sale*. Molam salsam.

v.130 *Clusius ore vocor*. Tres apud me veteres quasi de compacto habent *Clausius*, sic scriptum, & hoc Jani cognomentum apud Macrobium primo Sat. cap. IX. ubi plura alia cum suis etymis sis vide.

v.133 *Vis mea narrata est*. Relata jam sua multiplici potestate, accedit ad caussas formæ bifrontis; in qua assignanda varia commenti sunt veteres, ut C. Bassus, & alii.

v.136 *At illa Larem*. In uno & altero legi, *& illa Larem*, etiam bene.

v.141 *In tres vergentia partes*. Hinc Hecate vulgo Græcis τριπρόσωπος, τρίμορφος, τριοδῖτις, τριγλωθος. Chariclides ἐν Ἀλύσει: Δέσποιν' Ἑκάτη τριοδῖτι, τρίμορφε, τριπρόσωπε, τρίγλαις κηλευμένη. Quid τρίγλη, in Hesychio legas: Τρίγλα ἰχθὺς θαλάσσιος, καὶ τόπος τις. Dianæ autem sacer, ut vidisti; caussa non alia, quam quod in cognomine illo τριγλωθος, quod illi datur τρίγλη aliquam habet similitudinem, sed audaculus videar: en eamdem in Athenæo lib. VIII. Τῇ δὲ Ἑκάτῃ ἀποδίδοται ἡ τρίγλη, διὰ τὴν τῆς ὀνομασίας κοινότητα· τριοδῖτις γὰρ, καὶ τρίγλωθος. Ibidem hac de re diversæ ab aliis caussæ proferuntur, quas singulas vide. At quid illud in Hesychio de Trigla, καὶ τόπος τίς, haud dubie locus erat Athenis celebris statua numinis hujus cognomento Triglachini. Eustathius observat ad Iliad. υ. Ὅτι δὲ καὶ τόπος τὶς Ἀθήνησι τρίγλη ἐκαλεῖτο, καὶ ὡς ἀνάθημα ἦν ἐκεῖ Τριγλανθίνη Ἑκάτη. δηλοῦσι δὲ αὐτὸ οἱ παλαιοί. Eadem habet Athenæus præfato libro. (*a*)

v.148 *Spectans humum*. Demissis oculis ταπεινοφροσύνης indicium.

v.163 *Veterisque novissima solis*. Bene Glossæ: *Bruma*, ἡλιακὴ τροπὴ, χειμερινή.

v.165 *Cur non sine Litibus Esset*. Kalendis ergo Januariis fari licebat; & moris erat, ut quiquumque munus aut artem aliquam exerceret, leviter eo die aliquid libaret, auspicii saltem caussa: propterea hunc diem veteres vocarunt *auspicalem*. Panegyristes: *Illum tamen primum Consulatus tui auspicalem diem tacitus præterire nullo modo possum; quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum esse videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis; unoque sol curriculo, & officia te Consulis incboantem videret, & Imperatoris implentem*. Bene *incipiendis rebus*: quia leves quædam, & tralatitiæ caussæ proponi solebant, ominis intuitu, ut dixi. Ad has superstitiones sui ab antiquis habiti libelli, quibus nomen καλανδολόγια: qui postea vetiti, ut colligo ex Nicephoro Homologeta in Canon. Τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ Παύλου, καὶ τὰ λεγόμενα βροντολόγια, καὶ σεληνοδρόμια, καὶ καλανδολόγια, οὐ χρὴ δέχεσθαι· βίβλια γὰρ ταῦτα. (*b*)

59 Quis-

(a) *In tres &c.* De Hecate ita Crispinus ad hunc eundem Ovidii locum: *Hæc plurimis aliis nominibus insignita, Cereris filia, Plutonis conjux, in Inferis Proserpina, in nemoribus Diana, in Cælo Luna appellata*. Confer trita hæc, & vulgaria, quæ Crispinus attulit cum Anaptyxi Caroli nostri, ut inde videas reconditiora multo e Græcis, Latinisque fontibus fere semper a Viro doctissimo derivari. Crispinianas hasce eruditiunculas vidit certe Carolus, sed vix uno dignatur ocello, quippe quæ circa vilem, patulumque Orbem circumaguntur.

(b) *Cur non &c.* καλανδολόγια libelli quidam erant de Kalendarum auspiciis, qui ex Paganis ad Græcos longo temporis tractu pervenerant.

v. 145 *Quisque suas artes*. Hoc est fullo fulloniam, sutor sutoriam delibabat, agricolæ rurestre opus, teste Columella. Sed hoc apage lucelli caussa. Pari modo quisque supellectilem domesticam poliebat, ut toto fere anno sine macula exstaret. Seneca in Epistola LXXXIII. hac luce fatetur frigida se solitum corpus abluisse, sed adolescenti ætate. *Ille tantus*, inquit, *Psychrolutes, qui Kalendis Januariis in Euripum saltabam, qui anno novo quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in Virginem desil.re*. Plura alia scribit a patribus observata hac potissimum die Augustinus in Sermone de hisce Kalendis, ex quo tantum ista excerpo: *Sunt qui Kalendis Januariis ita auguria observant, ut focum de domo sua vel aliud quodquumque beneficium cuiquumque petenti non tribuant: diabolicas etiam strenas & ab aliis accipiunt, & ipsi aliis tradunt. Aliqui etiam rustici mensulas ista nocte ponunt quæ præteriit, plenas multis rebus quæ ad manducandum sunt necessaria componentes: tota nocte sic compositas esse volunt, credentes quod hoc illis Kalendæ Januariæ præstare possunt, ut per totum annum convivia illorum in tali abundantia perseverent*. Unum ex eodem addo, per eos dies quoque solitos quosdam tunica muliebri amiciri, & habitu impudico. Hujus obscœnitatis meminit, & Balsamo ad Synodum Trull. Ἔθος γοῦν παρὰ Ῥωμαίοις, εἰς μνήμην τούτων ἐποίουν πανηγυρίζειν Ἑλληνικώτερον, καί τινα ἄσημα διαπράττεσθαι. ὅπερ καὶ μέχρι τοῦ νῦν παρὰ τινῶν ἀγροικῶν γίνεται κατὰ τὰς πρώτας ἡμέρας τοῦ Ἰαννουαρίου μηνός. (a)

v. 148 *Ut possis aditum per me*. Ratio apud Originem gentis Romanæ non alia quam antiquitas adventus in Italiam, quasi ex hac prior illi datus locus in sacris. Sed hanc nostri advertit etiam Arnobius lib. III. adversus Gentes: *Atque ita per vos Dei nomen eruditur, quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere Deorum ad audientiam creditis*.

v. 151 *Alternas accipimusque preces?* Haud obscurum id etiam ex Herodiano, scribit enim in primo: Ταύτης δὲ τῆς ἑορτῆς προϊούσης, ἐν ᾗ μάλιστα Ῥωμαῖοι δεξιοῦνταί τε ἀλλήλους καὶ προσαγορεύουσι, νομισμάτων τε ἀναδόσεσι καὶ κοινωνίᾳ τῶν γῆς καὶ θαλάττης καλῶν, εὐφραίνουσιν αὐτούς. & e Plinio: *Qui primum*, inquit, *incipientis anni diem lætis precationibus invicem faustum ominamur*.

v. 151 *Timidas advertimus aures*. Ponam mei libri scripturam veterem: *timidas convertitis aures*: in alio, *advertitis*.

v. 154 *Consulit augur avem*. Probat omina principiis inesse ex prima observatione in utroque augurio, oscinum, & præpetum: illud aure, hoc visu captabatur. Unum & alterum solo versu expressit Statius in Soteriis pro Rutilio Gallico:

..... *Nunc aure vigil, nunc lumine, cuncta*
Auguror ......

v. 159 *Nec lingua caducas*. Caducæ preces eæ sunt, quæ a surdis numinis auribus excidunt. *Caduca auspicia* dixerunt veteres, quum aliquid in templo excidebat; *velut virga e manu*, inquit Festus: intellige flaminis commentaculum, sive quid simile; ut & hoc quod refert Svetonius in Galba: *Observatum Kalendis Januariis sacrificanti coronam de capite excidisse*. Glossario *caducus* πτωχός.

v. 162 *Quid vult palma sibi*. Anni novi initio amici suis mella, palmulas, & caricas, missitabant. Alludit ad morem Seneca, quum de frugalitate sua agit Epistola LXXXVII. *De prandio nihil detrahi potuit. paratum fuit non magis hora, nusquam sine caricis, nusquam sine pugillaribus. Illæ, si panem habeto, pro pulmentario sunt: si non, pro pane, quotidie mihi annum novum faciunt*. Palma in nostro spathalion est caryotarum. Martialis in Epigrammate, cui idem Lemma, lib. XIII. (b)

Aurea

(a) *Quisque &c.* Ad Kalendas Januarias, quod pertinet, vide quæ numero 58. de libellis, qui χαλανδολόγια dicebantur, quæque de iisdem vetitis conjicit Noster ex Nicephoro Homologeta; vide præterea, quæ in hunc locum de eodem die ex Augustino, Balsamoque depromta (qua bone Deus rerum reconditarum peritia! qua eruditione!) conjecit. Raro admodum retrusiora, atque abditiora hæc, & alia id genus olfacit Crispinus.

(b) *Quid vult &c.* Ita Martialis lib. 8. epigr. 33. *Hoc linitur sputo &c.* Sic autem lego in annotatione ad hunc locum, quæ una ex iis est, quas collectas habemus accurante Cornelio Screvelio: *Sputo Tenui Corio, crusta, vel tectorio. An forte in deaurando sputo utebantur vice gummi?*

Aurea porrigitur Jani caryota Kalendis:
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

operiebatur enim tenuissimis bracteolis: is erat ritus illius ævi, alibi sputo dixit illitam:

Hoc linitur sputo Jani caryota Kalendis.

Loquitur ibi de phiala tenuissima: quod *sputum* vocat ad contemtum, quasi tenuem tunicam vestiendis caryotis aptissimam. Sed metaphoricωs hæc de sputo Martialis: nam illud vere subtilis erat crusta, ex pane silligineo madido confecta, qua genis splendorem matronæ conciliabant. Juvenalis:

. . . . . *Collaque siliginis offas*
Accipit, & madidæ facies dicetur, an ulcus?

& paullo ante:

Interea fœda aspectu, videndaque multo
Pane tumet facies . . . . . .

ubi vetus Commentator: *Medicamen ad tendendam faciem, vel cutem magis.* Tentipellia hæc antiquo Latio, Græcis τιτάνωθρα, καὶ ἐπιτρίμματα

v.185 *Rugosaque carica.* Caricam, ficum siccatam dixere Latini. Græci τὰ σῦκα vocant recentes: has vero sole adustas ἰσχάδας. Glossæ. *Ficus* σῦκα, *caricæ* ἰσχάδες, eæ autem ideo *caricæ* dictæ, quia ex Caria in Italiam translatæ: unde eædem cauneæ a Cauno urbe ejusdem Cariæ. Sed caricas nostri postea pro qualibet ficu sicca transmarina usurparunt; & oblito primo etymo dixere caricas *canneas*, ac si diversæ vere forent. Cicero lib. II. de Divinatione: *Quum Marcus Crassus exercitum Brundusii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat*, idest, καυνίας ἰσχάδας.

v.288 *Dulcis ut annus iter.* O anilem veterum superstitionem! melius de hoc more sensit Julianus Imperator Epistola XXIV. ad Sarapionem, cui dono semel miserat caricas numero centum: Has, inquit, ταῖς δείπνοις οὐκ ἄλλου τινὸς, ἢ τούτου χάριν τῶν ἐδεσμάτων προστίθεσθαί τε καὶ ἐπιτραγηματίζεσθαι. καθάπερ ἀντ' ἄλλης τινὸς ἀλεξήσεως ἱερᾶς ταῖς τῶν βρωμάτων ἀδικίαις ἀντεμπτυσσόμενον.

v.289 *Stipis adjice caussam.* Antiquissimum strenarum commercium: & sub Augusto viguit; sub aliquo intermissum, & aliquando restitutum. Sed de eo habeas hæc Svetonii lib. IV. cap XLII. *Edixit, & strenas ineunte anno se recepturum; stetitque in vestibulo ædium Kalendis Januariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat*, & vetera hæc rudera:

IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS
PONTIFEX MAXIMUS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX STIPE QUAM POPULUS ROMANUS
ANNO NOVO ABSENTI CONTULIT
NERONE CLAUDIO DRUSO
T. QUINTIO CRISPINO COS.
VOLCANO.

alia semifracta:

COS. XI.
EX STIPE QUAM PO.
CALENDIS JANUAR.
C. MARCIO CENSORINO C. ASINIO GALLO COS.

Hujusmodi munera per id tempus ὁ κλυτὸς I. Meursius καλανδικὰ voluit appellata in suo Glossario Græcobarbaro, motus Justiniani Edicto XIII. cap. III. Ἐ τῆς ἑκάστου λαμβάνειν ὑπὲρ σιτήσεων βουλόμεθα, καὶ ὑπὲρ συνηθειῶν, ἢ καλανδικῶν. Sed allucinatur: & aliud prorsus hujus voculæ etymon: docti judicent. (a)

v.299 *Dum casa.* Hæc ubi sita addubito, si una; si duæ, altera erat in Capitolio, altera

(a) *Stipis adjice caussam &c.* Crispinus: *Stips nummus est signatus Festo Auctore.* Non negamus: sed melius Noster, qui *stipem* hoc loco pro strenarum omnium usu, commercioque sumit; confirmatque verbis Tranquilli, veteribusque lapidibus.

ra in Palatio. Seneca de hac Capitolina: *Colit etiam nunc in Capitolio casam victor gentium populus*, & Vitruvius lib. II. cap. primo, Palatinam. Eruditus Belga explodit, & damnat exemplaria P. Victoris, in quorum decima regione (quæ & Palatium) recenset Romuli aliam casam. Sed nugæ: & illa fidissima, Nonne idem Dionysius in his lib. II. quum agit de Regis urbica divisione cum Tatio? Ῥωμύλος μὲν τὸ Παλάτιον κατέχων, καὶ τὸ Καίλιον ὄρος· ἔστι δὲ τοῦ Παλατίου προσεχές. Τάτιος δὲ τὸ Καπιτώλιον, ὅπερ ἐξ ἀρχῆς κατέσχε, καὶ τὸ Κυρίνιον ὄχθον. Ergo habitavit in Palatio: imo ante divisionem, ut observo lib. primo, ubi de casulis Romuli, & Remi manufactis: Ὧν ἔτι ἦν, inquit εἰς ἐμὲ μία τις ἐκ τοῦ Παλλαντίου ἐπὶ τῆς πρὸς τὸν ἱππόδρομον στρεφούσης λαγόνος, Ῥωμύλου λεγομένη, ἣν φυλάττουσιν ἱερὰν οἷς τούτων ἐπιμελές, οὐδὲν ἐπὶ τὸ σεμνότερον ἐξάγοντες· εἰ δέ τι πονήσειεν ὑπὸ χειμῶνος ἢ χρόνου, τὸ λεῖπον ἐξακούμενοι, καὶ τῷ πρόσθεν ἐξομοιοῦντες εἰς δύναμιν. Ceterum hæc ultima Dionysii, studium scilicet Romanorum in servandis rebus antiquis cum pristino suo decore, fuse laudat Procopius lib. IV. Gothico: eum vide,

v.201 *Angusta in æde*. Pro hac intellige Pompilianum Capitolium, humile, & vetus, quod situm in regione VI. non illud novum & celebre in VIII. ni capias de Jovis Feretrii templo, quod Romuli opus, angustum etiam, vix enim longitudine erat pedum XV. Dionysius Hal. lib. secundo: Μετὰ δὲ τὴν πομπήν τε καὶ θυσίαν νεὼν κατασκευάσας ὁ Ῥωμύλος ἐπὶ τῆς κορυφῆς τοῦ Καπιτωλίου λόφου Διὸς ὃν ἐπικαλοῦσι Ῥωμαῖοι Φερέτριον, οὐ μέγαν· ἔτι γὰρ αὐτοῦ σώζεται ἀρχαῖον ἴχνος, ἐλάττονας ἢ πέντε ποδῶν καὶ δέκα τὰς μείζους πλευρὰς ἔχον.

v.201 *Vix totus stabat*. Haud dubie de Feretrio loquitur; cujus simulacrum fortassis erectum: nam illud Jovis Capitolini fuit sessile: id verum nummi clamant; & illud notum, a triumphantibus in gremio Jovis lauream apponi solitam. Dio lib LIV. Τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἔν τε τοῦ Παλατίου τὸν δῆμον ἠσπάσατο, καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθών, τήν τε δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε, καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο. Validum hercule argumentum, & quo olim usus Strabo lib. XIII. ut probaret Palladium vetus Iliacum sedisse: Ὅμηρος γάρ, inquit, πέπλον κελεύει,

Θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν . . . .

Sed forsan potius legas, *staret*, quasi dicat, in paupere templo non servatam symmetriam; & si forte signum illud Jovis surgeret, templi tectum secum auferret. Vide omnino simile quoddam a Strabone lib. VIII. reprehensum in Phidia de eburneo Jovis simulacro in non ejusdem proportionis templo. (a)

v.202 *Inque Jovis dextra*. Nam in sinistra σκῆπτρον, sive hastam habebat. Albericus: *Pingebatur in throno eburneo in sua majestatis sede sedens, sceptrum regium in manu sinistra tenens, altera vero fulmina ad inferos mittens*:

v.203 *Fictile fulmen erat*. E figulina simulacra illa antiquissima prodiisse jam toties a Criticis repetitum; ideo exempla sileo, ne videar prorsus ἄσκεπτος.

v.205 *Nec pudor, in stipula*. Hæc nuda tritici aut hordei palea; quam antiqui legebant ad sua cubilia: & unde lectus nisi a legendo? Varro lib. IV. de Lingua Lat. *Super lectulis origines, quas adverti, hæ. Lectica, quod legebant; unde eam facerent, stramenta atque herbas; ut etiam nunc fit in castris, lectos, ne essent in terra, sublimes in his ponebant, nisi ab eo quod Græci antiqui dicebant* λέκτρον, *lectum potius, quam lecticam quod involuebant, quod fere stramenta erant e segete, segestriam appellant*: malim *segestria* τᾶ γυιοδετίρου. Lucillius.

Penula, si quæris, canteriu', servu', segestre
Utilior mihi, quam sapiens.

v.207 *Posito modo Prætor aratro*. Repetit id sæpicule noster in Fastis: notarunt, & plu-

(a) *Vix totus &c*. De Feretrio Nasonem loqui, quod affirmat Noster, id ei Historiæ omnes assentiuntur. Humile enim fuisse Feretrii Templum, dicendum est pro rudi illa nascentis Imperii, extructæque Urbis forma, quam sæpe in cusis tabulis videre solemus. At vero Templum Jovis Capitolini (qui & Tarpejus dictus est, quod ejus ædes in Tarpejo Monte extructa esset) primum quidem votum fuit a Tarquinio Prisco, tum altius extructum a Servio Tullo, deinde perfectum a Tarquinio Superbo, ac denique anno Urbis Conditæ CCXXXXIV. ab Horatio Pulvillo Cos. dedicatum. Id adeo magnificum fuit, ut non modo sessile Jovis simulacrum capere posset, verum etiam magnæ triumphantium Imperatorum Pompæ commode locum exhibere. Quid multis? Hoc sedem Imperii, arcemque nationum omnium vocitarunt.

plures ex antiquis, & cum his Salvianus alicubi: *Non despiciebant tunc puto pauperes cultus, quum vestem curtam & brevem sumerent: quum ab aratro accerserentur ad fasces*, & post pauca de suo ævo querulus; *Itaque tunc illi pauperes Magistratus opulentam rempublicam habebant, nunc autem dives Potestas pauperem facit esse rempublicam.*

v.208 *Levis lamina*. Quæque tenuissima. *Chartam* hanc etiam dixere veteres: sit mihi fides.

v.209 *Fortuna loci*. Si fortuna dici potest, quæ vera virtus, testis erit Græcus adversus Grecos omnes, qui ausi sunt scribere, Romanos forte, non animis in tantum crevisse. Polybius lib. primo: Ἐξ ὧν δῆλον τὸ προτεθὲν ἡμῖν ἐξ ἀρχῆς, ὡς οὐ τύχῃ Ῥωμαῖοι, καθάπερ ἔνιοι δοκοῦσι τῶν Ἑλλήνων, οὐδ᾽ αὐτομάτως, ἀλλὰ καὶ λίαν εἰκότως ἐν τοιούτοις καὶ τηλικούτοις πράγμασιν ἐνασκήσαντες, οὐ μόνον ἐπεβάλοντο τῇ τῶν ὅλων ἡγεμονίᾳ καὶ δυναστείᾳ τολμηρῶς, ἀλλὰ καὶ καθίκοντο τῆς προθέσεως.

v.215 *Sic quibus intumuit*. Avarus, inquit, ut ὑδρωπικός, qui quo plus bibit, plus sitit: hunc morbum vocat etiam Cato *veternum*, qui somniculosorum potius; inde Glossæ *veternosus*, φθισικὸς ὑδρωπικός. sed φθισικὸς est Græcis & is, qui oculum habet affectum.

v.217 *Dat census honores*. Tangit publicam querelam eorum temporum, de qua multa congessi in Palimpsesto; ex his tibi elegi locum hunc Plinii: *Reges*, inquit, *innumeri honore artium colebantur, & ostentatione has proferebant opes, & immortalitatem per illas sibi prorogari arbitrantes. Quare abundabant & præmia & opera vitæ. Posteris laxitas mundi & rerum amplitudo damno fuit, postquam Senator censu legi cœptus, judex fieri censu, Magistratum Ducemque nihil magis exornare, quam census: postquam cœpere orbitas in auctoritate summa & potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo, ac sola gaudia in possidendo, pessum iere vitæ pretia; omnesque a maximo bono liberales dictæ artes in contrarium cecidere, ac sola servitute profici cœptum*. E proœmio lib. XIV.

v.218 *Pauper ubique jacet*. Alibi dixit, & ni fallor, in libellis nequitiarum:]

Curia pauperibus clausa est, dat census honores:
Inde gravis judex, inde severus eques.

v.221 *Melius nunc omen in auro est*. Lucretius.

Nunc jacet æs, aurum in summum successit honorem.

Quando primum signatus æreus nummus, argenteus, aureus, jam scriptum ἀποχρώντως, & bene, a Criticis hujus ævi. (*a*)

v.222 *Prisca moneta novæ*. Non tamen ea abiit, sed in usu fuit; habitaque ut vilior hæc moneta est: quam nigram alicubi vocat Martialis, ob mixturam plumbi.

v.229 *Sed cur navalis in ære*. Paucis rem explicat Draco Corcyræus in suo περὶ Λίθων libello his verbis: Ἰανὸν δὲ λόγος ἔχει διπρόσωπον γεγονέναι, τὸ μὲν ὀπίσω, τὸ δ᾽ ἔμπροσθεν ἔχοντα πρόσωπον. ἀπὸ τούτου καὶ τὸν Ἰανὸν ποταμὸν, καὶ τὸ ὄρος Ἰανὸν ὀνομάζεσθαι, κατοικήσαντος αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ ὄρους· πρῶτον δὲ καὶ στέφανον εὑρεῖν καὶ σχεδίας καὶ πλοῖα, καὶ νόμισμα χαλκοῦν πρῶτον χαράξαι. διὸ καὶ τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα πολλὰς πόλεις, καὶ τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν, ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἐγχαράττειν πρόσωπον δικέφαλον, καὶ ἐκ θατέρου μέρους ἢ σχεδίαν ἢ στέφανον ἢ πλοῖον. τοῦτον δὲ τὴν ἀδελφὴν γήμαντα Καμίσηνον Μεναίθυβα, θυγατέρα δ᾽ Ὀλιστήνην γεννῆσαι, καὶ αὐτὸν ὡς μειζόνων ὀρεγόμενον πραγμάτων, εἰς τὴν Ἰταλίαν διαπλεῦσαι, καὶ οἰκῆσαι τὸ πλησίον Ῥώμης ὄρος κείμενον, τὸ ἀπ᾽ αὐτοῦ Ἰάνικλον ὀνομαζόμενον. Exstant hæc rudera apud Athenæi lib. XV.

v.229 *Ante pererrato*. Id est, peragrato prius orbe, non ante quam nummus signaretur, ut placet rudi scholiastæ: non ante Janum, ut videtur capiendus hic locus prima fron-

(a) *Melius nunc &c.* Permutationes mercium, in primisque pecoris sine ullo pecuniæ usu fieri solebant antiquissimis temporibus; sit hinc, ut ἀρνυμαι *dato agno aliquid permuto*, sicuti & *dato equulo*, *dato asino* &c. dicerent. Pecuniam vero primus omnium Romæ signavit Servius Tullus nota Pecudis, unde pecuniæ nomen detortum. Credunt aliqui id Jano esse tribuendum (quidquid dicant alii de Numa) quum adducti illis Ovidii versiculis Fastorum 1.

Multa quidem didici: sed cur Navalis in aere
Altera signata est, altera Forma biceps?

Tum vero maxime inscriptione Numi, quam exhibet Plinius N.H. lib. 33. cap. 3. sed falso, ut censent Philologorum eruditissimi. Argentum vero signatum fuit, ut referunt alii V. C. Anno CCCCLXXXIV; & ut alii tradunt CCCCLXXXXVIIII. Sunt qui numum argenteum ab eodem Servio Tullo conflatum fuisse arbitrentur aureum vero sexaginta annis post, aut non multo secus.

fronte: nam ille Saturno prior in Italiam venit, unde sumsit initium Dynastia Aboriginum.

v.240 *Adventum testificata Dei*. Si vera hæc, cur in Græcia cusa etiam numismata cum Jano & rate? ut notasti ex citatis Draconis Corcyræi: an ex Italia in Græciam, an Janus e Græcia in Italiam secum tulit? id certius; & puto, fictum illud pro servanda adventus Saturnii memoria.

v.241 *Cujus placidissima lævum*. Fabius Pictor: *Is Janus sub initium aurei sæculi lævum latus Tiberis Hetruriæ tenuit*.

v.243 *Tunc ardua silva virebat*. Et in III. Idem:

Jam modo quæ fuerant silvæ, pecorumque recessus
Urbs erat. , , , ,

v.245 *Ara mea est colli*. Sic duo vaticani; sed emendati aliquot & antiqui, *Arx mea collis erat*. Indubitato illa legendum; nam agit hic de sua veteri habitatione, quæ fuit in Jaculo, ubi oppidum ejusdem nominis condidit. De hocmet Homerus Latinus in VIII.

Hic duo præterea disjectis oppida muris,
Relliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Janiculúmque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

v.251 *Sine vi pudor ipse regebat*. Idem Fabius: *Ea ætate nulla erat Monarchia, quia mortalium pectoribus non hæserat ulla regnandi cupiditas; Principes quia justi erant & religionibus dediti: non enim arbitria illorum ab æquo, vel populus a jure innato discedebat; nullo tunc vindice aut metu, sed sua sponte retinebant fidem & rectum. Pudor ipse regebat populos & jus Principes*.

v.258 *Cum tot sint Jani*. Non templa, ut bardi quidam interpretum volunt. Unum fuit præcipuum Romæ Jani templum, & Jani plures. Occurrit sæpicule in lapidibus primus, imus, & medius, ut in hoc;

C. JULIUS C. L. NICOMACHUS
A JANO PRIM. PAL.

& in isto:

C. LEPIDUS
C. L. ANICETUS
A JANO MEDIO

Imi fit mentio ab Horatio lib. primo Epistola prima. Sed hi tres in foro erant Romano. Excitatos puto anno DLXXX. a Fulvio Flacco Censore: de quo, *Curavit*, inquit Livius, lib. XLI. *in his & cloacam circumducendam, & forum porticibus, tabernisque claudendum, & Janos tres faciendos*. Suspicantur igitur altæ eruditionis viri, pro marmoreis arcubus & fornicatis transitionibus *Janos* accipiendos: Græci interpretati ἀψῖδας: & non id satis explicat Svetonius in Augusto, cum ait: *Pompeii quoque statuam contra theatri ejus regiam marmoreo Jano supposuit*, item hæc Ammiani Marcellini: *Per Janos, & fora clamitant sæpe*, & Spartianus, ex emendatione magnorum virorum, in Severo: *Opera publica præcipua ejus exstant, septizonium & thermæ Severianæ: ejus denique etiam Jani in Transtiberina regione ad portam sui nominis; quorum forma intercidens, statim usum publicum invidit*.

v.258 *Foris templa duobus*. Piscario, & boario. Sextus Ruffus in regione VIII. *Templum Jani, forum piscarium, forum boarium*. Hujus vero certus situs fuit unde calida illa aqua exiit, adversus Tatium, Jani opera, ut fingit hic apud nostrum. Eum locum dixere antiqui *Lautolas*. Varro libro IV. de L. L. *Lautolæ a lavando: quod ibi ad Janum geminum aquæ calidæ fuerint*.

v.259 *Propexam ad pectora barbam*. Sic plerumque sculpta, picta ab antiquis ejus effigies, ut capita illa supra fastigium templi eidem ab Augusto consecrati in foro Romano: sed in denariis Fonteiorum vidi etiam Janum ætate adultum.

v.260 *Oebalii Tati*. Nam Sabini τῶν Λακεδαιμονίων ἄποικοι.

v.263 *Per quem descenditis*. Hunc puto, quem vocant Urbis topographi *clivum Capitolinum*, non illum postea dictum *Publicium*, ut argutantur interpretes, ab Ædilibus ejusdem cognominis: de quo sermo nobis erit in festis Floralibus lib. v. *(a)*

v.264 *Arduus in valles*. Exposuit clivi naturam: hinc antiquis quæ difficilia *clivia*. Festus: *Clivia auspicia dicebant, quæ aliquid fieri prohibebant: omnia enim difficilia clivia vocabant, unde & clivi loca ardua*.

v.265 *Contigerant portam*. Quæ dicta Palatina, sive porta vetus Palatii.

v.266 *Oppositas invidiosa feras*. Legebam in alio, *insidiosa feras*.

v.270 *Repentinas ejaculatus aquas.* Hoc aliter se habet apud Historicos. Fabellæ vero etiam mentio apud Fabium Pictorem lib.2.*(b)* & Macrobium primo Saturnalium, ubi inepta quædam: ut, ex æde Jani aquam prorupisse, quum nondum ea per id tempus in nova Urbe.

v.275 *Ara mihi posita est*. Ubi fuere antiqua illa λωτρά. Disce ex his, Nasonem, præter vulgum, ædis hujus Romulum, non Pompilium, auctorem fecisse, & hæc vetus opinio Varronis apud Augustinum.

v.275 *Parvo conjuncta sacello*. De hoc ita Procopius primo de Bello Gothico: *Id vero jam sacellum totum ex ære constructum fuisse sat constat, & quadrata quadam dimensione locatum, tantæque amplitudinis, quanta integi Jani statua poterat: non minor quam quinquepedalis esse apparet, per cetera omnia mortali similis, capite dumtaxat bifrons, ita ut facies altera in orientem solem divergat, in occidentem altera: portæ utrimque & æneæ in faciem alterutram versæ*. Non est in Museo Græcus textus.

v.276 *Cum strue*. *Jano struem commoveto*, inquit lustricum Catonis carmen. *Strues* libi genus, de quo vide Festum. Solita hæc in sacrificiis misceri cum ferto; imo fere numquam hoc sine illa. *Fertum genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi: quæ qui adferebant struferctarii appellabantur*, inde in veteri lapide: PORCAM, ET AGNAM STRUIBUS ET FERTIS. Fertum, & ferctum pronuntiatum a priscis.

v.277 *Motisque recluderis armis?* Scita vetusque superstitio, sed quæ facile in Urbe resecari non valuit. Legi in hac hæresi quosdam Romanorum perstitisse usque ad tempora Silverii P. M. & illius clari Ducis Belisarii. Vide Procopium primo de Bello Gothico.

v.280 *Pace fores obdo.* Huic portæ nomen fuit *Janualis*. *(c)* Varro lib.4. de L. L. *Tertia est Janualis dicta a Jano: & ideo ibi positum Jani signum, & jus institutum a Numa Pompilio, ut scribit in Annalibus Lucius Piso, ut sit clausa semper, nisi quum bellum sit*, hinc Plutarchus πολέμου πύλην appellat. Γανὸ, inquit de Fortuna P. R. δίπυλον ὁ πολέμου πύλην

(a) *Per quem &c.* De Clivo Publicio hæc Noster Fast. lib 5. ad num. 96. M. Varro lib. 4. de L. L. *Clivus Publicius ab Ædilibus Plebis Publiciis, qui eum publice ædificarunt. Simili de caussa Publilius vicus, & Cosconius vicus, quod ab his Viris dicuntur ædificati*. Et Festus: *Publicius clivus appellatur, quem duo Fratres L. M. Publicii Malleoli Ædiles Pleb.* (ita legendum, ut omnis ratio postulat, non *Curules*) *pecuariis condemnatis, ex pecunia, quam ceperunt, munierunt, ut in Aventinum vehicula venire possint.* Sic emendat Josephus Scaliger ultima hæc *vehicula Velia venire possint* At Vinandus Pighius, *vehicularii Vehia venire possint*. Vehia autem Oscis erat Plaustrum onustum teste eodem Festo. Hæc Neapolis: Ego ita lego apud Festum quidem, sed in Paullo: *Veja apud Oscos* (in margine *veha*) *dicebatur Plaustrum: unde Vejarii* (in margine *vejari*) *stipites in Plaustro, & Vectura veitura* (in margine *velatura*). In adnotationibus autem in Festum hæc invenio: Varro lib. 4. de L. L. *Veha breve vehiculum est. Et alio loco velabrum dicitur a vehendo; velaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt: hinc vecturæ*.

(b) *Repentinas &c.* Jam vero illa ipsa, quæ de Virgine Tarpeja narrantur, de qua ita Ovidius

Utque levis Custos armillis capta, Sabinos
Ad summæ tacitos duxerat arcis iter,

Doctissimus Nieupoortius haud levibus argumentis & conjecturis adductus commentitia esse putat. Vide ejus Historiam Romanæ Reip. lib. I. cap. I. paragr. 4.

(c) *Pace fores &c.* Hinc Patulcius, Clusiusque, quod ejus Templum bello in dicto pateret, pace composita clauderetur; quod intra annos DCCXXIV. ter Romæ factum esse accepimus: quamvis enim bellum non esset, aut gereretur, esse tamen putabatur, nisi firmata pax tuta, ac tranquilla haberetur.

φύλλω καλῦσι, sic legendum, non τύχλω, ex emendatione τοῦ πολυγλώττου Scaligeri.

v.285 *Germanice, caussa triumphi*. Hæc victoria ἀναμφισβητήτως Cæsari Germanico non Tiberio datur. Tacitus Annali II. *C. Cælo, L. Pomponio Coss. Germanicus Cæsar A. D. VII. Kalendas Junias triumphavit de Cheruscis Chattisque & Angrivariis, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt. Vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, præliorum: bellumque quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur, augebat intuentium visus eximia ipsius species, currusque quinque liberis onustus*. Fuit hoc anno DCCLXIX. male apud Eusebium anno MMXXXIII. præter unius anni metachronismum, legitur pro *Chattis, Germanicus Cæsar de Parthis triumphavit* Nunc videamus, an potuerit noster hujus victoriæ meminisse, quum plerisque eo anno sit mortuus, nugæ. nam ipse natus ab V.C. anno DCCX. Hirtio & Pansa Coss. cui chronologo ac de re vides, nisi ipsimet Nasoni habeam, sic scribit lib. IV. Tristium;

Editus hinc ego sum, necnon, ut tempora noris,
Quum cecidit fato Consul uterque pari.

Nota historia, Nunc miror, quo auctore magnus quidam Scotus in suo Chronologico opere scripsit, Poetæ natalem anno DCCXV. Appio Claudio P. & C. Norbano Flacco Coss. sed hæc per transennam. Mittitur in exilium anno LII. solido ætatis suæ, ut supputat Josephus Scaliger ad Eusebium; in eo mansit annos VIII. sed octavo decedente, decessit etiam vatum ingeniosissimus anno Urbis DCCLXX. Plene igitur potuit Ephemerides ejusdem anni scriptitasse, multo magis Germanici victoriam, quæ incidit in annum DCCLXIX. (a)

v.287 *Jane face*, Pro *fac* additum, antiquis e in c desinentibus; ut *hince*, *hucce*. Plautus in Persa Act. II. Scena prima;

Quin tu me ducis, si quo ducturus pater;
Vel tu me vende, vel face quod tibi lubet.

Additio litterarum grata veteribus: geminationem passim legimus; ut *ollim*, *querella*, *zoillus*; nec minus omissionem; ut *macelum*, *conubium*, *colega*. (b)

v.290 *Duo templa*. Alterum Jovi, alterum Æsculapio. Fusius id exponit duplici sequenti disticho, & nos etiam latiuscule.

v.290 *Die*. Kalendis Januariis.

v.291 *Accepit*. Æsculapio ergo templum in Insula Tiberina sacratum. Motus, & caussa dedicationis exstitit pestilentia urens urbem & agros: hinc aditi libri Sibyllini; in quibus inventum, ait Livius. lib. X. *Aesculapium ab Epidauro Romam accersendum: neque eo anno, quia bello occupati Consules erant, quidquam de ea re actum; præterquam quod unum diem Aesculapio supplicatio habita est*. Accersitus tandem hic: ne cogites signum aliquod æreum perantiquum, aut ligneum simulacrum; anguis sane fuit: sed pro! quot mira iste anguis est ausus? breviter, sed plene, uti ejus mos est, disces ex Valerio cap. 8. de Miraculis lib. I. Strabo lib. 12. scribit, templum illud Epidauricum majus nomen in posterum adeptum, agit de matris Idææ fano Pessinuntio: Κατεσκεύασαν δ' ὑπὸ τῶν Ἀτταλικῶν Βασιλέων ἱεροπρεπῶς τὸ τέμενος, ναὸν τε καὶ στοαῖς λευκολίθοις· ἐπιφανὲς δ' ἐποίησαν Ῥωμαῖοι

(a) *Germanice &c.* Hirtio & Pansa Coss. Natum Ovidium probat Noster testimonio ipsius Ovidii omnium gravissimo lib. 4. Tristium

Editus ego sum, necnon, ut tempora noris,
Quum cecidit fato Consul uterque pari.

Sub hæc subjicit Noster: *Nota historia*. nimirum de pari Hircii Pansæque Coss. fato, quam nobis ad hunc locum paucis referre libet. Deletis in prælio Mutinensi prætorianis Cæsaris militibus, cæsoque magno Tironum Pansæ numero, grave ipse Pansa vulnus accepit, Hirtius vero qui a Mutina prope aberat, his per Nuncium auditis cum legione, quæ ab Antonio defecerat, celeriter eo advolavit, fugatisque Antonianis copiis victor existens ad XVII Kal. Majas alterum prælium commisit, in quo strenue pugnans cecidit. Suspicio est in ipsa contentione pugnæ a Cæsare fuisse interfectum. Mox Pansa ab accepto vulnere occidit: sunt qui tradunt Cæsaris Medicum venenum in vulnus infudisse. Recte igitur uterque Consul pari fato cecidisse perhibetur.

(b) *Jane face &c.* Non additione modo geminatione, & omissione literarum veteres delectati sunt, verum etiam (quod mirere magis) adjectione earum, quæ asperiorem sonum faciunt. Hinc Stlatam (quod Navigii genus est latum magis, quam altum) pro *Lata*, & *Stlitem* pro *lite*, & *stlocum* pro *loco* dixere. Vide leges XII. Tab. & Paulium apud Festum in voce *Stlata*, idem etiam colligitur ex ipsius Festi Fragmento.

τὸ ἱερὸν, ἀφίδρυμα ἐνθένδε τοῦ Θεοῦ μεταπεμψάμενοι κατὰ τοὺς τῆς Σιβύλλης χρησμούς· καθάπερ καὶ τοῦ Ἀσκληπιοῦ τοῦ ἐν Ἐπιδαύρῳ.

v.292 *Dividua, quam premit amnis aqua*. Bene, quia flumen finditur in duas partes, ob insulæ impedimentum, ipse lib. xv. Metamorphoseos de hac eadem Tiberina:

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis:
Insula nomen habet, laterumque a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos:
Huc se de latia pinu phebejus anguis
Contulit. . . . . . .

v.293 *Jupiter in parte est*. Hoc templum si dicatum eodem die quo Æsculapii, illud incidet in annum CDLXII. Ego opinatus aliquando hanc Jovis ædem eam fuisse, quam vovit Furius Purpureo Prætor, de qua sic Livius lib. XXXIV. *In insula Jovis ædem C. Servilius Duumvir dedicavit: vota erat sex annis ante Gallico bello ab L. Furio Purpureone Prætore, ab eodem postea Consule locata*. Mutavi postea sententiam; nam hic Furius Consulatum habuit cum M. Claudio Marcello anno DLVII. Intersunt a dicata Æsculapii æde ad hanc Jovis anni LXXXVI. ni mens Poetæ sit, dedicationem utriusque templi in eumdem diem incidisse, non vero in eumdem annum. (a)

v.296 *Promissi pars fuit illa mei*. Noster, *propositi pars fuit illa mei*. Nescio uter melius.

v.297 *Felices animae*. Ad has etiam Plinius; *Macte ingenio, este caeli interpretes, rerumque naturae capaces, argumenti repertores, quo homines Deosque vicistis*.

v.297 *Cognoscere primum*. In eodem, *cognoscere primis*.

v.300 *Exervisse caput*. Non longe ab hoc loco Ptolemæi illa in Florilegio Epigrammatum;

Οἶδ' ὅτι θνατὸς ἐγὼ ϗ ἐφάμερος· ἀλλ' ὅταν ἄστρων
Μαστεύω πυκινὰς ἀμφιδρόμους ἕλικας,
Οὐκ ἔτ' ἐπιψαύω ποσὶ γαίης, ἀλλὰ παρ' αὐτῷ
Ζηνὶ διοτρεφέος πίμπλαμαι ἀμβροσίης.

v.301 *Sublimia pectora*. *Regales animos* dixit Manilius sub initium primi.

v.303 *Persusaque gloria fuco*. Falso & fictitio medicata colore: pro quolibet *fucs* est Latinis. Glossæ: *Fucus* χρῶμα.

v.309 *Sub ducibus*. Significat veteres Astronomos.

v.309 *Caelum metabimur*. Ad condendum nostrum parapegma: idem μετρῶν πόλον dictum a Leone Philosopho, ad hoc a patribus inventa instrumenta dioptrica; quæ primum excogitavit Hipparchus.

v.310 *Ad vaga signa*. Omnino rectius: *ad stata signa*, membranæ veteres.

v.311 *Venturis tertia Nonis*. III. Nonas Januarias Cancer mane occidit. Rhapsodus ille sub nomine Ptolemæi a Leonico editus: IV. *Nonas Sol magis ascendit, Cancri medium occidit, ventique ponunt* III. *reliquum Cancri occidit, & varius aeris fit flatus*.

v.315 *Obstiterint imbres*. Sic leguntur hi duo versiculi in multis codd. quos nullus ingenii sol illustrabit sine medela: in aliis: (b)

Institerint imbres missi tibi nubibus atris,

Osten-

(a) *Jupiter in parte &c.* Crispinus ad hunc locum: *quia in eadem insula illi dicatum Templum* nihil quicquam de tempore, concordiaque temporum sollicitus. Noster vero, quamvis mentem mutaverit, tamen geminam loci sententiam altius inspicere conatus est, & annos computando, & a Poeta sententiam, quoad ejus fieri potuit, expiscando. Quod nobis, æquisque rerum æstimatoribus satis est, quicquid est. Illud addendum esse videtur Æsculapium Romam advectum fuisse L. Posthumio Cos; qui Appium Claudium imitatus, se ipsum Decemvirum fecit. Anguis, Epidauro deportatus, sub cujus forma Deus hic colebatur (si qua rerum mirabilium Scriptoribus fides) sponte sua in insulam Tiberis egressus, ibi sibi sedem, ubi Templum extrueretur, elegit.

(b) *Obstiterint &c.* Quos versus ex suo Noster restituit, eos confirmat Naugerius: consentit lectio hæc cum codice Petaviano, & quinque aliis. Ursini Codex habet quidem *Institerint Nonæ*, sed ἡμιστίχιον alterum dissentit, *nisi sit tibi Nubilus aer* scribendum videtur, *si sit sub nubilus aer*. Sed optima lectio, quæ a Nostro restituitur.

Nonæ signa dabunt exoriente Lyra.

melius; sed ita restituendi eleganter ex meo:

Institerint Nonæ: missi tibi nubibus atris
Signa dabunt imbres exoriente Lyra.

Ostendit ipsismet Nonis futuram tempestatem, & Lyræ ortum heliacum: hic eodem tempore est Cæsari apud Plinium lib. 18. c. 26. Missa hic facio logos & gerras Pauli Marsi.

v. 317 *Quattuor adde dies.* v. Idus Januarias Agonalia Romæ erant: initium a Numa Pompilio ducunt, ut auctor apud Macrobium Antias Valerius, scriptor vetustissimus. Iterabant hæc festa veteres XII. Kalendas Junias, ut dicemus. Et pro pridie Idus Decembris exstat memoria in antiquo Kalendario: in eo Constantini Magni notatur ipsamet dies *Septimonia*, & bene: ne titubes. Vide Festi fragmentum in vocula *septimontium*, sed aliqua in parte semirosum. (*a*)

v. 319 *Succinctus minister.* Is erat victimarii cultus. Svetonius in Caligula: *Admota altaribus victima succinctus poparum habitu, elato alte malleo cultrarium mactavit:* hoc satis in re trita.

v. 322 *Semper agatne rogat.* Perplacet etymon: mos vero imæ plebi notus. M. Varro lib. v. de L. L. *Dies Agonales, per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab agone: eo quod interrogatur Princeps civitatis, & princeps gregis immolatur.* Hinc Plutarchus alicubi: Ἄχει δὲ νῦν, inquit, διαφυλάττουσιν ἰσχυρῶς, τὸ μὴ σφάττειν περὶ ἱερουργοῦσι κατασπευδόμενον. οὕτως ἐλαβεῖν πρὸς ἅπασαν ἀδικίαν ἤθει.

v. 322 *Nec, nisi jussus, agit.* Ex ritu. Dionysius Halicar. lib. 7. (*b*) Antiq. Συντελεσθείσης δὲ τῆς πομπῆς, ἐβουθύτουν εὐθὺς οἵ τε ὕπατοι, καὶ τῶν ἱερέων οἷς ὅσιον. & paucis interiectis: Ἔπειτα κατευξάμενοι, θύειν τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον. Sed restat adhuc scrupulus ex τα

(a) *Quattuor &c.* In Antuerpiana Anaptyxis editione quum legerem: *In eo Constantini Magni notatur ipsamet dies Septimonia, & bene:* ex Fragmento Festi *septimontia* reposui: Non intelligo, qua ratione Knippingius ad hanc Neapolis adnotationem ponat *septimonia* in utroque loco & Festi, & Neapolis, quum Festus septimontium habeat, & septimontium legatur in adnotationibus in Festum. Præterea septimonia quid sint, non video: septimontia Mense Decembri celebrabantur, quod tempus mire consentit cum animadversione Nostri Caroli; *Et pro pridie Idus Decembreis extat memoria in antiquo Kalendario.* Non male igitur adducor, ut in eo Constantini Magni *Septimontia* reponam. In adnotationibus de Septimontio hæc habemus *Varro lib. 5. de L. L. Dies septimontium nominatus ab iis septem montibus, in queis sita Urbs est. Feriæ non Populi, sed montanorum modo, ut Paganalium, qui sunt alicujus Pagi. Mirum autem est hoc loco, & proximo pro septem montibus octo loca Urbis enumerari. Palatium, Velias, Fagutal, Suburam, Cermalum, Oppium, Cælium, Cispium montes. Vide Plutar. in Problem.* Quod ad numerum montium ex Antiquitatis studiosis viris hæc collegit Samuel Pitiscus de Romanis literis optime meritus. *Præter Palatium*, inquit, *Velia, & Germalus partes erant ejusdem Palatini: Fagutalis, & Oppius, ac Cispius Exquilini. Sic, ut septem illa sacrificia in tribus solum montibus de illis septem, peracta, tradantur, nimirum Palatino, Cælio, & Exquilino: cujus rei ratio nobis incomperta est.*

(b) *Nec, nisi &c.* Acute more suo Vir acerrimi judicii Carolus Noster quærit, quid sit, quod cum in omni sacrificio Popa jussus victimam jugulare præmissa formula, *agone?* hæc festa potissimum, non etiam reliqua dicta sint Agonalia. Verumtamen non videtur id etymon Nasoni probari, cujus judicio vera est ultima caussa nominis, quæ affertur

Et prius Antiquus dicebat Agonia sermo.
(alii legunt)
Et pecus antiquus dicebat Agonia sermo.

Sed in idem incidimus: si enim agonia ludi dicebantur (ut inquit Festus) quod locus in quo ludi initio facti sunt fuerit sine angulo, quid est, cur nomen hoc in posterum ludis omnibus minime commune fuerit? Licet ne divinare? Agonium etiam putabant Deum dici præsidentem rebus agendis ait Festus, Agonalia ejus festivitatem. Hinc ni fallor, conjectura capi potest, ipsum Janum Agonium dictum fuisse, cujus inter cetera munus erat vel ipso Ovidio teste, commitere tempora nascentia rebus agendis;

τοῦ *semper* & Græcis his testimoniis. Si enim in omni sacrificio popa jussus victimam jugulabat, præmissa formula *agone?* quare hæc festa potissimum, non etiam reliqua dicta Agonalia?

v. 323 *Sed agantur ab actu.* Inde Festus: *Agonium dies appellabatur, quo Rex hostiam immolabat: hostiam enim antiqui agoniam vocabant.* Idem: *Agonias hostias putabant ab agendo dictas: unde agolum pastorale baculum, quo pecudes aguntur.*

v. 325 *Priscis Agnalia dictum.* Demta enim o, remanet ex τοῦ agonalia agnalia. Subtilitas etymo magis inest quam veritas: non agna, sed aries tunc cæsus.

v. 327 *Timet hostia cultros.* Sive, inquit, ducit originem ἀπὸ τοῦ ἀγωνιᾶν, quod Græcis usitatissimum, pro *metu angi*: unde qui timet, ἀγωνιάσας dicitur apud Diogenem Laërtium.

v. 330 *Nomina de ludis Graeca.* Huc pertinent illa Festi. *Agonia sacrificia, quae fiebant in monte: hinc Romae mons Quirinalis Agonus, & Collina porta Agonensis. Agonium, locus in quo ludi initio facti sunt, ab hoc dictum, quia fuerit sine angulo.* Græcis angulus γωνία, locus angularis γωνιαῖος, unde angulo carens ἀγώνιος.

v. 334 *Utque ea nunc certa est.* Longe diversa prisci libri lectio, *Utque ea non certa est*: & palam probior. (*a*)

v. 335 *Victima quae cecidit.* Intrudit huc multa de sacrificiis veterum, ansa sumta ex iis, quæ dixit in Agonalibus. Victimæ vero & hostiæ etymon non arridet, & multa obstant: sciunt Critici. (*b*)

v. 338 *Far erat.* Idque a Jani ævo, teste Q. Fabio lib. primo de Aureo sæculo.

v. 339 *Nondum pertulerat.* Suspicor myrrham, costum, crocum, eodem tempore quo

---

Postea mirabar cur, non sine litibus esset
Prima dies. Caussam percipe, Janus ait.
Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners:
Quisq; suas artes ob idem delibat agendo &c.

Neque mirum sit, id a nobis dici haud fortasse temere, quum pro munerum varietate varia nomina idem Deus habuerit. Nonne Diana Ceres? nonne Apollo Bacchus appellabatur? Consule Macrobium Sat. lib. 1. cap. 9. & cap. 17. & sequentibus. Janus itaq; qui piandus erat agonalibus, & Agonius erat, unde Agonalia. Sed nihil dictum. Afferam locum Festi, ut eruditissimus Lector arbitrio, judicioque suo uti possit. *Agonium dies appellabatur, quo Rex hostiam immolabat; hostiam enim antiqui agoniam vocabant. Agonium etiam putabant Deum dici præsidentem agendis, Agonalia ejus festivitatem: sive quia Agones dicebant montes, Agonia, sacrificia, quæ fiebant in monte. Hinc Romæ mons Quirinalis Agonus, aliis Ægonus, & collina porta Agonensis, aliis Ægonensis. Agonium idest ludum, ab hoc dictum, quia locus, in quo ludi initio facti sunt, fuerit sine angulo, cujus festa Agonalia dicebantur.*

(a) *Utque ea &c.* Quare palam probiorem dicat Noster lectionem longe diversam prisci libri non intelligo: *Utque ea non certa est.* Quid igitur? Optimi, atque eruditissimi Viri testimonio fidem abrogare non audeo.

(b) *Victima quæ &c.* Inter victimam & hostiam varia afferuntur discrimina. Hostia enim a quovis Sacerdote immolabatur, victima vero a victore; victima post devictos hostes cædebatur, hostia cum in hostes iretur; victima major erat ut vitulus, hostia minor ut agnus. Veruntamen addit Servius, *hæc licenter confundit Antiquitas.* Ita Tullius ad Atticum lib. 1. *Ego enim te arbitror, cæsis apud Amaltheam tuam victimis, statim esse ad Sycionem oppugnandum profectum.* Ad quem locum hæc attulit Paullus Manutius; *Sicyonii pecuniam Attico debebant, ea caussa Sicyonem ire cogitat; sed venuste Cicero metaphoram sumsit de re militari, quod exercituum Ductores non ad bellum prius exibant, quam victimas cæcidissent.* Ad etymon quod pertinet, non video qua ratione dicat Ovidius *hostibus a domitis hostia nomen habet*, quum hostiatum cederetur, quum in hostes expeditionem facerent. Jure igitur id etymon Nostro non arridet. Sed in hisce Grammaticorum tricis diutius immorari minime nobis in animo est. Hæc itaque brevissime subiiciemus. Festus hostiam dictam esse putat ab eo, quod est *hostire, ferire*; sed & victima feriebatur. In voce *victima*, *Victimam*, inquit, *Ælius Stilo ait, esse vitulum ob ejus vigorem, alii autem, quæ vincta adducatur ad altare, aut quæ hostibus victis immoletur.*

quo thus, nostris avis fuisse cognita; quum ex iisdem fere regionibus asportata. Thuris vero notitia quando ad eos pervenerit, dubium: multa tamen edisces e loco quodam trito Arnobii lib.7. adversus Gentes.

v. 339 *Lacrimatas cortice*. Nam stillant ab ipso ligno: inde fere omnes voce *lacrima* hac in re usi; ut Plinius, Solinus, & alii. Myrrhæ vero duæ species, liquida & dura σακτὴ καὶ πλαστή. Theophrastus: Ἀργὸς δὲ κομίζεται πᾶς ὁ λιβανωτὸς, ὅμοιος δὲ τῷ προσόψει φλοιῷ. τῆς σμύρνης δὲ, ἡ μὲν σακτὴ, ἡ δὲ πλαστή.

v. 343 *Herbis contenta Sabinis*. Hæ ante thuris notitiam veteribus in usu: hinc magnus Vates in Culice:

Herbaque thuris opes priscis imitata Sabina.

neque post thuris inventionem spreta, sed frequens fuit ad suffitus: de hac Dioscorides: Χρῶνται δέ τινες τοῖς φύλλοις ἀντὶ θυμιάματος. & Plinius: *A multis suffitus pro thure assumitur*: eamdem ipsemet sic describit; *Petunt igitur in Elymaeos arborem brathyn, cupresso fusae similem, ex albidis ramis jucundi odoris accensam*. Alibi cupressum Creticam a multis dici testatur: quod & ex Glossis Nicomedis Jatro Sophistæ apparet in his: Βράθυ κυπάρισσος Κρητικός· Βόρατον κέδρος μεγάλη, ἢ αἰγεροκυπάρισσος. Ex quibus collige, Græcis βραθυ, quæ nobis herba Sabina. Hesychius: Βράθυ πόα τοῖς θεοῖς θυομένη. eadem Dioscoridi βάραθρος, quæ Glossis a brathy diversa; de quo disserendi non hic locus.

v. 344 *Non exiguo sono*. Nam omen inerat multæ crepitationi: notum hoc lippis.

v. 345 *Si quis erat, factis*. Inepte vetus, *fractis*: eleganter alius, *plexis*.

v. 346 *Qui posset violas addere*. Sed hæ etiam postea inter flores coronarios habitæ in pretio. Legendus Athenæus lib.xv.

v. 348 *Nullum culter habebat opus*. Concludit tandem, priscos illos ἀναθήματα Diis obtulisse, non θυσίας: dona, non victimas.

v. 349 *Avidæ gavisa est sanguine porcæ*. Ab hac igitur sumsit initium rei animatæ sacrificium. Scripsit & Varro lib. 11. de Re rustica: *Sus Græce dicitur* ὗς, *olim thysus dictus, ab illo verbo quod dicunt* θύειν, *quod est immolare. Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum samtum videtur*. (*a*)

v.357 *Rode caper vitem*. Expressum hoc distichon ex versiculis Eveni:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοί, τράγε, θυομένῳ.

v. 358 *Quod spargi cornua*. Mos enim veteribus, uti supra caput hostiæ immolandæ vinum infunderetur, & mola.

v.359 *Noxa est tibi debitus hostis*. Optime vetus, *noxæ tibi deditus hostis. Quum lex* (*b*) *jubet*,

(a) *Avidæ &c.* Ita loquitur Pythagoras apud Ovidium matamorph. 15. Fab.2.

. . . . prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.

Quod ex origine ipsius nominis, & ex antiquissimis Eleusiniorum ritibus colligit Varro de R.R.lib.2.cap.4. *Sus græce dicitur* ὗς, *olim* θῦς *ab illo verbo, quod dicitur* θύειν, *quod est immolare. Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumtum esse videtur*; *cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, & quod initiis pacis, fœdus quum feritur, porcus occiditur, & quod Nuptiarum initio antiqui Reges, & sublimes viri in Etruria in conjunctione Nuptiali nova Nupta, & novus Maritus primum porcum immolant. Prisci quoque Latini, & etiam Græci in Italia idem factitasse videntur*. Unde qui sponsam ducturus erat, si apparatis rebus omnibus, spe sponsæ frustraretur, clamare solebat: *Periit quidem sus, & Talentum, & Nuptiæ*. Quæ tamen Ethnicorum consuetudo fuit; nam in sacris Literis legimus ovem omnium primam cecidisse. Gen. cap. 4. n. 4. *Abel obtulit de primogenito Gregis sui*.

(b) *Noxa est &c.* De discrimine quod inter noxam est, & noxiam melius multo Servius ad Æn. 1. v. 45 quam Tribonianus in Instit. 4. 18.2. *Hoc interest*, inquit, *inter noxiam, & noxam, quod noxia culpa est, idest peccatum, noxa autem pœna*. Proferuntur veterum Grammaticorum testimonia ex Attii Menalippo: *Te esse huic noxæ obnoxium*, idest supplicio, vel Pœnæ. Veruntamen noxa tam pœnam, quam maleficium significat. Pœna significatur *in noxæ deditione*, maleficium vero, cum *noxam committi* dicimus: Recte igitur Noster legit ex Veteri Cod. *Noxæ tibi deditus hostis*, idest *pœnæ*.

jubet, inquit Festus, *noxæ dedere*, *pro peccato dedi jubet*. In quibus *mox & tibi*, aperte est psalma typographicum.

v. 360 *Spargit & effuso*. Non capio: lego, & distinguo ex eodem ita totum δίστιχον:

Verba fides sequitur: noxæ tibi deditus hostis
Spargitur affuso cornua, Bacche, mero.

v. 361 *Nocuit quoque culpa capellæ*. Hæc ob rosam oleam Palladi sacrificata.

v. 364 *Flebat Aristæus*. Hic primus repperit confectionem mellis. Aristophanis Scholiastes: Ἀρισταῖος δὲ ὁ Ἀπόλλωνος καὶ Κυρήνης, πρῶτον τὴν ἐργασίαν τοῦ σίμβλου ἐξεῦρεν ὥσπερ καὶ τοῦ μέλιτος. Reliqua nostri confer cum Marone IV. Georgicωn.

v. 365 *Cærula quem genitrix*. Κυρήνη.

v. 380 *Una necata dedit*. Inde apud Græcos apis epithetum Βουγενής: & vetus illud poema, fortassis Emuli, dictum Βουγονία, de hac Aristæi fabella suspicantur litteratores egisse.

v. 381 *Verbenas improba carpsit*. Quas Diis offerre frugali & antiquo more erat receptum. Adi Dioscoridem lib. 4. cap. 61.

v. 385 *Placat equo Persis*. Et aliæ pleræque gentes, ut populi Armeniæ. Ibi Xenophon equum suum jam senecionem immolandum huic numini tradidit: Οὗ, inquit lib. 4. de Cyri minoris expeditione, ἤκουσεν αὐτὸν ἱερὸν εἶναι τοῦ ἡλίου. Caussa, quæ sequitur in nostro, recitatur etiam ab Herodoto de Massagetis, in ipsa meta libri primi.

v. 387 *Pro virgine*. Iphigenia.

v. 388 *Cerva datur*. Si non erat, hujus succedanea ovis; quam dixere *cervariam*. Vide Festum.

v. 389 *Extra canum Triviæ*. Ideo κυνοσφαγὴς θεὰ Lycophroni nuncupatur: caussa est, quod Deam, teste magno Eustathio, τῶν νυκτερινῶν φόβων αἰτίαν εἶναι, veteres putarint, & omnium spectrorum. Ea per canis latratum credita eisdem evanescere. Tzetzes, ex Sophronis auctoritate: Θύουσι δ' αὐτῇ κύνας, ὥς φησι Σώφρων ἐν μίμοις· ὁ γὰρ κύων βαΰξας λύει τὰ φάσματα. (a)

v. 389 *Libare sabæos*. Non melius in aliis *Sapbæos*. Scribo *Sapæos*. Quis jam de hujus loci mente ultara ambiget? hi Thraciæ populi. Herodotus lib. VII. Ἔθνεα δὲ Θρηΐκων, δι' ὧν τῆς χώρης ὁδὸν ἐποιέετο, τοσάδε. Παῖτοι, Κίκονες, Βίστονες, Σαπαῖοι, Δερσαῖοι, Ἠδωνοί, Σάτραι. Hos Sapæos, ab Homero Sintas vocatos, auctor est Strabo lib. 10. Τινὲς δὲ Σάμον κεκλῆσθαί φασιν, ἀπὸ Σαΐων τῶν οἰκούντων Θρακῶν πρότερον, οἳ καὶ τὴν ἤπειρον εἶχον τὴν προσεχῆ, εἴτε οἱ αὐτοὶ τοῖς Σαπαίοις ὄντες, ἢ τοῖς Σιντοῖς, οὓς Σίντιας καλεῖ ὁ Ποιητής, εἴθ' ἕτεροι.

v. 390 *Accolit Hæme nives*. Adludit haud dubie ad antrum Hecates in Tracia; quod Ζήρυνθος appellatum: de quo Stephanus: Ζήρυνθος πόλις, καὶ ἄντρον Ἑκάτης ἐν Θράκῃ. Aristophanis Commentator: Οἱ ἐν κινδύνοις γενόμενοι, ἐπεκαλοῦντο τούτους τοὺς δαίμονας τοὺς ἐν Σαμοθράκῃ, τούς τε Κορύβαντας καὶ τὴν Ἑκάτην. ἦν δὲ καὶ διαβόητον τὸ τῆς Ζηρύνθου ἄντρον, ἔνθα ταύτῃ ὀργίαζον καὶ ἐκαλλιεροῦντο. ibi solitos præcipue canes Hecate immolari, testis fidus Suidas: Ζηρύνθιον, καὶ Ζηρύνθιον ἄντρον, ἐν ᾧ τὰς κύνας ἔθυον. ἔνθα ἦν τὰ τῶν Κορυβάντων καὶ τῆς Ἑκάτης μυστήρια.

v. 391 *Custodi ruris asellus*. Priapus hic; sub cujus tutela prisca rura erant: merces obvia; propterea quidam nomine Perspectus hæc illi:

VILLICUS ÆRARI QUONDAM NUNC CULTOR AGELLI
HÆC TIBI PERSPECTUS TEMPLA PRIAPE DICO:
PRO QUIBUS OFFICIIS, SI FAS EST, SANCTE PACISCOR,
ADSIDUUS CUSTOS RURIS UT ESSE VELIS;
IMPROBUS UT SI QUIS NOSTRUM VIOLABIT AGELLUM,
HUNC TU SED TENTO, SCIS PUTO QUOD SEQUITUR.

157 *Quæ*

(a) *Extra canum &c.* Ita Festus Cervaria avis, quæ pro Cerva immolabatur.

v. 394 *Quæ solito tempore bruma refert*. Intelligit Τριετηρίδας, Bacchi festum. Herodotus lib. 4. de Gelono Budinorum oppido: Ἔστι γὰρ δὴ αὐτόθι Ἑλληνικῶν θεῶν ἱρὰ, Ἑλληνικῶς κατεσκευασμένα ἀγάλμασί τε καὶ βωμοῖσι καὶ νηοῖσι ξυλίνοισι. καὶ τῷ Διονύσῳ Τριετηρίδας ἀνάγουσι, καὶ βακχεύουσι. Hic vero noster locutus est ex sententia multorum; quum vere sacrum illud fuerit annuum. Trieteris enim nihil aliud erat quam tres anni quadrimestres, seu duo semestres. Censorinus cap. 19. *Cares & Acarnanes semestres habuerunt annos, & inter se dissimiles, quibus alternis dies augescerent, aut senescerent, eosque conjunctos, veluti τριετηρίδα annum magnum*; hoc est solarem. (a)

v. 391 *Et quiqumque loci*. Melius in antiquis, *joci*.

v. 404 *Miscendas large*. In Græco convivio visum nostro meminisse Græcanicæ temperaturæ: de qua Hesychius, Τὸ παλαι, inquit, ἐκιρνᾶτο τρία ὕδατος λαμβάνειν, τὸ δὲ τέταρτον οἶνον. Sed certius, nullam fuisse communem omnibus Græcis certam κρᾶσιν. Ecce varias ex Ephippo in Circe:

Τρεῖς πρὸς τέτταρας οἶνον πίοι ἂν ἀσφαλέστερον,
Πολλῷ ὑδαρῆ. μὰ τὴν γῆν, ἀλλὰ τρία καὶ τέτταρα,
Οὕτως ἄκρατον εἰπέ μοι πίῃ ἢ τί φής. ἴσον ἴσῳ.

Sis alias mixturas, lege Athenæum lib. 9. a cap. 6. ad 9.

v. 407 *Illa super suras*. Dispeream, ni noster hos varios Nympharum habitus imitatus a Cheremone Tragico: sic ille de quibusdam virginibus, quas vidit Oeneus:

Ἔκειτο γὰρ ἡ μὲν λευκὸν εἰς σεληνόφως
Φαίνουσα μαστὸν λελυμένης ἐπωμίδος,
Τῆς δ᾽ αὖ χορεία λαγόνα τὴν ἀριστερὰν
Ἔλυσε. γυμνοῖς δ᾽ αἰθέρος θεάμασιν
Ζῶσαν γραφὴν ἔφαινε. χρῶμα δ᾽ ὄμμασι
Λευκὸν μελαίνης ἔργον ἀνταύγει σκιᾶς·
Ἄλλη δ᾽ ἐγύμνου καλλίχειρας ὠλένας,
Ἄλλη προσαμπέχουσα θῆλυν αὐχένα,
Ἡ δὲ ἐκραγέντων χλανιδίων ὑπὸ πτύχας
Ἔφαινε μηρόν . . . .

v. 407 *Super suras tunicam collecta*. Hoc fere illud, ἐκραγέντων χλανιδίων ἔφαινε μηρόν. Iste priscus Nympharum cultus, qualem nunc spectamus in earum picturis, quibus brachia detecta & femora apparent. Ejusque vestis originem inde deductam suspicatur vir magnus, quod per initia caprinas pelles ad lumbos utrimque consererint, nodatas corio crurum anteriorum: merito igitur φαινομηρίδες appellatæ. Quo etiam nomine dictæ mulieres Lacænæ, quod incedentes femora retegerent: sed eis id in usu, quia tunicarum pinnæ, tunc non assui solitæ, explicabantur. Plutarchus in Numa: Τοῦ γὰρ ὄντι τοῦ παρθενικοῦ χιτῶνος αἱ πτέρυγες οὐκ ἦσαν ἀνερραμμέναι κάτωθεν, ἀλλ᾽ ἀνεπτύσσοντο καὶ συνανεγύμνουν ὅλον ἐν τῷ βαδίζειν τὸν μηρόν. Idem ille ostendit ex Sophocle.

162 *Diffu-*

(a) *Quæ solito &c.* Esto, ex semestribus quos Cares, & Acarnanes habuerunt, aut quadrimestribus annis annus magnus, hoc est, solaris, quem τριετηρίδα dixere, factus est: esto, quotannis Orgia celebrata fuere; nunquam tamen τὸ *ne dubites* Crispinianum me adducere poterit, ut credam, hæc quorum ab Ovidio mentio fit, Orgia annua esse: primum quidem, quod trieterica, quætertio quoq; anno celebrabantur ob memoriam expeditionis Indicæ triennio confectæ, annuis Orgiis sumtuosiora erant, deinde quod non intelligo, qua ratione tertia bruma in unius anni solaris curriculo esse possit: Sed audiamus Nasonem ipsum:

Festa Corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi,
Tertia quæ solito tempore Bruma refert.

Locus ipse Herodoti, qui huc a Nostro affertur, significat sacrificia triennalia a Gelonis, qui quondam Græci fuerant, celebrari solita, qui cum Nasoniano Versiculo mire consentit. Habeat igitur sibi hujus loci interpretationem, suum *ne dubites*, *quadrimestres*, *semestresque annos* Crispinus; nihil enim ad rem.

v. 408 *Diffuto sinu*. Λελυμένης ἐπωμίδος, soluta fascia pectorali. Dixit idem alibi Naso:

. . . . . . *Omne papillæ*
Pectus habent tumide, fascia nulla tenet.

Hæc supra subuculam aptabatur. Apulejus 11. Milesiarum: *Ipsa linea tunica mundule amicta, & russea fasciola praenitente, altiuscule sub ipsas papillas succincta*. Fuit illa feminis usui, ut graciles fierent: ut ventrale, ad cohibendum ventris tumorem. Glossæ, *ventrale*, κοιλιόδεσμος. *(a)*

v. 409 *Exerit haec humerum*. Hausit ex his, si quid video, τὸ δ᾽ αὖ χορεία λαγόνα τὸν ἀριστερὰν . . . ἔλυσε.

v. 410 *Vincula nulla pedes*. *Vincula* pro calceis, tritissimum. Vates: *Unum exuta pedem vinclis*. Et unde Græcis ὑπόδημα, nisi ἀπὸ τοῦ ὑποδεῖσθαι; & aliud calcei genus καμψίον, a κάμπτειν quod corrigiis & loris reticulatim vinciretur? de quo Hesychius: Κάμψια, καλά, κανίσκια κανάβια κυνηγετικὰ ὡς γύργαθοι, ἢ ὑποδήματα ποιά. Et illud dictum καμπάγιον, nostris *campagus*: cujus etymon evidens ἀπὸ τοῦ καμπῶν. Sed de hoc fusius lege multa in Glossario Græcobarbaro I. Meursii. Ex his collige, antiquos calceis, ex eo quod vincirentur, plerumque nomina dedisse: hinc Musonius Philosophus vinctum, & calceatum unum, & eumdem putat: laudat ille apud Stobæum ἀνυποδησίαν. Καὶ τό γε, inquit, ὑποδεδέσθαι τοῦ ἀνυποδετεῖν τῷ δυναμένῳ χεῖρον. κινδυνεύει γάρ τὸ μὲν ὑποδεδέσθαι τῷ δεδέσθαι ἐγγὺς εἶναι. ἡ δ᾽ ἀνυποδησία πολλήν ἐλευθερίαν τινὰ καὶ εὐκολίαν τοῖς ποσὶν παρέχει, ὅταν ἠσκημένοι ὦσι. *(b)*

v. 414 *Quae te non sinit esse senem*. Efficit ὁμογέροντα.

v. 415 *At ruber hortorum Deus*. De eodem Albius Tibullus libro primo Elegia prima:

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce Priapus aves.

v. 417 *Solam suspirat in illam*. Membrana vetus, *sola suspirat in illa*, quinto casu.

v. 419 *Fastus inest pulchris*. Huc pertinent illa Petronii: *Quia nosti venerem tuam, superbiam captas, vendisque amplexus commodius*. Hinc alter vocat, *fastosas mœchas*, in suis Epigrammatis:

Ad nocturna jaces fastosae limina mœchae.

v. 424 *Sicut erat lusu fessa*. Scriptum extat in aliis cusis, *Sicut erat lussu lassa*, cum sale.

v. 425 *Animamque tenens*. Oris alitum. *(c)*

v. 426 *Suspenso digitis gradu*. Primo pede metuens audiri. Sic, *suspendere vota labello*, apud Catullum, est, vix labra movere, eamdem ob caussam. *(d)*

v. 440 He-

(a) *Diffuto sinu &c.* De ventrali Ulpianus l. 6. ff. de bon damnat. *Nec si zonam circa se habuerit* damnatus, *sed vestem, qua is fuerit indutus, aut nummulos in ventrale, quos victus sui caussa in promtu habuerit*. De iis pecuniis id intelligendum esse, putant aliqui, quas habebat damnatus in facciperio, in plagula semicinctii insita, quæ est circa ventrem. Sed villosa dicit ventralia Plinius lib. 8. cap. 48. *Patris mei memoria cœpere amphimalla nostra, sicut villosa etiam ventralia*. Non igitur, ut significare videtur Ulpianus, ventrale crumenam fuisse (quæ cur villosa esset non intelligimus) sed vestem frigoris caussa muniendo ventri comparatam, putamus, in qua, sicut in zona, pecunia circumferretur.

(b) *Vincula &c.* Vincula eumdem usum habere video apud elegantissimos poetas Albium, & Virgilium. Albius Tibullus lib. 1. Eleg. 6. v. 30. ubi puellæ, officia quæ Pauper præstare potest, enumerat.

Pauper ad occultos furtim deducet amicos,
Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

Virgilius autem Æneidos 4. v. 517. ubi Fatalia sacrificia parantem Elisam describit

Ipsa mola, manibusque piis altaria juxta
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta
Testatur moritura Deos . . . . . .

(c) *Animamque &c.* Anima præter alias vulgares notasque significationes sumitur etiam pro aere Virg. Eccl. 6. v. 31.

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarum, animæque, marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis . . . . . .

Item pro ventis. Horat. lib. 4. ode 12.

Jam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ.

(d) *Suspenso &c.* Quin etiam *suspensis auribus*, idest arrectis, immotisque invenio apud Propertium lib. 3. Elegia 4. v. 8.

Incipe; suspensis auribus ista bibam.

v. 440 *Helespontiaco Deo*. A patria hoc epithetum; Ὀ' ... (fic illum vocat Euphronius, Priapejorum fcriptor, in Strabone libro 8.) & alia, a locis ubi cultus:

v. 447 *Ut proxima quæque*. E veteri legas, *ut proxima quæque est*: clarius.

v. 448 *Nunc datis ore notas*. Quis non meminit, in augurali difciplina aves fuiffe ofcines, & præpetes? quæ fic dictæ, quia ore, & penna aufpicium facerent.

v. 452 *Alba columba focis*. Ad aras Veneris hæc jugulata. Propertius lib. 4. Elegia 5.

Nunc cape torquatæ, Venus o Regina, columbæ
Ob meritum ante tuos guttura fecta focos.

v. 453 *Nec defenfa juvant Capitolia*. Scitum iftud, quo auxilio tunc urbs a Gallis liberata: in illius rei memoriam de fuo ævo, inquit Plutarchus in libello περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης: Πομπεύει δὲ μέχρι νῦν ἐπὶ μνήμῃ τῶν τότε συμπτωμάτων ἡ τύχη, κύων μὲν ἀνεσταυρωμένος, χὴν δὲ μάλα σεμνῶς ἐπὶ στρωμνῆς πολυτελοῦς καὶ φορείου καθήμενος. Tamen ejufdem exta data Ifidi in facris: legendum itaque in pentametro, *Inachi lauta*, ut in veteri quodam; in noftro etiam infimæ vetuftatis eft, *Inachi vacca*. Ex his uter melius, ambigo; adeo uterque bene.

v. 456 *Provocet ore diem*. Diis igitur id animal gratum erat in focis; quod aliqua ex cauffa odiffent.

v. 457 *Interea Delphin*. Ipfa luce Agonali, hoc eft v. Idus oritur Delphin ἀκρονυχός. id Cæfari apud Plinium eft pridie Nonas, lib. 18. cap. 26.

v. 460 *Medio difcrimine fignat*. Parum certo oculo hoc difcerno, & ambigo de vero: nam nofter quarto Idus Januarias mediam hiemis partem hic facit: at fic Columella de Re ruftica lib. XI. *Tertio Nonas Januarii Cancer occidit, tempeftas varia; pridie Nonas Januarii media hiems, Aufter multus, interdum pluvia*; idem cenfet tabula illa edita fub nomine Ptolemæi.

v. 462 *Proxima profpiciet*. III. Idus celebrabantur publice Carmentalia (feriæ erant ftativæ) fed in qua Urbis parte? ego opinor fub Capitolio apud Carmentalem portam; ibi Carmentæ ara fuit antiquitus conftituta. Obfervabis ex Dionyfio Halicarnaffenfi lib. primo Antiq. Καὶ γὰρ Εὐάνδρῳ θυσίας ἔμαθον ὑπὸ Ῥωμαίων ἐπιτελουμένας ὅσα ἔτη δημοσίᾳ, καὶ Καρμέντῃ, καθάπερ τοῖς λοιποῖς ἥρωσι καὶ δαίμοσι· καὶ βωμοὺς ἱδρυμένους, Καρμέντῃ μὲν, ὑπὸ τῷ καλουμένῳ Καπιτωλίῳ παρὰ ταῖς Καρμεντίσι πύλαις. In Kalendario Conftantini notatur hoc feftum, *dies Carmentariorum*. (a)

v. 464 *Æde recepit*. Ad aquam Virginem: confentiunt Urbis antiqui topographi, Victor, & Ruffus; & Frontinus de aquæductibus Romanis de hac eadem capiendus in his: *Ædicula fonti appofita hanc Virginem pictura oftendit*. Ifta ea fortaffis eft, a qua nomen aquæ inditum. (b)

v. 466 *Unde petam cauffas horum*. Nunc fefti Carmentalis initia inquirit. Unum vero filere non poffum: mallem, indignanti omni codice, verficulos fuperiores de Juturnæ ædicula ante illos intrudere, *Proxima profpiciet*; tu perpendas.

v. 468 *A carmine dictum*. Haud dubie a noftris patribus Carmenta a carmine dicta. Plutarchus ἐν Αἰτίοις: Τὴν δὲ Καρμένταν οἱ μὲν Εὐάνδρου μητέρα λέγουσιν οὖσαν ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν, ὀνομαζομένην Θέμιν· ὡς δ' ἔνιοι, Νικοστράτην. ἐμμέτρους δὲ χρησμοὺς ᾄδουσαν, ὑπὸ τῶν Λατίνων Καρμένταν ὀνομάζεσθαι, τὰ γὰρ ἔπη κάρμινα καλοῦσι. idem invenies in his Dionyfii libro I. Antiq. Οἱ δὲ τὰ Ῥωμαϊκὰ συγγράψαντες ἀρχαιολογίας, τῇ πατρίᾳ γλώσσῃ Καρμένταν ὀνομάζουσιν. εἴη δ' ἂν Ἑλλάδι φωνῇ Θεσπιῳδὸς τῇ νύμφῃ τοὔνομα· τὰ μὲν γὰρ ᾠδὰς καλοῦσι Ῥω-

(a) *Proxima &c.* III. Idus Januarias non modo, verum etiam in Kalendario Conftantini tempore confecto. Ergo vel per quinque dies celebrantur, vel quinto die repetebantur Carmenta agnome ut aliqui cenfent eft a carminibus derivatum quod verfibus oracula promeret, verum enim ei nomen fuit Nicoftratæ. Themin Græci vocavere Dionyfio tefte. Ejus Templum fuit in Reg. Urb. VIII.

(b) *Æde recepit &c.* Non una affertur a Philologis cauffa, quamobrem Virgo aqua hæc fuerit appellata, fed quod bona eorum pace dixerim, ex omnibus una placet Paeto Auctore, quam affert Frontinus. Quærentibus enim aquam militibus Virguncula plures venas demonftravit quas fequuti urbem aquæ fontem invenerunt. Virgo nomen aquæ fecit, eique ædicula ac ftatua erecta fuit. Hanc aquam Agrippa in Urbem induxit anno quarto poft Confulatum tertium ab V. C. 735. C. Sentio, & Sp. Lucretio Coff.

Ῥωμαίοι χάρματα. Nec aliud sibi vult numisma illud, quod Carmentam revelat in hunc modum: caput habet muliebre vegeta forma; comam inceptam, a fronte, & a facie rejectam, premit corona ex fabarum foliis, atque folliculis apte contexta, cincinnis sub eadem per collum defluentibus, citharam appositam respicit, ut vatem dicas. Nummus cusus fuit Q. Fabio Maximo, ut ex inscripto nomine perspicio: nec fortuito huic mater Evandri a dorso denarii incisa; nam a Carmenta illustrem Fabiorum familiam & sunt qui deducant.

v. 470 *Orta prior Luna*. Sic illa commenta est. Clemens Alexandrinus in admonitione ad Gentes: Ἀρκάδας οἱ προσελήνους ἀναγράψαντες ποιηταί, εἶτα μὴν αὖ τοὺς Αἰγυπτίους οἱ καὶ πρώτην αὐτὴν ἀναφῆναι τὴν γῆν θεούς τε καὶ ἀνθρώπους ὀνειρώσσοντες. ἀλλ' οὐ πρό γε τοῦ κόσμου τοῦδε οὗτοι οὐδὲ εἷς· πρὸ δὲ τῆς τοῦ κόσμου καταβολῆς ἡμεῖς, οἱ τῷ δεῖν ἔσεσθαι, ἐν αὐτῷ πρότερον γεγεννημένοι τῷ θεῷ. Minor fuit insania Atheniensium, qui se αὐτόχθονας credidere: hi vero, ut in hujus rei indicium, cicadas aureas in capillorum cincinnis gestabant, teste Apostolio in Proverbio τεττίγων ἀνάμεστοι, Centuria XVIII. Arcadibus lunulæ in calceis usui fuere, Romanis postea ad hanc nobilitatem respicientibus. Vide dedicationem de statua Regillæ conjugis Herodis iis versiculis, ubi sermo de Ænea e bello Trajano fugiente.

v. 470 *De se, si creditur illi*. Meus liber reponi suadet, *de se, si creditur alli*: vetus alius, *ipsi*.

v. 474 *Æthereos ignes*. Ignis æthereus, ἡ μανία, ὁ ἐνθουσιασμός: qui eisdem est φοῖβος Hesychius: Φοιβᾶσαι, ἱερὸν ποιῆσαι.

v. 478 *Nimium vera cum matre*. Pari significatione dixit in Epistolis:

Ah nimium miseræ vates mihi vera fuisti!

v. 484 *Sed numinis iram*. Absit hæc in Deum contumelia.

v. 485 *Crimen abesse malis*. Ita est; magnum, pati sine culpa. Bene nunc, Ovidii, locutus, sed alibi ἀσόφως, & vulgi sensu: tu idem es, qui ais:

Atque ego peccati vellem modo conscius essem:
Æquo animo pœnam, qui meruere, ferunt.

nec semel sed etiam epist. 5. Eroid.

Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est.
Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.

Hæc parum Philosophiam redolent; aliter Tullius in Epistolis lib. 6. ad Torquatum: *Nec enim dum ero angar ulla re, quum omni vacem culpa*; & lib. 12. ad Cornificium: *Ego certe publice non deero: & quidquid acciderit, a quo mea culpa absit, animo forti feram*; scribit & Thoranio: *Tamen ita viximus, & id ætatis jam sumus, ut omnia quæ non nostra culpa accidunt, debeamus fortiter ferre*. Hæc fere communis sapientis vox.

v. 486 *Ita concipit intra*. Pura puta veritas.

v. 488 *Nec tamen, ut primus*. Solatur ultimo natum ab exemplis: nam alieni casus reputatio mœstum animum allevat. Ideo Timocles Comicus (ut hoc obiter moneam) ἐν Διονυσιαζούσαις, hominum vitæ perutilem esse tragœdiam ajebat: quia miser, ut audit miseriorem se aliquem extitisse, ferre videtur suam miseriam leviuscule. Vide omnino aurei carminis fragmentum apud Athenæum, sub limen lib. 6. incipit:

Ὦ τᾶν, ἄκουσον ἤν τι σοι μέλλω λέγειν,

v. 490 *Passus idem, Tyriis*. Orditur a Cadmo: qui raptam sororem Europam ab Agenore patre quærere coactus, prohibito ei reditu in Phœniciam, ni una cum sorore rediret. Ipse eleganter III. Metamorphosi:

Quum pater ignarum raptum perquirere Cadmo
Imperat, & pœnam, si non invenerit, addit
Exsilium; facto pius, & sceleratus eodem.

Hanc raptam a Jove fabulantur Mythici; sed vere piratæ aliquot Cretenses fuere. Herodotus lib. primo: Μετὰ δὲ ταῦτα, Ἑλλήνων τινάς (οὐ γὰρ ἔχουσι τοὔνομα ἀπηγήσασθαι) φασὶ τῆς Φοινίκης ἐς Τύρον προσσχόντας, ἁρπάσαι τοῦ βασιλῆος τὴν θυγατέρα Εὐρώπην. εἴησαν δ' ἂν οὗτοι Κρῆτες.

v. 491 *In Aonia constitit exsul humo*. Nam desperata sororis salute, Bœotiam habitare decrevit: ea ab antiquis incolis Aonibus sic dicta. Strabo lib. 9. Ἡ δὲ νῦν Βοιωτία, πρότερον μὲν ὑπὸ βαρβάρων ᾠκεῖτο Ἀόνων καὶ Τεμμίκων ἐκ τοῦ Σουνίου πεπλανημένων, καὶ Λελέγων, καὶ Ὑάντων. Εἶτα Φοίνικες ἔσχον οἱ μετὰ Κάδμου, ὃς τήν τε Καδμείαν ἐπετείχισε, καὶ τὴν ἀρχὴν τοῖς ἐκγόνοις ἀπέλιπεν: Stephanus fusius ista tradidit.

v. 492 *Idem Pagaseus Jason*. Ille ob cædem Melanippi fratris fugit ad Argivos: Jason interfecto Pelia Corinthum abiit. Ciofanus probat lectionem sui veteris, in quo, *Begaseus Jason*, caussa non expressa: sed meo consilio insideas vulgatæ. Παγασαί, sive cum Plinio *Pagasa*, Thessaliæ oppidum: unde sinus Pagasicus, Græcis. Παγασιτικός, sive Παγασικος, ut habent MSS. Strabones.

v. 494 *Omne solum forti patria est*. Euripideum illud expressit:

Ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος.
Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.

Excelso vir animo contristari exsilio non debet. Et unde initia & principia cujusque gentis, nisi ex totidem exsulibus? Vide Senecam hac de re large disserentem in Consolatione ad Helviam.

v. 499 *Italiamque tenet*. Quo anno ji in Italiam venere, disce ex Dionysio Halicarnassensi lib. primo Antiq. Μετὰ δὲ οὐ πολλῷ χρόνον στόλος ἄλλος Ἑλλήνων εἰς ταῦτα τὰ χωρία τῆς Ἰταλίας κατάγεται, ἑξηκοστῷ μάλιστα ἔτει πρότερον τῶν Τρωϊκῶν, ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν, ἐκ Παλλαντίου πόλεως Ἀρκαδικῆς ἀναστάς. Origo Gentis Romanæ: *Regnante Fauno, ante annos circiter* LX. *quam Æneas in Italiam deferretur, Evander Arcas, Mercurii, & Carmentis Nymphæ filius, cum matre eodem venit*. Tunc ad rudes Italos literæ translatæ. Nescio an auctor Evander filius, seu Nicostrata mater: antiqui versus:

Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas:
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.

Marcus Victorinus scribit, tantum cum Evandro ad nos translatas XVI. postea quasdam a Palamede & Simonide adjectas. Sed apud Euripidem Palamedes ipse totam scribendi rationem sibi attribuit. Verum hac de re adi Joannem Tzetzem Chiliade x. hist. CCCXXXII.

v. 502 *Vada juncta Terenti*. Hoc, locus in campo Martio. Adeundus tibi Festus. *(a)*

v. 503 *Per loca sola casas*. Sedes Aboriginum.

v. 507 *Pinea texta*. Hoc est, navim. Loquendi modus antiquus in XIV. Metamorphosi:

. . . *Fert ipse avidas in pinea Turnus*
Texta faces. . . . .

& forte haustus e Catullo; hic in nuptiis Pelei:

Pinea conjungens inflexa texta carinæ.

v. 510 *Dixit, salvete*. Et in adventu, & in discessu mos iste invaluit. Marcius apud Dionysium, ubi patriam deservit, Καὶ ὑμεῖς, inquit, ὦ θεοὶ κτήσιοι, καὶ ἑστία πατρῴα, καὶ δαίμονες οἱ κατέχοντες τόνδε τὸν τόπον χαίρετε. Hos dixere nostri indigetes & topicos, seu locales. *(b)*

v. 511 *No-*

(a) *Vada juncta &c.* Ita Paullus, *Terentum locus in campo Martio dictus, quod eo loco ara Ditis patris in terra occultaretur*. Ad Festum quod pertinet, locus ejus omnino mutilus, ac depravatus est. In adnotationibus sic lego. *Vide Seculares, & Paschales*. Ausonius in Ternario.

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

Cetera, quæ de equis quadrigariis addun tur, nihil ad locum, quem præ manibus habemus. Illud prætermittere non possumus, quod ab aliis Philologorum accepimus, Terentum fuisse prope Tiberim in campo Martio, ubi, Tiberis ad Sinisteriorem ripam se inflectens, eam atterit. Romuleum appellat Martialis Epigram. lib. 4. 1.

Hic colat ingenti redeuntia secula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.

(b) *Dixit, salvete &c.* Non advenientes modo, sed discedentes, ac redeuntes Deos salutabant. Ovid. lib. 1. Trist. Eleg. 3.

Dique relinquendi, quos Urbs habet alta Quirini,
Este salutati tempus in omne mihi.

Salutem Diis dicere solebant vulgari hoc verbo *salvete*, *salve*. Prop. Eleg. 9. lib. 4. v. 71.

Sancte Pater salve, cui jam favet aspera Juno,
Sancte velis libro dexter inesse meo

Discedentes salutabant. Plautus Mil. Glor. actu 4. sc. 1. v. 29. Ita Palæstrio ad Larem Familiarem

Etiam nunc saluto te, Familiaris, priusquam eo.

Redeuntes etiam *salve* solebant dicere. Seneca in Agamemn. act. 4. sce. 1. v. 1.

Tandem revertor sospes ad Patrios Lares,
O cara salve terra.

v. 511 *Novos cælo terra datura Deos*. Leucotheam, & Herculem; ni malis Romulum & duos primos Cæsares.

v. 514 *Este bonis avibus visi*. Fausto, & felici omine: unde, *mala ales*, pro infausta, antiquis. Horatius in Mævium, cui tempestatem, & naufragium imprecatur: (a)

Mala soluta navis exit alite,
Ferens olentem Mævium.

v. 516 *Fallor? an hi fient*. Prædicit dominæ Urbis imperium.

v. 520 *Tangent hæc littora pinus*. & Æneæ adventum post annos LX. Sed mirum quot hanc felicissimam Monarchiam prævideriut. Extat vaticinium Cassandræ apud Lycophronem, extat & illud Homerici Neptuni Iliade γ. & alia.

v. 521 *Caussa novi femina Martis*. Lavinia hæc.

v. 522 *Funesta quid induis arma?* Prædicit & cædem Pallantis: sed Turnus occisor cadet, inquit, Æneæ dextra.

v. 524 *Eversaque Troja resurges*. Prædicit & victorias habitas a Romanis in universa Græcia. Adi Annales.

v. 530 *Quum vos, orbemque tuebitur idem*. Prædicit imperium, & Pontificatum maximum Julii Cæsaris.

v. 531 *Colente Deo*. Et hac vocula ἀποθέωσιν.

v. 532 *Et penes Augustos*. Non male etiam legeris, *Quum penes*, ut in meo.

v. 534 *Inde nepos, natusque Dei*. In eodem, *Inde satusque, neposque Dei*. Capito Octavianum, & Tiberium: de quo addit, *licet ipse recuset*. Notavit & id Dio lib. 57. sub initium, & Svetonius in eodem Principe.

v. 537 *Julia numen erit*. Hæret ad hæc Marsus: De Julia, inquit, Augusta non legimus aliquid sacri. O pepo! hæc secunda Cæsaris Augusti conjux, quæ prius dicta Livia Drusilla; postea mariti adoptione in Juliorum domum admissa, unde in posterum ei nomen fuit Juliæ Augustæ: hanc nepotem Claudium consecrasse, tradit Svetonius l. 5. c. 11. *Aviæ*, inquit, *Liviæ divinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernendum curavit*. Dio Cassius lib. 60. Τὴν τε τηθὴν τὴν Λιουίαν οὐ μόνον ἱππικῶν ἀγώνων ἐτίμησεν, ἀλλὰ καὶ ἀπηθανάτισεν, ἀγαλμά τε τι ἐν τῷ Αὐγουστείῳ ἱδρύσας, καὶ τὰς θυσίας ταῖς ἀειπαρθένοις ἱεροποιεῖν προστάξας, ταῖς τε γυναιξὶν ὅρκον τὸ ὄνομα αὐτῆς ποιεῖσθαι κελεύσας. Habuit etiam, præter has virgines Vestales, suam Flaminicam; quo refero vetustam hanc basim, quæ Aquini est:

DENTRIÆ L. F. POLLÆ
SACERDOTI DIVÆ
AUGUSTÆ
POST MORTEM
D. D.

Ex hoc passim in inscriptionibus antiquis litatum Juliæ videmus; ut in his Fragmentis Fratrum Arualium: DIVO AUGUSTO BOVEM MAREM, DIVÆ AUGUSTÆ VACCAM. Sed hi honores a Claudii ævo mortuæ Liviæ, ut vides, delati; vere illi statim post ejus obitum large a Senatu decreti: at fere omnes filius Tiberius per modestiam imminuit, addito, ne cælestis religio decerneretur. Adi Cornelium Tacitum sub initium Annalis v. Jam habemus aliquid sacri. Sed de hoc vaticinio, sodes, nostrum excuses ex certa præsumtione; sive verius, mireris domui Augustæ adulantem. Adscribit in Divas Juliam, antequam quid simile exul audisset, ante ipsiusmet obitum, ante decretum Senatus; ad quæ nec dies Nasonis pervenere: nam mortuus plusculos annos ante Juliam.

v. 541 *Cui locus ille fuit*. Alludit ad suum misellum.

Sta-

(a) *Este bonis &c.* De diversis augurioum speciebus, quæ ex avibus capiebantur, deq; variis earum appellationibus diligenter præ ceteris consule viros eruditissimos Barnabam Brissonium *de Formul.* lib. 1. ac Samuelem Pitiscum in voce *Avis*.

v. 542 *Stabant nova tecta*. His, a veteri novi hospitis patria, Palantium nomen impositum. (*a*)

v. 544 *Ecce boves illuc*, Paullo post Arcades, quarta Græcorum classis in hanc Italiæ partem venit, duce Hercule. Halicarnassensis: Ὀλίγοις δ᾽ ὕστερον ἔτεσι μετὰ τοὺς Ἀρκάδας, ἄλλος εἰς Ἰταλίαν ἀφικνεῖται στόλος Ἑλληνικός, ἄγοντος Ἡρακλέους, ὃς Ἰβηρίαν, καὶ τὰ μέχρι δυσμῶν ἡλίου χειρωσάμενος ἦν. Ad verbum illustrant Nasonis distichon.

v. 544 *Erytheidas*. Statim explodes editiones, in quibus *Erythreidas*, ubi leges Strabonis verba lib. III. Ἐρύθειαν δὲ τὰ Γάδειρα ἔοικε λέγειν ὁ Φερεκύδης, ἐν ᾗ τὰ περὶ τὸν Γηρυόνην μυθεύουσιν. Ἄλλοι δὲ τὴν παραβεβλημένην ταύτῃ τῇ πόλει νῆσον, πορθμῷ σταδιαίῳ διειργομένην. Sed hoc parum obest: nam insulæ Gadibus adsitæ, sub uno Erytheæ nomine nuncupatæ. Tu ipse superius: Ἐοίκασι δ᾽ οἱ παλαιοὶ καλεῖν τὸν Βαῖτιν, Ταρτησσόν· τὰ δὲ Γάδειρα, καὶ τὰς πρὸς αὐτὴν νήσους, Ἐρύθειαν.

v. 546 *Domus est Tegeæa*. Casa Carmentis. (*b*)

v. 548 *Tirynthius heros*. Meus infimæ vetustatis codex, *Tirynthius hospes*. Rectissime, supra dixerat, *applicat heros*: noluit hic iterum voculam repetere.

v. 551 *Cacus in antra ferox*. In multis est, *Cacus in antra boves*. Utrique bene. *Sed &*, Livius inquit lib. I. *Cacus ferox viribus*.

v. 552 *Aventinæ silvæ*. Ubi sedes, & ejus spelunca, Vere hanc Topographi statuunt in regione XIII.

v. 553 *Hospitibusque malum*. Alludit ad Græcum κακόν. Servius: *Servus Evandri* κακός, *& malus fuit: unde* κάκος *dictus, mutato accentu*.

v. 554 *Dira viro facies*. Tres apud me veteres, *Dura viro facies*. Ego quidem hic malim *dira*: licet *durus* sit idem ac ἰσχυρός, καὶ καρτερός: nam vires statim commendat.

v. 558 *Affixaque brachia pendent*. Vates lib. 8. optimi maximi operis: (*c*)

. . . . . . Semperque recenti
Cæde tepebat humus, foribusque affixa superbis
Ora virum tristi pendebant squallida tabo.

v. 568 *Quod simul eversum est*. Alii habent, *Quod simul evulsum est*. Virgilius in re simili *avulso* usus: unde sic malim in nostro legere, *Quod simul avulsum est*. Nec ambigo ita a germana manu olim scriptum.

v. 568 *Æthera terruit ipsum*. Ab eodem mutuatus hanc ὑπερβολήν.

v. 570 *Collata prælia dextra*. Titus Lucretius lib. 5. apte & ad rem;

Arma,

(a) *Stabant nova &c.* Arcades, qui ante res Trojanas annis sexaginta Palantium Patriam, sedem quærentes, Evandro duce, deseruerant, & ad hæc loca delati, atque a Fauno Aboriginum Rege, donata agri parte, humaniter habiti, haud procul a Tiberi sedem in Colle elegerant, castello, quod struxerant, nomen Palantio fecere. Vide Marlianum Topograph. Urb. Romæ lib. I. I, & Vossium de Idolol. I. 12.

(b) *Domus est &c.* Tegea Arcadiæ Urbs novem pagis constans, si qua Straboni fides. Tegeæam Domum pro domo Evandri Arcadis dixit, qui Herculem hospitio excepit, Tegeæum autem non Tegæum esse adjectivum confirmat Ruæus, quod græce hæc Urbs Τέγεα sit, unde non Tegæa sed Tegea, & adjectivum Tegeæus.

Adsis, o Tegeæe favens.

Virg. Georgic. I. v. 18. & Æneid. V. v. 298.

Hunc Salius, simul & Patron, quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadia, Tegeææ sangine Gentis.

(c) *Affixaque &c* Omnia mire consentiunt cum Poetica Virgilii descriptione, ac Historica Livii narratione. Veruntamen non invenio apud Livium Herculem ab Evandro Hospitio acceptum quo tempore prope Tiberim fluvium armentum egerat. Nomen enim Herculis Patremque tum ac Patriam Evander accepit, quum ut manifestæ reum cædis circumcursans Pastorum trepidantium turba ad Evandrum accusavit. Tunc enim habitum formamque Viri aliquanto ampliorem, augustioremque humana intuens rogitavit, qui vir esset &c. (Ita ex Livio.) At Ovidius hospitium habuisse apud Evandrum ante cæsum Cacum videtur significare,

Dumque huic Hospitium Domus est Tegeæa, vagantur
Incustoditæ læta per arva Boves.

Arma, inquit, *antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt,*
Et lapides, & item silvarum fragmina rami.

v. 576 *Occupat Alcides*. Id valet, aggreditur. Curtius lib. 9. *Jussit quatuor admoveri canes, qui celeriter occupaverunt feram.*

v. 576 *Clava trinodis*. Sic describitur a Poetis hæc Herculea, non levis seu polita, sed rustica & inculta, Apollonius Rhodius Ἀργοναυτικῶν δ. (*a*)

. . . Ἀμφὶ δὲ δέρμα πελώριον ἕστο λέοντος
Ὠμόν, ἀδέψητον· στιβαρὸν δ' ἔχεν ὄζον ἐλαίης.

Nota obiter, ex oliva fabrefactam, seu melius oleastro, ut observat Pausanias in Corinthiacis lib. II. Καὶ Ἑρμῆς ἐνταῦθά ἐστι Πολύγιος καλούμενος. πρὸς τούτῳ τῷ ἀγάλματι τὸ ῥόπαλον θεῖναί φασιν Ἡρακλέα, καὶ (ἦν γὰρ κοτίνου) τοῦτο μὲν (ὅτῳ πιστὰ) ἐνέφυ τῇ γῇ, καὶ ἀνεβλάστησεν αὖθις. Meræ nugæ.

v. 578 *Cum sanguine flammas*. Prætuli quod in meo est: in quatuor Vaticanis, *cum sanguine fumos*; fortean rectius: sic enim de eodem Poeta libro 8.

Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit. . . . .

v. 580 *Taurum tibi Jupiter unum*. Post boves inventos aram exstruit Jovi Inventori, & unum è juvencis mactat. In hac dubia historia non loquor cum imperitis; unum sequar scriptorem, & diligentissimum. Dionysius lib. primo: Ἁγνίσας δὲ τῷ ποταμῷ τὸν φόνον, ἱδρύεται πλησίον τοῦ τόπου Διὸς εὑρεσίου βωμόν, ὅς ἐστι τῆς Ῥώμης παρὰ τῇ τριδύμῳ πύλῃ· καὶ θύει τῷ θεῷ δάμαλιν ἕνα, τῆς εὑρέσεως τῶν βοῶν χαριστήριον.

v. 582 *Constituitque sibi*. Hanc dictam a Pontificibus Maximam, non ipse sibi constituit, in quo Naso falleris, sed Evander Herculi dicavit; ob ea quæ a matre Carmenta didicerat. Idem: Εὔανδρος δὲ παλαίτερον ἔτι τῆς Θέμιδος ἀκηκοὼς διεξιούσης, ὅτι πεπρωμένον εἴη τὸν ἐκ Διὸς καὶ Ἀλκμήνης γενόμενον Ἡρακλέα, διαμείψαντα τὴν θνητὴν φύσιν, ἀθάνατον γενέσθαι δι' ἀρετήν, ἐπειδὴ τάχιστα ὅστις ἦν ἐπύθετο, φθάσαι βουλόμενος ἅπαντας ἀνθρώπους, Ἡρακλέα θεῶν τιμαῖς πρῶτος ἱλασάμενος, βωμὸν αὐτοσχέδιον ὑπὸ σπουδῆς ἱδρύεται, καὶ δάμαλιν ἄζυγα θύει πρὸς αὐτῷ, τὸ θέσφατον ἀφηγησάμενος Ἡρακλεῖ, καὶ δεηθεὶς τῶν ἱερῶν κατάρξασθαι. ἀγασθεὶς δὲ τοὺς ἀνθρώπους τῆς φιλοξενίας Ἡρακλῆς, τὸν μὲν δῆμον ἑστιάσει ὑπεδέχετο, θύσας τῶν βοῶν τινας, καὶ τῆς ἄλλης λείας τὰς δεκάτας ἐξελών, paullo post: Ὁ δὲ βωμὸς ἐφ' ὃ τὰς δεκάτας ἐπέθυσεν Ἡρακλῆς, καλεῖται μὲν ὑπὸ Ῥωμαίων Μέγιστος, ἔστι δὲ Βοαρίας λεγομένης ἀγορᾶς πλησίον, ἁγιστευόμενος εἴ τις καὶ ἄλλος ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων. Hac de re, mihi crede, noli quid amplius quærere. (*b*)

v. 588 *Idibus in magni*. Quotidibus Jovi factum supra monuimus, sed agna: nunc edifcas, ariete etiam folitum. (*c*)

v. 590 *Po-*

(a) *Clava trinodis &c.* Tertium genus armorum Herculi aliqui tribuunt, nimirum sagittas, & arcum: Scytalo-sagitti-pelliger dicitur a Tertulliano de Pall. cap 4. Σκυτάλη græce, clava latine est: hinc fcytale.

(b) *Constituitque &c.* Apertissime ex Livio, ceteros ut prætereamus, Nasonis errorem deprehendimus. Sed verba Evandri apud Livium audiamus: *Jove Nate Hercules salve*, inquit; *te mihi Mater veridica interpres Deum aucturum cælestium numerum cecinit; tibique aram hic dicatum iri, quam Opulentissima olim in terris Gens maximam vocet, tuoque ritu colat*, idest Græco. Ad hunc tamen Livianum locum hæc affert vir Cl. Joannes Dujatius. *Hunc locum Turnebus sic interpretatur, ut Hercules, porrecta Evandro manu, divinitatis omen acceperit; seque fata, quæ Carmenta cecinerat, impleturum, aramque maximam dicaturum, ostenderit. Et sane dicavit, non sibi, opinor (quod absurdum Sigonio visum, quamvis ita velit cum Ovidio Solinus) sed* Jovi *inventori, cui juvencum ob receptas de Caco boves mactavit. Aram vero illam maximam vocarunt: & quoniam in ea Hercules decimas Jovi obtulerat, Romani Herculi postea ipsi facultatum suarum decimas ibi offerebant.*

(c) *Idibus in magni &c. Quotidibus Jovi factum supra monuimus, sed agna: nunc edifcas ariete etiam folitum*. Sic Noster: nihil equidem grave ausim dicere: Id unum dicam proprie in genere Caprino, caprum dici hircum castratum, vervecem autem, femimarem ovem in genere Ovillo. Naso autem de *ove femimari* verba facit.

v. 590 *Populo provincia nostro*. Eadem luce, anno Urbis conditæ DCCXXVI. post orationem illam simulatam, habitam a Cæsare Octaviano de deponendo imperio, redditæ Senatui & populo omnes pacatæ provinciæ; quæ vero nondum sedatæ, a Cæsare retentæ: hæ vero populo concessæ, Africa, Numidia, Asia, & Græcia cum Epiro, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta, Africa Cyrenaica, Bithinia cum Ponto, finitima Sardinia, atque Hispania Bætica. Octavianus has habuit: quod reliquum erat Hispaniæ, ut Tarraconensem, Lusitaniam, totam Galliam, & Narbonensem, & Lugdunensem, & Aquitaniam, & Celticos, cum populis colonis, item Cœlesyriam, Phœnicem, Ciliciam, Cyprum, Ægyptum: ex quibus, paullo post, Cyprum, & Galliam Narbonensem pro Dalmatia populus recepit, eaque Octaviano iterum reddita; sed in has omnes imperium tantum decennale voluit: hoc finito, aliud, & aliud quinquennium decretum, inde rursus decennium, adeo ut toto ævo imperium tractaverit. Vix in mentem interpretum venit, hoc sibi velle Nasonem in hoc versiculo. (*a*)

v. 591 *Augusto nomine dictus avus*. Sed aliter Censorinus, qui rejicit in XVI. Kalendas Februarias; Orosius, qui in VIII. Idus Januarias: qui magis ad nostrum accedit, est priscus hic lapis. VII. IDUS JANUARIAS, QUA DIE PRIMUM IMPERIUM ORBIS TERRARUM AUSPICATUS EST, THURE, VINO SUPPLICENT. Tu hære cui voles, ego a Nasone non recedam. His ergo Idibus datum Octaviano Augusti cognomen: Romuli sibi imponere menti erat, ni suspectus affectati Regni fieret. Dio lib. 53. Οὕτω δὴ καὶ τὸ τοῦ Αὐγούστου ὄνομα καὶ παρὰ τῆς βουλῆς καὶ παρὰ τοῦ δήμου ἐπέθετο. Βουληθέντων γὰρ σφῶν ἰδίως πως αὐτὸν προσειπεῖν, καὶ τῶν μὲν τὸ, τῶν δὲ τὸ καὶ ἐσηγουμένων καὶ αἱρουμένων, ὁ Καῖσαρ ἐπεθύμει μὲν ἰσχυρῶς Ῥωμύλος ὀνομασθῆναι, αἰσθόμενος δὲ ὅτι ὑποπτεύεται ἐκ τούτου τῆς βασιλείας ἐπιθυμεῖν, οὐκέτ' αὐτοῦ ἀντεποιήσατο, ἀλλὰ Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατ' ἀνθρώπους ὢν, ἐπεκλήθη. Hinc postea omnes fere subsequuti Principes nomen illud usurparunt. Temere dixi *fere*: nam plerisque odio fuit. Quidam Germanici, quidam tantum Cæsares, quidam Antonini dicti: sed nemo æquavit Caligulam, qui, teste eodem Historico, ποτὲ δὲ τοῦ δήμου βοήσαντος, νεανίσκε Αὔγουστε, ὑβρίσθαι ἐνόμιζεν.

v. 592 *Perlege dispositas ceras*. Subindicat *clypeos*, seu *thoraces*, qui Græcis, δίσκοι καὶ ὅπλα. Τὸ vero *perlege* ostendit, in basi nomina, gestaque cujusque subscripta: & certe ita fuit. Valerius Maximus lib. 5. cap. 8. *Videbat se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago posita erat; prudentissimoque viro succurrebat, effigies majorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur*. Titulus est index, & ἔλεγχος rerum gestarum.

v. 592 *Annosa per atria*. Sequutus sum priscæ editionis codicem: & sane videtur iterare hanc scripturam noster, quum dicit, *veteres* has ceras in libellis nequitiarum. Libri aliquot habent, *generosa*; quidam, *cinerosa*, qui respiciunt ad culinas sitas in atriis.

v. 594 *Africa victorem de se vocat*. P. Scipionem Cornelium Africanum, ob victoriam de Syphace anno urbis conditæ DLII. Silius de eodem Punicorum lib. 17.

Devictæ referens primus cognomina terræ.

v. 594 *Alter Isauras*. Non displicet editio, in qua *Isaurum*. Sequitur, *Aut Cretum*. Quovis modo legas, denotatur P. Servilius Isauricus, sic dictus a devictis Isauris, & Cilicibus, qui se cum prædonibus maritimis junxerant. Strabo, qui hominem novit, lib. 12. de ea gente: Παρέσχον δὲ καὶ Ῥωμαίοις πράγματα, καὶ τῷ Ἰσαυρικῷ προσαγορευθέντι Πουβλίῳ Σερβιλίῳ, ὃν ἡμεῖς εἴδομεν· ὃς καὶ ταῦτα ὑπέταξε Ῥωμαίοις, καὶ τὰ πολλὰ τῶν πειρατῶν ἐρύματα ἐξεῖλε, τὰ ἐπὶ τῇ θαλάττῃ.

v. 595 *Aut Cretum domitas*. Iste Q. Cæcilius Metellus Creticus. Eutropius de hoc: *Nec quidquam aliud de tam celebri victoria, quam Cretici cognomen reportavit*: Imo etiam

(a) *Populo &c.* Quæ differit, versiculum hunc interpretans Crispinus, optima quidem sunt, sed multo tamen ante eadem expiscatus est a reconditiore eruditione Carolus noster, atque adeo primus omnium, ut ipse de se testatur: *Vix in mentem interpretum venit, hoc sibi velle Nasonem in hoc versiculo*. Hæc, & alia permulta a Nostro Crispinum mutuatum fuisse, verbis paullo immutatis, singula conferens sæpe suspicatus sum, hic vero locus dubitationem mihi tollit pæne omnem. Nil temere affirmem; sed si vera conjectura est, cur optimi rerum optimarum investigatoris diligentiam silentio præterit? cur gratiam non habet?

etiam triumphavit, licet non adeo magna pompa: nam Duces captivos subduxerat Pompejus. (ornamentum erant victoriæ.) de quo juste ait questum Q. Metellum Paterculus lib. 3. Disce rem integram a Dione, & vide quos Duces subjugarat: Κρῆτες μὲν οὖν οὕτως, ἐλεύθεροί τε πάντα τὸν ἔμπροσθεν χρόνον γενόμενοι, καὶ δεσπότην ὀθνεῖον μηδένα κτησάμενοι, κατεδουλώθησαν. Μέτελλος δὲ τὴν μὲν ἐπίκλησιν ἀπ' αὐτῶν ἔλαβε· τὸν δὲ δὴ Πανάρη, τόν τε Λασθένη (καὶ γὰρ ἐκεῖνον εἷλεν) οὐκ ἠδυνήθη πέμψαι ἐν τοῖς ἐπινικίοις. ὁ γὰρ Πομπήιος, ἀναπείσας τῶν δημάρχων τινά, προαφείλετο αὐτούς, ὡς καὶ ἑαυτῷ κατὰ τὴν ὁμολογίαν, ἀλλ' οὐκ ἐκείνῳ, προσχωρήσαντας.

v. 601 *Hunc Numidæ faciunt*. Hic etiam ex familia Metellorum: patrem habuit L. Metellum Calvum Consulem anno DCXI. Marmora Capitolina: Q. CÆCILIUS L. F. Q. METELLUS AN. DCXLVI. NUMIDICUS PROCOS. DE NUMIDEIS ET REGE JUGURTA... Rosit longa ætas voculam *triumphavit*: nam Eutropius bis de eodem Rege triumphatum tradit lib. 4. semel ab hoc Q. Metello, & iterum a Cajo Mario. Salustius mentionem hujus triumphi non facit. Non ita Paterculus II. Historiæ: *Metelli tamen*, inquit, *triumphus fuit clarissimus, & meritum, virtutique cognomen Numidici inditum*.

v. 601 *Illum Messana superbum*. Ita, me Deus amet, ut multa habeo in meis rudibus curis ad hujus loci tuitionem; sed, ut ex tot Historicis subolui prochronismum, non feci ea publici juris: nam Claudius Caudex uno anno ante Consulatum M. Valerii Messalæ Mamertinis auxilio missus, urbem obsidione liberavit. Legant etiam studiosi, quæ notavit Scaliger ad Chronici Eusebiani numerum MDCCXLII.

v. 602 *Ille Numantina*. Numantia excisa & deleta anno DCXXII. a Scipione Æmiliano Africano, veteris Africani nepote, qui meruit etiam sic dici, ob victoriam de Pœnis & Asdrubale anno DCVII. Ab ea igitur urbe Numantinus etiam cognominatus. Appianus in Iberica: Δύο μὲν τάσδε πόλεις δυσμαχωτάτας ἑλὼν στρατηγὸς ὅδε Ῥωμαίων, Καρχηδόνα μέν, αὐτῶν Ῥωμαίων ψηφισαμένων, διὰ μέγεθος πόλεώς τε καὶ ἀρχῆς, καὶ εὐκαιρίαν γῆς καὶ θαλάσσης· Νομαντίαν δέ, σμικράν τε καὶ ὀλιγάνθρωπον, οὔπω τι Ῥωμαίων περὶ αὐτῆς ἐγνωκότων, αὐτός, εἴτε συμφέρειν Ῥωμαίοις ἡγούμενος, εἴτε ἄκρος ὢν ὀργὴν καὶ φιλόνεικος ἐς τὰ λαμβανόμενα, εἴθ' ὥς ἔνιοι νομίζουσι, τὴν δόξαν ἡγούμενος διώνυμον ἐπὶ τοῖς μεγάλοις γίγνεσθαι κακοῖς. καλοῦσι γοῦν αὐτὸν οἱ Ῥωμαῖοι μέχρι νῦν, ἀπὸ τῶν συμφορῶν ἃς ἐπέθηκε ταῖς πόλεσιν, Ἀφρικανόν τε καὶ Νομαντῖνον. Sed in hujus alti viri honoribus hos titulos junctim datos non reperi, imo nec aliud legisse memini cognomen, præter illud ex Africa.

v. 603 *Et mortem, & nomen*. Id vero post mortem. Dio lib. 55. Κἂν ταῦθα πυρὶ δοθεὶς, ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνημεῖον κατετέθη· Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθεὶς, καὶ τιμὰς καὶ εἰκόνων καὶ ἀψῖδος κενοταφίου τε πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών.

v. 604 *Me miserum, virtus*. Jure quereris: nam facit Paterculus adolescentem *tot tantarumque virtutum, quot, & quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit: cujus ingenium, utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est*.

v. 604 *Quam brevis*. Profecto brevis: periit in ἀκμῇ ipsa adolescentiæ; idem Vellejus: *Sed illum magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis locis perfuso sanguine, fatorum iniquitas Consulem, agentem annum tricesimum rapuit*: non quidem in prælio, sed in morbo.

v. 607 *Aut torquis ademti*. Denotat Manlium Torquatum, Valerium Corvinum, & sequenti disticho Pompejum Magnum: quorum tituli in eorum posteros æternum translati; legi tamen olim ademtos his familiis a non bene sano Caligula. Vide Svetonium l. 4. c. 35.

v. 615 *Sancta vocant augusta patres*. Non absimilia his sunt illa Dionis lib. 53. Πάντα γάρ, inquit, τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα, αὔγουστα προσαγορεύεται. ἐξ οὗπερ καὶ σεβαστὸν αὐτὸν καὶ ἑλληνίζοντές πως, ὥσπερ τινὰ σεπτόν, ἀπὸ τοῦ σεβάζεσθαι, προσεῖπον. (a)

248 *An-*

(a) *Sancta vocant &c.* *Augustus locus sanctus*, inquit Festus, *ab avium gestu; idest quia ab avibus significatus est, sic dictus: sive ab avium gustatu, quia aves pastæ id ratum fecere*. Perperam igitur Augustum, quod Urbem auxerit nominatum dictitant, quum vox hæc venerandum significet. Græci, qui id curarunt maxime, ut vim vocis retinerent, σεβαστὸν verterunt. Ausonius in gratiarum actione: *Unus omnium Gratianus potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia Pater*. Sed quid clarius his Ovidianis versiculis?

Sancta vocant augusta Patres, augusta vocantur
Templa, Sacerdotum rite dicata manu.

nonne τὸ Augusta veneranda significat?

v.615 *Augusta vocantur – Templa, sacerdotum rite dicata manu.* Nam locus ubi templum exstruendum per augures prius constituitur, semel constitutus dici potest *augustus*, & Diis consecrari. Ad hanc mentem Festus: *Augustus*, inquit, *locus sanctus ab avium gestu; id est, quia ab avibus significatus est, sic dictus; sive ab avium gustatu, quia aves pastæ id ratum fecerunt.*

v.616 *Sacerdotum*. Id est *Pontificum*: præibant enim illi verbis sollemnibus in dedicatione cujusvis templi. Livius lib.9. de Cn. Flavio: *Ædem Concordiæ in area Vulcani summa invidia nobilium dedicavit; coactusque consensu populi Cornelius Barbatus Pontifex Maximus verba præire, quum more majorum negaret, nisi Consulem, aut Imperatorem, posse templum dedicare.* Varro lib.4. de L. L. *Sic enim ædes sacra a Magistratu, Pontifice præeunte, dedicatur.*

v.616 *Rite dicata manu*. Non dubie, morem illum tangit, quum postem manu tenebat Pontifex, dum ara, aut fanum sacrabatur: quem Valerius insinuat lib. 5. cap. 10. *Horatius*, inquit, *Pulvillus, quum in Capitolio Jovis Opt. Max. ædem Pontifex dedicaret, interque nuncupationem sollemnium verborum postem tenens, mortuum esse filium suum audivisset; neque manum a poste removit, ne tanti templi dedicationem interrumperet.* Idem testatur Seneca de eodem Consolatione ad Marciam. Sed pergo ad aliud.

v.620 *Querna corona fores*. Quæ eodem die cum Augusti cognomine Octaviano a Senatu concessa. Dio lib. 53. Ὁ δ' οὖν Καῖσαρ πολλὰ μὲν καὶ πρότερα, ὅτε περὶ τῆς ἀπωμοσίας τῆς μοναρχίας, καὶ περὶ τῆς τῶν ἐθνῶν διανομῆς διελέχθη ἔλαβε. καὶ γὰρ τὸ, τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν στέφανον τὸν δρύϊνον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ, ὡς καὶ αεὶ τοὺς πολεμίους νικῶντι καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι, ἐψηφίσθη. Huc spectant nummi eidem cusi, quidam cum corona ex hac fronde, & hisce litteris, OB CIVES SERVATOS; quidam cum aquila tenente unguibus quercum, & duobus arbusculis a latere: (lauri sunt) alii cum orbe & iisdem ramulis, sed hacce inscriptione: PAX ORBIS TERRARUM S. P. Q. R.

v.621 *Tanti cognominis heres*. Intellige Tiberium. Svetonius lib. 3. cap. 26. *Ac ne Augusti quidem nomen, quamquam hereditarium, ullis nisi ad Reges ac Dynastas epistolis addidit.*

v.623 *Respiciet Titan*. XVIII. Kalendas Februarias fiunt rursus sacra Carmentalia; non iterum priori Carmentæ, sed ejusdem duabus sororibus: quarum una Porrima, altera Postverta nominata. Caussa novati sacri subsequitur (a)

v.625 *Matres carpenta vehebant*. Datus nuptis hic honos paullo post captos Vejos. Assignanda erat Apollini decima urbis & agri capti, quam voverat in eo bello Camillus: negotium datum Tribunis militum consularibus; quumque in ærario copia non extaret, *Matronæ*, inquit Livius libro 5. *cœtibus ad eam rem consultandam habitis, & communi decreto pollicitæ Tribunis militum, aurum & omnia ornamenta sua in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maxime Senatui umquam fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo, profestoque uterentur.* Siluit id Plutarchus, aliamque mercedem recenset eis habitam in his: Καὶ ταύταις μὲν ἡ σύγκλητος ἀποδιδοῦσα τιμὴν πρέπουσαν, ἐψηφίσατο μετὰ θάνατον, ὥσπερ ἐπὶ τοῖς ἀνδράσι, καὶ ταῖς γυναιξὶ λέγεσθαι τὸν ἄξιον ἔπαινον, οὐ γὰρ ἦν εἰθισμένον πρότερον ἐγκωμιάζεσθαι γυναῖκα δημοσίᾳ, τελευτήσασαν.

v.625 *Carpenta vehebant*. Hæc similia canathris Spartanarum virginum; de quibus Dydimus: Αἱ μὲν ἐπὶ κανάθρων καμαρωτῶν τῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται. potuisset etiam hic scribere, ἐπὶ καμαρῶν; nam hujusmodi vehicula καμάρας legi dicta a Polluce lib.10.cap.12.

Erat

(a) *Respiciet &c.* Dictum est ad Addit. 180. Carmentalia vel per quinque dies peragi consuevisse, vel quinto die repeti. Repetebantur igitur ut odoratus est Noster non priori quidem Carmentæ, sed duabus ejus sororibus, quarum altera Prorsa, altera vero Postverta dicebatur. Caussam possumus expiscari ab Agellio XVI. 16. *Esse pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos, sursum pedibus elatis, non ut hominis natura est, sed ut arboris: nam pedes, cruraque, arboris appellat ramos; caput stirpem, atque caudicem. Quando igitur contra naturam forte conversi, in pedes bracchiis plerumque diducti retineri solent, ægrius tunc mulieres enituntur. Hujus periculi deprecandi gratia aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus, quarum una Postverta nominata est, Prorsa altera a recti, perversique partus, & potestate, & nomine.*

Erat enim κάναθρον currus ligneus tectus, veluti basterna, quam exponit Isidorus *tectam manualem*: at hæc rotarum adminiculum non habuit, & a servis sive pari burdonum portabatur; unde malunt docti legi in Isidoro, *tectam mannalem*. Utraque lectio tolerari valet.

v.626 *Evandri dicta parente reor*. Vult a Carmenta nomen inditum carpentis: quæ Dea si verè dicta a carmine, ut supra nos ad illud,

Ipsa mone, quæ nomen habes a carmine ductum.

qui in hoc veri umbra? Carpentis certe nomen est a carpendis & scindendis lignis, e quibus constabant: hinc fabros tignarios *carpentarios* prisci appellarunt, Hispani hodie *carpinteros*.

v.627 *Mox honor eripitur*. Extat hæc memoria apud Plutarchum in Quæstionibus Rom. Λέγεται γάρ τις λόγος ὡς ἐκωλύθησαν ὑπὸ τῆς βουλῆς αἱ γυναῖκες ὀχήμασι χρῆσθαι ζευκτοῖς, συνέθεντο ἀλλήλαις μὴ κυίσκεσθαι μηδὲ τίκτειν, ἀμυνόμεναι τοὺς ἄνδρας, ἄχρις οὗ μετέγνωσαν καὶ συνεχώρησαν αὐταῖς· γενομένων δὲ παίδων εὐτεκνήσασαι καὶ πολυτεκνήσασαι τὸ τῆς Καρμέντης ἱερὸν ἱδρύσαντο. Sed in hoc per id tempus Porrimæ & Postuertæ faciebant.

v.628 *Nulla prole*. Neque mascula, neque femina.

v.630 *Crescens onus*. Τὸ ἔμβρυον, quod & *offa*. Juvenalis Satyra II.

Quum tot abortivis fecundam Julia vulvam
Solveret, & patruo similes effunderet offas.

Domitianum carpit, qui Juliam, Titi fratris filiam, incestavit. Trita historia.

v.635 *Fas est inferre sacello*. Observato & id in aliis factitatum. Varro lib.6. de L.L. *Scortari est, sæpius meretriculam ducere, quæ dicta a pelle: id enim non solum antiqui dicebant scortum, sed etiam nunc dicimus scortea ea, quæ ex corio & pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris, ac sacellis scriptum habemus, Ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adsit*. Ex hac superstitione summæ curæ fuit veteribus, ne Flaminicæ ὑποδήματα sive σανδάλια ex morticino corio gestarent. Festus: *Mortuæ pecudis corio calceos, aut soleas fieri Flaminicis, nefas habetur; sed aut occisæ alioqui, aut immolatæ, quoniam sua morte extincta omnia funesta sunt*. & Servius: *Sane Flaminicæ non licebat neque calceos, neque soleas morticinas habere*. Didicisti quid *morticinum*. Græcis est κενέβρειον, sive θνησιμαῖον, scorteum vero σκύτινον, δερμάτινον: ex eo fecere Latini *scortiscum* & *scordiscum*; quod Glossis *ephippium*, quia illud e pellibus. *(a)*

v.639 *Porrima placatur*. Nemini, si memini, sic dicta: nam aliis *Prosa*, quibusdam *Prorsa*, sive *Anteverta*: alteram Postvertam appellatam omnes consentiunt. Vetus inscriptio: DEO MERCURIO ET POSTVERTÆ C. ANTIUS TITI FILIUS EX VOTO.

v.641 *Altera, quod porro fuerat*. Porrima scilicet: ideo sic dicta, quia caneret omne præteritum, Postverta vero futurum. Macobrius: *Has enim ideo veteres coluere, quod ea omnia intelligi oportere existimarent, quæ præterita & futura essent; qua ex re comites divinitatis eas appellaverunt*. Subsistat hoc: nunc ad quid harum Dearum cultus ob matronarum abortus, si tantum vatidicæ? quare, neque nostri, neque Macrobii etymon perplacet; & melius, meo judicio, Varro apud Gellium: *Quando igitur contra naturam forte conversi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri solent, ægriusque tunc mulieres enituntur; hujus periculi deprecandi caussa aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una Postverta nominata est, Prorsa altera, a recti perversique partus potestate & nomine.* Hoc approbo, & sequor. *(b)*

v.643 *Posuit lux proxima templo*. XVII. Kalendas Februarias templum Concordiæ dedicatum. v.644 *Qua*

(a) *Fas est inferre &c.* Non videtur prætereundum quod ex eodem Varronis loco intelligimus, Attellanis rusticos dicere solitos, *se adduxisse pro scorto pelliculam*. Fuit aliquis scortearum vestium usus in ingenuis apud Romanos, qui ad depellendam pluviam scorteis penulis tegebantur. Mart. 14. 130.

Ingrediare viam Cœlo licet usque sereno;
Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

(b) *Altera, quod &c.* Juratus ajo ob eamdem rationem, quæ affertur a Nostro, duriusculam horum nominum Notationem in ipso Ovidio mihi visam fuisse, etiam multo ante quam eruditissimum Carolum consuluissem: ita enim ipse mecum reputabam: quid harum mulierum vaticinia, ac rerum futurarum solertia cum iis, quæ de matrum fetura non ita multo ante dicta sunt. Mirum quantum cum his deprompta ex Varrone explanatio cohæret!

v. 644 *Qua fert sublimes*. Ostendit situm, inter forum scilicet, & Capitolium regione 8. prope ædem Junonis Monetæ; de qua nos fuse ad 6. Dixit *sublimes*; quia ad hanc a templo Concordiæ centum gradibus conscendebatur. (*a*)

v. 646 *Sacratæ manus*. Has puto Pontificum, nisi animi fallor. De more vide nos supra.

v. 646 *Constituere manus*. Proba omnino lectio; falso in aliis *restituere*, quo sensu, si primum ædem Concordiæ struxit hic M. Furius Camillus? apage Bersmanne, & quicumque sine pudore sic legis.

v. 647 *Furius antiqui*. Aliquot inest *antiquus*: forte ad discrimen cujusdam Furii junioris, seu verius filii, qui dictus Sp. Furius Camillus, & eo sedato tumultu primus Prætor Romæ creatus. Meus priscæ editionis codex habet *antiquum*: hoc est, olim victor Hetrusci populi, rectissime. Penitus reprobo exemplaria, in quibus *antiquam*, fidei epithetum: nam a voto ad initium primi lapidis positi ad structuram dies interfuere, non anni, ut edisces.

v. 648 *Voverat*. Voti caussam postea subdam; votum nunc certius volo habeas e Plutarcho in Camillo: Τὺς δὲ βυλευτὰς, inquit, ἀναλαβὼν ἐβάδιζεν ἐπὶ τὴν σύγκλητον. καὶ πρὶν εἰσελθεῖν, μεταστραφεὶς εἰς τὸ Καπιτώλιον, εὔξατο τοῖς θεοῖς κατευθῦναι τὰ παρόντα πρὸς τὸ κάλλιστον τέλος· ὑποσχόμενος ναὸν Ὁμονοίας καταστήσειν τῆς ταραχῆς καταστάσης. & post pauca addit idem Scriptor: Τῇ δ' ὑστεραίᾳ συνελθόντες, ἐψηφίσαντο τῆς μὲν Ὁμονοίας ἱερὸν, ὥσπερ ηὔξατο ὁ Κάμιλλος, εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἄποπτον, ἐπὶ τοῖς γεγενημένοις ἱδρύσασθαι. Nec potuit differri dedicatio ad Tiberii ævum, ut male suadet Fanensis vere fungus: nam Furius ædem vovit anno CCCLXXXVI. Tiberius suam Concordiæ consecravit anno DCCLXIV. intersunt anni CCCLXXVIII.

v. 649 *Sumtis secesserat armis Vulgus*. Petebat enim, ut non jam duo Consules patritii, sed alter nobilis, alter e plebe crearetur. Summa fuit hac de re dissensio; sed obtinuit vulgus. Livius lib. 6. *Prope ad secessionem plebis res, terribilesque alias minas civilium certaminum venit: quum tamen per Dictatorem conditionibus sedatæ discordiæ sunt, concessumque a nobilitate plebi de Consule plebeio, a plebe nobilitati de Prætore uno, qui jus in urbe diceret*. Factus igitur e plebe Consul L. Sextius, datus ei e Patritiis collega L. Æmilius Mamercus. contigit id anno CCCLXXXVII. de quo idem lib. 7. *Annus hic erit insignis novi hominis Consulatu, insignis novis duobus Magistratibus, Prætura & curuli Ædilitate: hos sibi Patritii quæsivere honores pro concesso plebi altero Consulatu. Plebes Consulatum L. Sextio, cujus lege partus erat, dedit: Patres Præturam Sp. Furio M. filio Camillo, Ædilitatem Cn. Quintio Capitolino, & P. Cornelio Scipioni suarum gentium viris gratia campestri dederunt. L. Sextio collega ex Patribus datus L. Æmilius Mamercus*. In Livio nulla mentio templi; sed, ob redactos in concordiam ordines, ludos inquit ma-

(a) *Qua fert &c.* Afferre libet, quæ Noster de Monetæ templo in librum sextum se conjecisse monet: ad numerum 58. hæc habet. *Hujus* (nempe Camilli: ita enim Ovidius:

Arce quoque ex summa Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta Camille tuo)

ne verbum quidem in *Plutarcho, sed tantum de diruta Manlii domo, quasi hanc ob caussam in ejusdem area a Senatu Monetæ ædem collocatam*: ad numerum vero 5.) Livius lib. 7. *Inter ipsam dimicationem ædem Junoni Monetæ vovit, cujus damnatus voti, quum victor Romam revertisset, Dictatura se abdicavit. Senatus Duumviros, ad eamdem ædem pro amplitudine P. R. faciendam, creari jussit. Locus in arce destinatus, quæ area ædium M. Manlii Capitolini fuerat*. Hæc in sexto Neapolis. Ad nos quod attinet pauca quædam additamenti loco subiiciemus. Ingenti terræmotu Civitate perterrita non ita multo ante captam Urbem a Gallis, vocem a Junonis templo, quod erat in arce, auditam fuisse ferunt, ut de sue plena fieret procuratio: *quocirca* addit, Tullius de Divin. 1. 4. 5. Junonem illam appellatam Monetam. Aliam cognominis hujus caussam a Suida accipimus: Indigentes pecunia Romanos, bellum quum gererent contra Pyrrhum, & Tarentinos, orantesque Junonem, monitos fuisse nunquam pecuniam defuturam, dummodo ne injuste arma caperent. Accepto igitur impletoque omine Monetam Junonem veneratos fuisse. Addit numisma seu monetam in ejus Templo asservari consuevisse. Junonem Monetam Carisiæ gentis Nummo feminino capite, crinibus circumplexis, ac monili collum impediente repræsentari narrat Struv. Ant. Rom. c. 1.

magnos decretos, feriisque Latinis diem unum ad triduum additum: quod non siluit Plutarchus in Camillo.

v. 650 *Roma timebat opes*. Forte adludit ad leges, quas Tribuni Pleb. tunc promulgarunt adversus bona Patritiorum pro vulgi commodis: tres fuere; & hæc una de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset triennio æquis portionibus persolveretur: altera de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera agri possideret: tertia, ne Tribunorum militum Comitia fierent, Consulumque utique alter e plebe crearetur. hanc lucem quoque Livio debemus.

v. 651 *Caussa recens melior*. Mentio nunc fit de novo templo Concordiæ; ni melius de veteri aliquo refecto, quod dedicavit Tiberius, non ob populi dissensionem, sed ob devictum Illyricum, & auctas Romanas opes.

v. 651 *Sparsos Germania crines Corrigit*. Id est, tu in caussa (subvereor ut fallar) ne eæ gentes vires propagarent: nam, perdomito toto Illyrico, quod patet inter Italiam & regnum Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & sinum maris Adriatici, Germanos jungi Pannoniis non sivisti, qui animos sumserant ob mortem Quintilii Vari, & ejusdem deletas tres legiones. *Quas ob res*, inquit Svetonius, *triumphus ei decretus est, multique & magni honores. Censuerunt etiam quidam ut Pannonicus, alii ut Invictus, nonnulli ut Pius cognominaretur; sed de cognomine intercessit Augustus, eo contentum repromittens, quod se defuncto suscepturus esset*. Triumphus tamen ille non statim, sed biennio præterito celebratus: ea enim tempestate urbs tota clade Variana affligebatur. *(a)*

v. 653 *Libasti munera gentis*. Ex Historicis, qui ajunt, prandium mille mensis, & congiarium trecenos nummos viritim dedisse ex manubiis hosticis.

v. 654 *Templaque fecisti*. Dio Cassius lib. 57. Τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει τό, τε Ὁμονόειον ὑπὸ τοῦ Τιβερίου καθιερώθη, καὶ αὐτῷ τό, τε ἐκείνου ὄνομα, καὶ τὸ τοῦ Δρούσου τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τεθνηκότος ἐπεγράφη. Μάρκου δὲ Αἰμιλίου μετὰ Στατιλίου Ταύρου ὑπατευσάντος. & Svetonius in eodem: *Dedicavit, & Concordiæ ædem, item Pollucis & Castoris, suo fratrisque nomine de manubiis*. Ex his nova opera id templum a Tiberio exstructum nondum elicio: nam licet inserat Historicus *de manubiis*, impensas quoque scio permultas in dedicatione ædium sacrarum necessarias fuisse, ut docet me lapis Spoletinus Inscriptionum antiq. pagina MLXXII. verum omne scrupulum tollit Cassius lib. 55. *Tiberius*, inquit, *Kalendis Januariis, quibus Consulatum inivit cum Cn. Pisone, in Octavii curiam (hæc enim erat extra pomerium) convocato senatu, fanum Concordiæ sibimetipsi reficiendum injunxit; ut suo id & Drusi nomine inscriberet*. id vero, ut vides, peregit Tiberius post annos XVII. illius victoriæ occasione.

v. 655 *Et rebus, & ara*. Partem refectionis Liviæ matri noster attribuit.

v. 656 *Toro digna reperta Jovis*. Eamdem pari adulatione sic prosequitur lib. II. Tristium Elegia prima ad Augustum:

Livia sic tecum sociales impleat annos:
Quæ, nisi te, nullo conjuge digna fuit.
Quæ nisi non esset, cælebs te vita deceret:
Nullaque, cui posses esse maritus erat.

v. 656 *Magni Jovis*. Antiquos Cæsares Deos & Joves appellatos, quis non audivit? ipsimet suas domos *divinas* dixere. Adi l. 3. *C. de privilegiis domus Augustæ, vel rei privatæ*.

v. 657 *Hæc ubi transierint*. XVI. Kalendas Februarias nostro est Solis transitus in Aquarium, Ptolemæo XVII. sed & Plinio etiam XVI. sic enim ille lib. 18. cap. 26. *Et quum Sol in Aquarium sentitur transire; quod ferè XVI. Kalend. Febr. evenit*. Cum hoc signo quan-

---

(a) *Sparsos &c. Corrigit*, cum multis ex scriptis legit Noster; alii *porrigit*. Ut vere dicam cogor a Nostri sententia discedere: quid enim sibi vult crines alicujus auspiciis corrigere? aut *colligere*, ut legunt alii: duriuscula ni fallor, dicendi ratio, atque adeo minus latina: Jamvero de captivis sermo quum sit, qui tondebantur, quid est quod eos capillos passos corrigere dicamus? *Porrigere itaque capillos* malumus, quod mire consentit cum Disticho Ovidiano Amor. lib. I. Eleg. 14.

Jam tibi captivos mittet Germania crines,
Culta triumphatæ munere Gentis eris.

quantum Zodiacus emergat, vide apud Hipparchum lib. 3. ad Arati & Eudoxi Phænomena.

v. 659 *Septimus hinc oriens.* x. Kalendas Lyra occidit occasu heliaco.

v. 661 *Sidere ab hoc, ignis.* IX. Kalendas clara stella in pectore Leonis occidit. accipe de occasu cosmico. Columella scribit die Januarii XXVII immergi.

v. 664 *Nec sementina est ulla reperta dies.* Qui poterat, si sementinæ feriæ sunt e conceptivis? hinc Varro: *Sementinæ feriæ dies is, qui a Pontificibus dictus*; clarius Macrobius primo Satur. *Et sunt stativæ universi populi communes certis & constitutis diebus ac mensibus, & in fastis statis observationibus annotatæ: in quibus præcipue servantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptivæ sunt, quæ quotannis a Magistratibus vel Sacerdotibus concipiuntur in dies, vel certos, vel etiam incertos: ut sunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia.* (a)

v. 667 *Sic tempore certo.* Semen ubi jactum, a quo inditum diei nomen. Repeto iterum locum Varronis: *Sementinæ feriæ, dies is, qui a Pontificibus dictus, appellatus a semente, quod sationis caussa suscepta.* Pompejus Festus: *Sementinæ feriæ fuerunt institutæ, quasi ex iis fruges grandescere possint.*

v. 669 *State coronati.* Putavi olim pro vincire hic *coronare* intelligendum; quasi, State vincti ad præsepe: moris eram inscius, ex quo boves feriis serto fuso per cornua labore vacabant. Tibullus lib.2.Elegia prima:

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis, nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boves capite.

Membranæ quædam habent, *vertice stare boves.* Utrumque admitti potest; sed primum magis redolet mollem suum vatem. Observa, sodes, obiter nostri Ovidii carmen ab hoc ultimo Tibulli haustum.

v. 670 *Vere redibit opus.* Maro rei rurestris peritissimus primo Georgicon:

Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.

Uni & alteri vati lux erit a Columella lib. 11. cap. 11. de Re rustica.

v. 671 *Palo suspendit aratrum.* Palus hic idem quod σάλος.

v. 671 *Suspendit aratrum.* Hoc, & instrumenta alia, si operi rustico jam usui esse non poterant, in triviis collocabantur. Ratio apud Scholiasten A. Persii ad illud Satyræ v. *pertusa compita.* in his: *Fracta juga ab agricolis ponuntur, velut ab emeritis; quod est elaborati operis indicium, sive quod omne instrumentum existimant sacrum.*

v. 673 *Villice da requiem terris.* Apte præcipit villico, sinat otiari familiam post jactam sementem: nam id villici erat munus, qui cuncto operi rustico præerat; unde *villicari*, villæ præesse, dixerunt veteres. Pomponius apud Nonium Marcellum: *Nam longe ab urbe villicarier, quo herus rarenter venit, non villicarier, sed dominari mea sententia est.* Turpillius in eodem: *Hic villicor ante urbem, nunc rus eo.* Comperi etiam *villicum* pro quolibet custode, seu præfecto a Poetis receptum. In Priapeis lego:

Villicus ærari; quondam, nunc cultor agelli.

Apud Juvenalem Satyra 4. Pegasus præfectus urbi & *villicus* dicitur.

v. 673 *Semente peracta.* Sparso frumento sequebatur ultima aratio, post hanc longa quies terris. In ea aratione boves *lirare* dicebantur, ut in aliis, *proscindere & offringere* terram. Servius: *Quum primo agri arantur, quando duri sunt, proscindi dicuntur; quum iterantur, offringi; quum tertiantur, lirari.* Varro libro primo de Re rustica: *Terram quum primum arant, proscindere appellant; quum iterum, offringere dicunt, quod prima aratione glebæ grandes solent excitari: quum iteratur, offringere vocant; tertio, quum arant* jacto

(a) *Nec sementina &c.* Conceptivis, & stativis adde imperativas, quas aut Consul, aut Prætor, aut Pontifex M. siquid ominosum eveniret, pro re nata imperabat, quales fuere Novemdiales, quæ indici maxime, ac celebrari consueverant, quum prodigium aliquod accidisset, vel quum defunctis, (quæ privatæ erant alicujus Familiæ,) parentaretur.

jacto semine, boves lirare dicuntur: id est, quum tabellis additis ad vomerem, simul & satum frumentum operiunt in porcis, & sulcant fossas, quo aqua pluvia delabatur. Porca terra est elata inter duos sulcos; unde *Imporcitor* ex Diis unus, qui præerat arationi.

v. 675 *Pagus agat festum*. An ob sementinas ferias? an novi festi hic mentio, cui nomen fuit Paganalia? certe addubito, sed magis ad Paganalia inclino; quæ post sementinas ferias statim puto concipi solita. *(a)*

v. 675 *Pagum lustrate coloni*. Accensis suspicor stipulæ acervis, ut in Parilibus.

v. 676 *Annua liba focis*. Quivis pagus suum foculum habebat, ex instituto Servii Tullii. Dionysius Halicar. lib. 4. Ἵνα δὲ καὶ τούτων πλῆθος μὴ δυστεύρετον ἀλλ' εὐλόγιστον ᾖ καὶ φανερὰ, βωμοὺς ἐκέλευσεν αὐτοῖς ἱδρύσασθαι θεῶν ἐπισκόπων τε καὶ φυλάκων τοῦ πάγου, οὓς ἐπέταξε θυσίαις κοιναῖς γεραίρειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἅμα συνερχομένους, ἑορτὴν τινα, καὶ ταύτην ἐν ταῖς πάνυ τιμίαν, κατασκευασάμενος, τὰ καλούμενα Παγανάλια.

v. 677 *Frugum matres, Tellusque, Ceresque*. Ut mos erat in prædicto sationis festo. Varro enim inquit de R. R. *Sementinis feriis in ædem Telluris veneram, rogatus ab æditimo*.

v. 677 *Ceresque*. Hanc *Empandam* in Paganalibus sacris dictam, didicimus ab antiquis.

v. 681 *Consortes operum*. Glossæ, *consortes*, κοινόβιοι, σύγκληροι.

v. 687 *Ventis aperite serenis*. Non verius in meo, *aperite secundis*.

v. 693 *Scabræ rubiginis*. *Scabrum* est quodcunque asperum. *Scabra saxa*, dixere Latini impolita. Barbatum, & impexum hominem vocat etiam *scabrum* Flaccus in Epistolis; e quibus VII. libri primi.

v. 694 *Palleat ulla seges*. Legitur & in vulgatis, *palleat ægra seges*.

v. 697 *Oculos vitiantibus*. Plautus in Milite glorioso Actu 2. Scena 3.

> SC. *Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico.*
> PA. *Quid jam?* SC. *Quia luscitiosus.*

v. 698 *Surgat avena solo*. Dixit *sterilem*, quemadmodum Vates,

> *Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ*,

Ut discernant a sativa: Græci *sterilem* dicunt αἰγίλωπα & σιτάπιλον. Lolium quoque, ut vides, numeratur inter frumenti vitia; iisdem ἡ αἶρα.

v. 699 *Passuraque farra bis ignem*. Nam primo far veteres torrebant; deinde sub mola in farinam redactum, pane jam facto, coquebatur iterum in furnis: sic *bis tostum* alibi Naso meus appellat. *(b)*

v. 705 *Versique in pila ligones*. Pilum fuit Romanorum antiquum, & vetus armamentum: de quo vide, quæ ad Polybium notavit V. Cl. Justus Lipsius lib. 3 Militiæ Dial. 4. Sed scio fassum Josephum Scaligerum sub vitæ metam, post illa accurate perpensa, in

---

(a) *Pagus agat &c.* De paganalibus hunc locum intelligi oportere arbitramur. De his consule Dionysium IV. p. 220. Invenio Varronem discrimen fecisse inter Paganalia, & Paganica, quod Paganalia privatæ feriæ essent alicujus Pagi, Paganica vero omnium: Varroni quidem fidem non infirmamus, sed nihil tale tamen (quod sciamus) Ovidius, aliique retulere. Burranica potione in Paganalibus utebantur, quæ rufi coloris quod esset, quem burrum dicebant, lacte cum Sapa permixto, burranica appellabatur. Ovid. Fast. 4. v. 778.

> *Dum licet, apposita veluti cratere camella*
> *Lac nitidum potes, purpureamque sapam.*

(b) *Passuraque &c.* Far non nisi tostum ad rem divinam purum censebatur ex Numæ instituto. Plin. lib. 18. 2. *Numa instituit Deos fruge colere, & mola salsa supplicare, atque (ut auctor est Hemina) far torrere, quoniam tostum cito salubrius esset. Id uno modo consequutum, statuendo, non esse purum ad rem divinam, nisi tostum*. Festus, *Ador*, ait, *Farris genus, edor quondam appellatum ab edendo, vel quod aduratur, ut fiat tostum; unde in Sacrificio mola salsa efficitur*: Hinc Ausonius in Monosyllabis.

> *Mox ador, atque adoris de polline Pontificum Far*. Legunt alii *pultificum*.

v. 440 *Helespontiaco Deo*. A patria hoc epithetum; Ὀ' ρειάτης (sic illum vocat Euphronius, Priapejorum scriptor, in Strabone libro 8.) & alia, a locis ubi cultus:

v. 447 *Ut proxima quaque*. E veteri legas, *ut proxima quæque est*: clarius.

v. 448 *Nunc datis ore notas*. Quis non meminit, in augurali disciplina aves fuisse oscines, & præpetes? quæ sic dictæ, quia ore, & penna auspicium facerent.

v. 452 *Alba columba focis*. Ad aras Veneris hæc jugulata. Propertius lib. 4. Elegia 5.

Nunc cape torquatæ, Venus o Regina, columbæ
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.

v. 453 *Nec defensa juvant Capitolia*. Scitum istud, quo auxilio tunc urbs a Gallis liberata: in illius rei memoriam de suo ævo, inquit Plutarchus in libello περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης: Πομπεύει δὲ μέχρι νῦν ἐπὶ μνήμῃ τῶν τότε συμπτωμάτων ἡ τύχη, κύων μὲν ἀνεσταυρωμένος, χὴν δὲ μάλα σεμνῶς ἐπὶ στρωμνῆς πολυτελοῦς καὶ φορείου καθήμενος. Tamen ejusdem exta data Isidi in sacris: legendum itaque in pentametro, *Inachi lauta*, ut in veteri quodam; in nostro etiam infimæ vetustatis est, *Inachi vacca*. Ex his uter melius, ambigo; adeo uterque bene.

v. 456 *Provocet ore diem*. Diis igitur id animal gratum erat in focis; quod aliqua ex caussa odissent.

v. 457 *Interea Delphin*. Ipsa luce Agonali, hoc est v. Idus oritur Delphin ἀκρονυχος. id Cæsari apud Plinium est pridie Nonas, lib. 18. cap. 26.

v. 460 *Medio discrimine signat*. Parum certo oculo hoc discerno, & ambigo de vero: nam noster quarto Idus Januarias mediam hiemis partem hic facit: at sic Columella de Re rustica lib. XI. *Tertio Nonas Januarii Cancer occidit, tempestas varia; pridie Nonas Januarii media hiems, Auster multus, interdum pluvia*; idem censet tabula illa edita sub nomine Ptolemæi.

v. 462 *Proxima prospiciet*. III. Idus celebrabantur publice Carmentalia (feriæ erant stativæ) sed in qua Urbis parte? ego opinor sub Capitolio apud Carmentalem portam; ibi Carmentæ ara fuit antiquitus constituta. Observabis ex Dionysio Halicarnassensi lib. primo Antiq. Καὶ γὰρ Εὐάνδρῳ θυσίας ἔμαθον ὑπὸ Ῥωμαίων ἐπιτελουμένας ὅσα ἔτη δημοσίᾳ, καὶ Καρμέντῃ, καθάπερ τοῖς λοιποῖς ἥρωσι καὶ δαίμοσι· καὶ βωμοὺς ἐθεασάμην ἱδρυμένους, Καρμέντῃ μὲν, ὑπὸ τῷ καλουμένῳ Καπιτωλίῳ παρὰ ταῖς Καρμεντίσι πύλαις. In Kalendario Constantini notatur hoc festum, *dies Carmentariorum*. (a)

v. 464 *Æde recepit*. Ad aquam Virginem: consentiunt Urbis antiqui topographi, Victor, & Rufus; & Frontinus de aquæductibus Romanis de hac eadem capiendus in his: *Ædicula fonti apposita hanc Virginem pictura ostendit*. Ista ea fortassis est, a qua nomen aquæ inditum. (b)

v. 466 *Unde petam caussas horum*. Nunc festi Carmentalis initia inquirit. Unum vero silere non possum: mallem, indignanti omni codice, versiculos superiores de Juturnæ ædicula ante illos intrudere, *Proxima prospiciet*; tu perpendas.

v. 468 *A carmine ductum*. Haud dubie a nostris patribus Carmenta a carmine dicta. Plutarchus ἐν Αἰτίοις: Τὴν δὲ Καρμένταν οἱ μὲν Εὐάνδρου μητέρα λέγουσιν οὖσαν ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν, ὀνομαζομένην Θέμιν, ὡς δ' ἔνιοι, Νικοστράτην, ἐμμέτρους δὲ χρησμοὺς ᾄδουσαν, ὑπὸ τῶν Λατίνων Καρμένταν ὀνομάζεσθαι. τὰ γὰρ ἔπη κάρμινα καλοῦσιν. idem invenies in his Dionysii libro I. Antiq. Οἱ δὲ τὰ Ῥωμαϊκὰ συγγράψαντες ἀρχαιολογίας, τῇ πατρίῳ γλώσσῃ Καρμένταν ὀνομάζουσιν. εἴη δ' ἂν Ἑλλάδι φωνῇ Θεσπιῳδὸς τῇ νύμφῃ τοὔνομα· τὰς μὲν γὰρ ᾠδὰς καλοῦσι Ῥω-

(a) *Proxima &c.* III. Idus Januarius non modo, verum etiam in Kalendario Constantini tempore confecto. Ergo vel per quinque dies celebrantur, vel quinto die repetebantur Carmenta agnome ut aliqui censent est a carminibus derivatum quod versibus oracula promeret, verum enim ei nomen fuit Nicostratæ. Themin Græci vocavere Dionysio teste. Ejus Templum fuit in Reg. Urb. VIII.

(b) *Æde recepit &c.* Non una affertur a Philologis caussa, quamobrem Virgo aqua hæc fuerit appellata, sed quod bona eorum pace dixerim, ex omnibus una placet Paeto Auctore, quam affert Frontinus. Quærentibus enim aquam militibus Virguncula plures venas demonstravit quas sequuti urbem aquæ fontem invenerunt. Virgo nomen aquæ fecit, eique ædicula ac statua erecta fuit. Hanc aquam Agrippa in Urbem induxit anno quarto post Consulatum tertium ab V. C. 735. C. Sentio, & Sp. Lucretio Coss.

Ῥωμαῖοι χαίρωμεν. Nec aliud sibi vult numisma illud, quod Carmentam revelat in hunc modum: caput habet muliebre vegeta forma; comam inceptam, a fronte, & a facie rejectam, premit corona ex fabarum foliis, atque folliculis apte contexta, cincinnis sub eadem per collum defluentibus, citharam appositam respicit, ut vatem dicas. Nummus cusus fuit Q. Fabio Maximo, ut ex inscripto nomine perspicio: nec fortuito huic mater Evandri a dorso denarii incisa; nam a Carmenta illustrem Fabiorum familiam & sunt qui deducant.

v. 470 *Orta prior Luna*. Sic illa commenta est. Clemens Alexandrinus in admonitione ad Gentes: Ἀρκάδας οἱ προσελήνους ἀναγράφοντες ποιηταί, εἶτα μὴν αὖ τοὺς Αἰγυπτίους οἱ καὶ πρώτην ταύτην ἀναφῆναι τὴν γῆν θεούς τε καὶ ἀνθρώπους ὀνειρώσσοντες. ἀλλ' οὐ πρό γε τοῦ κόσμου τούτου οὐδὲ εἷς· πρὸ δὲ τῆς τοῦ κόσμου καταβολῆς ἡμεῖς, οἱ τῷ δεῖν ἔσεσθαι ἐν αὐτῷ πρότερον γεγεννημένοι τῷ θεῷ. Minor fuit insania Atheniensium, qui se αὐτόχθονας credidere: hi vero, ut in hujus rei indicium, cicadas aureas in capillorum cincinnis gestabant, teste Apostolio in Proverbio τεττίγων ἀνάμεστα, Centuria XVIII. Arcadibus lunulæ in calceis usui fuere, Romanis postea ad hanc nobilitatem respicientibus. Vide dedicationem de statua Regillæ conjugis Herodis iis versiculis, ubi sermo de Ænea e bello Trajano fugiente.

v. 470 *De se, si creditur illi*. Meus liber reponi suadet, *de se, si creditur illi*: vetus alius, *ipsi*.

v. 474 *Æthereos ignes*. Ignis æthereus, ἡ μανία, ὁ ἐνθουσιασμός: qui eisdem est φοῖβος Hesychius: Φοιβᾶται, ἔνθεν ποιῆσαι.

v. 478 *Nimium vera cum matre*. Pari significatione dixit in Epistolis:

Ah nimium miseræ vates mihi vera fuisti!

v. 484 *Sed numinis iram*. Absit hæc in Deum contumelia.

v. 485 *Crimen abesse malis*. Ita est; magnum, pati sine culpa. Bene nunc, Ovidii, locutus, sed alibi ἀσόφως, & vulgi sensu: tu idem es, qui ais:

Atque ego peccati vellem modo conscius essem:
Æquo animo pœnam, qui meruere, ferunt.

nec semel sed etiam epist. 5. Eroid.

Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est.
Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.

Hæc parum Philosophiam redolent; aliter Tullius in Epistolis lib. 6. ad Torquatum: *Nec enim dum ero angar ulla re, quum omni vacem culpa*; & lib. 12. ad Cornificium: *Ego certe publice non deero: & quidquid acciderit, a quo mea culpa absit, animo forti feram*; scribit & Thoranio: *Tamen ita viximus, & id ætatis jam sumus, ut omnia quæ non nostra culpa accidunt, debeamus fortiter ferre*. Hæc fere communis sapientis vox.

v. 486 *Ita concipit intra*. Pura puta veritas.

v. 488 *Nec tamen, ut primus*. Solatur ultimo natum ab exemplis: nam alieni casus reputatio mœstum animum allevat. Ideo Timocles Comicus (ut hoc obiter moneam) ἐν Διονυσιαζούσαις, hominum vitæ perutilem esse tragœdiam ajebat: quia miser, ut audit miseriorem se aliquem extitisse, ferre videtur suam miseriam leviuscule. Vide omnino aurei carminis fragmentum apud Athenæum, sub limen lib. 6. incipit:

Ὦ τᾶν, ἄκουσον ἤν τι σοι μέλλω λέγειν,

v. 490 *Passus idem, Tyriis*. Orditur a Cadmo: qui raptam sororem Europam ab Agenore patre quærere coactus, prohibito ei reditu in Phœniciam, ni una cum sorore rediret. Ipse eleganter III. Metamorphosi:

Quum pater ignarum raptam perquirere Cadmo
Imperat, & pœnam, si non invenerit, addit
Exsilium; facto pius, & sceleratus eodem.

Hanc raptam a Jove fabulantur Mythici; sed vere piratæ aliquot Cretenses fuere. Herodotus lib. primo: Μετὰ δὲ ταῦτα, Ἑλλήνων τινάς (οὐ γὰρ ἔχουσι τοὔνομα ἀπηγήσασθαι) φασὶ τῆς Φοινίκης ἐς Τύρον προσσχόντας, ἁρπάσαι τοῦ βασιλῆος τὴν θυγατέρα Εὐρώπην. εἴησαν δ' ἂν οὗτοι Κρῆτες.

v. 491 *In Aonia constitit exsul humo*. Nam desperata sororis salute, Bœotiam habitare decrevit: ea ab antiquis incolis Aonibus sic dicta. Strabo lib. 9. Ἡ δὲ νῦν Βοιωτία, πρότερον μὲν ὑπὸ βαρβάρων ᾤκεῖτο Ἀόνων καὶ Τεμμίκων ἐκ τοῦ Σουνίου πεπλανημένων, καὶ Λελέγων, καὶ Ὑάντων. Εἶτα Φοίνικες ἔσχον οἱ μετὰ Κάδμου, ὃς τήν τε Καδμείαν ἐτείχισε, καὶ τὴν ἀρχὴν τοῖς ἐκγόνοις ἀπέλιπεν: Stephanus fusius ista tradidit.

v. 492 *Idem*

v. 492 *Idem Pagaseus Jason.* Ille ob cædem Melanippi fratris fugit ad Argivos: Jason interfecto Pelia Corinthum abiit. Ciofanus probat lectionem sui veteris, in quo, *Begaseus Jason*, caussa non expressa: sed meo consilio insideas vulgatæ. Παγασαὶ, sive cum Plinio *Pagasa*, Thessaliæ oppidum: unde sinus Pagasicus, Græcis. Παγασιτικὸς, sive Παγασικος, ut habent MSS. Strabones.

v. 494 *Omne solum forti patria est.* Euripideum illud expressit:

Ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος.
Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.

Excelso vir animo contristari exsilio non debet. Et unde initia & principia cujusque gentis, nisi ex totidem exsulibus? Vide Senecam hac de re large differentem in Consolatione ad Helviam.

v. 499 *Italiamque tenet.* Quo anno ji in Italiam venere, disce ex Dionysio Halicarnassensi lib. primo Antiq. Μετὰ δὲ οὐ πολλῷ χρόνον στόλος ἄλλος Ἑλληνικὸς εἰς ταύτα τὰ χωρία τῆς Ἰταλίας κατάγεται, ἑξηκοστῷ μάλιστα ἔτει πρότερον τῶν Τρωικῶν, ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν, ἐκ Παλλαντίου πόλεως Ἀρκαδικῆς ἀναστάς. Origo Gentis Romanæ: *Regnante Fauno, ante annos circiter* LX. *quam Æneas in Italiam deferretur, Evander Arcas, Mercurii, & Carmentis Nymphæ filius, cum matre eodem venit.* Tunc ad rudes Italos literæ translatæ. Nescio an auctor Evander filius, seu Nicostrata mater: antiqui versus:

Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas:
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.

Marcus Victorinus scribit, tantum cum Evandro ad nos translatas XVI. postea quasdam a Palamede & Simonide adjectas. Sed apud Euripidem Palamedes ipse totam scribendi rationem sibi attribuit. Verum hac de re adi Joannem Tzetzem Chiliade x. hist. CCCXXXII.

v. 502 *Vada juncta Terenti.* Hoc, locus in campo Martio. Adeundus tibi Festus. (*a*)

v. 503 *Per loca sola casas.* Sedes Aboriginum.

v. 507 *Pinea texta.* Hoc est, navim. Loquendi modus antiquus in XIV. Metamorphosi:

. . . *Fert ipse avidas in pinea Turnus*
Texta faces. . . . .

& forte haustus e Catullo; hic in nuptiis Pelei:

Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.

v. 510 *Dixit, salvete.* Et in adventu, & in discessu mos iste invaluit. Marcius apud Dionysium, ubi patriam deservit, Καὶ ὑμεῖς, inquit, ὦ θεοὶ κτήσιοι, καὶ ἑστία πατρῴα, καὶ δαίμονες οἱ κατέχοντες τοῦτον τὸν τόπον χαίρετε. Hos dixere nostri indigetes & topicos, seu locales. (*b*)

v. 511 *No-*

(a) *Vada juncta &c.* Ita Paullus, *Terentum locus in campo Martio dictus, quod eo loco ara Ditis patris in terra occultaretur.* Ad Festum quod pertinet, locus ejus omnino mutilus, ac depravatus est. In adnotationibus sic lego. *Vide Seculares, & Paschales.* Ausonius in Ternario.

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

Cetera, quæ de equis quadrigariis addun. tur, nihil ad locum, quem præ manibus habemus. Illud prætermittere non possumus, quod ab aliis Philologorum accepimus, Terentum fuisse prope Tiberim in campo Martio, ubi, Tiberis ad Sinisteriorem ripam se inflectens, eam atterit. Romuleum appellat Martialis Epigram. lib. 4. 1.

Hic colat ingenti redeuntia secula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.

(b) *Dixit, salvete &c.* Non advenientes modo, sed discedentes, ac redeuntes Deos salutabant. Ovid. lib. 1. Trist. Eleg. 3.

Dique relinquendi, quos Urbs habet alta Quirini,
Este salutati tempus in omne mihi.

Salutem Diis dicere solebant vulgari hoc verbo *salvete*, *salve*. Prop. Eleg. 9. lib. 4. v. 71.

Sancte Pater salve, cui jam favet aspera Juno,
Sancte velis libro dexter inesse meo

Discedentes salutabant. Plautus Mil. Glor. actu 4. sc. 1. v. 29. Ita Palæstrio ad Larem Familiarem

Etiam nunc saluto te, Familiaris, priusquam eo.

Redeuntes etiam *salve* solebant dicere. Seneca in Agamemn. act. 4. sce. 1. v. 1.

Tandem revertor sospes ad Patrios Lares,
O cara salve terra.

v. 511 *Novos cælo terra datura Deos*. Leucotheam, & Herculem; ni malis Romulum & duos primos Cæsares.

v. 514 *Este bonis avibus visi*. Fausto, & felici omine: unde, *mala ales*, pro infausta, antiquis. Horatius in Mævium, cui tempestatem, & naufragium imprecatur: (a)

Mala soluta navis exit alite,
Ferens olentem Mævium.

v. 516 *Fallor? an hi fient*. Prædicit dominæ Urbis imperium.

v. 520 *Tangent hæc littora pinus*. & Æneæ adventum post annos LX. Sed mirum quot hanc felicissimam Monarchiam præviderint. Extat vaticinium Cassandræ apud Lycophronem, extat & illud Homerici Neptuni Iliade γ. & alia.

v. 521 *Caussa novi femina Martis*. Lavinia hæc.

v. 522 *Funesta quid induis arma?* Prædicit & cædem Pallantis: sed Turnus occisor cadet, inquit, Æneæ dextra.

v. 524 *Eversaque Troja resurges*. Prædicit & victorias habitas a Romanis in universa Græcia. Adi Annales.

v. 530 *Quum vos, orbemque tuebitur idem*. Prædicit imperium, & Pontificatum maximum Julii Cæsaris.

v. 531 *Colente Deo*. Et hac vocula ἀποθέωσιν.

v. 532 *Et penes Augustos*. Non male etiam legeris, *Quum penes*, ut in meo.

v. 534 *Inde nepos, natusque Dei*. In eodem, *Inde satusque, neposque Dei*. Capito Octavianum, & Tiberium: de quo addit, *licet ipse recuset*. Notavit & id Dio lib. 57. sub initium, & Svetonius in eodem Principe.

v. 537 *Julia numen erit*. Hæret ad hæc Marsus: De Julia, inquit, Augusta non legimus aliquid sacri. O pepo! hæc secunda Cæsaris Augusti conjux, quæ prius dicta Livia Drusilla; postea mariti adoptione in Juliorum domum admissa, unde in posterum ei nomen fuit Juliæ Augustæ: hanc nepotem Claudium consecrasse, tradit Svetonius l. 5. c. 11. *Aviæ*, inquit, *Liviæ divinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernendum curavit*. Dio Cassius lib. 60. Τήν τε τήθην τὴν Λιουίαν οὐ μόνον ἵππων ἀγῶσιν ἐτίμησεν, ἀλλὰ καὶ ἀπηθανάτισεν, ἄγαλμά τε τι ἐν τῷ Αὐγουστείῳ ἱδρύσας, καὶ τὰς θυσίας ταῖς ἀειπαρθένοις ἱεροποιεῖν προστάξας, ταῖς τε γυναιξὶν ὅρκον τὸ ὄνομα αὐτῆς ποιεῖσθαι κελεύσας. Habuit etiam, præter has virgines Vestales, suam Flaminicam; quo refero vetustam hanc basim, quæ Aquini est:

DENTRIÆ L. F. POLLÆ
SACERDOTI DIVÆ
AUGUSTÆ
POST MORTEM
D. D.

Ex hoc passim in inscriptionibus antiquis litatum Juliæ videmus; ut in his Fragmentis Fratrum Arualium: DIVO AUGUSTO BOVEM MAREM, DIVÆ AUGUSTÆ VACCAM. Sed hi honores a Claudii ævo mortuæ Liviæ, ut vides, delati; vere illi statim post ejus obitum large a Senatu decreti: at fere omnes filius Tiberius per modestiam imminuit, addito, ne cælestis religio decerneretur. Adi Cornelium Tacitum sub initium Annalis v. Jam habemus aliquid sacri. Sed de hoc vaticinio, sodes, nostrum excuses ex certa præsumtione; sive verius, mireris domui Augustæ adulantem. Adscribit in Divas Juliam, antequam quid simile exul audisset, ante ipsiusmet obitum, ante decretum Senatus; ad quæ nec dies Nasonis pervenere: nam mortuus plusculos annos ante Juliam.

v. 541 *Cui locus ille fuit*. Alludit ad suum misellum.

Sta-

(a) *Este bonis &c.* De diversis auguriorum speciebus, quæ ex avibus capiebantur, deq; variis earum appellationibus diligenter præ ceteris consule viros eruditissimos Barnabam Brissonium *de Formul.* lib. 1. ac Samuelem Pitiscum in voce *Avis*.

v. 542 *Stabant nova tecta*. His, a veteri novi hospitis patria, Palantium nomen impositum. (*a*)

v. 544 *Ecce boves illuc*, Paullo post Arcades, quarta Græcorum classis in hanc Italiæ partem venit, duce Hercule. Halicarnassensis: Ὀλίγοις δ' ὕστερον ἔτεσι μετὰ τοὺς Ἀρκάδας, ἄλλος εἰς Ἰταλίαν ἀφικνεῖται στόλος Ἑλληνικός, ἄγοντος Ἡρακλέους, ὃς Ἰβηρίαν, καὶ τὰ μέχρι δυσμῶν ἡλίου χηροσάμενος ἦν. Ad verbum illustrant Nasonis distichon.

v. 544 *Erytheidas*. Statim explodes editiones, in quibus *Erythreidas*, ubi leges Strabonis verba lib. III. Ἐρύθειαν δὲ τὰ Γάδειρα ἔοικε λέγειν ὁ Φερεκύδης, ἐν ᾗ τὰ περὶ τὸν Γηρυόνην μυθεύουσιν. Ἄλλοι δὲ τὴν παραβεβλημένην ταύτῃ τῇ πόλει νῆσον, πορθμῷ σταδιαίῳ διειργομένην. Sed hoc parum obest: nam insulæ Gadibus adsitæ, sub uno Erytheæ nomine nuncupatæ. Tu ipse superius: Ἐοίκασι δ' οἱ παλαιοὶ καλεῖν τὸν Βαῖτιν, Ταρτησσόν· τὰ δὲ Γάδειρα, καὶ τὰς πρὸς αὐτὴν νήσους, Ἐρύθειαν.

v. 546 *Domus est Tegeæa*. Casa Carmentis. (*b*)

v. 548 *Tirynthius heros*. Meus infimæ vetustatis codex, *Tirynthius hospes*. Rectissime, supra dixerat, *applicat heros*; noluit hic iterum voculam repetere.

v. 551 *Cacus in antra ferox*. In multis est, *Cacus in antra boves*. Utrique bene. *Sed &*, Livius inquit lib. II. *Cacus ferox viribus*.

v. 552 *Aventinæ silvæ*. Ubi sedes, & ejus spelunca, Vere hanc Topographi statuunt in regione XIII.

v. 553 *Hospitibusque malum*. Alludit ad Græcum κακόν. Servius: *Servus Evandri* κακός, *& malus fuit: unde* κάκος *dictus, mutato accentu*.

v. 554 *Dira viro facies*. Tres apud me veteres, *Dura viro facies*. Ego quidem hic malim *dira*: licet *durus* sit idem ac ἰσχυρός, καὶ καρτερός: nam vires statim commendat.

v. 558 *Affixaque brachia pendent*. Vates lib. 8. optimi maximi operis: (*c*)

. . . . . . *Semperque recenti*
Cæde tepebat humus, foribusque affixa superbis
Ora virum tristi pendebant squallida tabo.

v. 568 *Quod simul eversum est*. Alii habent, *Quod simul evulsum est*. Virgilius in re simili *avulso* usus: unde sic malim in nostro legere, *Quod simul avulsum est*. Nec ambigo ita a germana manu olim scriptum.

v. 568 *Æthera terruit ipsum*. Ab eodem mutuatus hanc ὑπερβολήν.

v. 570 *Collata prælia dextra*. Titus Lucretius lib. 5. apte & ad rem;

Arma,

(a) *Stabant nova &c.* Arcades, qui ante res Trojanas annis sexaginta Palantium Patriam, sedem quærentes, Evandro duce, deseruerant, & ad hæc loca delati, atque a Fauno Aboriginum Rege, donata agri parte, humaniter habiti, haud procul a Tiberi sedem in Colle elegerant, castello, quod struxerant, nomen Palantio fecere. Vide Marlianum Topograph. Urb. Romæ lib. I. I, & Vossium de Idolol. I. 12.

(b) *Domus est &c.* Tegea Arcadiæ Urbs novem pagis constans, si qua Straboni fides. Tegeæam Domum pro domo Evandri Arcadis dixit, qui Herculem hospitio excepit, Tegeæum autem non Tegæum esse adjectivum confirmat Ruæus, quod græce hæc Urbs Τέγεα sit, unde non Tegæa sed Tegea, & adjectivum Tegeæus.

Adsis, o Tegeæe favens.

Virg. Georgic. I. v. 18. & Æneid. V. v. 298.

Hunc Salius, simul & Patron, quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadia, Tegeææ sangine Gentis.

(c) *Affixaque &c* Omnia mire consentiunt cum Poetica Virgilii descriptione, ac Historica Livii narratione. Verumtamen non invenio apud Livium Herculem ab Evandro Hospitio acceptum quo tempore prope Tiberim fluvium armentum egerat. Nomen enim Herculis Patremque eum ac Patriam Evander accepit, quum ut manifestæ reum cædis circumcursans Pastorum trepidantium turba ad Evandrum accusavit. Tunc enim habitum formamque Viri aliquanto ampliorem, augustioremque humana intuens rogitavit, qui vir esset &c. (Ita ex Livio.) At Ovidius hospitium habuisse apud Evandrum ante cæsum Cacum videtur significare.

Dumque huic Hospitium Domus est Tegeæa, vagantur
Incustoditæ lata per arva Boves.

Arma, inquit, *antiqua manus*, *ungues*, *dentesque fuerunt*,
Et lapides, *& item silvarum fragmina rami*.

v. 576 *Occupat Alcides*. Id valet, aggreditur. Curtius lib. 9. *Jussit quatuor admoveri canes*, *qui celeriter occupaverunt feram*.

v. 576 *Clava trinodis*. Sic describitur a Poetis hæc Herculea, non levis seu polita, sed rustica & inculta. Apollonius Rhodius Ἀργοναυτικῶν δ. *(a)*

. . . Ἀμφὶ δὲ δέρμα πελώριον ἕστο λέοντος
Ὠμόν, ἀδέψητον· στιβαρὸν δ' ἔχεν ὄζον ἐλαίης.

Nota obiter, ex oliva fabrefactam, seu melius oleastro, ut observat Pausanias in Corinthiacis lib. II. Καὶ Ἑρμῆς ἐνταῦθά ἐστι Πολύγιος καλούμενος. πρὸς τούτῳ τῷ ἀγάλματι τὸ ῥόπαλον θεῖναί φασιν Ἡρακλέα, καὶ (ἦν γὰρ κοτίνου) τοῦτο μὲν (ὅτῳ πιστά) ἐνέφυ τῇ γῇ, καὶ ἀνεβλάστησεν αὖθις. Meræ nugæ.

v. 578 *Cum sanguine flammas*. Prætuli quod in meo est: in quatuor Vaticanis, *cum sanguine fumos*; fortean rectius: sic enim de eodem Poeta libro 8.

Faucibus ingentem fumum, *mirabile dictu*,
Evomit. . . . .

v. 580 *Taurum tibi Jupiter unum*. Post boves inventos aram exstruit Jovi Inventori, & unum è juvencis mactat. In hac dubia historia non loquor cum imperitis; unum sequar scriptorem, & diligentissimum. Dionysius lib. primo: Ἁγνίσας δὲ τῷ ποταμῷ τὸν φόνον, ἱδρύεται πλησίον τοῦ τόπου Διὸς Εὑρεσίου βωμόν, ὅς ἐστι τῆς Ῥώμης παρὰ τῇ Τριδύμῳ πύλῃ· καὶ θύει τῷ θεῷ δάμαλιν ἕνα, τῆς εὑρέσεως τῶν βοῶν χαριστήριον.

v. 582 *Constituitque sibi*. Hanc dictam a Pontificibus Maximam, non ipse sibi constituit, in quo Naso falleris, sed Evander Herculi dicavit; ob ea quæ a matre Carmenta didicerat. Idem: Εὔανδρος δὲ παλαίτερον ἔτι τῆς Θέμιδος ἀκηκοὼς διεξιούσης, ὅτι πεπρωμένον εἴη τὸν ἐκ Διὸς καὶ Ἀλκμήνης γενόμενον Ἡρακλέα, διαμείψαντα τὴν θνητὴν φύσιν, ἀθάνατον γενέσθαι δι' ἀρετήν, ἐπειδὴ τάχιστα ὅστις ἦν ἐπύθετο, φθάσαι βουλόμενος ἅπαντας ἀνθρώπους, Ἡρακλέα θεῶν τιμαῖς πρῶτος ἱλασάμενος, βωμὸν αὐτοσχέδιον ὑπὸ σπουδῆς ἱδρύεται, καὶ δάμαλιν ἄζυγα θύει πρὸς αὐτῷ, τὸ θέσφατον ἀφηγησάμενος Ἡρακλεῖ, καὶ δεηθεὶς τῶν ἱερῶν κατάρξασθαι. ἀγασθεὶς δὲ τοὺς ἀνθρώπους τῆς φιλοξενίας Ἡρακλῆς, τὸν μὲν δῆμον ἑστιάσει ἀπεδέχετο, θύσας τῶν βοῶν τινας, καὶ τῆς ἄλλης λείας τὰς δεκάτας ἐξελών, paullo post: Ὁ δὲ βωμὸς ἐφ' ᾧ τὰς δεκάτας ἐπέθυσεν Ἡρακλῆς, καλεῖται μὲν ὑπὸ Ῥωμαίων Μέγιστος, ἔστι δὲ Βοαρίας λεγομένης ἀγορᾶς πλησίον, ἁγιστευόμενος εἴ τις ἄλλος ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων. Hac de re, mihi crede, noli quid amplius quærere. *(b)*

v. 588 *Idibus in magni*. Quotidibus Jovi factum supra monuimus, sed agna: nunc ediscas, ariete etiam solitum. *(c)*

v. 590 *Po-*

(a) *Clava trinodis &c.* Tertium genus armorum Hercnli aliqui tribuunt, nimirum sagittas, & arcum: Scytalo-sagitti-pelliger dicitur a Tertulliano de Pall. cap 4. Σκυτάλη græce, clava latine est: hinc scytale.

(b) *Constituitque &c.* Apertissime ex Livio, ceteros ut prætereamus, Nasonis errorem deprehendimus. Sed verba Evandri apud Livium audiamus: *Jove Nate Hercules salve*, inquit: *te mihi Mater veridica interpres Deum auctnrum cælestium numerum cecinit*; *tibique aram hic dicatum iri*, *quam Opulentissima olim in terris Gens maximam vocet*, *tuoque ritu colat*, idest Græco. Ad hunc tamen Livianum locum hæc affert vir Cl. Joannes Dujatius. *Hunc locum Turnebus sic interpretatur*, *ut Hercules*, *porrecta Evandro manu*, *divinitatis omen acceperit*; *seque fata*, *quæ Carmenta cecinerat*, *impleturum*, *aramque maximam dicaturum*, *ostenderit*. *Et sane dicavit*, *non sibi*, *opinor* (*quod absurdum Sigonio visum*, *quamvis ita velit cum Ovidio Solinus*) *sed* Jovi *inventori*, *cui juvencum ob receptas de Caco boves mactavit*. *Aram vero illam maximam vocarunt*: *& quoniam in ea Hercules decimas Jovi obtulerat*, *Romani Herculi postea ipsi facultatum suarum decimas ibi offerebant*.

(c) *Idibus in magni &c.* *Quotidibus* Jovi *factum supra monuimus*, *sed agna*: *nunc ediscas ariete etiam solitum*. Sic Noster: nihil equidem grave ausim dicere: Id unum dicam proprie in genere Caprino, caprum dici hircum castratum, vervecem autem, femimarem ovem in genere Ovillo. Naso autem de *ove femimari* verba facit. . . .

v. 590 *Populo provincia nostro*. Eadem luce, anno Urbis conditæ DCCXXVI. post orationem illam simulatam, habitam a Cæsare Octaviano de deponendo imperio, redditæ Senatui & populo omnes pacatæ provinciæ; quæ vero nondum sedatæ, a Cæsare retentæ: hæ vero populo concessæ, Africa, Numidia, Asia, & Græcia cum Epiro, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta, Africa Cyrenaica, Bithinia cum Ponto, finitima Sardinia, atque Hispania Bætica. Octavianus has habuit: quod reliquum erat Hispaniæ, ut Tarraconensem, Lusitaniam, totam Galliam, & Narbonensem, & Lugdunensem, & Aquitaniam, & Celticos, cum populis colonis, item Cœlesyriam, Phœnicem, Ciliciam, Cyprum, Ægyptum: ex quibus, paullo post, Cyprum, & Galliam Narbonensem pro Dalmatia populus recepit, eaque Octaviano iterum reddita; sed in has omnes imperium tantum decennale voluit: hoc finito, aliud, & aliud quinquennium decretum, inde rursus decennium, adeo ut toto ævo imperium tractaverit. Vix in mentem interpretum venit, hoc sibi velle Nasonem in hoc versiculo. (a)

v. 591 *Augusto nomine dictus avus*. Sed aliter Censorinus, qui rejicit in XVI. Kalendas Februarias; Orosius, qui in VIII. Idus Januarias: qui magis ad nostrum accedit, est priscus hic lapis. VII. IDUS JANUARIAS, QUA DIE PRIMUM IMPERIUM ORBIS TERRARUM AUSPICATUS EST, THURE, VINO SUPPLICENT. Tu hære cui voles, ego a Nasone non recedam. His ergo Idibus datum Octaviano Augusti cognomen: Romuli sibi imponere menti erat, ni suspectus affectati Regni fieret. Dio lib.53. Οὕτω δὴ καὶ τὸ τοῦ Αὐγούστου ὄνομα καὶ παρὰ τῆς βουλῆς καὶ παρὰ τοῦ δήμου ἐπέθετο. Βουληθέντων γὰρ σφῶν ἰδίως πως αὐτὸν προσειπεῖν, καὶ τῶν μὲν, τό, τῶν δὲ, τὸ καὶ ἐσηγουμένων καὶ αἱρουμένων· ὁ Καῖσαρ ἐπεθύμει μὲν ἰσχυρῶς Ῥωμύλος ὀνομασθῆναι, αἰσθόμενος δὲ ὅτι ὑποπτεύεται ἐκ τούτου τῆς βασιλείας ἐπιθυμεῖν, οὐκέτ' αὐτοῦ ἀντεποιήσατο, ἀλλὰ Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν, ἐπεκλήθη. Hinc postea omnes fere subsequuti Principes nomen illud usurparunt. Temere dixi *fere*: nam plerisque odio fuit. Quidam Germanici, quidam tantum Cæsares, quidam Antonini dicti: sed nemo æquavit Caligulam, qui, teste eodem Historico, ποτὲ δὲ τοῦ δήμου βοήσαντος, νεανίσκε Αὔγουστε, ὑβρισθῆναι ἐνόμιζε.

v. 592 *Perlege dispositas ceras*. Subindicat *clypeos*, seu *thoraces*, qui Græcis, δίσκοι καὶ ὅπλα. Τὸ vero *perlege* ostendit, in basi nomina, gestaque cujusque subscripta: & certe ita fuit. Valerius Maximus lib. 5. cap.8. *Videbat se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago posita erat; prudentissimoque viro succurrebat, effigies majorum cum titulis suis iccirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur*. Titulus est index, & ἔλεγχος rerum gestarum.

v. 592 *Annosa per atria*. Sequutus sum priscæ editionis codicem: & sane videtur iterare hanc scripturam noster, quum dicit, *veteres* has ceras in libellis nequitiarum. Libri aliquot habent, *generosa*; quidam, *cinerosa*, qui respiciunt ad culinas sitas in atriis.

v. 594 *Africa victorem de se vocat*. P. Scipionem Cornelium Africanum, ob victoriam de Syphace anno urbis conditæ DLII. Silius de eodem Punicorum lib.17.

Devictæ referens primus cognomina terræ.

v. 594 *Alter Isauras*. Non displicet editio, in qua *Isaurum*. Sequitur, *Aut Cretum*. Quovis modo legas, denotatur P. Servilius Isauricus, sic dictus a devictis Isauris, & Cilicibus, qui se cum prædonibus maritimis junxerant. Strabo, qui hominem novit, lib. 12. de ea gente: Παρέσχον δὲ καὶ Ῥωμαίοις πράγματα, καὶ τῷ Ἰσαυρικῷ προσαγορευθέντι Ποβλίῳ Σερβιλίῳ, ὃν ἡμεῖς εἴδομεν· ὃς καὶ ταῦτα ὑπέταξε Ῥωμαίοις, καὶ τὰ πολλὰ τῶν πειρατῶν ἐρύματα ἐξεῖλε, τὰ ἐπὶ τῇ θαλάττῃ.

v. 595 *Aut Cretum domitas*. Iste Q. Cæcilius Metellus Creticus. Eutropius de hoc: *Nec quidquam aliud de tam celebri victoria, quam Cretici cognomen reportavit*: Imo etiam

(a) *Populo &c.* Quæ differit, versiculum hunc interpretans Crispinus, optima quidem sunt, sed multo tamen ante eadem expiscatus est a reconditiore eruditione Carolus noster, atque adeo primus omnium, ut ipse de se testatur: *Vix in mentem interpretum venit, hoc sibi velle Nasonem in hoc versiculo*. Hæc, & alia permulta a Nostro Crispinum mutuatum fuisse, verbis paullo immutatis, singula conferens sæpe suspicatus sum, hic vero locus dubitationem mihi tollit pæne omnem. Nil temere affirmem; sed si vera conjectura est, cur optimi rerum optimarum investigatoris diligentiam silentio præterit? cur gratiam non habet?

etiam triumphavit, licet non adeo magna pompa: nam Duces captivos subduxerat Pompejus. (ornamentum erant victoriæ.) de quo juste ait questum Q. Metellum Paterculus lib. 3. Disce rem integram a Dione, & vide quos Duces subjugarat: Κρῆτες μὲν οὖν οὕτως, ἐλεύθεροι τὸν πάντα τὸν ἔμπροσθεν χρόνον γενόμενοι, καὶ δεσπότην ὀθνεῖον μηδένα κτησάμενοι, κατεδουλώθησαν. Μέτελλος δὲ τὴν μὲν ἐπίκλησιν ἀπ' αὐτῶν ἔλαβε· τὸν δὲ δὴ Πανάρη, τόν τε Λασθένη (καὶ γὰρ ἐκεῖνον εἷλεν) οὐκ ἠδυνήθη πέμψαι ἐν τοῖς ἐπινικίοις. ὁ γὰρ Πομπήιος, ἀναπείσας τῶν δημάρχων τινά, προαφείλετο αὐτούς, ὡς καὶ ἑαυτῷ κατὰ τὴν ὁμολογίαν, ἀλλ' οὐκ ἐκείνῳ, προσχωρήσαντας.

v. 601 *Hunc Numidæ faciunt*. Hic etiam ex familia Metellorum: patrem habuit L. Metellum Calvum Consulem anno DCXI. Marmora Capitolina: Q. CÆCILIUS L. F. Q. METELLUS AN. DCXLVI. NUMIDICUS PROCOS. DE NUMIDEIS ET REGE JUGURTA... Rosit longa ætas voculam *triumphavit*: nam Eutropius bis de eodem Rege triumphatum tradit lib. 4. semel ab hoc Q. Metello, & iterum a Cajo Mario. Salustius mentionem hujus triumphi non facit. Non ita Paterculus II. Historiæ: *Metelli tamen*, inquit, *triumphus fuit clarissimus, & meritum, virtutique cognomen Numidici inditum*.

v. 601 *Illum Messana superbum*. Ita, me Deus amet, ut multa habeo in meis rudibus curis ad hujus loci tuitionem; sed, ut ex tot Historicis subolui prochronismum, non feci ea publici juris: nam Claudius Caudex uno anno ante Consulatum M. Valerii Messalæ Mamertinis auxilio missus, urbem obsidione liberavit. Legant etiam studiosi, quæ notavit Scaliger ad Chronici Eusebiani numerum MDCCXLII.

v. 602 *Ille Numantina*. Numantia excisa & deleta anno DCXXII. a Scipione Æmiliano Africano, veteris Africani nepote, qui meruit etiam sic dici, ob victoriam de Pœnis & Asdrubale anno DCVII. Ab ea igitur urbe Numantinus etiam cognominatus. Appianus in Iberica: Δύο μὲν τὰς δυσμαχωτάτας πόλεις ἑλὼν στρατηγὸς ὅδε Ῥωμαίων, Καρχηδόνα μέν, αὐτῶν Ῥωμαίων ψηφισαμένων, διὰ μέγεθος πόλεώς τε καὶ ἀρχῆς, καὶ εὐκαιρίαν γῆς καὶ θαλάσσης· Νομαντίαν δέ, σμικράν τε καὶ ὀλιγάνθρωπον, οὔπω τι Ῥωμαίων περὶ αὐτῆς ἐγνωκότων, αὐτός, εἴτε συμφέρειν Ῥωμαίοις ἡγούμενος, εἴτε ἄκρος ὢν ὀργὴν καὶ φιλόνεικος ἐς τὰ λαμβανόμενα, εἴθ' ὥς τινες νομίζουσι, τὴν δόξαν ἡγούμενος διώνυμον ἐπὶ τοῖς μεγάλοις γίγνεσθαι κακοῖς. καλοῦσι γοῦν αὐτὸν οἱ Ῥωμαῖοι μέχρι νῦν, ἀπὸ τῶν συμφορῶν ἃς ἐπέθηκε ταῖς πόλεσιν, Ἀφρικανόν τε καὶ Νομαντῖνον. Sed in hujus alti viri honoribus hos titulos junctim datos non reperi, imo nec aliud legisse memini cognomen, præter illud ex Africa.

v. 603 *Et mortem, & nomen*. Id vero post mortem. Dio lib. 55. Καὶ ταῦτα πυρὶ δοθείς, ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνημεῖον κατετέθη· Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθείς, καὶ τιμὰς καὶ εἰκόνων καὶ ἁψίδων κενοταφίου τε πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών.

v. 604 *Me miserum, virtus*. Jure quereris: nam facit Paterculus adolescentem *tot tantarumque virtutum, quot, & quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit: cujus ingenium, utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est*.

v. 604 *Quam brevis*. Profecto brevis: periit in ἀκμῇ ipsa adolescentiæ; idem Vellejus: *Sed illum magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis locis perfuso sanguine, fatorum iniquitas Consulem, agentem annum tricesimum rapuit*: non quidem in prælio, sed in morbo.

v. 607 *Aut torquis ademti*. Denotat Manlium Torquatum, Valerium Corvinum, & sequenti disticho Pompejum Magnum: quorum tituli in eorum posteros æternum translati; legi tamen olim ademtos his familiis a non bene sano Caligula. Vide Svetonium l. 4. c. 35.

v. 615 *Sancta vocant augusta patres*. Non absimilia his sunt illa Dionis lib. 53. Πάντα γάρ, inquit, τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα, αὔγουστα προσαγορεύεται. ἐξ οὗπερ καὶ σεβαστὸν αὐτὸν καὶ ἑλληνίζοντές πως, ὥσπερ τινὰ σεπτόν, ἀπὸ τοῦ σεβάζεσθαι, προσεῖπον. (a)

248 *Au-*

(a) *Sancta vocant &c. Augustus locus sanctus*, inquit Festus, *ab avium gestu; idest quia ab avibus significatus est, sic dictus: sive ab avium gustatu, quia aves pastæ id ratum fecere*. Perperam igitur Augustum, quod Urbem auxerit nominatum dictitant, quum vox hæc venerandum significet. Græci, qui id curarunt maxime, ut vim vocis retinerent, σεβαστὸς verterunt. Ausonius in gratiarum actione: *Unus omnium Gratianus potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia Pater*. Sed quid clarius his Ovidianis versiculis?

Sancta vocant augusta Patres, augusta vocantur
Templa, Sacerdotum rite dicata manu.

nonne τὸ Augusta veneranda significat?

v.615 *Augusta vocantur – Templa, sacerdotum rite dicata manu.* Nam locus ubi templum exstruendum per augures prius constituitur, semel constitutus dici potest *augustus*, & Diis consecrari. Ad hanc mentem Festus: *Augustus*, inquit, *locus sanctus ab avium gestu; id est, quia ab avibus significatus est, sic dictus; sive ab avium gustatu, quia aves pastæ id ratum fecerunt.*

v.616 *Sacerdotum.* Id est *Pontificum*: præibant enim illi verbis sollemnibus in dedicatione cujusvis templi. Livius lib.9. de Cn. Flavio: *Ædem Concordiæ in area Vulcani summa invidia nobilium dedicavit; coactusque consensu populi Cornelius Barbatus Pontifex Maximus verba præire, quum more majorum negaret, nisi Consulem, aut Imperatorem, posse templum dedicare.* Varro lib.4. de L. L. *Sic enim ædes sacra a Magistratu, Pontifice praeunte, dedicatur.*

v.616 *Rite dicata manu.* Non dubie, morem illum tangit, quum postem manu tenebat Pontifex, dum ara, aut fanum sacrabatur: quem Valerius insinuat lib. 5. cap. 10. *Horatius*, inquit, *Pulvillus, quum in Capitolio Jovi Opt. Max. ædem Pontifex dedicaret, interque nuncupationem sollemnium verborum postem tenens, mortuum esse filium suum audivisset; neque manum a poste removit, ne tanti templi dedicationem interrumperet.* Idem testatur Seneca de eodem Consolatione ad Marciam. Sed pergo ad aliud.

v.620 *Querna corona fores.* Quæ eodem die cum Augusti cognomine Octaviano a Senatu concessa. Dio lib. 53. Ὁ δ' οὖν Καῖσαρ πολλὰ μὲν καὶ πρότερα, ὅτε περὶ τῆς ἐξωμοσίας τῆς μοναρχίας, καὶ τὰ περὶ τῆς τῶν ἐθνῶν διανομῆς διελέχθη, ἔλαβε. καὶ γὰρ τὸ, τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν στέφανον τὸν δρύινον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ, ὡς καὶ ἀεὶ τούς τε πολεμίους νικῶντι καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι, ἐψηφίσθη. Huc spectant nummi eidem cusi, quidam cum corona ex hac fronde, & hisce litteris, OB CIVES SERVATOS; quidam cum aquila tenente unguibus quercum, & duobus arbusculis a latere: (lauri sunt) alii cum orbe & iisdem ramulis, sed hacce inscriptione: PAX ORBIS TERRARUM S. P. Q. R.

v.621 *Tanti cognominis heres.* Intellige Tiberium. Svetonius lib. 3. cap. 26. *Ac ne Augusti quidem nomen, quamquam hereditarium, ullis nisi ad Reges ac Dynastas epistolis addidit.*

v.623 *Respiciet Titan.* XVIII. Kalendas Februarias fiunt rursus sacra Carmentalia; non iterum priori Carmentæ, sed ejusdem duabus sororibus: quarum una Porrima, altera Postverta nominata. Caussa novati sacri subsequitur (*a*)

v.625 *Matres carpenta vehebant.* Datus nuptis hic honos paullo post captos Vejos. Assignanda erat Apollini decima urbis & agri capti, quam voverat in eo bello Camillus: negotium datum Tribunis militum consularibus; quumque in ærario copia non exstaret, *Matronæ*, inquit Livius libro 5. *cœtibus ad eam rem consultandam habitis, & communi decreto pollicitæ Tribunis militum, aurum & omnia ornamenta sua in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maxime Senatui umquam fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo, profestoque uterentur.* Siluit id Plutarchus, aliamque mercedem recenset eis habitam in his: Καὶ ταύταις μὲν ἡ σύγκλητος ἀποδιδοῦσα τιμὴν πρέπουσαν, ἐψηφίσατο μετὰ θάνατον, ὥσπερ ἐπὶ τοῖς ἀνδράσι, καὶ ταῖς γυναιξὶ λέγεσθαι τὸν ἄξιον ἔπαινον, οὐ γὰρ ἦν ἠθισμένον πρότερον ἐγκωμιάζεσθαι γυναῖκα δημοσίᾳ, τελευτήσασαν.

v.625 *Carpenta vehebant.* Hæc similia canathris Spartanarum virginum; de quibus Dydimus: Αἱ μὲν ἐπὶ κανάθρων καμαρωτῶν τῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται. potuisset etiam hic scribere, ἐπὶ καμαρῶν; nam hujusmodi vehicula καμάρας legi dicta a Polluce lib.10.cap.12.

Erat

(a) *Respiciet &c.* Dictum est ad Addit. 180. Carmentalia vel per quinque dies peragi consuevisse, vel quinto die repeti. Repetebantur igitur ut odoratus est Noster non priori quidem Carmentæ, sed duabus ejus sororibus, quarum altera Prorsa, altera vero Postverta dicebatur. Caussam possumus expiscari ab Agellio XVI. 16. *Esse pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos, sursum pedibus elatis, non ut hominis natura est, sed ut arboris: nam pedes, cruraque, arboris appellat ramos; caput stirpem, atque caudicem. Quando igitur contra naturam forte conversi, in pedes bracchiis plerumque diducti retineri solent, ægrius tunc mulieres enituntur. Hujus periculi deprecandi gratia aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus, quarum una Postverta nominata est, Prorsa altera a rectis, perversisque partus, & potestate, & nomine.*

Erat enim κάναθρον currus ligneus tectus, veluti basterna, quam exponit Isidorus *tectam manualem*: at hæc rotarum adminiculum non habuit, & a servis sive pari burdonum portabatur; unde malunt docti legi in Isidoro, *tectam mannalem*. Utraque lectio tolerari valet.

v.626 *Evandri dicta parente reor*. Vult a Carmenta nomen inditum carpentis: quæ Dea si verè dicta a carmine, ut supra nos ad illud,

Ipsa mone, quæ nomen habes a carmine ductum.

qui in hoc veri umbra? Carpentis certe nomen est a carpendis & scindendis lignis, e quibus constabant: hinc fabros tignarios *carpentarios* prisci appellarunt, Hispani hodie *carpinteros*.

v.627 *Mox honor eripitur*. Extat hæc memoria apud Plutarchum in Quæstionibus Rom. Λέγεται γάρ τις λόγος ὡς ἐκωλύθησαν ὑπὸ τῆς βουλῆς αἱ γυναῖκες ὀχήμασι χρῆσθαι ζευκτοῖς, συνέθεντο ἀλλήλαις μὴ κυΐσκεσθαι μηδὲ τίκτειν, ἀμυνόμεναι τοὺς ἄνδρας, ἄχρις οὗ μετέγνωσαν καὶ συνεχώρησαν αὐταῖς· γενομένων δὲ παίδων εὐτεκνούσαι καὶ πολυτεκνούσαι τὸ τῆς Καρμέντης ἱερὸν ἱδρύσαντο. Sed in hoc per id tempus Porrimæ & Postuertæ faciebant.

v.628 *Nulla prole*. Neque mascula, neque femina.

v.630 *Crescens onus*. Τὸ ἔμβρυον, quod & *offa*. Juvenalis Satyra II.

Quum tot abortivis fecundam Julia vulvam
Solveret, & patruo similes effunderet offas.

Domitianum carpit, qui Juliam, Titi fratris filiam, incestavit. Trita historia.

v.635 *Fas est inferre sacello*. Observato & id in aliis factitatum. Varro lib.6. de L.L. *Scortari est, sæpius meretriculam ducere, quæ dicta a pelle: id enim non solum antiqui dicebant scortum, sed etiam nunc dicimus scortea ea, quæ ex corio & pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris, ac sacellis scriptum habemus, Ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adsit*. Ex hac superstitione summæ curæ fuit veteribus, ne Flaminicæ ὑποδήματα sive σανδάλια ex morticino corio gestarent. Festus: *Mortuæ pecudis corio calceos, aut soleas fieri Flaminicis, nefas habetur; sed aut occisæ alioqui, aut immolatæ, quoniam sua morte extincta omnia funesta sunt*. & Servius: *Sane Flaminicæ non licebat neque calceos, neque soleas morticinas habere*. Didicisti quid *morticinum*. Græcis est κενέβρειον, sive θνησιμαῖον, scorteum vero σκύτινον, δερμάτινον: ex eo fecere Latini *scortiscum* & *scordiscum*; quod Glossis *ephippium*, quia illud e pellibus. *(a)*

v.639 *Porrima placatur*. Nemini, si memini, sic dicta: nam aliis *Prosa*, quibusdam *Prorsa*, sive *Anteverta*: alteram Postvertam appellatam omnes consentiunt. Vetus inscriptio: DEO MERCURIO ET POSTVERTÆ C. ANTIUS TITI FILIUS EX VOTO.

v.641 *Altera, quod porro fuerat*. Porrima scilicet: ideo sic dicta, quia caneret omne præteritum, Postverta vero futurum. Macobrius: *Has enim ideo veteres coluere, quod ea omnia intelligi oportere existimarent, quæ præterita & futura essent; qua ex re comites divinitatis eas appellaverunt*. Subsistat hoc: nunc ad quid harum Dearum cultus ob matronarum abortus, si tantum vatidicæ? quare, neque nostri, neque Macrobii etymon perplacet; & melius, meo judicio, Varro apud Gellium: *Quando igitur contra naturam forte conversi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri solent, ægriusque tunc mulieres enituntur; hujus periculi deprecandi caussa aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una Postverta nominata est, Prorsa altera, a recti perversique partus potestate & nomine.* Hoc approbo, & sequor. *(b)*

v.643 *Posuit lux proxima templo*. XVII. Kalendas Februarias templum Concordiæ dedicatum.

v.644 *Qua*

(a) *Fas est inferre &c.* Non videtur prætereundum quod ex eodem Varronis loco intelligimus, Attellanis rusticos dicere solitos, *se adduxisse pro scorto pelliculam*. Fuit aliquis scortearum vestium usus in ingenuis apud Romanos, qui ad depellendam pluviam scorteis penulis tegebantur. Mart. 14. 130.

Ingrediare viam Cælo licet usque sereno;
Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

(b) *Altera, quod &c.* Juratus ajo ob eamdem rationem, quæ affertur a Nostro, duriusculam horum nominum Notationem in ipso Ovidio mihi visam fuisse, etiam multo ante quam eruditissimum Carolum consuluissem: ita enim ipse mecum reputabam: quid harum mulierum vaticinia, ac rerum futurarum solertia cum iis, quæ de matrum fetura non ita multo ante dicta sunt. Mirum quantum cum his depromta ex Varrone explanatio cohæret!

v. 644 *Qua fert sublimes*. Ostendit situm, inter forum scilicet, & Capitolium regione 8. prope ædem Junonis Monetæ; de qua nos fuse ad 6. Dixit *sublimes*; quia ad hanc a templo Concordiæ centum gradibus conscendebatur. (*a*)

v. 646 *Sacratæ manus*. Has puto Pontificum, nisi animi fallor. De more vide nos supra.

v. 646 *Constituere manus*. Proba omnino lectio; falso in aliis *restituere*, quo sensu, si primum ædem Concordiæ struxit hic M. Furius Camillus? apage Bersmanne, & quicumque sine pudore sic legis.

v. 647 *Furius antiqui*. Aliquot inest *antiquus*: forte ad discrimen cujusdam Furii junioris, seu verius filii, qui dictus Sp. Furius Camillus, & eo sedato tumultu primus Prætor Romæ creatus. Meus priscæ editionis codex habet *antiquum*: hoc est, olim victor Hetrusci populi, rectissime. Penitus reprobo exemplaria, in quibus *antiquam*, fidei epithetum: nam a voto ad initium primi lapidis positi ad structuram dies interfuere, non anni, ut edisces.

v. 648 *Voverat*. Voti caussam postea subdam; votum nunc certius volo habeas e Plutarcho in Camillo: Τὺς δὲ βυλευτὰς, inquit, ἀναλαβὼν ἐβάδιζεν ἐπὶ τὴν σύγκλητον. καὶ πρὶν εἰσελθεῖν, μεταστραφεὶς εἰς τὸ Καπιτώλιον, ηὔξατο τοῖς θεοῖς κατευθῦναι τὰ παρόντα πρὸς τὸ κάλλιστον τέλος· ὑποσχόμενος ναὸν Ὁμονοίας καταστήσειν τῆς ταραχῆς καταστάσης. & post pauca addit idem Scriptor: Τῇ δ' ὑστεραίᾳ συνελθόντες, ἐψηφίσαντο τῆς μὲν Ὁμονοίας ἱερὸν, ὥσπερ ηὔξατο ὁ Κάμιλλος, εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἄποπτον, ἐπὶ τοῖς γεγενημένοις ἱδρύσασθαι. Nec potuit differri dedicatio ad Tiberii ævum, ut male suadet Fanensis vere fungus: nam Furius ædem vovit anno CCCLXXXVI. Tiberius suam Concordiæ consecravit anno DCCLXIV. intersunt anni CCCLXXVIII.

v. 649 *Sumtis secesserat armis Vulgus*. Petebat enim, ut non jam duo Consules patritii, sed alter nobilis, alter e plebe crearetur. Summa fuit hac de re dissensio; sed obtinuit vulgus. Livius lib. 6. *Prope ad secessionem plebis res, terribilesque alias minas civilium certaminum venit: quum tamen per Dictatorem conditionibus sedatæ discordiæ sunt, concessumque a nobilitate plebi de Consule plebeio, a plebe nobilitati de Prætore uno, qui jus in urbe diceret*. Factus igitur e plebe Consul L. Sextius, datus ei e Patritiis collega L. Æmilius Mamercus. contigit id anno CCCLXXXVII. de quo idem lib. 7. *Annus hic erit insignis novi hominis Consulatu, insignis novis duobus Magistratibus, Prætura & curuli Ædilitate: hos sibi Patritii quæsivere honores pro concesso plebi altero Consulatu. Plebes Consulatum L. Sextio, cujus lege partus erat, dedit: Patres Præturam Sp. Furio M. filio Camillo, Ædilitatem Cn. Quintio Capitolino, & P. Cornelio Scipioni suarum gentium viris gratia campestri dederunt. L. Sextio collega ex Patribus datus L. Æmilius Mamercus*. In Livio nulla mentio templi; sed, ob redactos in concordiam ordines, ludos inquit ma-

---

(a) *Qua fert &c.* Afferre libet, quæ Noster de Monetæ templo in librum sextum se conjecisse monet: ad numerum 58. hæc habet. *Hujus* (nempe Camilli: ita enim Ovidius:

Arce quoque ex summa Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta Camille tuo)

ne verbum quidem in Plutarcho, sed tantum de diruta Manlii domo, quasi hanc ob caussam in ejusdem area a Senatu Monetæ ædem collocatam: ad numerum vero 5.) Livius lib. 7. *Inter ipsam dimicationem ædem Junoni Monetæ vovit, cujus damnatus voti, quum victor Romam revertisset, Dictatura se abdicavit. Senatus Duumviros, ad eamdem ædem pro amplitudine P. R. faciendam, creari jussit. Locus in arce destinatus, quæ area ædium M. Manlii Capitolini fuerat*. Hæc in sexto Neapolis. Ad nos quod atinet pauca quædam additamenti loco subiiciemus. Ingenti terræmotu Civitate perterrita non ita multo ante captam Urbem a Gallis, vocem a Junonis templo, quod erat in arce, auditam fuisse ferunt, ut de sue plena fieret procuratio: *quocirca* addit, Tullius de Divin. 1. 4. 5. Junonem illam appellatam Monetam. Aliam cognominis hujus caussam a Suida accipimus: Indigentes pecunia Romanos, bellum quum gererent contra Pyrrhum, & Tarentinos, orantesque Junonem, monitos fuisse numquam pecuniam defuturam, dummodo ne injuste arma caperent. Accepto igitur impletoque omine Monetam Junonem veneratos fuisse. Addit numisma seu monetam in ejus Templo asservari consuevisse. Junonem Monetam Carisiæ gentis Nummo feminino capite, crinibus circumplexis, ac monili collum impediente repræsentari narrat Struv. Ant. Rom. c. 1.

magnos decretos, feriisque Latinis diem unum ad triduum additum: quod non siluit Plutarchus in Camillo.

v. 650 *Roma timebat opes*. Forte adludit ad leges, quas Tribuni Pleb. tunc promulgarunt adversus bona Patritiorum pro vulgi commodis: tres fuere; & hæc una de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset triennio æquis portionibus persolveretur: altera de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera agri possideret: tertia, ne Tribunorum militum Comitia fierent, Consulumque utique alter e plebe crearetur. hanc lucem quoque Livio debemus.

v. 651 *Caussa recens melior*. Mentio nunc fit de novo templo Concordiæ; ni melius de veteri aliquo refecto, quod dedicavit Tiberius, non ob populi dissensionem, sed ob devictum Illyricum, & auctas Romanas opes.

v. 651 *Sparsos Germania crines Corrigit*. Id est, tu in caussa (subuereor ut fallar) ne eæ gentes vires propagarent: nam, perdomito toto Illyrico, quod patet inter Italiam & regnum Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & sinum maris Adriatici, Germanos jungi Pannoniis non sivisti, qui animos sumserant ob mortem Quintilii Vari, & ejusdem deletas tres legiones. *Quas ob res*, inquit Svetonius, *triumphus ei decretus est, multique & magni honores. Censuerunt etiam quidam ut Pannonicus, alii ut Invictus, nonnulli ut Pius cognominaretur; sed de cognomine intercessit Augustus, eo contentum repromittens, quod se defuncto suscepturus esset*. Triumphus tamen ille non statim, sed biennio præterito celebratus: ea enim tempestate urbs tota clade Variana affligebatur. *(a)*

v. 653 *Libasti munera gentis*. Ex Historicis, qui ajunt, prandium mille mensis, & congiarium trecenos nummos viritim dedisse ex manubiis hosticis.

v. 654 *Templaque fecisti*. Dio Cassius lib. 57. Τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει τό, τε Ὁμονόειον ὑπὸ τοῦ Τιβερίου καθιερώθη, καὶ αὐτῷ τό, τε ἐκείνου ὄνομα, καὶ τὸ τοῦ Δρούσου τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τεθνηκότος ἐπεγράφη. Μάρκου δὲ Αἰμιλίου μετὰ Στατιλίου Ταύρου ὑπατευσάντων. & Svetonius in eodem: *Dedicavit, & Concordiæ ædem, item Pollucis & Castoris, suo fratrisque nomine de manubiis*. Ex his nova opera id templum a Tiberio exstructum nondum elicio: nam licet inferat Historicus *de manubiis*, impensas quoque scio permultas in dedicatione ædium sacrarum necessarias fuisse, ut docet me lapis Spoletinus Inscriptionum antiq. pagina MLXXII. verum omne scrupulum tollit Cassius lib. 55. *Tiberius*, inquit, *Kalendis Januariis, quibus Consulatum inivit cum Cn. Pisone, in Octavii curiam (hæc enim erat extra pomerium) convocato senatu, fanum Concordiæ sibimetipsi reficiendum injunxit; ut suo id & Drusi nomine inscriberet*. id vero, ut vides, peregit Tiberius post annos XVII. illius victoriæ occasione.

v. 655 *Et rebus, & ara*. Partem refectionis Liviæ matri noster attribuit.

v. 656 *Toro digna reperta Jovis*. Eamdem pari adulatione sic prosequitur lib. II. Tristium Elegia prima ad Augustum:

Livia sic tecum sociales impleat annos:
Quæ, nisi te, nullo conjuge digna fuit.
Quæ nisi non esset, cælebs te vita deceret:
Nullaque, cui posses esse maritus erat.

v. 656 *Magni Jovis*. Antiquos Cæsares Deos & Joves appellatos, quis non audivit? ipsimet suas domos *divinas* dixere. Adi l. 3. *C. de privilegiis domus Augustæ, vel rei privatæ*.

v. 657 *Hæc ubi transierint*. XVI. Kalendas Februarias nostro est Solis transitus in Aquarium, Ptolemæo XVII. sed & Plinio etiam XVI. sic enim ille lib. 18. cap. 26. *Et quum Sol in Aquarium sentitur transire; quod ferè XVI. Kalend. Febr. evenit*. Cum hoc signo quan-

(a) *Sparsos &c. Corrigit*, cum multis ex scriptis legit Noster; alii *porrigit*. Ut vere dicam cogor a Nostri sententia discedere: quid enim sibi vult crines alicujus auspiciis corrigere? aut *colligere*, ut legunt alii: duriuscula ni fallor, dicendi ratio, atque adeo minus latina: Jamvero de captivis sermo quum sit, qui tondebantur, quid est quod eos capillos passos corrigere dicamus? *Porrigere itaque capillos* malumus, quod mire consentit cum Disticho Ovidiano Amor. lib. I. Eleg. 14.

Jam tibi captivos mittet Germania crines,
Culta triumphatæ munere Gentis eris.

quantum Zodiacus emergat, vide apud Hipparchum lib. 3. ad Arati & Eudoxi Phænomena.

v. 659 *Septimus hinc oriens.* x. Kalendas Lyra occidit occasu heliaco.

v. 661 *Sidere ab hoc, ignis.* ix. Kalendas clara ſtella in pectore Leonis occidit. accipe de occaſu coſmico. Columella ſcribit die Januarii xxvii immergi.

v. 664 *Nec ſementina eſt ulla reperta dies.* Qui poterat, ſi ſementinæ feriæ ſunt e conceptivis? hinc Varro: *Sementinæ feriæ dies is, qui a Pontificibus dictus*; clarius Macrobius primo Satur. *Et ſunt ſtativæ univerſi populi communes certis & conſtitutis diebus ac menſibus, & in faſtis ſtatis obſervationibus annotatæ: in quibus præcipue ſervantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptivæ ſunt, quæ quotannis a Magiſtratibus vel Sacerdotibus concipiuntur in dies, vel certos, vel etiam incertos: ut ſunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia.* (a)

v. 667 *Sic tempore certo.* Semen ubi jactum, a quo inditum diei nomen. Repeto iterum locum Varronis: *Sementinæ feriæ, dies is, qui a Pontificibus dictus, appellatus a ſemente, quod ſationis cauſſa ſuſceptæ.* Pompejus Feſtus: *Sementinæ feriæ fuerunt inſtitutæ, quaſi ex iis fruges grandeſcere poſſint.*

v. 669 *State coronati.* Putavi olim pro vincire hic *coronare* intelligendum; quaſi, State vincti ad præſepe: moris eram inſcius, ex quo boves feriis ſerto fuſo per cornua labore vacabant. Tibullus lib. 2. Elegia prima:

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator,
Et grave ſuſpenſo vomere ceſſet opus.
Solvite vincla jugis, nunc ad præſepia debent
Plena coronato ſtare boves capite.

Membranæ quædam habent, *vertice ſtare boves*. Utrumque admitti poteſt; ſed primum magis redolet mollem ſuum vatem. Obſerva, ſodes, obiter noſtri Ovidii carmen ab hoc ultimo Tibulli hauſtum.

v. 670 *Vere redibit opus.* Maro rei rureſtris peritiſſimus primo Georgicon:

Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſolvit,
Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.

Uni & alteri vati lux erit a Columella lib. 11. cap. 11. de Re ruſtica.

v. 671 *Palo ſuſpendit aratrum.* Palus hic idem quod χάραξ.

v. 671 *Suſpendit aratrum.* Hoc, & inſtrumenta alia, ſi operi ruſtico jam uſui eſſe non poterant, in triviis collocabantur. Ratio apud Scholiaſten A. Perſii ad illud Satyræ v. *pertuſa compita.* in his: *Fracta juga ab agricolis ponuntur, velut ab emeritis; quod eſt elaborati operis indicium, ſive quod omne inſtrumentum exiſtimant ſacrum.*

v. 673 *Villice da requiem terris.* Apte præcipit villico, ſinat otiari familiam poſt jactam ſementem: nam id villici erat munus, qui cuncto operi ruſtico præerat; unde *villicari*, villæ præeſſe, dixerunt veteres. Pomponius apud Nonium Marcellum: *Nam longe ab urbe villicarier, quo herus rarenter venit, non villicarier, ſed dominari mea ſententia eſt.* Turpillius in eodem: *Hic villicor ante urbem, nunc rus eo.* Comperi etiam *villicum* pro quolibet cuſtode, ſeu præfecto a Poetis receptum. In Priapeis lego:

Villicus ærari; quondam, nunc cultor agelli.

Apud Juvenalem Satyra 4. Pegaſus præfectus urbi & *villicus* dicitur.

v. 673 *Semente peracta.* Sparſo frumento ſequebatur ultima aratio, poſt hanc longa quies terris. In ea aratione boves *lirare* dicebantur, ut in aliis, *proſcindere & offringere* terram. Servius: *Quum primo agri arantur, quando duri ſunt, proſcindi dicuntur; quum iterantur, offringi; quum tertiantur, lirari.* Varro libro primo de Re ruſtica: *Terram quum primum arant, proſcindere appellant; quum iterum, offringere dicunt, quod prima aratione glebæ grandes ſolent excitari: quum iteratur, offringere vocant; tertio, quum arant jacto*

(a) *Nec ſementina &c.* Conceptivis, & ſtativis adde imperativas, quas aut Conſul, aut Prætor, aut Pontifex M. ſiquid ominoſum eveniret, pro re nata imperabat, quales fuere Novemdiales, quæ indici maxime, ac celebrari conſueverant, quum prodigium aliquod accidiſſet, vel quum defunctis, (quæ privatæ erant alicujus Familiæ,) parentaretur.

jacto semine, boves lirare dicuntur: id est, quum tabellis additis ad vomerem, simul & satum frumentum operiunt in porcis, & sulcant fossas, quo aqua pluvia delabatur. Porca terra est elata inter duos sulcos; unde *Imporcitor* ex Diis unus, qui præerat arationi.

v. 675 *Pagus agat festum*. An ob sementinas ferias? an novi festi hic mentio, cui nomen fuit Paganalia? certe addubito, sed magis ad Paganalia inclino; quæ post sementinas ferias statim puto concipi solita. *(a)*

v. 675 *Pagum lustrate coloni*. Accensis suspicor stipulæ acervis, ut in Parilibus.

v. 676 *Annua liba facis*. Quivis pagus suum foculum habebat, ex instituto Servii Tullii. Dionysius Halicar. lib. 4. Ἵνα δὲ καὶ τούτων πλῆθος μὴ δυσπερίγραπτος ἀλλ' εὐλόγιστος ᾖ καὶ φανερὰ, βωμοὺς ἐκέλευσεν αὐτοῖς ἱδρύσασθαι θεῶν ἐπισκόπων τε καὶ φυλάκων τοῦ πάγου, οὓς ἐπέταξε θυσίαις κοιναῖς γεραίρειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἅμα συνερχομένους, ἑορτὴν ἔταξε, καὶ ταύτην ἐν ταῖς πάνυ τιμίαν, κατεστησάμενος, τὰ καλούμενα Παγανάλια.

v. 677 *Frugum matres, Tellusque, Ceresque*. Ut mos erat in prædicto sationis festo. Varro enim inquit de R. R. *Sementinis feriis in ædem Telluris veneram, rogatus ab æditimo*.

v. 677 *Ceresque*. Hanc *Empandam* in Paganalibus sacris dictam, didicimus ab antiquis.

v. 681 *Consortes operum*. Glossæ, *consortes*, κοινόβιοι, σύγκληροι.

v. 687 *Ventis aperite serenis*. Non verius in meo, *aperite secundis*.

v. 693 *Scabræ rubiginis*. *Scabrum* est quodcunque asperum. *Scabra saxa*, dixere Latini impolita. Barbatum, & impexum hominem vocat etiam *scabrum* Flaccus in Epistolis; e quibus VII. libri primi.

v. 694 *Palleat ulla seges*. Legitur & in vulgatis, *palleat ægra seges*.

v. 697 *Oculos vitiantibus*. Plautus in Milite glorioso Actu 2. Scena 3.

SC. *Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico.*
PA. *Quid jam?* SC. *Quia luscitiosus.*

v. 698 *Surgat avena solo*. Dixit *sterilem*, quemadmodum Vates,
Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ,
Ut discernant a sativa: Græci *sterilem* dicunt αἰγίλωπα & σιτόπυλον. Lolium quoque, ut vides, numeratur inter frumenti vitia; iisdem ἡ αἶρα.

v. 699 *Passuraque farra bis ignem*. Nam primo far veteres torrebant; deinde sub mola in farinam redactum, pane jam facto, coquebatur iterum in furnis: sic *bis tostum* alibi Naso meus appellat. *(b)*

v. 705 *Versique in pila ligones*. Pilum fuit Romanorum antiquum, & vetus armamentum: de quo vide, quæ ad Polybium notavit V. Cl. Justus Lipsius lib. 3 Militiæ Dial. 4. Sed scio fassum Josephum Scaligerum sub vitæ metam, post illa accurate perpensa, in

---

(a) *Pagus agat &c.* De paganalibus hunc locum intelligi oportere arbitramur. De his consule Dionysium IV. p. 220. Invenio Varronem discrimen fecisse inter Paganalia, & Paganica, quod Paganalia privatæ feriæ essent alicujus Pagi, Paganica vero omnium: Varroni quidem fidem non infirmamus, sed nihil tale tamen (quod sciamus) Ovidius, aliique retulere. Burranica potione in Paganalibus utebantur, quæ rufi coloris quod esset, quem burrum dicebant, lacte cum Sapa permixto, burranica appellabatur. Ovid. Fast. 4. v. 778.

Dum licet, apposita veluti cratere camella
Lac nitidum potes, purpureamque sapam.

(b) *Passuraque &c.* Far non nisi tostum ad rem divinam purum censebatur ex Numæ instituto. Plin. lib. 18. 2. *Numa instituit Deos fruge colere, & mola salsa supplicare, atque (ut auctor est Hemina) far torrere, quoniam tostum cito salubrius esset. Id uno modo consequutum, statuendo, non esse purum ad rem divinam, nisi tostum*. Festus, *Ador*, ait, *Farris genus, edor quondam appellatum ab edendo, vel quod aduratur, ut fiat tostum; unde in Sacrificio mola salsa efficitur*: Hinc Ausonius in Monosyllabis.

Mox ador, atque adoris de polline Pontificum Far. Legunt alii *pultificum*.

In descriptione illius teli omnes operam lusisse, qui Polybium conati illustrare: testis oculatus ὁ πολυμαθέστατος Daniel Heinsius in ea, quam scripsit Isaaco Casaubono de illius viri obitu.

v. 708 *Jam pridem*. Hoc & illud supra, *Bella diu tenuere viros*, videntur denotare pausam bellorum post victoriam Actiacam. Plutarchus de Fort. Rom. Μετὰ δὲ τὴν τ ἐνιαυτῶν, αὖθις ἀνεῴχθη, καὶ διέμειναν οἱ πόλεμοι ἄχρι τῆς ἐν Ἀκτίῳ νίκης Καίσαρος. τότε δὲ ἤργησε τὰ Ῥωμαίων ὅπλα χρόνον οὐ πολύν. & pars cujusdam basis Vincentiæ reperta: POST PRÆL. ACT. HOSTIB. UBIQ. DEVICTIS. Juvat conjecturam, quod paullo post cingit Pacis crines fronde Actiaca, ubi sermo de ejusdem ara. Quos versiculos putavi olim intrusos in menstruas has metas; quia tunc forte contigisset ea victoria: (nam quoties numen hoc adoratur in fastis, est rei similis index, ut in fine tertii, ob victoriam Alexandrinam:) non hodie, quum Actiacam pro certo sciam incidisse in 4. Nonas Septembris. (a)

v. 710 *Pacis alumna Ceres*. Non abeunt hinc ista Albii Tibulli:

. . . . Pax candida primum
Duxit araturos sub juga curva boves:
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens, vomerque nitent; at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.

sunt ex Elegia ultima libri primi.

v. 711 *At quæ venturas*. VI. Kalendas Februarias dicata Castorum ædes.

v. 713 *Fratribus illa dies*. Sic cusi, sic M. SS. vix in hac stili puritate quod moretur puerum; legunt tamen alii, *Fratribus illa Dies*. Pulchrior mihi vulgata est.

v. 713 *Fratres de gente Deorum*. Obscurus, & ambiguus esset auctor ædis, ni hæc subjunxisset: intelliguntur Tiberius, & Drusus. Vide Dionem lib. 4. sub annum DCCLIX. Svetonius lib. 3. *Dedicavit Concordiæ ædem, item Pollucis & Castoris suo fratrisque nomine*. quasi prior fuerit dedicatio Concordiæ: hæreo, quum hanc Dio Cassius reiiciat ad annum DCCLXIV.

v. 714 *Circa Juturnæ*. In regione 8. Publius Victor in ædem: *Templum Castorum ad lacum Juturnæ*.

v. 715 *Deduxit Pacis ad aram*. Non ad templum, ut voluit Marsus,(b) & sui oblitus Josephus Scaliger in Notis ad Manilium; sed ad aram, quæ sita in regione Urbis XIV. Magnum sane discrimen inter aram & templum: nec ullum vidit Nasonis ætas; nec certe paul-

---

(a) *Jam pridem &c.*
Jam pridem vestro sub pede bella jacent.
Sub juga bos veniat, sub terras semen aratas
Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres.
Paucis complexus est, quæ elegantissime expolivit, atque exeggeravit nitidissimus Poeta Albius Tibullus Eleg. 11. lib. 1. v. 45. & seq. Non jam ultima, ut Noster ait.
Interea Pax arva colat; Pax candida primum
Duxit araturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
Funderet ut gnato testa paterna merum.
Pace bidens, vomerque nitent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus e lucoque vehit male sobrius ipse
Uxorem plaustro, progeniemque domum.

(b) *Deduxit &c.* Conjectura, quam capit Baronius fortasse ex contaminata Vespasiani superstitione, quod Pacis templum extruxerit adductus adulatione Judæorum, qui tribuerant huic Principi, quæ de Christo Pacis principe divina Oracula prodiderant, non probatur Cl. Viro Samueli Pitisco. Bellis enim civilibus confectis, superatoque Vitellio, Imperio occupato, ordinata Rep., & Pace Terra, Marique parta, virtutis, & felicitatis suæ monumentum hoc eum ponere voluisse, probabilius multo esse videtur. Confirmatur id inscriptione basis, quæ in ædibus Farnesianis servatur.

PACI. ÆTERNÆ
DOMUS
IMP. VESPASIANI
CÆSARIS. AUG.
LIBERORUMQ. EJUS
SACRUM.

paullo post ejusdem fata aliquod structum. Ait insuper Marsus, hanc eamdem aram, quam vocat templum, auctam a Vespasiano postea; sed errorem arguunt multa. Ara apud omnes Urbis antiquos Topographos posita in regione XIV. templum Vespasiani in IV. illud item nova opera structum; nec alia vocula usus Svetonius in eodem: quod & adnotavit Flavius Josephus lib. 7. de Bello Judaico cap. 24. Sed quare potissimum hic Cæsar sacram ædem huic numini primus ædificarit, non alii antea in summa Imperii Romani felicitate, vide caussas apud Baronium (o Italiæ nostræ florem!) anno Christi LXXVII.

v. 716 *A mensis fine secunda dies*. Trigesima ergo Januarii ad aræ pacalis sacrificia assignata: cur id per id tempus Romani fecerint, verum fatear, in re vetusta, & incerta nihil adfirmem sine duce ex antiquorum aliquo.

v. 720 *Quibus arma coerceat, arma*. Id belli genus exoptat, quod solum ad medelam propulsandæ injuriæ. *Justum bellum*, inquit Livius, *quibus necessarium; & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes*.

v. 729 *Mei pars est exacta laboris*. Et nostri aliqua etiam. Τῷ Θεῷ μεγίστῳ δόξα καὶ χάρις.



CAROLI NEAPOLIS
ANAPTYXIS
CUM ADDITAMENTIS AD PUBLII OVIDII NASONIS
Fastorum Lib. II.

v. 2 A*Lter ut hic mensis*. Eximium par antiquorum codicum, & meus etiam infimæ vetustatis, verius habent, *Alter ut it mensis*.

v. 3 *Nunc primum velis*. Recta lectio, ac probior illa unius libri, *Jam primum velis*.

v. 5 *In amore ministros*. Adludit ad opus illud nequissimum.

v. 7 *Et quis*. Inest *ecquis* veteribus aliquot.

v. 8 *Gerimus, qua possumus, arma*. Ex his quidam, *ferimus, quæ possumus, arma*.

v. 18 *Februa dixere piacula* M. Varro lib. 5. de L. L. *Rex quum ferias menstruas Nonis Februariis edicit, hunc diem februatum appellat. Februum Sabini purgamentum, & id in sacris nostris verbum: nam & Lupercalia Februario, ut in antiquitatum libris demonstravi*. Plutarchus in Numa: Ὁ μὲν Φεβρουάριος, οἷον καθάρσιος ἄν τις εἴη· καὶ γὰρ ἡ λέξις ἔγγιστα τοῦτο σημαίνει, καὶ τοῖς φθιτοῖς ἐναγίζουσι τότε, καὶ τὴν τῶν Λουπερκαλίων ἑορτὴν εἰς τὰ πολλὰ καθαρμῷ προσεοικυῖαν τελοῦσιν.

v. 20 *Pontifices a rege petunt*. Hoc est, sacrificulo: pari modo dictum ab antiquis, sine adjectione ulla sacrorum, vidisti ex loco citato Varronis; cui Tullium addimus. *Quum ex collegio*, inquit, *tanto non regem, non flaminem, non pontificem videret*. & alibi: *Discite pontifices, vos flamines, etiam tu rex disce*. Id sacerdotium L. Brutus Consul anno post exactos Reges sacris addidit: caussam institutionis recitat Dionysius lib. 5. Ἐπειδὴ δὲ πολλῶν καὶ μεγάλων ἀγαθῶν αἴτιοι γενόμενοι τοῖς κοινοῖς πράγμασιν ἔδοξαν οἱ βασιλεῖς, φυλάττειν τοὔνομα τῆς ἀρχῆς, ὅσον ἂν ἡ πόλις διαμένῃ χρόνον, βουλόμενοι, τοῖς ἱεροφάνταις τε καὶ οἰωνομάντεσιν ἐκέλευσαν ἀποδεῖξαι τὸν ἐπιτηδειότατον τῶν πρεσβυτέρων, ὃς οὐδενὸς ἔμελλεν ἕξειν ἑτέρου, πλὴν τῶν περὶ τὰ θεῖα σεβασμάτων, τὴν προστασίαν, ἁπάσης λειτουργίας πολεμικῆς ἀφειμένος, ἱερῶν καλούμενος βασιλεύς. καὶ καθίσταται πρῶτος ἱερῶν βασιλεὺς Μάνιος Παπίριος, ἐκ τῶν πατρικίων ἀνὴρ ἡσυχίας φίλος. Descriptum habes, quis primus illud exercuerit, imo etiam munus. Præerat sacris omnibus, non vero cuivis sacro ministro: ostendit Livius lib. 11. *Regem*, inquit, *sacrificulum creant: id sacerdotium Pontifici subjecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret*. Ejus uxor erat regina sacrorum. Cui non notum? Basis marmorea semifracta:

: : : : : : : : : : : : : : :
CU : : : : : : : : : : : : :
REX SACRORUM AUGUR
CUM MANLIA L. F. FADILLA
REGINA SACRORUM
PATRI CARISSIMO

v. 20 *Et*

v. 20 *Et flamine lanas*. Has igitur petebant pontifices a rege sacrificulo, & flamine Diali: suspicor eas etiam fuisse rufi coloris, & ducor ex his Clementis Alexandrini Stromaton lib. 7. Oἱ ἄνοοι (de idolothytis) δ᾽ ὅσοι πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες, ἔρια πυῤῥὰ, καὶ ἁλῶν χόνδρους, καὶ δᾷδας, σκίλλαν τε καὶ θεῖον δεδίασι, πρὸς τῶν γοήτων καταγοητευθέντες κατά τινας ἀκαθάρτους καθαρμούς.

v. 22 *Quæque capit lictor*. Sed flaminius, de quo Festus: *Flaminius lictor est, qui flamini Diali sacrorum caussa præsto est*.

v. 24 *Qui cæsus ab arbore pura*. Quis ambigat, quin arbor pura sit ipsissima pinus? idem in Feralibus:

Exoptat puros pinea tæda dies.

& illud pa ullo post evincit clarius:

Februa poscenti pinea virga data est.

Quin ad conciliandam castitatem Thesmophoriazusæ hujus foliis cubitus sibi sternebant. Stephanus: Ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις πίτυος κλάδον ὑπὸ τὴν στιβάδα, καὶ ἐπὶ τῇ τῆς Δήμητρος ἱερακλωνίου πίτυος ἐπιθεῖσαν. & tamen minutuli magistelli contendunt esse laurum. O fungos!

v. 26 *Ipse ego flaminicam*. Flaminis conjugem: quam & flaminem comperi dictam in veteri hoc marmore, ni scriptum cum aliqua scalptoris incuria:

VITELLIÆ
C. F. RUFILLÆ
CAII SALVI LIBERALIS COS.
FLAMINI SALUTIS AUG. MATRI
OPTUMÆ.
C. SALVIUS VITELLIANUS VIVOS.

Verum scito, non legi in omnibus libris *flaminicam*: in meo est, *flaminiam*; id est sacerdotulam, quæ Diali præministrabat. Josephus Scaliger mavult *flaminia*, quasi ab ædibus flaminis; sic illis nomen apud Festum Pompejum: *Flaminiæ*, hic inquit, *ædes domus flaminis Dialis*. Ames viri subtilitatem, si reprobas lectionem.

v. 29 *Intonsos avos*. Inde Juvenalis Satyra ultima: *(a)*

Et credam dignum barba, dignumque capillis
Majorum . . . . .

& Horatius Flaccus lib. II. Ode xv.

. . . . *Non ita Romuli*
Praescriptum, & intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma.

Quorsum ista, si sunt e trivio?

v. 30 *Sancta quia pelle*. In nostro veteri, *secta quod pelle*, verius: dixit multo post, *pellibus exsectis*. De hoc ritu plura nos ad Lupercalia hoc mense Februario.

v. 33 *Ferales praeteriere dies*. Qui sunt IX. Kalendas Martias. Vide quæ ad eos notabimus.

v. 36 *Princi-*

(a) *Intonsos &c.* Non est e trivio elegantissimus Tullianæ Orationis locus pro Cælio, ubi agens cum Clodia Cicero festivissima oratione perditissimam Feminam carpere instituit: *Sed tamen ex ipsa quaeram prius, utrum me secum severe, & graviter, & prisce agere malit, an remisse, ac leniter, & urbane? Si illo austero more, ac modo, aliquis mihi ab Inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis, & imaginibus videmus, qui objurget mulierem, & pro me loquatur, ne ista mihi forte succenseat*. *Addit. ad num.* 14. Ad num. 200. lib. 6. & sequ. ubi Noster antiquissima monumenta scrutatus, reconditas, pulcherrimasque eruditiones eruit.

v. 36 *Principium moris dedit*. Quibus? Romanis: hi fuere Græcorum simiæ. Verum observita, quod noster haud negat hunc morem Græcos ab aliis mutuatos: male ergo vir de litteris bene meritus, hoc versiculo teste, primordia expiationum Græcis attribuit. Romanos ab eis accepisse fatemur, auctores vero negamus: nam, ut Ægyptios omittam, Berosus apud Josephum lib. 1. Originum a Noe rem repetit: nihil antiquius fere dici potest; at de Græcis apud Homerum Ulysses, post famularum, & procorum cædem, nutricem Eurideam compellat his verbis. (*a*)

> Οἶσε θέειον γρηῦ κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ,
> Ὄφρα θεειώσω μέγαρον. . . .

v. 38 *Actoridem Peleus*. Ob necem Clesonymi, seu Æanes, ut auctor Strabo lib. 9. Ὅπου δὲ, inquit, ἐξ Ὀπόεντος ἦν Πάτροκλος, λέγει Ὅμηρος, καὶ διότι φόνον ἀκούσιον πράξας, ἔφυγεν εἰς Πηλέα. & paullo post: Αἰάνην δ' ὀνομάζουσι τὸν ἀναιρεθέντα ὑπὸ τοῦ Πατρόκλου, ἀφ' οὗ τέμενος Αἰάνειον δείκνυται, καὶ κρήνη τις Αἰανίς. Reliquas fabellas pete ab antiquis Mythicis.

v. 47 *Et ante fuit*. *To ante* cave de Romuleo anno intelligas, sed de Pompiliano; nam hic agit de Juliano. Moneo te, ne erres cum gravissimo viro Lilio Gyraldo, qui ex his colligit, nostrum fassum in anno Romuleo Januarium inclusum, imo inter illos antiquissimos menses primum fuisse. Certe crassa nimis foret Nasonis inconstantia, qui sexcentis locis decimestrem facit Romuli annum, & hunc a Martio inchoatum.

v. 48 *Veteris fuit ultimus anni*. Jam vides qua de caussa probata nobis libro primo lectio illa:

> *Mensibus antiquis addidit ille duos*.

nam Februarius, a Numa & imis manibus & intercalationi deputatus, ultimum obtinuit locum, hoc tamen a Græcis discrimine: illi, confecto ultimo mense anno intercalare tempus adiiciebant; Romani post XXIII. Februarii, peractis Terminalibus, inserebant superfluum, quinque deinde reliquos mensis dies post ἐμβολισμὸν superaddebant.

v. 53 *Bis quini continuasse viri*. Decemviri ergo ordinem mutaverunt; quique erat duodecimus, primo postpositus: hujus tamen rei, præter nostrum, nescio an alium reperieris testem.

v. 54 *Principio mensis*. Kalendis Januariis templum Junoni Sospitæ consecratum.

v. 54 *Phrygiæ contermina matri*. Ergo exstructum in Palatio, si matri Idææ vicinum: neu dubita; testatur etiam Publius Victor in descriptione dominæ Urbis, & veteres.

v. 55 *Delubris novis*. Quis auctor hujusce templi, tacet noster; sed nostrum investigare. Vinandus Pighius lib. 10. Annalium, Lucium Portium Licinium Consulem suspicatur ex antiquis nummis cusis anno DLXIX. in quibus incisum Junonis Sospitæ caput vestitum pelle caprina, sicut Lanuvii religiose colebatur: a dorso nummi visuntur ejusdem Junonis sacra symbola, capra ad altare, sub quo jacet involutus serpens, item secespita ad victimam cum patella: in ora denarii Consulis illius nomen. Optime hucusque: sed quid ad templum? idem de sexcentis nummis effutire licitum foret, ubi vidimus incisa nomina &

(a) *Principium &c.* Ab Ægyptiis Græcos, Romanosque plura accepisse diffiteri non possumus. Sed quod fœdæ, nimiumque contaminatæ superstitiones accederent in omnes fere gentes fusæ, plura Ægyptiorum sacra Roma ejecta fuere: Arnobio enim, ac Tertulliano testibus locupletissimis, Pisone, Gabinioque Coss. sunt amandata. Ex S. C. Fana Isidis, & Serapidis Romani solo æquavere: cautumque præterea a Marco Agrippa Ædili ne eorum simulacra in Urbe, locisque suburbanis intra quingentos passus consisterent. In Urbem tamen, Commodo, Caracalla, Severoque assentientibus, denuo irrupere. Augustus, ut refert Dio, Apim Romæ coli vetuit, quod *se Deos, non boves adorare*, diceret. Ægyptiorum tamen lenocinia & oblectationes, licet sacra Romæ non essent, summopere placuere. Tradit autem Josephus lib. 11. cap. 47. Paullinam illustrem Feminam a perditissimo Amatore Ægyptiacæ Religionis ope constupratam fuisse: sed id sæpe alias factitatum indicat Juven. sat. 6.

> . . . *Jamque expectatur in hortis,*
> *Aut apud Isiacae potius sacraria Lenæ.*

& Consulum & Ædilium cum Junone Sospita cultu Lanuvino spectanda, id est L. Cornelium Caudinum, & C. Papirium Masonem, in aliis Numam Pompilium, & in eodem numismate subtus C. Licinium Varum. ea caussa cur hæremus. Fanensis scribit, hoc templum illud esse quod Cn. Cornelius vovit sub initium belli Insubrici, de quo Livius lib. 22. *Principio pugnæ vovit ædem Junonis Sospitæ, si eo die hostes fusi, fugatique essent.* Sed mehercule fallitur, aut errant Antiquarii nostri: nam istud conterminum Matri magnæ locant in Palatio regione x. sic Victor in descriptione summaria Urbis; hoc vero Cornelii in foro Olitorio regione xi. idem Patavinus libro 34. *Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt, una Junonis Sospitæ in foro Olitorio vota, locataque quadriennio ante a Cn. Cornelio Consule.* Ecce, nonne clare patet vana σοφιστεία boni interpretis? Satius tacuisset, sicut & modo nos, qui nihil certi invenimus; ideo facimus locum judicii sanioris.

v. 61 *Obligat ille Deos.* Exercet aperte τέχνην κολακικὴν ut alter ad suum Domitianum; sed hic vere nimius:

Quantum jam superis, Cæsar, cæloque dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis:
Grandis in æthereo licet auctio fiat Olympo,
Coganturque Dei vendere quidquid habent;
Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse Deum.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
Quid pro Tarpejæ frondis honore potest?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo; res agit illa tuas.
Quid loquar Alciden, Phœbumque, piosque Laconas?
Addita quid Latio Flavia templa polo?
Exspectes, & sustineas, Auguste, necesse est:
Nam tibi quod solvat, non habet arca Jovis.

v. 62 *Templorum positor.* Justa laus, imo debita fax erit huic distícho, Fragmentum Ancyræ in suburbiis repertum de vita & gestis Augusti, & locus Svetonii de eodem: *Principes viros sæpe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis, vel refectis & excultis, Urbem adornarent: multaque a multis exstructa sunt, sicut a Marcio Philippo ædes Herculis & Musarum, a L. Cornificio aedes Dianae, ab Asinio Pollione atrium Libertatis, a Munatio Planco aedes Saturni.* Nec solum sacris, sed & profanis ædificiis mirum quam deditus: pæne omnes Urbis vias silice stravit, & munivit. eo spectat nummus Augusti cum arcu, trophæis, statuis, & istace inscriptione:

QUOD VIÆ MUNITÆ SUNT.

v. 63 *Sancte refector.* Inepti libri, qui habent *repertor*: sed Marsus ineptior, qui ejusmodi γραφὰς non refellit. Quis bardus Augusto templorum inventionem adtribueret?

v. 65 *Maneant in statione.* Excubent: quo verbo & usi ad hanc rem antiqui. Pacuvius: *Pro imperio vestro sic Salisubsulus excubet.*

v. 66 *Lucus Averni.* Hæsi quum hæc puer legissem, & adhuc hæreo; nec aliquid lucis prætulit priscæ editionis codex, in quo, *lucus celebratur Asyli.* Putat unus interpretum de Lucariis hic agi; sed campæ, & flocci: nam ea festa erant xiv. & iterum xii. Kalendas Augustas. Vetus Kalendarium mense Julio: (a)

XIV.

(a) *Lucus &c.* Nihil dicere ausim: malo enim in re dubia assensum cohibere, quam quicquam temere confirmare. Verumtamen si nihil impedit, quominus liceat honesto homini uti judicio suo, liceat & mihi Heinsianam lectionem sequi: *Tum quoque vicini lucus celebratur Helerni, vel Hylernæ,* ut placet eruditioribus, qui lucus fuit prope Tiberim. De luco hoc ita Ovidius in sexto v. 105.
Adjacet antiquus Tiberino lucus Hylernæ,
Pontifices illuc nunc quoque dona ferunt.
Legunt alii *antiqui Helerni*, alii *antiquus Tiberini Lucus*, alii *Tiberinæ Lucus Hylernæ*. Quid Crispinus? hæret, & mussitat.

XIV. LUCAR. N. P. MERK
XIII. C. LUDI VICT. CÆSAR
XII. LUCAR. LUDI.

Non caret igitur menda vox postrema: hoc certum habeo; quid vero rescribam, in dubio sum.

v.68 *Ad penetrale Numae*. Hoc est templum Vestale. Horatius:

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etrusco violenter undis;
Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Vestæ.

Ibi veteres Magistri: *Regiam dicit Numæ Pompilii, qui ad Vestæ suam habuit.*

v.68 *Capitolinumque Tonantem*. Martialis libro 10. Epigrammate 51.

Nec Capitolini summum penetrale Tonantis.

v.70 *Sæpe graves pluvias*. Habes idem a Columella lib.11. cap.2. *Kalendis*, inquit, *Februariis Fidis incipit occidere; ventus Eurinus, & interdum Auster, cum grandine est.*

v.75 *Ubi est hodie*. IV. Nonas incidit Lyræ, & medii Leonis occasus; at hujus matutinus est, Lyræ vero vespertinus.

v.79 *Nocte sequente*. III. Nonas Delphinus ἑσπέριος δύσις: & hæreo Astrologis.

v.80 *Felix in amoribus index*. Legat puer, quæ ex Eratosthene transcripsit insignis ille Augusti libertus lib.2. Poeticon Astronomicon cap. 18. *(a)*

v.81 *Seu tulit ille lyram*. Sive is Delphinus, qui vexit ad Tænaron Ariona Methymneum. Sequitur nunc flebilis casus, ne putes fabellam: fuit ad tempora Periandri, sive Pyranti: (sic vocat hunc Regem Hygenus, absit ne credam deceptum) qui claruit circa octavam, & trigesimam Olympiadem. Sed vide, quæ notat Josephus Scaliger ad Eusebii annum MCCCXCVIII. quæ ad Solini Polyhistora Claudius Salmasius, eximium par litteratorum: forsan tuo judicio litem aliquam dirimes. *(b)*

v.82 *Quæ nescit Ariona tellus?* Ἐόντα κιθαρῳδὸν τῶν τότε ἐόντων οὐδενὸς δεύτερον, καὶ διθύραμβον, πρῶτον ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, ποιήσαντά τε καὶ ὀνομάσαντα, καὶ διδάξαντα ἐν Κορίνθῳ. Verba sunt Herodoti ex initio libri primi. *(c)*

36 *Si-*

(a) *Felix in &c.* Amphitriten, quum peteretur a Neptuno, virginitatis custodiendæ caussa, ad Atlanta Mythologi, confugisse, ferunt: inter ceteros, qui eam conquisiverunt, dimissus etiam a Neptuno Delphin dicitur, quam quum reperisset suadendo induxit, ut Neptuno nuberet. Cujus facti gratia inter sidera effigies ejus relata fuit.

(b) *Seu tulit &c.* Neque is sum, cujus judicio lites dirimi possint, & si maxime sim minime velim, vehementer metuens, ne dum aliorum lites conor componere, ipse in easdem pene rixas incurram. Ad me quod attinet, quæ de Periandro, quæque de Nauturum perfidia, qui de Arione interficiendo consultarunt, narrari solent, hæc facile scriptoribus suis assentior, quod probabilia esse videantur. Quæ vero de Delphino, qui Oriona dorso exceptum ad Tænarum Laconiæ Promontorium vexit, bona Caroli pace, sic sum, ut hæc, atque his similia non dicam concoquere, sed ne tantillum quidem sorbere possim, aut leviter degustare. Jure Ovidius *id fide majus* exclamat; immo Herodotus ipse lib.1. cap.23. ita rem exponit, ut nullam fidem auctoritate sua velle facere, videatur: maximum enim, inquit, miraculum populares sui prædicant, hisque Lesbii assentiuntur; Arionem Methymneum Delphino insidentem ad Tænaron fuisse evectum.

(c) *Quæ nescit &c.* Non modo Dithyrambum Corinthios docuit Arion, ut refert Herodotus, sed & Saltationem Dithyrambicam inventam fuisse a Corinthiis indicare videtur Pindarus: *Bacchi enim venustates cum boves agente Dithyrambo inter Corinthios exortas fuisse*, narrat *Ode* 13. ubi Xenophontis Corinthii cursu, & quinquertio victoriam adepti laudes celebrat.

Ταὶ Διονύσου πόθεν ἐξέφανεν
Σὺν βοηλάτᾳ Χάριτες
διθυράμβῳ; Cur vero *agentem bovem Dithyrambum* dicat, caussa in promtu est apud virum doctissimum Jo: Antonium Viperanum Siculo-Messanensem Juvenacensium Episcopum lib. 3. de Poet. cap.12. *Agentem*, inquit, *boves appellat, quoniam præmium, quod Dithy-*

v. 92 *Siculas impleverat undas*. Quid mirum, si peragrarat eam insulam, & universam Italiam? cujus rei fidus testis idem auctor. Vetus editio, *Siculas impleverat urbes*.

v. 94 *Inde domum repetens*. Tarento ultimo profectus.

v.106 *Tyrio distinctam murice*. Ἔνυλον, sive ἐμπόρφυρον: nostri dicerent, *prætextam clavo purpureo*. Festus de ricinio: *Ricinium, omne vestimentum quadratum: ii, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam, qua mulieres utebantur, praetextam clavo purpureo*: sive, ut recentiores, *clavatam purpura*. Abdias Babylonius lib. 8. Hist. Apost. de colobio Bartholomæi: *Vestitus colobio albo clavato purpura, induitur pallio albo habente per singulos angulos singulas gemmas*. Nam clavus parvula erat, aut rotunda figura, qua vestes undique pingebantur; sive fascia, qua illæ in extremis oris ornabantur: Græcis παρυφή, aut σημεῖον; Laconibus σάμεον, ut adnotat Hesychius: Σάμεα, τὰ ἐν τοῖς ὤαις τῶν ἱματίων ὑφάσματα Λάκωνες. Ex his clavis, sive loris, in antiquorum vestibus quatuor, quinque aut plures immitti solebant; loquor cum Nonio, qui, *Patagium*, inquit, *aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solebat*, pro *insui*: hinc *monoloris* tunica, *diloris*, *pentaloris*, passim in antiquis occurret. In genere *loratae* eis nomen. Achmes cap. 220. Εὐγενῆ πρόσωπον, ἢ εἰς ἀδοξίαν, ἢ τῶν χιτώνων αὐτῆς ἴσαι τῆς λαμπρότης χεῖλεσι. In hunc modum erat Arionis palla, nec aliud, *distincta murice*, quam pluribus clavis ex purpura picta, seu ex eadem fasciis prætexta: sed palla & cultus citharœdi belle depingitur a Cornificio lib. 4. ad Herennium: *Ut citharœdus*, inquit, *quum prodiret optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta, & cum corona aurea, citharam tenens auro & ebore distinctam*. & ab Apuleio: *Eique prorsus citharœdicus status; Deam conspiciens caventi similis, tunicam picturis variegatam deorsus ad pedes dejectus ipsos, Graecanico cingulo chlamyda velat utrumque brachium, ad usque articulos palmarum*.

v.106 *Pallam*. *Bene ergo* Tzetzes Chiliade prima Ἱστορ. ιζ.

Τοῖς ναύταις δὲ τοῖς χρήμασι μέλλων ἀναιρεθῆναι,
Αἰτεῖ τὴν μουσικὴν στολὴν λαβὼν, ἐκ κιθαρίσαι.

Sed heus, antequam ad aliud pergimus, piaculum erit non adscribere integrum versiculum ex editione nostri codicis:

Induit & Tyrio depictam murice vestem.

v.110 *Ornatus desilit*. Ex historia. Vide Herodotum, quem noster ad unguem secutus. (*a*)

v.113 *Oneri supposuisse novo*. Considera hæc: nec fastidio erit Epigramma Bianoris ad Arionis imaginem; quod sic perbelle concludit, ut nihil melius:

Ἔστησεν Περίανδρος Ἀρίονος εἰκόνα ταύτην,
Καὶ τὸν ἀπολλυμένῳ σωσίδρομα νηξάμενον
Εἰνάλιον δελφῖνα. λέγει δ' ὁ ἐπ' Ἀρίονι μῦθος,
Κτεινόμεθ' ἀνθρώποις, ἰχθύσι σωζόμεθα.

Sed adverte, quod ejusmodi simulacrum forte Corinthi posuit Periander: nam id de quo Pausanias, Herodotus, Ælianus agunt, fuit in Tænaro; fuit & ejusdem naufragi ἀνάθημα. Quod vero putat Tzetzes eadem Chiliade, vectorem scilicet fuisse vere navim quamdam, sed cum Delphini parasemo, (Νηΐ, inquit, δελφινομόρφῳ εἰς Ταίναρον κατῆραν) non reprobo. Scio ab insigni navibus olim imponi nomen adsolitum. Sic dixere veteres, δελφινοφόροις, χελοφόροις, πυροφόροις. Vide Stephanum in Ταυρέως.

42 *Pre-*

---

rambis dabatur, bos erat: quamquam aliqui tripoda fuisse affirmant: & non ita multo ante: *Motus* erat *Phrygius vi sua concitatissimus, bacchantium maxime proprius, qui furore quodam in diversa rapiebantur*: *Polyxenumque tentasse* Τῇ δωριστὶ *harmoniæ Dithyrambum accommodare, raptumque ab ejus natura in* φρυγιστὶ *refert Aristoteles*. *Quam Saltationem a Corinthiis primum inventam, & institutam fuisse Pindarus testatur illis verbis loquens de Corintho* Ταὶ &c.

(a) *Ornatus desilit &c. Illum inductum omni ornatu, sumtaque cithara stantem super foros* διεξελθεῖν νόμον τὸν ὄρθιον, *eoque decantato, sese, ut erat ornatus, in mare jecisse* invenio apud Herodotum. Orthium autem carmen altissimis constabat numeris, spiritus, vocisque contentione vehementiore proferendum.

v.114 *Pretiumque vehendi*. Debitum, seu mercedem. Terentius: *Pretium*, inquit, *ob stultitiam fero*.

v.119 *Pectus inesse tuum*. Cuperet se Μίλκηϛ@ ὗον.

v.120 *Sacras Nonas*. His Patris patriæ cognomentum Cæsar Augustus accepit. Fragmentum Kalendarii Prænestini: (*a*)

NON. N. CONCORDIÆ
IN ARCE FERIÆ EX
SC. QUOD EO DIE
IMPERATOR CÆSAR
AUGUSTUS PONTIFEX
MAXIMUS TRIB. POTEST.
XXI. COS. XIII. A SENATU
POPULOQUE ROMANO PATER
PATRIÆ APPELLATUS.

Lege ex fide historica, TRIB. POTEST. XXVIII. res autem ita se habuit. Svetonius lib. II. cap. 58. *Patris patriæ cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt ei: prima plebs, legatione Antium missa; dein, quia non recipiebat, ineunti Romæ spectacula, frequens, & laureata, mox in Curia Senatus neque decreto, neque acclamatione, sed per Valerium Messallam, id mandantibus cunctis. Quod bonum, inquit, faustumque sit tibi domuique tuæ, Cæsar Auguste (sic enim nos perpetuam felicitatem Reip. & læta huic precari existimamus) Senatus te consentiens cum Pop. Rom. consalutat patriæ Patrem*. Contigit hoc anno DCCLVIII. septem annis post decimumtertium Augusti Consulatum: unde bene restitutus est lapis Sedunianus a Gallo incomparabili, qui semiexesus legebatur his mendis: P. CÆSARI DIVI I UGUSTO COS. XI. TRIBUNICIA POTESTATE XV. PATRI PATRIÆ TIFICI MAXIMO AS SEDUNORUM PATRONO. at nunc, tanto viro gratia:

IMP.

(a) *Sacras Nonas* &c. Ad frustum Kalendarii Prænestini, & ad Lapidem Sedunianum quod pertinet, ubi & TRIB. POTEST. & PONTIFEX MAXIMUS Imp. Cæsar Divi Juli F. Augustus dicitur, non videntur esse prætermittenda, quæ de occupata ab ipso potestate civili omni, deque Pontificatu Maximo suscepto eruditissime differit Vir Cl. Vincentius Gravina Lib. sing. de Rom. Imp. cap. 7. & 8. *Principes*, inquit, *tuto se minime sperabant retenturos* (potestatem civilem omnem) *nisi eam Religione muniissent, susceptoque Pontificatu maximo, arripuissent potestatem rerum divinarum, quibus humana omnia obligantur, atque volvuntur. Igitur, ut per divina in arbitrium suum humana omnia redigerent, Imperatores non solum Auguratum, & Quindecimviratum sacrorum, quæ majora Sacerdotia erant, sed Augusti exemplo, ipsum susceperunt Pontificatum Maximum* &c. Et Cap.8. *Postquam autem Imperatores præsidio sibi adjunxerunt Auctoritatem Divinam, suam in custodiam vim etiam adbibuerunt popularem, assumta Potestate Tribunicia, in qua Populus vires omnes suas, ac talem immunitatem collocaverat, ut qui Tribunum verbo, aut re violasset, is tanquam sacrilegus, ac devota Diis victima impune interficeretur: propterea que Tribunitia Potestas sacrosancta dicebatur, quia sancitum erat, ut Sacer, Diisque immolandus esset, quisquis Tribunum offendisset. Quoniam autem Tribunus creandus erat e Plebe, Imperator vero in Patriciorum numero censebatur, propterea non Tribunum se constituebat, sed suscipiebat Tribunitiam Potestatem, ut relicto munere Plebejo, muneris tamen auctoritatem assequeretur; quæ in SCtis impediendis per intercessionem Tribunorum propriam, & in Legibus ad Populum ferendis, & in defendendis Civibus versabatur, & præsertim in vitæ, Famæque securitate, quam omnem Princeps trahebat a Potestate Sacrosancta Tribunorum, in qua fundabantur Majestatis Leges; quibus eo nomine rei damnabantur, quod Populum in Tribuno, & Tribunum in Principe violasse censerentur* &c.

IMP. CÆSARI DIVI JULI F.
AUGUSTO COS. XIII.
TRIBUNITIA POTESTATE XXVIII.
PATRI PATRIÆ
PONTIFICI MAXIMO
CIVITAS SEDUNORUM
PATRONO.

v.126 *Tibi plebs, tibi curia.* Frustum illud Kalendarii aperte quoque docet, A SENATU POPULOQUE ROMANO Patrem patriæ appellatum.

v.126 *Nomen hoc dedit.* Sed non ob id ullum amplius jus Augusto additum in subditos: de hujusmodi honore hoc Dionis Cassii judicium lib. 53. Καὶ ἥγε τοῦ πατρὸς ἐπωνυμία τάχα μὲν καὶ ἐξουσίαν τινὰ αὐτοῖς (Cæsaribus) ἣν ποτε οἱ πατέρες ἐπὶ τοὺς παῖδας ἔσχον, κατὰ πάντων ἡμῶν δίδωσιν· οὐ μέντοι καὶ ἐπὶ τοῦτο ἀρχὴν ἐγένετο, ἀλλ' ἐς τε τιμὴν καὶ ἐς παραίνεσιν, ἵνα αὐτοί τε τοὺς ἀρχομένους, ὡς καὶ παῖδας ἀγαπῶσι, καὶ ἐκεῖνοι σφᾶς, ὡς καὶ πατέρας αἰδῶνται. Hinc liquet, non mirum næniam in Augusti funere Principum liberos cecinisse: luxere enim ut verum patrem, ex ritu quo propinqui mortuis lugubre illud carmen assoliti canere. Svetonius lib. 2. cap. 100. de istius funebri pompa: *Canentibus naeniam Principum liberis utriusque sexus.*

v.133 *Tu dederas.* Duo editi, *quae dederas.*

v.134 *Caeninaque sensit.* Lege Auctores τῆς ἀρχαιολογίας Ῥωμαϊκῆς. Scio in aliqua editione cusum, *Cecinaque sensit*: sed puerilis menda, imo quam puer suboleat. (*a*)

v.138 *Tu rapis.* De Sabinarum raptu adi 111.

v.138 *Castas jubet esse maritas.* Nam leges de integro sanxit de pudicitia, de adulteriis: τοῖς τε ἀγάμοις καὶ ἀνάνδροις graves pœnas imposuit, ad nauseam Historici.

v.140 *Reppulit ille nefas.* Exemplum sit ædes Dianæ Ephesiæ; cui asyli jus antiquum ab Alexandro, & Mithridate concessum, auxit deinde duobus stadiis Antonius. Ἐφάνη δὲ τοῦτο βλαβερὸν, ait Strabo lib. 14. καὶ ἐπὶ τοῖς κακούργοις ποιοῦν τὴν πόλιν· ὥστ' ἠκύρωσεν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ. *Visum hoc damnosum, & maleficis urbem in potestatem hoc pacto dedi: itaque abrogavit Augustus Caesar.* Sanctum hoc, Octaviane; sed voluissem, ne patris quidem templo immunitatem hanc a Triumuiris decretam promulgandam sivisses: sic poscerct imperantis integritas. Dio lib. 47. Ἀπηγόρευσαν δὲ, μηδένα ἐς τὸ ἡρῷον αὐτοῦ καταφυγόντα ἐπ' ἀδείᾳ, μήτε ἀνδρηλατεῖσθαι, μήτε συλᾶσθαι. ὅπερ οὐδενὶ οὐδὲ τῶν θεῶν, πλὴν τῶν ἐπὶ τοῦ Ῥωμύλου γενομένων, ἐδεδώκεσαν.

v.141 *Principis ille tenet.* Quantum oderit Augustus Dominum appellari, notarunt Svetonius, Philo Judæus, & alii; Principis vero titulum admisit ea forte de caussa, ob quam & ita dici Tiberio placuit. eam subindicat idem Cassius: Πρόκριτός τε, ille ait, τῆς Γερουσίας, κατὰ τὸ ἀρχαῖον, καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ ὠνομάζετο. καὶ πολλάκις γε ἔλεγεν ὅτι, Δεσπότης μὲν τῶν δούλων, αὐτοκράτωρ δὲ τῶν στρατιωτῶν, τῶν δὲ δὴ λοιπῶν πρόκριτός εἰμι. (*b*)

v.143 *Caelestem fecit te pater.* Mox hæc tangemus in Quirinalibus. (*c*)

v.144 *Media tenus eminet alvo.* Intellige de dimidiato Aquario oriente: sic aliqui hoc signum non totum oriri voluerunt, ut Aratus, quem noster, ejusdem post M. Tullium interpres, in multis secutus.

Ἱππο-

(a) *Caeninaque &c.* Puerilem mendam appellat Noster *Cecinaque sensit*: Recte: Quum enim de propagatione Imperii per comparationem fit sermo, de Cænina urbe hoc loco verba fieri dicendum est; quæ Urbs bello primo Sabino omnium prima Colonia a Romulo facta est, eo enim Dionys. teste, ab V. C. Ann. IV. cives trecenti deducti fuere.

(b) *Principis &c.* Passus est Augustus se Imperatorem, ducemque summum exercituum Romanorum dici. Quam tamen auctoritatem nunquam in perpetuum, sed in quinquennium alias, alias in decennium accepit, relicta semper Italia Provinciarum Domina in administratione Senatus. Principem vero appellari non renuit, quod Dignitas hæc etiam in libera Civitate Senatorum optimis concedi consuevit. Mirum quantum valuit genus hoc ὑποχρίσεως ad libertatem P. R. nihil minus cogitanti adimendam.

(c) *Caelestem &c.* De Quirinalibus verba facit hoc eodem lib. ad num. 175. 190. 191.

Ἵππος δ' ὑδροχόοιο μέσον περιτελλομένοιο,
Ποσσί τε καὶ κεφαλῇ ἀνελίσσεται . . . .

In quo μέσον mendam suboluit Attalus; sed operam lusit: & docte refellitur ab Hipparcho lib. 2. cap. 14. Tu vide, si lubet.

v.147 *Mollior aura venit*. Vetus, *mitior*. Non determinat vere diem quo flatus hic incipit: sed quis non videt, velle Nostrum, ut spiret cum ipso primo vere, dum statim subdit,

; . . . *Et primi tempora veris erunt*.

v.148 *Quintus ab aequoreis*. Non Idibus: (sic pessime interpretatur hunc locum Bersmannus: nam Idus expressim paullo post consecrat Fauni festo) sed v. Idus: nec alia Poetae mens. Ceterum in hoc tempore assignando parum, aut nihil discrepant Auctores. Plinius confert in diem tertium post Nonas lib.15. cap. 3. de quodam olivarum genere. *Non ante Favonii afflatum nigrescentes, hoc est ad* IV. *Idus Febr.* & lib. 11. cap. 47. *Favonii hibernum molliunt caelum, sole Aquarii* XXV. *obtinente partem: is dies sextus est ante Februarias Idus*. Incerti Auctotis τὸ παράπηγμα, quod his Fastis assui solet, statuit VIII. Idus.

v.153 *Geminos exeruisse pedes*. III. Idus est Arcturi ortus vespertinus: quae stella sita in medio crurum τοῦ Ἀρκτοφύλακος. Vetus parapegma III. Idus: *Subsolanus spirat, Arcturus oritur*.

v.154 *Jaculatricemque Dianam*. Ἰοχέαιραν dicunt hanc passim vatum antiquissimi.

v.155 *Calisto sacri*. Geminant L. veteres editiones: & ita re vera legendum. Optimus codex Propertianus:

Callisto Arcadios erraverat Ursa per agros.

v.161 *A Jove crimen habet*. Qui indutus Dianae facie virginem compressit: sic voluit in Metamorphosi, secutus hac in parte Amphidem illum veterem Poetam κωμικόν, cujus adhuc exstant fragmenta nonnulla apud Athenaeum, & alios. *(a)*

v.167 *Erubuit falso virginis illa sono*. Ob amissum pudicitiae decus, & ruptum sacramentum: unde fusius scripsit idem eleganter in II. Metamorphosi:

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu!
Vix oculos attollit humo: nec, ut ante solebat,
Juncta Deae lateri, nec toto est agmine prima:
Sed silet, & laesi dat signa rubore pudoris.
& mox:
Nuda superfusis tingamus corpora lymphis.
Parrhasis erubuit; cunctae velamina ponunt:
Una moras quaerit: dubitanti vestis ademta est:
Qua posita, nudo patuit cum corpore crimen.
Attonitae, manibusque uterum celare volenti,
I procul hinc, dixit, nec sacros pollue fontes,
Cynthia: deque suo jussit secedere caetu.

v.168 *Dixe-*

(a) *A Jove &c.* Furtum hoc Jovis narrat festive idem Ovidius Metamorphos. lib. 2. Fab. 5. v. 423.

Jupiter, ut vidit fessam, & custode vacantem,
Hoc certe furtum conjux mea nesciet, inquit,
Aut si rescierit, sunt, o, sunt jurgia tanti?
Protinus induitur faciem, cultumq; Dianae,
Atque ait: O comitum Virgo pars una mearum
In quibus es venata jugis? De cespite Virgo
Se levat, & salve Numen, me judice, dixit,
Audiat ipse licet, majus Jove: ridet, & audit,
Et sibi praeferri se gaudet, & oscula jungit
Nec moderata satis, nec sic a Virgine danda.
Qua venata foret Silva narrare parantem
Impedit amplexu, nec se sine crimine prodit.

v.168 *Dixerat hæc Nymphis*. Non legam aliter, licet vulgatæ, & antiquæ editionis ſit ſcriptura hæc, *Dixerat & Nymphis*.

v.174 *Implerat cornibus orbem*. Implere cornibus orbem Luna dicitur, quum ἐκ τοῦ μηνοειδοῦς πανσέληνος fit.

v.176 *Formam mutatque puellæ*. In vultus ferinos: ſed hac de re quo piaculo omittam aurea illa Noſtri carmina? verba ſunt iratæ Junonis:

Haud impune feres: adimam tibi namque figuram
Qua tibi, quaque places noſtro importuna marito.
Dixit, & arreptam prenſis a fronte capillis
Stravit humi pronam. tendebat brachia ſupplex:
Brachia cœperunt nigris horreſcere villis,
Curvarique manus, & aduncos creſcere in ungues,
Officioque pedum fungi, laudataque quondam
Ora Jovi lato fieri deformia rictu.
Neve preces animos & verba precantia flectant,
Poſſe loqui eripitur: vox iracunda, minaxque,
Plenaque terroris rauco de gutture fertur.

v.182 *Jam tria luſtra puer*. Aperte luſtrum Noſtro eſt ſpatium quinquenne: (de hoc apud litteratos adhuc controverſia) nam de eodem puero alibi dixit: (*a*)

. . . . *Ter quinque ferens natalibus annos.*

v.189 *Terga ſequentis habet*. Ex ſcedographia: unde Ἀρκτοφύλαξ & Ἀρκτοῦρος, etiam eadem cauſſa dictus. Videndus Suidas, & alii Græcanici ſcriptores.

v.190 *Canamque petit*. Vetus liber, *canamque adiit*.

v.192 *Fumant altaria Fauni*. In Kalendariis nulla fit mentio hujus celebritatis. Forſan his Idibus iterabant veteres memoriam dedicationis: nec quidem hoc die ſacratum ei fanum reperio; non ita annum, qui fuit DIX ab Urbe condita. Livius lib. 34. *Ædes eo anno aliquot dedicatæ ſunt: una Junonis Soſpitæ in foro Olitorio, vota, locataque quadriennio ante a C. Cornelio Conſule Gallico bello. Cenſor idem dedicavit. altera Fauni. Ædiles eam biennio ante ex multatitio argento faciendam locarant C. Scribonius & Cn. Domitius Ænobarbus: qui Prætor urbanus eam dedicavit*. Idem libro ſuperiore: *Ædiles plebis Cn. Domitius Ænobarbus, & C. Scribonius Curio Maximus multos pecuarios ad populi judicium adduxerunt: tres ex his condemnati ſunt. Ex eorum multatitia pecunia ædem in inſula Fauni fecerunt*. En ſitum ubi poſita, qui & a Topographis firmatur. Publius Victor: *Inſula, ædes Jovis, Fauni, Æſculapii*.

v.194 *Hæc*

(a) *Jam tria &c.* Scio ſpatium quinquennale ita ex aliquorum ſententia conſtitutum fuiſſe apud veteres, ut quadriennio exacto, anno quinto ineunte luſtrum peractum diceretur. Sed hoc loco de quinquennali luſtro certe ſermo eſt, ita enim idem refert Naſo noſter Metam. lib.1. Fab.5. & 6. ver.97.

Ecce Lycaoniæ proles ignara Parentis
Arcas adeſt, ter quinque ferens natalibus annos.

Verumtamen aliorum Scriptorum teſtimonio oſtendere facile eſt, luſtrum quinque annorum abſoluto ſpatio contineri. Stat. Sil. lib. 2.2. v.6.

Huc me, poſt patrii lætum quinquennia luſtri,
Cum ſtudio jam pigra quies, canuſque ſederet
Pulvis, ad Ambracias converſa Gymnade frondes
Trans gentile fretum placidi facundia Polli
Detulit. . . . .

Martialis de morte Demetrii Amanuenſis ſui lib. 1. 102.

Deſtituit primos virides Demetrius annos;
Quarta tribus luſtris addita meſſis erat.

Meſſis quarta annum ſignificat: ergo ſi quartum annum tribus luſtris addiici dicitur, non jam quatuor annis, ſed quinque luſtrum componitur. Jam vero non tria ætatis Demetrii luſtra, ſi luſtrum quadriennio abſolvitur, ſed quatuor dicenda ſunt. Conſule præterea Horat. Carmine Seculari; Carmi. lib. 2. Od. 4. v. 33; Et lib. 4. Od. 1. v. 6. De his inſuper vide Alex. ab Alex. lib.5. c.27. & Lipſium Elect. lib.1. cap.27.

v.194 *Hac fuit illa dies*. Sed annus CCLXXVI. Diodorus lib. 11. Ἐν Ῥώμῃ δὲ ὕπατοι κατεστάθησαν Τίτος Μινύκιος. & verius: Μενήνιος καὶ Γάϊος Ὁράτιος Πυλβίλλος. cum menda hodie legitur Πολύειδος. & post multa subdit hanc cladem Fabiorum: hi vero eidem non plures sunt quam τριακόσιοι: noster & alii, sex supra trecentos numerant. Dies vero quam recenset Ovidius, quum lego Livium sub limen lib. 6. si verus ille, quod ita sentio, aliquantisper anxium me habet, & miror in hanc foveam doctissimum Poetam incidisse. Nota Historici verba: *Tum de diebus religiosis agitari cœptum, diemque ad XV. Kalendas Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii cæsi; quo deinde ad Alliam cum exitio Urbis fœde pugnatum: a posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemque rei nulli publice privatimque agendæ fecerunt*. Sed a Livio recedit etiam Plutarchus in Camillo, qui reiicit in solstitium æstivale in his: Ἐγένετο δ᾽ ἡ μάχη περὶ τροπὰς θερινὰς περὶ τὴν πανσέληνον, ᾗ καὶ πρότερον ἡμέρᾳ μέγα πάθος συνέβη τὸ περὶ τοὺς Φαβίους. τριακόσιοι γὰρ ἐκ τοῦ γένους ὑπὸ Τυρρηνῶν ἀνῃρέθησαν. (a)

v.196 *Et onus susceperat Urbis*. Nam Respublica in eo bello milite & pecunia vacabat: & hanc & militem obtulit gens Fabia.

v.198 *Miles generosus*. Singularis. Vaticanus, *miles generatus*. Non probo. sequitur enim: *Quo ruitis generosa domus*.

v.200 *Dextro est via proxima Jano*. Sic omnes antiqui codices: mendose vulgares, *dextra est via*. Porta Carmentalis ea, quæ etiam solita nuncupari *Vejentina*, & *Tarpeia*; nam huic directo Capitolium incumbebat: sed a clade Fabiorum dicta exinde Scelerata. Græci dixere hujusmodi portas ἀποφράδας, & σκυθρωπάς. Plutarchus περὶ Πολυπραγμοσύνης: Ὥσπερ αἱ πόλεις ἔχουσί τινας πύλας ἀποφράδας καὶ σκυθρωπὰς δι᾽ ὧν ἐξάγουσι τοὺς θανατουμένους, καὶ τὰ λύματα καὶ τοὺς καθαρμοὺς ἐκβάλλουσιν, εἰσάγεις δὲ οὐδὲν οὐδ᾽ ἱερὸν εἴσεισι καὶ διέξεισι δι᾽ αὐτῶν. his eleganter comparat curiosorum aures.

v.204 *Cremeram tetigere*. Vetus liber, *tenuere*. Adsentior libens utrique. Ibi castra posita: is opportunus visus locus, scribunt Historici, communiendo præsidio.

v.205 *Hibernis ille fluebat aquis*. Sub initium brumæ Urbe profectos credibile sane est: nam post castellum prope Cremeram exstructum, & infestationes aliquas a Fabiis in agrum hosticum illatas: Καὶ ὁ μὲν, inquit Dionysius lib. 9. χειμὼν ἐκεῖνος ἐπιλείπει.

v.215 *Occulit alta feras*. Spuria editio hæc: malim cum quinque Vaticanis, *occulere apta feras*.

v.226 *Fraude perit virtus*. Singula vide ex Livio, Dionysio, Zonara, Eutropio, Floro, A. Gellio, & aliis.

v.236 *Ut*

(a) *Hac fuit &c.* Obtruncatos ad Cremeram Fabios non modo non plures fuisse quam τριακόσιοι, sed & pauciores putant rerum æstimatores callidissimi. Gens enim Fabia omnium Romæ florentissima hoc sibi bellum & clientibus suis, ut committeretur a Senatu, impetravit, neque omnes Patriciæ illius Gentis Fabii fuere. Qui enim fieri potest, ut ea in Gente, in qua tot Fabii fuere, unus tantum puer, isque prope pubertatem reperiretur? Quomodo autem exhausto a Tarquinio Senatu brevi annorum LVI. intervallo (tot enim enumerantur secundum Livianam supputationem ab axhausto a Tarquinio Senatu ad Fabiorum cædem) tot viri, qui id ætatis essent, ut arma gererent, ab una tantum Gente propagari potuerunt? Sed consule Animadv. Hist. Cl. Viri Jacobi Perizonii cap. 5. ubi pluribus argumentis vulgarem illam cæsorum Fabiorum enumerationem refellit. Quod ad rem gestam pertinet, quamvis de cæsis omnibus Fabiis, præter unum impuberem Romæ relictum, consentiant cum Ovidio, Livius, Eutropius, & Aurelius Victor, tamen ab horum sententia discedit Dionysius, quod ejusmodi narratio pluribus de caussis, quas ipse enumerat, minime sibi probanda esse videtur. Sed adi Dionysium, ex ipso enim intelliges, quæ caussa fuerit erroris, superstitemque Marco, Quinti, & Cæsonis fratri filium impuberem noveris, quem Q. Fabium Vibulenum dictum, & Q. Fabii Cunctatoris abavum fuisse confirmat,

v.236 *Ut tamen Herculeæ*. Hanc antiquitatem isti familiæ tribuere veteres, Silius Italicus, & reliqui: ex Hercule scilicet & Evandri filia Vinduna primum Fabium natum. Certe ante Urbem conditam mentio hujus gentis: ea est quam Remus habuit sociam. (a)

v.239 *Unus de Fabia gente.* Hoc sibi persuadere non potuit Dionysius Halicarnassensis; idque non uno probat argumento: sed ea quidem super re differit, qua vix aliud certius apud Historicos.

v.240 *Olim tu, Maxime, nasci*. De hoc viro incomparabili loquuntur fere omnia, quæ extant, Romanorum monumenta: Plutarchus in primis cum fide ejus vitam, & gesta publici usus fecit.

v.243 *Inter utrumque jacet*. Ex fœdographia. Marsus nescio e quo rancido codice legit, *inter utrumque latet*. Caveant omnino parum cauti adolescentes ab illius interpretis inscitia.

v.244 *Nocte sequenti*. xvi. Kalendas. Columellæ vesperi oritur Crater: & addit sub idem tempus venti mutationem.

v.246 *Forte Jovi Phœbus*. Curera hæc φορμικὰ disces clarius a Mythologis.

v.248 *I mea, dixit, avis*. Statius lib. 2. Silvarum de Corvo, *Plangat Phœbejus ales*. & Manilius in Sphæra de hocmet Hydri signo: (b)

. . . . Cui proximus anguis
Squamea dispositis imitatur lumina flammis,
Et Phœbo sacer ales, & una gratus Jaccho
Crater. . . . .

Tutelæ caussas multas retulere veteres.

v.257 *Ad dominum rediit*. Audi veterem, *Ad dominumque redit*.

v.262 *At tibi, dum lactens*. Plinius lib. 10. cap. 12. *Corvi ante solstitium generant; iidem ægrescunt sexagenis diebus, siti maxime, antequam fici coquantur autumno*.

v.262 *Lactens hærebit in arbore ficus*. Ficus lactens est viridis, & recens. Lac vocarunt Latini fici rorem, qui Græcis ὀπὸς; & σακτὴ cuidam Anonymo, qui scripsit Alexandri vitam.

v.263 *Fonte bibantur aquæ*. In alio ἀπηλιωτικῶς, *fonte bibentur aquæ*.

v.266 *Tertia post Idus*. xv. Kalendas Martias erant Lupercalia: his unde initium, dicemus in transcursu: nomen vero habuere a Lupercis, quorum plures sodalitates. Una fuit Fabiorum, alia Quintiliorum; & hæ antiquissimæ: addita postea ea Juliorum a C. illo Cæsare. Cujus institutionis mentio apud Dionem lib. 44 verba sunt: Ἱεροποιούς τε ἐς τὰς τοῦ Πανὸς γυμνοπαιδίας, τρίτην τινὰ ἑταιρίαν, ἣν Ἰουλίαν ὀνόμασαν. Tria ergo Romæ Lupercorum collegia, quæ sacra quotannis rite facerent: hæc aliquantulum remissa Augusti ævo, sed eodemmet restituta. Suetonius lib. 2. *Nonnulla*, inquit, *etiam ex antiquis cæremoniis paullatim abolita restituit, ut Salutis augurium, Diale flaminium, sacrum Lupercale*. Mansit hoc postea usque ad Anastasii Imperatoris tempora, Theodorico Amalo in Italia regnante: sic ex quodam antiquo S. R. regesto (quod oculatim vidit) testatur Onuphrius Panvinius, Veronæ suæ decus. Vide & Epistolam Gelasii P. M. ad Andromachum Tom. 11. Concil.

v.266 *Nu-*

(a) *Ut tamen &c.* Plutarchus in Fabio: *Ex nympha memorant, alii ex muliere indigena, quæ cum Hercule juxta Tiberim amnem concubuerat, Fabium natum, virum, qui numerosam Romæ, & claram propagavit Gentem Fabiorum*. Fabiorum Familia (si qua Boxhorn. fides) sacrata Herculi fuit. Ipsum consule Quæst. Rom. 23. Sigonio videntur in Patriciorum album relati eo tempore, quum Romulus Tatio Sabinorum Rege Romam advocato, ex Sabinis Patricios legit.

(b) *I mea dixit &c. Tutelæ caussas multas retulere veteres*, inquit Noster, sed quam a recentioribus etiam accipimus, haud gravate in medium afferimus. Albric. de Deorum imag. cap. 4. cui ex recentioribus investigator diligens antiquitatis unus, & alter assentitur. *Juxta (Apollinem) corvus niger desuper volitans pingebatur (avis scilicet ipsi Deo consecrata) quod solus, contra rerum naturam in mediis ipsis æstivis fervoribus, oviparos pullulet fetus*.

v.266 *Nudos aurora Lupercos*. De hoc more Plutarchus in C. Cæsare: Τῶν δ' εὐγενῶν νεανίσκων καὶ ἀρχόντων πολλοὶ διαθέουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν γυμνοί, σκύτεσιν λασίοις τοὺς ἐμποδὼν ἐπὶ παιδιᾷ καὶ γέλωτι παίοντες. Subligacula tantum habebant circa pudenda ex ipsismet pellibus caprarum, quas in sacrificio fecerant. Dionysius lib. 1. Ἡνίκα ἐχλῶν τις περὶ τὸ Παλλάντιον οἰκοῦντες τῶν νέων ἐκ τοῦ Λυκαίου τεθυκότας παρελθεῖν δρόμον τὴν κώμην γυμνοῖς, ὑπεζωσμένοις τὴν αἰδῶ ταῖς δοραῖς τῶν νεοθύτων· τοῦτο δὲ καθαρμόν τινα τῶν κωμητῶν πάτριον ἐδύναντο. Nudum etiam corpus tunc illis unctum, nescio an vulgo notum sit; sed eruo ex Appiano lib. 11. Bell. civil· Ἀντώνιος, inquit, ὑπατεύων σὺν αὐτῷ Καίσαρι, καὶ διαθέων τότε γυμνὸς ἀληλιμμένος (ὥσπερ εἰώθασιν οἱ τῆς δὲ τῆς ἑορτῆς ἱερεῖς) ἐπὶ τὰ ἔμβολα ἀναδραμὼν, ἐστεφάνωσε διαδήματι. Uncti igitur & seminudi discurrebant vicatim ludentes; hinc Ludii appellati. Tertullianus de Spectaculis: *Sed & si Varro ludos a ludo, id est a lusu interpretatur, sicut & Lupercos ludos appellabant, quod ludendo discurrant*. Qui legunt utrobique *ludios*, non damno: idem antiquis aliquando fuit *ludus*, & *ludius*.

v.267 *Et Fauni sacra bicornis erunt*. Huic Deo suspicor capras illas immolatas: ex harum sanguine tunc duo juvenes fronte linita, lana lacte madida eam detergebant; nec sine risu. Plutarchus in vita Romuli: Σφάττουσι γὰρ αἶγας, εἶτα μειρακίων δυοῖν ἀπὸ γένους προσαχθέντων αὐτοῖς, οἱ μὲν ᾑμαγμένῃ μαχαίρᾳ τοῦ μετώπου θιγγάνουσιν, ἕτεροι δὲ ἀπομάττουσιν εὐθὺς, ἔριον βεβρεγμένον γάλακτι προσφέροντες. γελᾶν δὲ δεῖ τὰ μειράκια μετὰ τὴν ἀπόμαξιν. Canes etiam in eo sacrificio cæsi: caussam lege paullo post apud eumdem.

v.269 *Latias unde petita domos*. Ex Arcadia primum suspicatur cum Evandro translata: & in hanc sententiam idem scriptor in Romulo: Τοὔνομα δὲ τῆς ἑορτῆς ἑλληνιστὶ σημαίνει Λύκαια, καὶ δοκεῖ διὰ τοῦτο παμπάλαιος ἀπ' Ἀρκάδων εἶναι τῶν περὶ Εὔανδρον. & Clemens Alexandrinus Stromaton libro primo de Carmenta: Ἧς υἱὸς Εὔανδρος, ὁ τὸ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν τὸ Λυπέρκιον καλούμενον κτίσας. Hoc fanum auxerunt postea magnis ædificiis Romani, ut auctor Halicarnassensis libro primo: nam vetus illud Arcadium fuit humile, & in spelunca multa fronde pertecta. de qua idem, Ἔνθα βωμὸν, inquit, ἱδρυσάμενοι τῷ θεῷ, τὴν πάτριον θυσίαν ἐπετέλεσαν, ἣν μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου, Ῥωμαῖοι θύουσιν ἐν μηνὶ Φεβρουαρίῳ, μετὰ χειμερίους τροπὰς, οὐδὲν τῶν τότε γινομένων μετακινοῦντες.

v.270 *Coluisse feruntur Arcades*. Quippe quem ἐπιχώριον. Et sane nulla prorsus fuit urbs, aut angulus in ea regione, in quo sacrum aliquod huic Pani non esset. Lege tota Arcadica Pausaniæ. (a)

v 272 *Testis erit Pholoe*. Φολόη mons ejusdem regionis. Strabo. lib. 8. Καὶ ἡ Φολόη δ' ὑπέρκειται τῆς Ὀλυμπίας ἐγγυτάτω, ὄρος Ἀρκαδικὸν, ὥστε τὰς ὑπωρείας τῆς Πισάτιδος εἶναι. nomen sortitus a Pholo illo Herculi intimo ibi sepulto. Insignis est locus Diodori Siculi Βιβλιοθήκης lib. 4. Ὃν Ἡρακλῆς μεγαλοπρεπῶς ἔθαψεν ὑπὸ τὸ ὄρος, ὃ συλλῆς ἐνδόξου γέγονε κρεῖττον. Φολόη γὰρ ὀνομαζόμενον, διὰ τῆς ὁμωνυμίας μνήμην τοῦ ταφέντα, καὶ οὐ δὲ ἐπιγραφῆς.

v.272 *Testes Stymphalides undæ*. Stymphalus urbs in Arcadia, & ejusdem nominis amnis. Pausanias lib. 8. Ἐν δὲ τῇ Στυμφάλῳ χειμῶνος μὲν ὥρᾳ λίμνην τε οὐ μεγάλην ἡ πηγὴ, καὶ ἀπ' αὐτῆς ποταμὸν ποιεῖ τὸν Στύμφαλον. Ἐν θέρει δὲ προσλιμνάζει μὲν οὐδὲν ἔτι, ποταμὸς δὲ αὐτίκα ἐστιν ἀπὸ τῆς πηγῆς. οὗτος ἐς χάσμα γῆς κάτεισιν ὁ ποταμὸς, ἀναφαινόμενος δὲ αὖθις ἐν τῇ Ἀργολίδι, μεταβάλλει τὸ ὄνομα, καὶ αὐτὸν ἀντὶ Στυμφάλου καλοῦσιν Ἐρασῖνον. Ceterum illa, Οὗτος ἐς χάσμα γῆς κάτεισιν ὁ ποταμὸς, clarius explicat Strabo lib. 6. in his: Τὸ δὲ περὶ Στύμφαλον ὕδωρ ἐπὶ σταδίους ὑπὸ γῆν ἐνεχθὲν ἐν τῇ Ἀργείᾳ, τὸν Ἐρασῖνον ἐκδίδωσι.

v. 273 *Qui-*

(a) *Coluisse feruntur &c.* Si cui grave est tota Arcadica Pausaniæ legere, videat quæ de Pane inter Arcades ἐπιχώριο paucis complexus est elegantissime Ovidius hoc eodem loco v.271. usque ad v. 178. Hunc Arcades non silvarum modo Dominum *verum etiam* (utor enim Macrobii verbis) *universæ substantiæ materialis Dominatorem* dixerunt, τὸν τῆς ὕλης κύριον. Ἐπίσκοπον etiam vocarunt, idest speculatorem, quod pecudes, & armenta servaret, eaque tueretur. Μυστήρια, quæ in ejus imagine occulebantur luculentissime aperit Vir Cl. Viperanus noster de Poet. lib. 3. cap. 1. *Pan quasi rerum universitatem complectens in similitudinem naturæ formatus est. Nam est illi vultus ruber, qualis est æther, & cornua radiorum loco, quibus inter omnes cœlestes ignes Solem tantum, & Lunam armatam videmus; tum nebris stellata in pectore, sidera; pars inferior hispida, virgulta, arbores, & feras; caprini pedes soliditatem terræ; fistula; Cœlorum armoniam, & concentum; pedum recurvum, in se ipsum se convertentem annum, significat.*

v. 273 *Quique citis Ladon*. Hic defluit e paludibus Phenei.

v. 274 *Nemoris juga Nonacrini*. Nonacris etiam inter colles Arcadicos. Adi Plinium lib. 4. cap. 6. Is unus e quo fluebat stygos hydor: cujus admiranda petas e Vitruvio lib. 8. cap. 3.

v. 176 *Pan illic numen aquarum*. Hinc in Græcorum Epigrammatis nil frequentius reperies, quam Pani deo vota piscatorum. de his alicubi Zosimus Thasius:

. . . . Πρὸς νηῷ Πανὸς ἔθηκε λίνα.

ad felicem sane capturam.

v. 278 *Transtulit Evander*. Quo tempore, jam notavimus primo Fastorum.

v. 281 *Dialis erat*. Ne titubes. Idcirco hujus sacris flamen hic affuit; quia Pan universa natura creditus, & ipse Jupiter: norunt Mythici. *(a)*

v. 282 *Cur igitur currant*. Nunc dicendæ veniunt caussæ celerrimi cursus, & positæ vestis: quibus diutius insistit.

v. 285 *Concipit ille fugas*. Lege, *concitat ille feras*. & ita lib. MSS.

v. 290 *Vita feris similis*. Diodorus Siculus in primo: Τοὺς δὲ ἐξ ἀρχῆς γεννηθέντας τῶν ἀνθρώπων φασὶν ἐν ἀτάκτῳ δὲ θηριώδει βίῳ καθεστῶτας, σποράδην ἐπὶ τὰς νομὰς ἐξιέναι, καὶ προσφέρεσθαι τῆς τε βοτάνης τὴν προσηνεστάτην καὶ τοὺς αὐτομάτους ἀπὸ τῶν δένδρων καρπούς.

v. 293 *Æusta duabus aqua*. Quum neque poculi neque vini usus erat. Albius Tibullus:

O valeant fruges; ne sint modo rure puellæ:
Glans alat, & prisco more bibantur aquæ.

v. 298 *Et corpora nuda gerebant*. Idem Diodorus mox: Τοὺς οὖν πρώτους τῶν ἀνθρώπων, μηδενὸς τῶν πρὸς βίον χρησίμων εὑρημένου, ἐπιπόνως διάγειν, γυμνοὺς μὲν ἐσθῆτος ὄντας, οἰκήσεως δὲ καὶ πυρὸς ἀήθεις, τροφῆς δ' ἡμέρου παντελῶς ἀνεννοήτους. καὶ γὰρ τὴν συγκομιδὴν τῆς ἀγρίας τροφῆς ἀγνοοῦντας, μηδεμίαν τῶν καρπῶν εἰς τὰς ἐνδείας ποιεῖσθαι παράθεσιν. διὸ καὶ πολλοὺς αὐτῶν ἀπόλλυσθαι κατὰ τοὺς χειμῶνας, διά τε τὸ ψῦχος καὶ τὴν σπάνιν τῆς τροφῆς. Primus Rex Pelasgus subvenit his malis. Pausanias lib. 8. *Pelasgus igitur quum regnare cœpisset, primum quidem rudes homines docuit tuguria, ad frigoris, imbrium & æstus incommoda arcenda, ædificare: idem tunicas facere instituit e suillis coriis; qualibus his ipsis temporibus in Eubœa, & Phocide tenuiores homines utuntur.*

v. 305 *Faunus utrumque jugo*. Vetus habet, *loco*.

v. 308 *Humeros perfusa capillis*. De hac & alia crinium textura Lucianus ἐν τοῖς Ἔρωσι, sub finem: Ὁπόσαις δὲ ἀρκεῖν ἡ μέλαινα χαίτη νομίζεται, τὸν γεγαμηκότων πλοῦτον εἰς ταύτην ἀναλίσκουσιν, ὅλην Ἀραβίαν σχεδὸν ἐκ τῶν τριχῶν ἀποπνέουσαι, σιδηρᾶ τε ὄργανα, πυρὸς ἀμβλείᾳ φλογὶ λίαν θέντες, βίᾳ τὴν ἑλίκων οὐλότητα διαπλέκει. καὶ περίεργοι μὲν αἱ μέχρι τῶν ὀφρύων ἐφελκυσμέναι κόμαι, βραχὺ τοῦ μετώπου μεταίχμιον ἀφᾶσι, σοβαρῶς δὲ, ἄχρι τῶν μεταφρένων, οἱ ὄπισθεν ἐπισαλεύονται πλόκαμοι. Quum sic capillum gestabant, nodo ad summum verticem religabatur. Apulejus de quadam lib. 2. Met. *Uberes enim crines, leniter emissos, & cervice dependulos, ac deinde per colla dispositos, sensimque sinuato patagio residentes, paullisper ad finem conglobatos, in summum verticem nodus adstrinxerat*. Hic unus ornatus capitis muliebris: alius erat turulatus; eidem *spirosus* 11. Milesiarum: *Quid cum frequenti sobole spirosus cumulat verticem, vel prolixa serie porrectus dorso permanat?* Primus in Græco Epigrammate est: Πυργώσας κορύμβοις κεφαλὴν. Κόρυμβος concumulatio illa comæ. Hesychius: Κρώβυλος, ὁ ὁμαλὸς τῶν ... ἢ ὁ κόρυμβος ἢ ἐμπλοκὴ ἢ ἐστὶν ἀνειλιγμένη ἀπὸ μέσου τοῦ μετώπου ἐπὶ τὴν κορυφήν.

v. 309 *Meonis*. Nam Omphale domo Lydia. Meones antiquitus dicti Lydiæ populi. Strabo lib. 13. Τὰ μὲν γὰρ περὶ Κύζικον, Φρύγες ἐπῴκησαν ἕως Πρακτίου, &c. τὸ δὲ Θήβης πεδίον Λυδοὶ οἱ τότε Μῄονες. Herodotus lib. primo sub initium: Κανδαύλης δὲ ὁ Μύρσου, ὕπατος. οἱ δὲ

πρό-

(a) *Dialis erat &c.* Jure hujus sacris flamen Dialis adfuit: Pana enim Latini Inuum interpretantur (in antiquis Livii codicibus Inivus legitur ab *Ineo*, quod omnia iniret, fortasse per eamdem analogiam, qua a *vaco*, *vacuus*, & *vacivus*, ita ab *Ineo inuus*, & *inivus*) cujus religionem ex Arcadia in Italiam intulisse Evander perhibetur. Sub hoc nomine Jupiter, idest mundus coli creditur. *Pan* enim *omne* significat, idest naturam universam, varietasque pellis hinuli, qua tegitur, suis maculis, stellarum varietatem imitatur. Inferiorem partem habet hirsutam, pilosam, & hircinam, quæ terræ asperitatem indicat, superiorem vero hominis, quod in æthere ἡγεμονικὸν mundi, idque rationale esse, traditum sit.

πρότερον Ἄργωνος βασιλεύσαντι ταύτης τῆς χώρης, ἦσαν ἀπόγονοι Λυδοῦ τοῦ Ἄτυος· ἀπὸ τοῦ ὁ δῆμος Λύδιος ἐκλήθη ὁ πᾶς οὗτος πρότερον Μηίων καλεόμενος. Non melius in aliis Μαίων. nam Μήων, & Μαιων, scripsere Græci veteres. Nomina enim barbarica, teste eodem Strabone, variis obnoxia mutationibus: hac de caussa, Ὁμοίως, inquit libro 12. δὲ καὶ Βρίγοι, καὶ Βρίγες, καὶ Φρύγες οἱ αὐτοί. καὶ Μυσοί, καὶ Μήονες. καὶ Μαίονες, καὶ Μήονες. sed Meones antiquior scriptura, quam Mæones. Idem lib. 13. Οὓς ὁ ποιητὴς καλεῖ Μήονας, οἱ δ' ὕστερον Μαίονας. (a)

v. 309 *Aurato sinu*. Pro veste auro sparsa, sive acu picta, sive aureis filis contexta, sive segmentata: eodem sensu *auratum* legitur in auctoribus melioris notæ. Capitolinus in M. Antonino Philosopho: *Vasa etiam regia, & vestem uxoriam sericam & auratam, gemmasque etiam multas in repostorio sanctiore Adriani repererat*; & Trebellius Pollio in duobus Gallienis: *Gladiatores pompaliter ornati cum auratis vestibus matronarum*; & multo post: *Purpuream tunicam, auratamque virilem, eamdemque manicatam habuit*. Sed Noster, paucis interjectis, hanc eamdem Omphales facit *Getulo murice tinctam*. Compones ex auro & purpura vestem χιτῶνα ὁλοπόρφυρον, χρυσῷ καταπαστον, sive melius, τὸ χρυσοῦν σηρικόν, coloris vero purpurei, non ex lana: nam tunicæ epithetum est *tenuis*, quod Latinis scio passim pro serico in usu. Poeta de crocota:

. . . . *Tenui succincta crocota*.

Hanc e serico fuisse, expresse subindicat Comici Scholiastes, quum de eadem veste: Κροκωτόν, inquit, ἀπὸ πλείως ἔνδυμα. & de Coa veste Tibullus:

Huic sint & tenues vestes, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

Coam bombycem & Assyriam cum Serica sine controversia misce. Sit mihi ut antiquo fides: nomen enim Sericum post notos Seres innotuit: prius Coa, Assyria, Medica. Persica vestis, ut arbitror, eadem cum ea, quæ postea *serica* dicta. Porro de Medica clare Procopius libro primo Persicorum: Αὕτη δέ ἐστιν ἡ μέταξα, ἐξ ἧς εἰώθασι τὴν ἐσθῆτα ἐργάζεσθαι, ἣν πάλαι μὲν Ἕλληνες Μηδικὴν ἐκάλουν, τανῦν δὲ σηρικὴν ὀνομάζουσιν. Vide & Marsilium Cagnatum Variar. Obser. lib. 4. cap. 11.

v. 310 *Tepi-*

(a) *Auratu &c.* Reprehendit Lipsius Isidorum, quod bombycinum a serico non distinguit, sed injuria: Lipsius autem in ea est sententia, ut bombycinum sit e verme, sericum ex arbore. Quamvis enim Scriptorum optimi de serico loquantur tanquam de lana arborum, ut Virgilius Georg. 2. v. 121.
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres, non inde tamen conficitur minime esse vermium texturam. Bestiolæ enim conscendunt arborem, ac sine ullo artis cultu inibi sua pensa absolvunt, arborumque foliis aluntur. Quod vero dicitur a Plinio, aliisque: *frondium canitiem aqua debere persundi, ut vellera depectantur*, id cum domesticorum vermium opere perbelle convenit, quod sine aquæ suffusione, neque elaborari, neque ad absolutionem, perfectionemque perduci potest. Scalig. in exercit. ad Cardanum. 158. n. 9. *vidisse se*, narrat, *in Calabria neglectos in arboribus vermiculos, sine cura, cultuque, sericum facere; e quibus detrahunt incolæ*; sub hæc ex Commentariis Navigationum subjicit, *in Taprobana quoque sericum sine cultu ex arboribus detrahi*, confirmatque Veneti Legati auctoritate, ac peregrinantium scriptis, sericum, quod a Seribus in alias regiones importatur, idem ac illud esse, quo Nos utimur. Subscribit Dalechamp. qui ad Plin. x1. 23. se folia vidisse ait ex Perside, & Arabia advecta, quamvis paullo angustiora, & longiora, foliis tamen Mori persimilia serico vellere obducta, quod latens bombyx elaboraverat. Colligit hinc Orientale sericum nihil quicquam differre κατ' οὐσίαν a Nostrate, licet differat quod ad cultum, artificiumque. Bombyces siquidem in Oriente nent in summis arboribus; apud nos summa cura, ac diligentia foventur, nutriuntur, custodiuntur. Hæc, per nos ab optimis Scriptoribus quasi cursim depromta, ab Isidoro disputare voluimus, eo tamen animo, ne ab instituta brevitate discedamus. Quæ longiore disputatione in contentione ponuntur Scriptorum sententiis inter se dissidentibus, missa facimus, quod quæ, a suis quæque fautoribus defenduntur, facile ex iis poterit optimus Lector tanquam e fontibus, quum libuerit, commode haurire.

v. 310 *Tepidos umbracula soles*. Umbraculum τὸ σκιάδιον: quod ex pellibus & e qualibet divite materia concinnari poterat, quæ solis radios arceret. Recentiores Græci dixere σκιάδιον pileum Magni Domestici. Vide Codinum Curopalatam.

v. 312 *Tmoli vineta*. Τμῶλος Lydiæ mons imminet Sardibus: quæ olim regia fuit Lydorum. Plinius: *Celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis, qui antea Timolus appellabatur, vitibus consitus*. Hinc nostro, *vineta Tmoli*, & Græcis celebris οἶνος Τμωλίτης. de quo Strabo libro 14. Τμῶλος, καὶ ἡ Κατακεκαυμένη, καὶ Κνίδος, καὶ Σμύρνα, καὶ ἄλλοι ἀσημότεροι τόποι διαφόρως χρηστοινοῦσιν.

v. 314 *Tophis laqueata*. Natura magistra: nam tophus est nativus.

v. 317 *Alciden induit illa suis*. O viro forti injuriam! sed quia mortalis, ὀλιθηρός: risit tamen id factum Herculis Tertullianus in Pallio: *Turpius adbuc libido virum cultu transfiguravit, quam aliqua materna formido; tametsi adoratur a vobis, qui erubescendus est, Scytalosagittipelliger, qui totam epitheti sui sortem cum muliebri cultu compensavit. Tantum Lydiæ clancularia licuit, ut Hercules in Omphale, & Omphale in Hercule prostitueretur*.

v. 318 *Dat tenues tunicas*. Has ἀβρὸν κύπασσιν vocavit Diotimus Poeta vetus; traditque ab eadem in templo Dianæ consecratas in hoc Epigrammate, nescio an adhuc edito:

Χαῖρέ μοι ἀβρὲ κύπασσι, τὸν Ὀμφαλίη ποτὲ Λυδὴ
 Λυσαμένη φιλότητ' ἦλθεν ἐς Ἡρακλέους·
Ὄλβιος ἦσθα κύπασσι, καὶ ὡς ποτὲ καὶ πάλιν ὡς νῦν
 Χρύσιον Ἀρτεμίδος τῆτ' ἐπέβης μέλαθρον.

De hujusmodi veste consulendi Græci philologi, qui non omnes, ut hic, scripsere κύπασσιν duplici σσ. Hesychius: Κύπασσις, περίζωμα καὶ χιτῶνος εἶδος. Alcæus: Πὰρ δὲ ζώματα πολλὰ καὶ κυπασσίδες, non, κυπατίδες, ex emendatione v. cl. Is. Casauboni.

v. 320 *Tunicarum vincla relaxat*. Non verior unius libri editio, *tunicarum vincula laxant*.

v. 323 *Scindebant vincula parva pedes*. Quippe feminea; eademque non laxa ipsis gestari solita: quam phrenesim, inter alias mulierum, notavit Lucianus ἐν τοῖς Ἔρωσι: Καὶ μὴν τὸ ἀνθοβαφῆ πέδιλα, τῆς σαρκὸς ἐνδοτέρω τοὺς πόδας ἐπισφίγγοντα.

v. 324 *Clavamque gravem*. Seneca in Hercule Oetæo: *Posuitque clavæ pondus*.

v. 327 *Secubuere toris*. Nam in casto fuisse debebant, qui mane se rei sacræ immisturi erant: receptissimus ritus apud veteres, si aliquis receptior. In sacris Isidis factitatum observo disertim ex Juvenale: ubi maritus, si puris, & observandis diebus a concubitu uxorio non abstinuerat, veniam a Dea impetrat pro violato cadurco. Quid *cadurcum*, pridem explicarunt magni nominis litterati; sed hæc Satyricus: *(a)*

Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu sacris, observandisque diebus:
Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Inde lectum, in quo per eos dies cubabant, variis herbis substernebant, quibus vis aliqua ad tutelam castitatis: quod summa cura factum Athenis in Thesmophoriis. erat autem in usu conyza. Nicandri Scholiastes ad Theriaca: Κόνυζα εἶδος βοτάνης· καταψυκτικὴ δὲ αὕτη πρὸς συνουσίαν, διὸ ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ἐστρώννυντο. & ille Poetæ Syracusani ad Idyll. Κόνυζα, φυτὸν χαμαιζῆλον, ὃ αἱ Θεσμοφοριάζουσαι ὑπὸ τὴν ἀγρυπνίαν ὑπεβάλλοντο. δοκεῖ γὰρ ἡ βοτάνη ψυχικὴ οὖσα, ἐπέχειν τὰς πρὸς συνουσίαν ὀρέξεις. Pari modo ad idem recepta pinus folia, cneorum, vitex, & alia, ut scribit Etymologici auctor. Juvit & cicutæ liquor. Glossæ veteres Persii: *Cicu-*

(a) *Secubuere &c.*
Magnaque debetur violato pœna cadurco.
Qui sic explicant, ut cadurcum sumant pro lecto, in quo feminæ, Isidi, Cererive operaturæ, seorsim a viris decumbebant, nobiscum faciunt, & sapiunt. Ceterum ire libet in alia omnia, ne cum iis censeamus, qui Cadurcum pro cucullo sumunt, vel pro tentorio, quo merces protegerentur, vel pro Mulieris membro, quod esset membri velamen. Cadurcum lodix est, & culcita ex lino Cadurcensi densa & villosa ad frigus arcendum teste Plinio XIX. 1. cadurcæque fasciæ lodices, ac stragula, quibus, ut ait Sulpitia de se loquens, velabatur, ne scilicet fasciis cadurcis detractis, dum concumberet, nuda appareret.

Cicuta hic genus liquoris est, quod calorem in nobis frigoris sui vi extinguit: ideo Sacerdotes Cereris Eleusinæ, quibus usus Veneris interdicebatur, hoc liquoris genere ungebantur, ut a concubitu se abstinerent.

v. 328 *Repertori vitis quia sacra parabant.* Huic potissimum, cujus Γεραιραὶ in Limnis, ubi fiebant τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια, cogebantur, antequam sacra attrectarent, hanc sacramenti formulam proferre: Ἁγιστεύω καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπό τε τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας· καὶ τὰ Θεοίνια, καὶ Ἰοβάκχεια γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια, ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. Sunt verba Demosthenis. (a)

v. 332 *Vinoque gravatos.* Evariant codices, e quibus diversæ editiones sunt, *solutos*, *sopitos*, *sepultos*.

v. 338 *Setis hirsuta leonis Vellera.* Quibus Omphale Herculem mentiebatur.

v. 344 *Ascendit.* Ostendit hac vocula fuisse λίχον ejusdem βάθρον. Hæc pro litteratis.

v. 344 *Spondaque sibi propriore.* Sponda significat hic quamlibet cubilis partem: & bene. Nam *spondas* dixere Latini utraque lecti latera, sed cum discrimine: nam quæ parieti hærebat *interior* dicta, sive *pluteus*, altera *exterior*, sive *prior*. in hac cubasse viros observo. Marcellus Empiricus: *Facula, qua infectores utuntur, si spondam lecti priorem, qua vir cubat, perunxeris, & spondæ medio inligaveris, dolores capitis remediabis.* (b)

v. 348 *Cetera tentantem.* Αἰδοῖα.

v. 350 *Fit sonus, & comites.* Elegantius longe & venustius antiquæ membranæ:

Fit sonus, inclamat comites, & lumina poscit.

v. 355 *Lyda puella suum.* De eadem Propertius:

Lydia Gygæo tincta puella lacu.

v. 356 *Fallentes lumina vestes Non amat.* En secundam caussam nudi incessus: nunc pensita aliam, quæ subsequitur.

v. 358 *Adde peregrinis.* Ut Græci, quidquid suum non erat, *barbarum* & *exoticum* dixere; ita Romani *peregrinum*: unde his *peregrina lingua*, quævis extera; *peregrina sacra*, quæ colebantur eorum more a quibus accepta: ut hæc Lupercalia, illa Matris Idææ, & sexcenta.

v. 359 *Inque suo noster.* Libri aliquot, *Inque tuo noster*.

v. 362 *Veribus transsuta salignis.* Codex scriptus, *veribus transfixa*.

v. 363 *Exta parant.* Ex ritu antiquissimo, & exta ex victima sibi parare, eademque assa, non elixa. Antiphanes: Ζωμὸν δὲ οὐκ ἐποίει Ὅμηρος· θύων βοῦς, οὐδ' ἧψε κρέα· οὐδ' ἐγκέφαλον, ὤπτα δὲ καὶ τὰς κοιλίας· οὕτω σφόδρα ἦν ἀρχαῖος.

v. 366 *Et missi pondere saxi.* Solo brachio, an funda se exercuerint, ex his non colligo; licet veteres Glossæ λιθοβόλος *fundibalos* exponant: in qua vocula nihil τὸ σφενδόνης.

v. 377 *Quintilios non potuisse suos.* In nostro antiquissimo, *Quinctilios*. Legas ut lubet: utroque modo hanc familiam scripsere Prisci.

v. 378 *Fama manet facti.* Allucinaris, Ovidi. *(c)* Tuncne aliquid novi a Romulo, & & sociis in posterum introductum? non hercule, sed nudi se exercebant: quia vestimenta posue-

---

(a) *Repertori &c.* Hac Sacramenti formula munditiem, castitatemque, antequam sacra attrectarent, præstabant.

(b) *Spondaque &c.* Veteres sic lectum in cubiculo collocabant, ut in medio ne esset. Cubabantque Mulieres ad pluteum, viri autem ad spondam exteriorem, priorem, & interiorem dicit Ovidius Amo. 3. 14. v. 32.

Et pressus prior est, interiorque torus. Ubi spondam priorem partem appellat, pluteum autem interiorem: Mart. lib. 3. 91. v. 9.

Exciduntq; senem, spondæ qui parte jacebat;
Namque puer, pluteo vindice, tutus erat.

Hinc intelligitur quid sibi velit jocus ille Dolabellæ in Cæsarem minus quidem verecundus, sed tamen non infacetus, quo, Regiæ Nicomedis lecticæ interiorem spondam esse Cæsarem, dictitabat. Svet. in Jul. cap. 49.

(c) *Fama manet &c.* Vel Manes Caroli interpretanti Fastos Crispino adfuere, qui monerent, ut oscitantem Nasonem secum reprehenderent, vel Caroli Anaptyxim certe consuluit; ita feliciter optima, quæ Noster, fere semper Crispinus olfacit. Bene Crispinum. Sed quid est, quod tanti viri nomini, ut gratum se præbeat, genus aliquod honoris non deferat? Ne quid gravius dicam, mirari, me dicam.

posuerant ob sacrificium Pani peractum, ex more antiquissimo, recepto ab Evandri adventu. Dionysius ex auctoritate viri magni, cujus verba supra ejusdem patria lingua dedi. *Ælius Tubero, vir gravis, & scriptor diligens, tradit, Numitoris pastores insidiis elegisse tempus, quo juvenes Romulus, & Remus Pani Lupercalia, sacrum Arcadicum, ex Evandri instituto erant celebraturi; quando mos erat, ut inter Palatini montis incolas juventus post cæsas hostias e Lupercali nuda circum vicum cursitaret, pudendis tantum recens mactatarum pecudum exuviis succinctis: id erat lustrationis genus quoddam vicanis receptum usu patrio. quod nunc quoque solet fieri.*

v. 380 *Cur sit locus ille Lupercal.* Quærit etymon Lupercalis; quod locus in quo Fauni sacra fiebant. Et primo ad lucem narratiunculæ præfero Dionysii verba de nemore, quo scapha cum geminis expositis recessit: Ἐλέγετο δὲ Πανὸς εἶναι τὸ νάπος, καὶ βωμὸς ἦν αὐτόθι τῷ θεῷ.

v. 381 *Quæve locum tali.* Codices aliquot, *Quæve diem tali*: hanc autem esse veram γραφὴν affirmare non audeo.

v. 382 *Silvia Vestalis.* Hinc eadem de se ipsa in III. (a)

Ignibus Iliacis aderam, quum lapsa capillis
Decidit ante sacros lanea vitta focos.

v. 383 *Patruo regna tenente suo.* Amulio; qui, fratre pulso, regnum occupavit.

v. 385 *Quid facis? ex ipsis.* Germana lectio mei libri, *Quid facis? ex istis.*

v. 389 *Hibernis forte tumebat aquis.* M. Varro lib. 4. de L. L. *Germalum a germanis Romulo, & Remo, quod ad ficum ruminalem & hi inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alveolo expositos.* Clarum ex his, hiemali tempore in lucem editos. In hanc rem tritissimum Tarrutii Mathematici locum prætereo, ut satis a Criticis, & Chronologis excussum; & obiter corrigo Plutarchum in Romulo, ubi de Germalo agens, Ὃν νῦν Κερμανὸν inquit, καλοῦσι, πάλαι δὲ Γερμανόν, ὡς ἔοικεν, ὅτι καὶ τοὺς ἀδελφοὺς, Γερμανοὺς ὀνομάζουσιν. Legendum omnino, Ὃν νῦν Γερμαλὸν, ut pateat cum Varrone discrimen antiquioris voculæ.

v. 390 *Lintres errare videres.* Et in VI.

Hic ubi nunc fora sunt udæ tenuere paludes:
Amne redundanti fossa madebat aqua.

v. 391 *Quaque jacent valles.* Vallis Circi maximi eadem cum ea, quæ dicta *Murcia*, caveæ clamoribus nobilis. obvium in multis.

v. 395 *Iste vigoris habet.* Haud dubie hic Romulus.

v. 400 *Si non ope mater egeret.* Nam sacerdos illico vincta, in custodiam data.

v. 402 *Nata simul, moritura simul.* Verba famuli lacrimantis ad puellulos.

v. 404 *Sensisse putares.* Idem noster in re simili finxit de filio Canaces Epistola II.

Jamque dari parvum canibusque, avibusque nepotem
Jusserat; in solis destituitque locis.
Vagitus dedit ille miser; sensisse putares:
Quaque suum poterat voce rogabat avum.

v 406 *Cavus alveus unda.* Hac vocula plura adsignificarunt veteres: hic valet pro *cavato ligno*, ut apud Phædrum Augusti libertum:

Alveolo cœpit ligneo conspergere
Humum æstuantem . . . . . .

Est & Latinis *alveus* πύελος, quod Græcis solium balneare. Scholion apud Carcinum:

Ἐν ταυτῷ πυέλῳ τόν τ᾽ ἀγαθὸν, τόν τε κακὸν λοῦ.

v. 408 *Silvis appulsus opacis.* Inserendus huc omnino locus iste Dionysii: Ἡ δὲ λύκαινα οὐ μάλα ἀγριαίνουσα τῇ τῶν ἀνθρώπων προσόδῳ, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἂν χειροήθης, ἀποστᾶσα τῶν βρεφῶν ἠρέμα, καὶ τῶν πολλὴν ἀλογίαν τοῦ ποιμενικοῦ ὁμίλου, ἀπῄει· καὶ, ἦν γάρ τις οὐ πολὺ ἀπέχων ἱερὸς χῶρος ὕλῃ βαθείᾳ

(a) *Silvia &c. Hac vocula plura adsignificarunt veteres*, Noster inquit; ita est. Festus enim in *Solla* sedem balneariam esse dixit lavandi gratia institutam, in quam descendunt, qui lavantur. Plinius per similitudinem tabulam lusoriam alveum appellavit, quod alveus flumini sit similis, ripamque asserulæ ad omnem partem appositæ repræsentent. Hunc Cn. Pompejum Romam transtulisse narrat 32. 2. cum tesseris e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor. Tubulos testaceos inter parietem sudationis, pluteumque collocatos, alveolos dixere, quos etiam inter vasa coquinaria posuerunt.

θεῖα συνηρεφῆ, καὶ πέτρα κοίλη πηγὰς ἀνιεῖσα· ἐλέγετο δὲ Πανὸς εἶναι τὸ νάπος, καὶ βωμὸς ἦν αὐτόθι τοῦ θεοῦ· εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἐλθοῦσα ἀποκρύπτεται.

v. 410 *Quæque vocatur Rumina*. A mamma: Glossæ, *rumis* θηλή, ἀρχαϊκῶς. Festus: *Mamma autem rumis dicitur sive ruma; & rumen*, ni falsa editio Plinii in his: *Quoniam sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumen*. quod non puto; nam a rumine dixerunt ficum *ruminam*, & *ruminalem*.

v. 411 *Romula ficus erat*. Legit Vir magnus,

Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.

sed non ex vero. Livius: *Ubi nunc ficus Ruminalis est, quam Romularem vocatam ferunt*. Antiquius ergo fuit arbori nomen Romularis.

v. 412 *(Mirum) lupa feta gemellos*. Sic creditum; ut etiam de Lycasto, & Parthasio, qui in regnum Arcadicum successerunt, si vera refert Zopyrus Byzantius. (a)

v. 417 *Et fingit lingua*. Ut in quinto hujus Operis de Achille juxta ægrum Chironem, *manibus fingebat amicis*. Sed valde placet scriptura hæc, *Et lingit lingua*. Utraque est ad fidem Historicam. Halicarnassensis: *Lupa forte superveniens distentis a recenti partu uberibus, mammas eis præbuit, lingua simul ablambens lutum, quo se inquinaverant*.

v. 410 *Illa loco nomen fecit*. Plutarchus in Romulo: Ἀλλὰ τοῦτο μὲν κοινόν ἐστι δοκεῖ τῷ ἀπὸ τῆς λυκαίνης γεγονέναι τοὔνομα. καὶ γὰρ ἀρχομένους τὸ περίδρομον τοὺς Λουπέρκους ὁρῶμεν ἐντεῦθεν ὅπου τὸν Ῥωμύλον ἐκτεθῆναι λέγουσι.

v. 321 *Præmia lactis habet*. Repensum honorem; ut Propertianum illud: (b)

O vigil injustæ præmia fortis habes.

v. 422 *Arcadio dictos a monte Lupercos?* Accedit novum alterum etymon, a Lycæo scilicet Arcadiæ monte. *Lupercum* enim vere reddes Græce Λύκαιον, & *Lupercalia* Λύκαια: quæ festa in ea regione antiquissima. & congruunt aliquantulum cum nostris. Plutarchus in vita Cæsaris: Ἦν μὲν γὰρ ἡ τῶν Λουπερκαλίων ἑορτή, περὶ ἧς πολλοὶ γράφουσιν, ὡς ποιμένων τὸ παλαιὸν εἴη, καί τι καὶ προσήκει τοῖς Ἀρκαδικοῖς Λυκαίοις. Hæc instituta a Lycaone Pelagi filio. Vide Pausaniam sub initium lib. 8. (c)

v. 423 *Templa Lycæus habet*. Idem scriptor in Arcadicis: Ἔστι δὲ ἐν τῷ Λυκαίῳ Πανός τε ἱερόν, καὶ περὶ αὐτὸ ἄλσος δένδρων καὶ ἱππόδρομός τε, καὶ πρὸ αὐτοῦ στάδιον· τὸ δὲ ἀρχαῖον τῶν Λυκαίων ἦγον τὸν ἀγῶνα ἐνταῦθα. Mentio, & Panis hujus cognomenti in Epigrammate Leonidæ Tarentini:

Ὀχριὶς Θηρίμαχος τὰ λαγωβόλα Πανὶ Λυκαίῳ
Ταῦτα πρὸς Ἀρκαδικοῖς ἐκρέμασε σκοπέλοις.

v. 426 *Fecundæ patienter verbera dextræ*. Plutarchus in Romulo: Αἱ δ' ἐν ἡλικίᾳ γυναῖκες οὐ φεύγουσι τὸ παίεσθαι, νομίζουσαι πρὸς εὐτοκίαν καὶ κύησιν συνεργεῖν. *Mulieres adultæ non decli-*

(a) *Mirum lupa &c. Sic creditum*, ait Carolus, sed perperam credunt. Neque enim modo, præter Lactantium, & Eusebium, Christianorum alii fictum ab orioso aliquo homine commentum esse testantur, verum etiam Ethnici complures apud Plutarchum in vita Romuli. Id excogitasse ferunt Halicar. & Festus Dioclem quemdam Peparethium Græcum Scriptorem, quem Q. Fabius Pictor, & post hunc historici complures sequuti sunt. Recte igitur Patavinus: *Pueros a Faustulo ad stabula Larentiæ uxori educandos latos, quæ vulgati corporis Femina quum esset, Lupa inter Pastores vocata fuit. Hinc locum fabulæ, ac miraculo datum*.

(b) *Præmia &c. Repensus* quidem *bonos fuit*: ejus enim Lupæ statua in Romuli Templo visebatur.

(c) *Arcadio &c. Accedit novum alterum etymon, a Lycæo scilicet Arcadiæ monte. Lupercum enim vere reddes Græce* Λύκαιον, *& Lupercalia* Λύκαια, ita Noster. Sed Pana alii Lycæum cognominatum affirmant, quasi Lupinum dicas, quod Pecus a Lupis servaret; Ovidius Lupercal a Lupa Romuli deducit. Ut vere dicam, mihi probari non potest. Multis enim ante tempestatibus, quam ea loca Evander teneret, sollemne hoc, in Arcadia celebratum, ab Evandro ad Palatinum montem allatum fuit.

naut verbera, proficere ea ad conceptionem & partum ratæ. idque non a plebeis solum, sed a nobilissimis matronis factitatum. Idem in C. Cæsare: Πολλαὶ δὲ καὶ τῶν ἐν τέλει γυναικῶν ἐπίτηδες ὑπαντῶσαι παρέχουσιν, ὥσπερ ἐν διδασκάλου: τὼ χεῖρε ταῖς πληγαῖς, πεπεισμέναι πρὸς εὐτοκίαν κυούσαις, ἀγόνοις δὲ πρὸς κύησιν ἀγαθὸν εἶναι.

v. 428 *Nam fuit illa dies*. Aperit nunc unde mos fuerit Lupercis, pellibus caprarum obvias quasque cædendi: hæc enim verbera non ex Evandri adventu, sed post raptas Sabinas, ut vides, in Urbe recepta. Subiicit ergo, quod in alio non reperies, ob diuturnam in concipiendo sterilitatem, a sexu muliebri aditum lucum Junonis Lucinæ; quumque suppliciter medelam a Dea his malis optaret, auditum ex luco ferunt, ut hircus nuptas iniret. Quod insignis Augur Etruscus interpretatus, cædendas mulieres corio caprarum, quas Luperci Deo Pani facerent. Dictum factum: pristinæ fecunditati matronæ restituuntur, Lupercis jus verberum datum.

v. 434 *Multis inciduus annis*. Alii habent: *incæduus annis*. Utrumque Latinis receptum, qui quædam a *cædo* pronuntiarunt, quasi a *cido*: ut *ancile*, pro *ancæle*; *recido*, pro *recædo*; & econtra: ut *ancæsa*, quæ vasa antiquitus cælata, quod circumcædendo talia fierent, auctore Festo Pompejo.

v. 435 *Lucus erat*. Varro de hoc lib. 4. L. L. in Exquiliarum etymologia: *Alii ab eo quod excultæ a rege Tullio essent. Huic origini magis concinunt luci vicini; quod ibi lucus Fagutalis, & lucus Mephitis, & lucus Junonis Lucinæ: quorum angusti fines: non mirum. jam diu enim late avaritia una est*.

v. 440 *Italidas matres*. Hæc vera editio. σολοικίζει Marsus, & alii, qui legunt *Italides*.

v. 443 *Ab Etrusca venerat exsul humo*. Peperit hæc tellus peritissimos artis auguralis. Scitum illud, Attium Navium, hujus disciplinæ virum magnum, his a patre traditum, ut eam solum edisceret.

v. 444 *Sua terga puellæ - Percutienda dabant*. Vere interscapilium, quod Latinis pars sub collo, Græcis κατώμιον: unde nostrum verbum *catomidiari*, quod proprium in Lupercalibus. Vetus Scholiastes ad illud Juvenalis,

. . . . *Agili palmas præbere Luperco*.

Palmas dicit, quia aut catomidiabantur; aut quia manibus vapulant cincti per civitatem. Sic lego cum summi judicii viro Cl. Salmasio. Vulgo est, *catomis lætabantur*: unde, & verisimile, interpretem scripsisse, *catomis cædebantur*. Frequens loquendi modus in Matyrologiis, ut in vita Viti martyris: *Hoc audiens pater ejus, jussit infantem catomis cædi*: id est κατωμαδὸν τύπτεσθαι, uno verbo, *catomidiari*. Id usurpavit Spartianus in Hadriano Cæsare: *Decoctores bonorum suorum, si suæ auctoritatis essent, catamidiari in amphitheatro, & dimitti jussit*. Agnoscit ad hunc locum Magnus Casaubonus editionem, in qua *catomidiari*: sed primam retinet a Græco κατωμαδίζεσθαι. Addo calculum. Sic nostro ævo noxios in loco publico nudos deridendos sistimus. Hispani dicunt, *Ponerlos a la verguença*. Nos Siculi tales ungimus aliquando melle, ut muscis etiam ludibrio sint. (a)

v. 445 *Pellibus exectis*. Prisca scriptura, *Pellibus exsectis*; alia, *exemtis*.

v. 446 *Nova cornua motu*. Libri aliquot, *mense*: meus vetus, *cursu*.

v. 448 *Dedit hæc tibi nomina lucus*. Etymon, ex Pliniana etiam opinione.

v. 450 *Facilis Lucina puellis*. Ipsamet apud Callimachum:

. . . . Πόλεσιν δ' ἐπιμίξομαι ἀνδρῶν,
Μοῦνον ὅτ' ὀξείαισιν ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες
Τειρόμεναι καλέωσι βοηθόον. . . . .

v. 452 *Orta dies fuerit*. Eadem Lupercalium: hac Sol in Piscibus, & ventorum incostantia per dies sex. Hanc ἀκαταστασίαν faciunt etiam Ægyptii a XXI. fere Februarii usque ad XXVI.

v. 456 *Obliqua Aquarius urna*. Ex scedographia.

v. 458 *Nam juncta micatis Signa*. Junguntur enim nodo illo cælesti, quem Græci dicunt, σύνδεσμον τῶν ἰχθύων.

v. 462 *Venit ad Euphratem*. Sed qua Syriam perluit, quam inundat, ut Taurum pene-

(a) *Sua terga &c.* Græcis κατωμάδια vox, quæ κατ' ὦμον significat. Ita Hesychius: κατωμάδια, κατὰ τῶν ὤμων, καὶ τοῦ τραχήλου. Qui olim torquebantur, plumbatis nuda cervice cædi solebant. Prud. περὶ στεφ. x 116.

Tundantur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet.

penetrat, licet ab ipso ducat originem: hanc enim habet ἐν τῷ προσβόρρῳ μέρει τοῦ Ταύρου. Strabo lib. 11. *Euphrates in Septemtrionali latere Tauri scaturiens, ab initio versus Ortum fluit per Armeniam, deinde ad Austrum se convertens Taurum secat inter Armeniam, Cappadociam, & Commagenam: inde se provehens, ubi in Syriam venit, vertit se versus hibernum ortum usque ad Babylonem; & cum Tigri conjunctus, Mesopotamiam includit.* Habes brevem Euphratis descriptionem: & quod ad rem, in Syriam extendi; id supra hisce etiam testatus: Α'ριστερᾷ δὲ, relinquens τὴν Α'κιλισηνὴν, καὶ Σωφηνὴν, τὴς μεγάλης Α'ρμενίας φέρεται ἐπὶ τὴν Συρίαν, ἐκλαμβάνει πάλιν ἄλλην ἐπιστροφὴν εἰς τὴν Βαβυλωνίαν, καὶ τὸν Περσικὸν κόλπον.

v. 463 *Inque Palæstinæ*. Tres enim veteribus Syriæ: Συρία Κοίλη, Φοινίκη, Παλαιστίνη. Ulpianus in l. prima de Censibus: *Sciendum est, esse quasdam colonias juris Italici, ut est in Syria Phœnice, splendidissima Tyriorum colonia.* & post pauca: *Est & Laudicena colonia in Syria Cœle, cui D. Severus jus Italicum ob belli civilis merita concessit. Ptolemensium enim colonia, quæ inter Phœnicem & Palæstinam sita est, nihil præter nomen coloniæ habet.* Hinc liquet, nec litteram summovendam ex eo Tibulliano:

Alba Palæstino sancta columba Syro.

legit enim Josephus Scaliger, *sancta columba suo. Neque enim*, inquit, *dicitur Celta Gallus, nec Romanus Latius; sic nec Syrus Palæstinus.* Vides uti deceptus vir in his litteris magnus. Hæc Syria Palæstina, eadem quæ Judæa. Ptolemæus Παλαιστίνης Συρίας, ἣτις καὶ Ι'ουδαία καλεῖται, θέσις. hinc Strabo Judæos jungit cum Syris: Ε'νιοι δὲ, inquit lib. 16. τὴν Συρίαν ὅλην εἰς τε Κοιλοσύρους καὶ Φοίνικας διελόντες, τούτοις ἀναμεμίχθαι φασι τὰ τέτταρα ἔθνη, Ι'ουδαίους, Ι'δουμαίους, Γαζαίους, Α'ζωτίους.

v. 472 *Genus hoc imponere mensis*. Quod hæc gens fuerit ἄπιχθυς, non dubium. Athenæus lib. 8. Καὶ ταῦτα μὲν ἔφη ὁ Δημόκριτος, καὶ αὐτὸς ὑμῖν προσοφωνήσας ἐκ ὀψοφαγικῶν παρέλθον ὡς ἐκ τῶν πάντων ἄριστον Οὐλπιανὸν, ὃς ὡς τὰ Σύρων πάτρια, καὶ ἡμᾶς τῶν ἰχθύων ἀπειρηκεν. Hinc Comicus ille Timocles apud eumdem de Hyperide τοῦ ὀψοφάγου:

Τὰς ἰχθυοπώλας ὥστε ἡμῶν ἀλυπεῖ.
Ο'ψοφάγος γὰρ ὡς τε τοὺς λάρους εἶναι Σύρους.

Sis alios adi Græcos, & Latinos Arati interpretes. Caussa vero cur piscibus abstinuerint, non eadem omnibus: hanc refert Antipater Tarsensis libro IV. περὶ Δεισιδαιμονίας, forte nugatur: Λέγεσθαί φησι πρὸς τινων: ὅτι Γάτις ἡ τῶν Σύρων βασίλισσα οὕτως ἦν ὀψοφάγος, ὡς τε κηρύξαι ἄτερ Γάτιδος μηδένα ἰχθὺν ἐσθίειν, ὑπ' ἀγνοίας δὲ τοὺς πολλοὺς αὐτὴν μὲν Α'ταργάτιν ὀνομάζειν, ἰχθύων δὲ ἀπέχεσθαι. Nova hæc mihi: nam in Strabone legi, ni fallor, hanc Syris Α'θάραν, reliquis corrupte Α'ταργάτιν vocitatam. Queritur, ut solet, de nominum mutatione, præcipue barbarorum: Καθάπερ, inquit, τὴν Δαρειήκην Δαρεῖον ἐκάλεσαν, τὴν δὲ Φάρζιριν Παρυσάτιν, Α'ταργάτιν δὲ τὴν Α'θάραν. & statim addit hanc a Ctesia vocari Δερκετώ. Vidit id Plinius; & bene de Hierapoli Syriæ urbe scripsit: *Ibi prodigiosa Atargatis, Græcis autem Derceto dicta, colitur.* Prodigiosa; nam ex pisce & femina composita. Ecce ex Luciano in suo περὶ τῆς Συρίης libello: Δερκετοῦς δὲ εἶδος ἐν Φοινίκῃ ἐθηησάμην, θέημα ξένον. ἡμισέη μὲν, γυνή, τὸ δὲ ὁκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας, ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται. (a)

v. 473 *Timidi Syri*. Ad religionem spectat epithetum; ut in Lemuralibus, *timidusque Deorum*. Convenit & Syris, qui priscis fuere pietate insignes; unde Statius in Silvis, de illius tractus urbe nobilissima:

Quod ramis pia germinat Damascus.

An conjectura Scaligeri verior, allusisse Nasonem ad Syriam phrenesim? ex esu enim piscium timuit ea gens, ne sibi venter aut membrum aliud intumesceret, ut probat ex versiculis Menandri ad Apotelesmaticum Manilii.

v. 474 *Proxima lux vacua est.* XIV. Kalendas Martias.

v. 474 *Ac tertia dicta Quirino*. XIII. kalendas erant Quirinalia, non XII, ut male rude illud par interpretum Marsus, & Fanensis. Instituta hæc non eodem die quo Romulus esse desiit in terris, sed multo post ejus excessum: nam aliter pugna esset cum scriptoribus, qui τὴν ἀφάνισιν rejiciunt in Nonas Quintiles veteris illius anni; has Litterati conferunt

(a) *Genus hoc &c.* Non pisces modo Gens hæc venerabatur, sed omnium religiosissime Numinum Fortunam colebant, ἄπιχθυς Natio dicta, quod piscibus abstineret. Contra eos, qui voluptates vehementius, quam rerum usus, & oportunitates exigunt, consectantur, proverbium in Plinio lib. 20. invenio: *Multa Syrorum olera.* Cultores hortorum diligentissimi Syri fuisse perhibentur.

runt in diem XXVI. Maji Juliani, in annum ab orbe condito CIↃ CIↃ CIↃ CCXXXV.

v. 476 *Sive quod hasta curis*. Sic noster, & emendati. Non adeo bene aliquot, *Sive quod hasta quiris*: nam q. antiquissimis Sabinis in scribendo non fuit in usu. (*a*)

v. 476 *Priscis est dicta Sabinis*. Testes M. Varro, Festus, Plutarchus, & alii. Inde iidem Sabini Martem primo *Curinum* appellarunt, & tractu temporis *Quirinum*: cujus statua illis & Romanis nihil aliud quam hasta. Clemens Alexandrinus in Protreptico: Ἐν Ῥώμῃ δὲ τὸ παλαιὸν, δόρυ φησὶν γεγονέναι τοῦ Ἄρεως τὸ ξόανον, Οὐάρρων ὁ συγγραφεύς. οὐδέπω τῆς τεχνίτης ἐπὶ τὴν εὐπρόσωπον ταύτην κακοτεχνίαν ὡρμηκότων.

v. 477 *Bellicus a telo*. Festus: *Curis est Sabine hasta: unde Romulus Quirinus, qui eam ferebat, est dictus*.

v. 479 *Junxerat ille Cures*. Hac tamen lege, ut Romani a Tatii patria Curites dicerentur, Urbs antiquum ei nomen a Romulo impositum servaret. Plutarchus in vita hujus Principis: Ἐκ τούτου συντίθενται ταῖς μὲν γυναιξὶν τὰς βουλομένας συνοικεῖν τοῖς ἔχουσιν (ὥσπερ εἴρηται) πάντων ἔργων καὶ πάσης λατρείας, πλὴν ταλασίας, ἀφειμένας· οἰκεῖν δὲ κοινῇ τὴν πόλιν Ῥωμαίους καὶ Σαβίνους. καὶ καλεῖσθαι μὲν Ῥώμην ἐπὶ Ῥωμύλῳ τὴν πόλιν, Κυρίτας δὲ Ῥωμαίους ἅπαντας ἐπὶ τῇ Τατίου πατρίδι. Semel ergo dicti illi Quirites, non mirum Romulum regem sub Quirini cognomento coluisse.

v. 486 *Quem tu tolles ad sidera cæli*. Duo veteres, *in cærula cæli*. Exstat ad verbum idem carmen in Metamorphosi; utrumque tamen haustum, vix mutata littera, ex Ennii Annalibus, de eodem Rege in numerum Deorum adscribendo.

v. 489 *Pondera movit Atlas*. Et bene etiam meus liber, *pondera sensit Atlas*.

v. 490 *Capreæ dixere paludem*. A qua Nonas illas Quintiles dictas aliqui putarunt *Caprotinas*; ego vero de etymo magis ad Varronem proclino: *Quod eo die*, inquit, *in Latio Junoni Caprotinæ mulieres sacrificant*: libro 5. de L. L. Vide tamen Plutarchi postrema in vita Romuli, ab illis, Ἡ δ' ἡμέρα ἣ μετήλλαξεν. (*b*)

v. 491 *Romule, jura dabas*. Adi T. Livium.

v. 492 *Sol fugit*. Notarunt hanc solis defectionem in Romuli excessu veterum omnium monumenta: sed Dionysius Halicarnassensis addit rem miram in ejusdem Regis conceptione observatam. verba sunt: Ἔοικε δὲ οὐ μικρὰν ἀφορμὴν παρέχειν τοῖς θεοποιοῦσι τὰ θνητὰ, καὶ εἰς οὐρανὸν ἀναβιβάζουσι τὰς ψυχὰς τῶν ἐπιφανῶν, τὰ συμβάντα ἐκ τοῦ θεοῦ περὶ τὴν σύγκρισιν τοῦ ἀνδρὸς ἐκείνου καὶ τὴν διάκρισιν. ἔν τε γὰρ τῷ βιασμῷ τῆς μητρὸς αὐτοῦ, εἴθ' ὑπ' ἀνθρώπων τινὸς εἴθ' ὑπὸ θεοῦ γενομένῳ, τὸν ἥλιον ἐκλιπεῖν φασιν ὅλον, καὶ σκότος παντελῶς, ὥσπερ ἐν νυκτὶ, τὴν γῆν κατασχεῖν· ἔν τε τῇ τελευτῇ αὐτοῦ ταὐτὸ συμβῆναι λέγουσι πάθος.

v. 493 *Fit fuga*. Græci inquiunt, diem illum Romani, τὴν τροπὴν τοῦ πλήθους, id est, POPLIFUGIA, appellarunt, ut habet vetus Kalendarium. De etymo discrimen apud antiquos. Vide M. Varronem lib. 5. de L. L. Dionysium lib 2. & Macrobium, si nosse hæc lubet. (*c*)

v. 498 *Sed*

(a) *Sive quod &c.* Probatur nobis eorum opinio, qui Romulum ideo Quirinum post mortem dictum fuisse, arbitrantur, quod nefas putarent Veteres humana usurpare vocabula, ubi essent divina efferenda; indignum enim id Cælo, Diisque esse videbatur. Fit hinc, ut Homerus juris divini veteris peritissimus, flumen, quod homines *Scamandrum* dictitabant, *Xanthum* faciat esse apud Superos, avemque hominum lingua *Cymindim* a Diis *Chalcidem* appellari constituat. Sic igitur Romulo post apotheosin, prævalentibus Sabinis, id nomen fuit, quod Deus tutelaris Curibus habuerat, Curinusque vocari cœpit: aut certe Deum Romæ Tutelarem Romulum nomine oppidi vocari placuit, unde Sabini Romam migraverunt. At enim ante mortem *Quirinus* dicitur a Virgil. Æneid. 1. v. 296.

. . . . *Remo cum fratre Quirinus*
Jura dabunt. . . . .

Esto. Sed verba sunt Jovis ad Venerem. Quid igitur mirum, si Deus is, in cujus potestate fata essent, conscius fuit nominis, quod Romulo post mortem esset imponendum?

(b) *Romule, jura &c.* Legebatur antea ad *Capreæ* paludem, ut videre est in Floro, & in Scriptore generis Augusti. In melioribus autem, & vetustioribus Flori Codicibus *Capræ* legimus. Salmasio tamen in Florum, utraque lectio probatur.

(c) *Fit fuga &c.* Plutarchus, *qui* αἰγὸς ἕλος *vocat*, addit diem, quo videri Romulus desiit, dictum Nonas Capratinas, vel Fugam Populi, quod multis nimbis, ac tempestate perterritus, huc illuc confugisset.

v. 498 *Sed procul e longa*. Scribe *Longa*: nam ob situm ab Ascanio nomen hoc habuit Origo gentis Romanæ, Livius lib. primo, & Dionysius eodem: Σαφηνισμοῦ δὲ ἕνεκα διορίζεται παρ' ἑτέραν πόλιν ὁμώνυμον ἐπικλήσει, τοῦ σχήματος ἐπικατηγορήσει. ἔστι δὲ ὥσπερ συνθετὸν ἤδη τοὔνομα ἐξ ἀμφοῖν, Ἄλβα Λόγγα.

v. 498 *Veniebat Julius Alba*. Hic fassus Romulum vidisse, & in eo quid humano majus: isti creditum, & sedati plebis animi, quum & dictis jusiurandum addidisset. Xiphilinus sub finem Augusti: Ἐκείνη δὲ, Livia, Νουμερίῳ τινὶ Ἀττικῷ βουλευτῇ ἐστρατηγηκότι, πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας ἐχαρίσατο, ὅτι τὸν Αὔγουστον ἐς τὸν οὐρανὸν κατὰ τὰ περί τε τοῦ Πρόκλου καὶ περὶ τοῦ Ῥωμύλου λεγόμενα, ἀνιόντα ἑωρακέναι ὤμοσε. Perjurium illud velut hereditarium postea usui fuit in omni Cæsarea consecratione. Justinus Martyr Apologia II. *Porrò cur morientes apud vos Imperatores semper immortalitati consecrare dignamini, producentes quempiam, qui jurejurando confirmet, vidisse se e rogo in cælum ascendere ardentem Cæsarem?* Insignis etiam ad morem Tatiani Assyrii locus in Oratione contra Græcos, de Antinoo in Luna ab antiquis imposito: Τίς, inquit, ὁ ἀναβιβάσας αὐτόν; εἰ μὴ καὶ αὐτὸν ὡς τοὺς βασιλέας, μισθοῦ ἢ δι' ἐπιορκίας τις, τοὺς θεοὺς καταγελῶν, εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνεληλυθέναι φήσας, τιμῆσαι.

v. 509 *Convocat hic populum*. Quatuor apud me, *hic populos*; Sabinos, & Romanos.

v. 510 *Collis quoque dictus ab illo*. Non adeo verum quin titubet Festus: *Quirinalis collis qui nunc dicitur, olim Agonus appellabatur, antequam in eum commigrarent fere Sabini Curibus venientes post fœdus inter Romulum, & Tatium ictum, a quo hanc appellationem sortitus est: quamvis existiment quidam, quod in eo factum sit templum Quirino, ita dictum*. (a)

v. 511 *Certis sacra paterna dies*. Ergo Quirinalia stata, & annua. Et corruptus Dionysii locus lib. 2. quum, Αὐτόν τε τὸν, inquit, Ῥωμύλον, ὡς κρείττονα γενόμενον ἢ κατὰ τὴν θνητὴν φύσιν, ἱεροῦ κατασκευῇ καὶ θυσίαις διετησίοις δὲ εἰς ἀεὶ Κυρῖνον ἐπονομαζόμενον γεραίρεσθαι. Legendum omnino, ἐτησίοις, eraso δι: mendum, quod huc usque nemo Criticorum suboluit.

v. 512 *Cur eadem Stultorum festa vocetur — Accipe*. Sed prius hæc e Plutarchi Quæstionibus Romanis: Διὰ τί τὰ Κυρινάλια, μωρῶν ἑορτὴν ὀνομάζουσιν; ἢ ὅτι τὴν ἡμέραν ταύτην ἀπεδεδώκεσαν (ὡς Ἰόβας φησὶ) τοῖς τὰς αὐτῶν φρατρίας ἀγνοοῦσιν, ἢ τοῖς μὴ θύσασιν, ὥσπερ οἱ λοιποὶ, κατὰ φυλὰς ἐν τοῖς Φορνακαλίοις, δι' ἀσχολίαν ἢ ἀποδημίαν ἢ ἄγνοιαν, ἐδόθη τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ τὴν ἑορτὴν ἐκείνην ἀπολαβεῖν; Non damno inter caussas distractiones, & peregrinationes; sed illa τῆς ἀγνοίας nostro placuit, & Festo Pompejo; hujus hæc verba ex emendatione Scaligeriani acuminis: *Quirinalia mense Februario, dies, quo Quirino fiunt sacra, idem Stultorum feriæ appellatur; quod quidam, qui suorum Fornacalium sacra Romæ ignoraverant, eo potissimum rem divinum faciunt*.

v. 518 *Veteres jaciebant*. Pari significatione dictum a Demosthene καταβάλλειν σπέρμα. Porro far in usu Romanis CCC. annorum spatio fuisse, tradit M. Verrius Flaccus apud Plinium lib. 18. Hist. nat. cibus ex eo confectus appellatus *farratum*. de quo Juvenalis Satyra 11. & ejus Scholiastes: *Farratum, cibus ex farre, qui primus antiquorum fuit*. (b)

v. 521 *Damna tulere suo*. Nam sequuta sementis jactura ex ignota torrendi ratione.

v. 524 *Facta Dea est Fornax*. A Numa habuit initium, & festa, quæ Fornacalia vocata. Plinius ex Hemina vetusto scriptore libro 18. cap. 2. *Numa instituit Deos fruge colere, & mola salsa supplicare, atque far torrere, quoniam tostum cibus salubrior esset: id uno modo consequutum, statuendo non esse purum ad rem divinam nisi tostum. Is & Fornacalia instituit, farris torrendi ferias*. sed fecit indictitias, non statas. Hinc illi, qui, ea die quum Fornacalia indicebantur, feriari non poterant, Quirinalibus sacra illa omissa coacti peragere. forte quia hæc inter popularia. Festus: *Popularia sacra sunt, ut ait Labeo, quæ omnes cives faciunt, nec certis familiis attributa sunt: Fornacalia, Parilia, Laralia porca præcidania*. Opposita his ergo privata, Gentilitia, & Familiaritia sacra.

v. 526 Cu-

(a) *Collis &c.* Ante Festum, Varro a Curetibus Collem hunc Quirinalem dictum, ab iis scilicet, qui Curibus cum T. Tatio Romam venerunt, affirmavit.

(b) *Veteres jacebant &c.*
Ponebant igitur Tusco farrata Catino.
Sic Juvenalis in XI. Non genus modo cibi ex farre, sed etiam farre conspersi fuisse accepimus. Sunt qui putent *farratum* genus fuisse pultis ex farre. *Pultis farratæ* alicubi mentionem fieri opinatur Vir Cl. Samuel Pitiscus.

v. 526 *Curio maximus indicit*. Hic caput & ἔξαρχος XXX. Curionum. Hujus auctoritate, ut scribit Paullus Abbreviator, *Curiæ & illi regebantur*. Græce diceres ἀρχιλοχαγόν, sive ἀρχιφρατριάρχον. Curiones enim Dionysius φρατριάρχους appellavit καὶ λοχαγούς: inde ab eodem Curialis focus dictus φρατριακὴ ἑστία, Curialium conventus φρατριακὰς συνόδους, Curiata comitia φρατριακὴ ἐκκλησία. Quin hoc quoque observare licet, Curionem maximum ad annum v.c. DXLIIII. semper ex patribus creatum, ex plebe vero deinceps. Lege Livium lib. 27. (a)

v. 526 *Legitimis verbis*. Ut illa apud Arnobium libro 7. LAVATIO DEUM MATRIS EST HODIE. JOVIS EPULUM CRAS EST. ÆSCULAPII GERITUR CELEBRRATURQE VINDEMIA. LECTISTERNIUM CERERIS ERIT IDIBUS PROXIMIS. *Legitimum* erat, quidquid certa formula dicebatur, sive ediscebatur.

v. 527 *Indicit*. Hinc Curiones sunt Cusiones in Carmine saliari, hoc est Calatores, sive Sacrorum præcones.

v. 528 *Pendente tabella*. In ea exaratum, ut hæc populi pars in Titia curia cogeretur, pars in Tisata, pars in Saucia, reliqua in attributis cuique curiis: hæ veluti ædiculæ erant, in quibus, qui Urbem colerent, singillatim in sua quisque sacra faceret.

v. 531 *Sacra relicta die*. Non igitur expiabantur his festis ob omissi sacrificii crimen, ut putavit Neapolitanus ille in suis Genialibus; sed Deæ Fornaci quidquid sacri die illo indicto alii fecerant, isti Quirinalibus adimplebant.

v. 532 *Est honor, & tumulis*. Quirinalibus Feralia succedebant, sed post dies tres: & sequor vestigia antiqui Kalendarii. In his justa piis manibus solvebantur: quod hoc etiam mense Græci peragebant. Hesychius: Μιαραὶ ἡμέραι, τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς ἐν αἷς τὰς ψυχὰς τῶν κατοιχομένων ἀνιέναι ἐδόκουν. Notum, Anthesterionem inter menses Atticos Februarii, & Martii Romani partem complexum. (b)

v. 536 *Velata coronis*. Hæ etiam solitæ in sepulchra mortuorum afferri; ideo cædem nostro libro 3. Tristium sunt *Feralia munera*. Et in lapide prisco hæc lego: ITEM LECTISTERNIUM TEMPORE PARENTALIORUM EX X– CC MEMORIIS EJUSDEM VALERIANE ET APPI VALERIAN. FIL. EJUS PER OFFIC. TESSERARIOR. QUOD ANNIS PONATUR ET PARENTETUR ITEM CORONÆ MIRT. TERNÆ ET TEMPORE ROSÆ JUL. TERNÆ EIS PONATUR.

& in alio:

ET AD MONUMENTUM ITUM ADITUM AMBITUM ADQUE HAUSTUM CORONARE VESCI MORTUUM MORTUAS MORTUOSUE OSSA INFERRE UT LICEAT. Quid *itum*, *aditum*, *ambitum* nemo ignorat. Scito hæc non omnibus patuisse, sed iis quibus a monumenti domino permissum, quibus non nominatim excipiebantur: observare est in hac Romana inscriptione:

M. ÆMI-

(a) *Curio &c.* Curio Maximus per suffragia creabatur Liv. teste lib. 27. 8. *Comitia Curionis Maximi creandi caussa excitavisse vetus Certamen*. Quod hic Maximus, alii minores appellabantur. De minori Curione mentio fit in hac Inscriptione, quam legimus apud Gruterum p. 305. n. 4.

DIS. MANIBUS. SACRUM
C. CAESIO. Ↄ. L. TERNIOS
EX. PRIMA. ADMISSION
EX QUATUOR. DECURIS
CURIO. MINOR
CÆSIA. C. L. THEORIS
PATRONO
ET. SIBI

(b) *Est honor &c.* Non adeo notum Ἀνθεστηριῶνα inter menses Atticos, Februarii & Martii Romani partem complexum esse, ut minime de hoc rixentur Scriptorum gravissimi. Qui octavum hunc Atticorum mensem Aprilem fuisse contendunt Macrobii se, ac Philostrati auctoritate tuentur; qui vero Novembrem esse censuerunt Gazam sequuti sunt. Consulendus Erasmus in proverbio Θύραζε Κᾶρες οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια. Appellationem derivat Etymologistes, quem dicunt, ἀπὸ τοῦ ἀνθεῖν, quod nimirum terra tunc florere incipiat, terræ fetus magna ex parte tunc floreant. Si verum etymon, facile a Gazæ sententia discedo, eoque in eorum, qui disputant ab Aprili, quo mense Tellus sese incipit aperire.

M. ÆMILIUS ARTEMA
FECIT
M. LICINIO SUCCESSO FRATRI ·
BENE MERENTI
ET CÆCILIÆ MODESTÆ CONJUGI
SUÆ ET SIBI ET SUIS LIBERTIS
LIBERTABUSQ. POSTERISQ. EORUM
EXCEPTO HERMETE LIB. QUEM
VETO PROPTER DELICTA SUA
ADITUM AMBITUM NE ULLUM
ACCESSUM HABEAT IN HOC
MONUMENTO.

Ad hoc maceria totum cingebant cum uno,aut duplici introitu, ut liquet ex iisdemmet ruderibus. *(a)*

v. 538 *Inque mero mollita Ceres*. Hæc aut panis vino madidus, aut farina vino subacta. Puto hanc, ut faciebant veteres, libum ex faba milioque, sparso in utrumque mulso. Vide Festum.

v. 539 *Media testa relicta via*. In viis sepulcra avita posita, quis ignorat? Apulejus: *Portam civitatis egressi, monumentum quoddam conspicamur*.

v. 540 *Nec majora veto*. Multum sane consumsit antiquitas in his epulis monumentariis. hinc Tertullianus de Resurrectione carnis: *Defunctis parentant, & quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum; ut quos negant sentire quidquam, etiam desiderare præsumant*. Quod pejus, lego receptum hunc morem diutius a Christianis ad sepulcra Martyrum: sed in hos graviter invehitur Ambrosius de Helia & jejunio; unique gulæ totum id tribuit, ut alibi Tertullianus. hic vero non dubitat, quin a Parentalibus malum idololatriæ caput extulerit. *(b)*

v. 543 *In terras, juste Latine, tuas*. Bene in Latium: nam ritus antiquior & a Plutone initium suum habuit. Meus Siculus lib. 5. Βιβλιοθήκης: Τὸν δ' Ἄδην λέγουσι τὰ περὶ τὰς

τα-

(a) *Velata coronis &c. Coronas solitas in sepulcra mortuorum afferri* confirmat Noster; esto: at non omnes coronarum species. Vetitum enim fuit lege XII. Tab. ne longæ inferrentur. Hæc sunt verba legis NE LONGÆ CORONÆ, NEVE ACERRÆ PROFERUNTOR. Decemviri enim, ut quam minimo sumtu mors honestaretur, prohibuerunt longas coronas ab iis diversas, quibus,rotundæ quod essent, capita redimiri consueverant. Longis coronis non cadavera modo, & busta, & sepulcra, verum etiam sellæ curules, & Theatra, & currus triumphales, & fores implicabantur. Tibul. lib. 1. Eleg. 1. v. 21.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ Templi pendeat ante fores.

Ut vero præmiis virtus excitaretur, coronæ potestas facta est ei, qui aut per se, aut per servos,equosque suos in publicis certaminibus Victor eam meruisset, nec victoris tantum cadaveri, verum etiam Parenti ejus, corona imponebatur. Postquam enim filius elatus erat, corona eadem domum referebatur, ut esset testimonium virtutis in familia usque ad funus Parentum. Sed Legem ipsam consulamus, quam sic restituit V. C. Jac. Gothofredus.

QUI CORONAM PARIT IPSE, PECUNIÆVE EJUS, VIRTUTIS ERGO ARGUITOR: ET IPSI MORTUO, PARENTIBUSQUE EJUS, DUM INTUS POSITUS ESCIT, FORISQUE EFFERTUR, SE FRAUDE ESTO.

(b) *Nec majora &c. Multum sane consumsit antiquitas in his epulis monumentariis*. Ita Carolus. Sed tempora distinguenda sunt. Nam de moderandis funerum sumtibus severissimæ leges a Decemviris perlatæ fuere, caveruntque XII. Tab. ne quid fieret, quod aurea mediocritas minime moderaretur. Recte itaque Ovidius:

Parva petunt manes, pietas pro divite grata est
Munere: non avidos Styx habet ima Deos.

Procedentium vero temporum luxuries, tum maxime, quum Imperatores Tyrannidem occuparunt, optimam disciplinam evertit.

ταφὰς καὶ τὰς ἐκφορὰς καὶ τιμὰς τῶν τεθνεώτων καταδεῖξαι, τὸν προτοῦ χρόνον μηδεμιᾶς οὔσης ἐπιμελείας περὶ αὐτούς.

v. 544 *Sollemnia dona ferebat*. Prima tulit ille patris reliquiis in Sicilia nostra, ubi conditæ.

v. 545 *Ritus edidicere pios*. Malo ex scripto, *edidicere novos*.

v. 547 *Parentales deserere dies*. Tibi sit in hoc fides, mi magister: nam si eam annalium sequimur, non meminimus legisse, Parentalia aliquando ob bella intermissa.

v. 549 *Suburbanis rogis*. Hi enim ante Urbem excitabantur: unde noster in Tristibus de ossibus urna concludendis:

Atque ea cum foliis, & amomi pulvere misce,
Inque suburbano condita pone loco.

v. 552 *Ululasse per agros*. Forsan ab hac voce dixit Ausonius, *Ferale sonans*.

v. 555 *Prodigiisque modus*. Has species miraculorum repulsas vide in Arnobio lib. 7. adversus Gentes.

v. 556 *Viduæ cessate puellæ*. His igitur diebus vitabantur viduis nuptiæ, ut novis feriis, & atris aliquot lucibus: sed ferias minime religiosas ajebat olim solus Verrius Flaccus, idque non futili ratione. Tu vide apud Macrobium primo Saturnalium.

v. 557 *Exoptat puros*. Ac si hi impuri: ita est; nec alia caussa dixerunt Græci, Τὰ Ἀνθεστηριῶνος ἡμέρας, μιαράς, ut ex citatis Hesychii paullum supra observare est.

v. 557 *Pinea teda dies*. *Pinea*, an *spinea* legendum, in incerto est; quum spinus & pinus utraque pro face novis nuptis in usu fuerit. Illud moneo, accensam e foculo maritæ, non viri. Varro apud Nonium de vita P. R. *Quum a nova nupta ignis in face afferretur foco ejus sumtus, quum fax ex spinu alba esset, ut eam puer ingenuus afferret*. (a)

v. 558 *Matura videbere matri*. Idem vetat cuique virgini, ætate etiam nubili.

v. 559 *Hasta recurva comas*. Hæc acus celibaris diversa ab acu comatoria, qua compago crinium sustinebatur, & quæ Græcis βελόνας. De celibari vide Festum, & Plutarchum, qui δοράτιον vocat, ut noster in Quæstionibus Romanis.

v. 560 *Conde tuas Hymenææ faces*. Κηροὺς γαμηλίους.

v. 562 *Foribus celentur opertis*. Ut arcerentur ab aspectu funesto: qua de caussa hoc etiam vetitum iis, qui rem sacram facturi erant, ut Pontifici, flamini Diali, & aliis ministris: quin statuas Deorum in viis positas, si illac funestum aliquod transferendum erat, panno velatas memini legisse.

v. 563 *Ture vacent aræ*. Albinovanus ad Liviam, de Drusi funere:

Dique latent templis, nec iniqua ad funera vultus
Præbent: nec poscunt tura ferenda rogo.
Obscuros delubra tenent, pudet ora colentem
Adspicere invidiæ, quam meruere, metu.

v. 566 *Quam quot de mense supersunt*. Veteres, *quam quum*: alii optimæ etiam notæ, *quum tot*.

v. 567 *Quot*

(a) *Pinea teda &c.* In re tam dubia non est mihi in animo longius immorari. Id addam. Tædam aliquando pro arbore sumtam fuisse. Apud Juvenalem sat. 12. v. 57. Tabula est Navis, pinea, vel picea.

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quattuor, aut septem, si sit latissima Taeda.

In Lexico Greco Latino veteri πεύκη *larix*, *pinus*, *tæda*, in Glossario veteri Latino Græco Tæda est δαΐς, πεύκη, καὶ λαμπάς, unde conjiciendum videtur nuptialem facem, vel ex pinu, vel ex tæda arbore, quæ tædæ species est confectam fuisse. Plin. 16. 10. *Sextum genus est tæda proprie dicta, abundantior succo quam reliqua, parcior, liquidiorque, quam picea, flammis, ac lumini sacrorum etiam grata.* V. C. Cornelius Schrevellius πεύκη *pinus*, *larix*, *an a* πικρός, *amarus*? An quia πίσσαν ἔχει? aut a πίσσα *pix*. Hinc πεύκινος.

v. 567 *Quot habent carmina nostra pedes*. Si recte verba capio, ostendit XII. Kalendas Februarias finita Feralia: sic remanent e mense dies undecim, & his includo diem ipsum Feralem; in quo Vates aberrat a veteribus Kalendariis, quibus Feralia sunt die XXI. Februarii. Quod vero scribant interpretes, his sibi velle Nasonem a XVIII. per alios X. dies Feralia continuari posse, lente probo: nam dies postremus placandis manibus ipsemet Feralis, liquet ex hisce: (a)

Hanc quia justa ferunt, dixere Feralia lucem:
Ultima placandis manibus illa dies.

Sensus aptior esset, quem veriorem suspicor, incepisse Feralia a VI. Idus, terminataque XII. Kalendas: hæc inquit, non ultra, *quum tot de mense supersunt*. Et si germana est editio hæc, quod credimus, non elicitur ex his, per undecim dies continuata Feralia; per aliquot fuisse, negare non audemus: nam supra dixit, *dies parentales*, & Athenæus lib. 3. de Februarii etymo: Τὸν δὲ μῆνα τοῦτον καλεῖσθαί φησιν ὁ Μαυρούσιος Ἰόβας, ἀπὸ τῆς κατουδαίων φόβων κατ' ἀναίρεσιν τῆς δαιμόνων.

v. 570 *Ecce anus in mediis*. Recenset nunc quid actum ultima Feralium luce. Ut vides, anicula cum puellulis Nymphæ Mutæ nescio quid magicum parant. Præerat hæc Dea compescendis detrahentibus linguis. Debet Regi Numæ suum cultum. Plutarchus: Καὶ μίαν μοῦσαν ἰδίως καὶ διαφερόντως ἐδίδαξε σέβεσθαι τοὺς Ῥωμαίους, Τακίταν προσαγορεύσας, οἷον σιωπηλὴν ἢ ἐνεάν. ὅπερ εἶναι δοκεῖ τὴν Πυθαγόρειον ἀπομνημονεύοντος ἐχεμυθίαν καὶ τιμῶντος. Nunc ambigas quid velint hoc sacrificio veteres, & cur potissimum Parentalibus adjunxerint: forsan, ut nos edocerent, manes convitio non lacessendos; an aliud, tu cogita, si illud laudabile sane institutum.

v. 572 *Et digitis tria tura tribus*. Hunc numerum frequenter invenies receptum in superstitionibus. Τριὰς φύσει τέλειος, dixit scriptor Chæronensis.

v. 573 *Mus sibi fecit iter*. Tria igitur grana turis jacit ad limen, qua murium aditus ad sua domicilia.

v. 574 *Cum fusco licia plumbo*. En utrumque ad rem magicam. Psellus in lib. de Dæmonibus: Δαιμόνια ῥᾷστα χειροῦται τοῦ δὲ τοῦ μιαροῦ τῆς γοήτων γένους μολίβδῳ καὶ κηρῷ, ἢ λεπτῇ προσδεθέντα μίτῳ διὰ τῶν ἀθεμίτων ἀφορισμῶν πάθη τραγικὰ κατεργάζονται.

v. 574 *Fusco plumbo*. Hujus duo genera, nigrum & candidum. Lege caput Plinii 16. & sequens lib. 34.

v. 575 *Nigras versat in ore fabas*. Quod actum etiam in Lemuralibus: ibi is, cui sacrum curæ est,

Quumque manus pure fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.

v. 576 *Quodque pice adstrinxit*: Demum caput aut vere humanum, aut ex alia materia huic simile pice linibat, & acu pungebat a cranio ad mentum, legitur in antiquo nostro codice:

Obsuto mento torret in igne caput.

dein vivis carbonibus admotum, aridum jam vino conspergebat.

v. 576 *Quod acu trajecit aena*. Cornelius Celsus: *Quidam hic quoque duo lina acu trajiciunt*. Porro hac fere semper usæ veneficæ ad perniciem. Noster in Epist. Hyps.

Devovet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

v. 580 *Vin-*

(a) *Quot &c.* Feralibus diebus mensem Februarium statum fuisse non auctoritate modo, verum etiam ratione confirmari potest. Tempus enim anni illud voluerunt eligere, quum per longas noctes sacrificia, quæ noctu peragi solebant, commode fieri poterant, ac anni jam pæne exacti mense, ut magis auspicato novus annus inciperet, manibus sacere constituerunt. De die sub Judice lis est. Ut vere dicam, iis assentior qui ex Kalendario veteri diem statuunt undevicesimum, qui est XI. ante Kalendas Martias. Hæc videtur esse sententia Nasoniani versus *Non tamen hæc ultra* (sic enim lego quam libentissime) *quam quum de mense supersunt Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.*

v. 580 *Vinximus ora*. *Vincire* idem quod *ligare* proprie, dixerunt veteres, quum arte magica quidam functione aliqua prohibebatur, ut a saga hic linguæ usu maledici. (*a*)

v. 586 *Inter coryleta*. Liber antiquus *inter coruleta*, ut membranæ veteres Maronianæ: *Hic inter densas corulos*.

v. 598 *Lar nomine*. Ita textus, quem recensuit vir magnus, & inemendati aliquot codices; sed omnino legendum ex bonis, *Lara nomine*. Firmianus: *Quis quum audiat Deam Mutam, tenere risum queat? hanc esse dicunt, ex qua nati Lares; & ipsam Laram nominant vel Larundam*, quod verissimum. Glossæ, *Larunda*, δαιμόνων μήτηρ. Ausonius in Edylliis:

Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar.

v. 598 *Prima sed illi Dicta bis syllaba*. Lalara, inquit, fuit ei primum nomen.

v. 600 *Et vitio positum est*. Malo, *Ex vitio positum*. A loquacitate sic dicta hæc Græcis Λαλία. Plutarchus Symp. septimo: Πολύφωνος ὁ οἶνός ἐστι, καὶ λαλιᾶς ἀκαίρου καὶ στομάτων ἡγεμονικοῦ καταπίμπλησιν. Idem sæpicule λαλεῖν usus, pro effutire, & incircumspecte loqui. (*b*)

v. 601 *Nata tene linguam*. Fingit hanc Naidem Almone satam.

v. 606 *Jupiter intumuit*. Græcis etiam οἰδαίνειν, pro *irasci*; & οἴδημα, pro *ira*.

v. 607 *Eripit huic linguam*. Hinc Firmianus post illa supra citata: *Quid præstare volenti potest, qui loqui non potest?*

v. 610 *Accepit luctus euntes*. Dispuncta litterula legendum, *accepit lucus euntes*, ut in nostro. Miror ego, minutos meos καὶ κοπρολόγους interpretes hoc non vidisse.

v. 612 *Vim parat: hunc vultu*. In eodem, *Vim parat hic: vultu*.

v. 614 *Geminosque parit*. Hæc igitur Larunda, sive Diva Muta, est Mania Macrobii. *Idque aliquamdiu observatum*, ille inquit, *ut pro familiarum sospitate pueri mactarentur Maniæ Deæ, matri Larium*. (*c*)

v. 614 *Qui compita servant*. Ad hæc leges quæ notabimus, σὺν Θεῷ δ' εἰπεῖν, ad illud lib. v. (*d*)

Compita grata Deo, compita grata cani.

v. 616 *Proxima cognati*. VIII. Kalendas Martias erant Charistia. Bene Kalendarium Costantini Magni:

IX. FERALIA
VIII. CHARISTIA.
VII. TERMINALIA.

Omit-

(a) *Vinximus &c.* Vincire dicitur etiam de rebus aliis, quæ mentem e naturæ statu deturbant, eamque impediunt, quo minus munus suum exerceat. De vino Prop. lib. 3. Eleg. 3. v. 43.

Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna semper habere rosa.

De Amore Cat. Carm. LX.

Ac domum Dominam voca
Coniugis cupidam novi
Mentem amore revinciens &c.

(b) *Et vitio &c.* *Ex vitio positum*: Mirum quantum ad rem. *Labaram* Nympham omnium loquacissimam recte Noster appellatam fuisse putat: Λαλεῖν enim græce, plerumque latine est *imprudenter effutio, temere verba fundo*. Optimum hinc Græcorum monitum μὴ πάνυ πολλὰ λάλει, *ne loquare valde multa*. Ceterum hæc eadem Nympha, & *Lara*, & *Larunda* vocitata fuit, quam aliqui ferunt e Mercurio gravidam, a quo ad Inferos quum deportarentur compressa fuit, duos gemellos Lares suscepisse.

(c) *Geminosque &c.* *Hæc igitur Larunda, sive Diva Muta, est Mania Macrobii*; ita Noster: si Macrobii, est etiam Varronis qui hæc de L.L. VIII. 38. literis prodidit. *Videmus Maniam matrem Larum, & Luciam Volumniam Saliorum carminibus appellari*. Fuerunt etiam Maniæ, de quibus hæc Festus: *Manias Ælius Stilo dicit ficta quædam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii maniolas appellent. Manias autem, quas Nutrices minitantur parvulis pueris esse Larvas, idest manes, quos Deos Deasque putabant, quia aut ab Inferis ad Superos manant, aut Mania est earum avia, materve.*

(d) *Qui compita &c.* Vide igitur, quæ de Compitis & Compitalibus Sacrificiis disserit ad num. 44. lib. 5.

Omittit hæc festa vetus Romanum: miror. In Rurestri, post Parentalia & Lupercalia, legitur, CARA COGNAT. mallem CARI COGNAT. id est, *Caristia cognatorum*. Sed observa ista Valerii lib. 2. cap. 1. *Convivium etiam sollemne majores instituerunt, idque Caristia appellaverunt; cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.* Ad Ovidianum calculum accedit: dies ergo ille totus deditus conviviis. hinc eumdem, *Festum epularum*, dixerunt. Sed mea hæc suspicio: nam hoc nomine diutius dies, quo Petrus Apostulus cathedram in Antiochia erexit, vulgo dictus est: incidit ille in idem tempus, quo celebrata antiqua Charistia.

v. 622 *Innocui veniant*. Arcet ab hac mensa Atreos & Thyestes, Medeas & Inones, Philomelas & Prognes, & Tereos, & tandem capita quæ bona sceleri & crimini debent.

v. 624 *Cui pater est vivax*. Non abit hinc Papinius in lacrymis Hetrusci III. Silvarum:

> . . . . . *Pater est qui fletur, adeste*
> *Dique, hominesque sacris: procul hinc procul ite nocentes,*
> *Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus*
> *Longa patris, si quis pulsatæ conscius umquam*
> *Matris, & inferna rigidum timet Æacon urna.*

v. 630 *Dis generis date tura boni*. Vos mentes recti consciæ, in antiquo meo est, *date tura bonis*. Non reprobo scripturam: nam boni manes, & boni lemures (alios vocarunt noxios & aversos) erant Dii lares, quibus modo supplicabant pro incolumitate reliquæ familiæ. huc spectat vetus hic lapis: LARIBUS PRO SALUTE, ET INCOLUMITATE DOMUS Q. SERTORII.

v. 633 *Missa patella cibos*. De ritu Livius: *Inter pocula atque epulas, ubi libare Diis dapes & bene precari mos esset*. & Tibullus alicubi Lares compellans:

> *Adsitis Divi, nec vos e paupere mensa*
> *Dona, nec e parvis spernite fictilibus.*

Quid hic *parva fictilia*, nisi veteres patellæ? Antiqui magistri ad illud Satyrici, *cultrixque foci secura patella*; *Quia delibatæ*, inquiunt, *dapes in ea positæ, ad focum feruntur*. hinc, *patellarii Dii*, Plauto. & a Varrone scriptum, *Deos colere ac dare in patellam*, μικρὸν κρέας. (a)

v. 636 *Et, bene vos*. Nota formula hæc inter scyphos, & pocula antiquorum. Vide Plautum in Persa Actu v. Scena prima, & in Sticho Actu v. Scena quarta. (b)

v. 636 *Bene tu patriæ pater optime Cæsar*. Piaculum enim fuit apud antiquos, in quavis publica, sive privata mensa suo etiam Principi non bene precari. hic desinebam, quum venit ante oculos Ambrosius in hæc verba: *Quid memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum; qui non biberit, sit reus indevotionis. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O piæ devotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro Comitum virtute, pro filiorum sanitate: & hæc vota ad Deum pervenire judicant*. De Helia & jejunio cap. 17.

v. 638 *Nox*

(a) *Dis generis &c. Hinc*, inquit Noster, *Patellarii Dii Plauto*. Sed quid est, quod festivissimos Plauti versus prætereat? Ita Plautus Cistellar. actu 2. sc. 1. v. 42.

> . . . . Alc. *Enimvero, ita me Juppiter*
> *Itaque me Juno, & Saturnus; ita -- quid dicam nescio.*
> *Jam scio: immo mulier audi, meam ut scias sententiam:*
> *Dj me omnes magni, minutique, & patellarii*
> *Faxint, ne ego dem vivus savium Silenio,*
> *Nisi ego teque, tuamque filiam, meque hodie obtruncavero.*

(b) *Et, bene vos &c.* Vide varium apud veteres hujusce formulæ usum. Cum Nominativo est apud Ovidium.

. . . *Bene tu, patriæ Pater Optime Cæsar.*

Cum dativo apud Plautum in Persa act. 4. sc. 1. v. 22.

> . . . . *Bene omnibus nobis.*

& non ita multo post

> . . . . *Bene ei, qui invidet mihi, accipe.*
> *Et ei, qui hoc gaudio gaudet.*

Et apud eundem cum accusativo in Sticho act. 5. sc. 4. v. 27.

> *Bene nos, bene vos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium.*

v. 638 *Nox ubi transierit*. VII. Kalendas Martias erant festa Terminalia, dies N. P. ut notatur in Kalendariis. Neu credas duumbardis illis, qui rejiciunt in XX. Februarii diem.

v. 639 *Indicio qui Deus arva suo*. Is a Numa Pompilio primo cultus, & institutus. Ut enim contenti reculis propriis non ambirent alienas, fecit, ut unusquisque suum agellum circumscriberet, & finibus lapides insigeret. Ἱεροὺς, inquit Dionysius lib. 2. ἀπέδειξεν ὁρίου Διὸς τοὺς λίθους, καὶ θυσίας ἔταξεν αὐτοῖς ἐπιτελεῖν ἅπαντας ἡμέρᾳ τακτῇ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπὶ τὸν τόπον συνερχομένους, ἑορτὴν ἐν ταῖς πάνυ τιμίαν καὶ τὴν τῶν ὁρίων θεῶν καταστησάμενος. Ταύτην Ῥωμαῖοι Τερμινάλια καλοῦσι. (a)

v. 640 *Sive lapis, sive es stipes*. Ex utroque confecta sacra illa indicia rei alienæ; hinc illud: Πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον τὸν δὴ προσκυνοῦντες. Inde passim & lapidis & stipitis nomine terminus exauditur. Tertullianus alicubi, nec fallor, vocavit *palos terminales*, alius, *cancellos*. Fragmentum cujusdam sacrosancti (sic videtur) psephismatis: *Nullus Christianus ad fana, vel ad petras, aut ad fontes, vel ad arbores, aut ad cancellos per trivia lumina faciat, aut vota reddere præsumat*. Jam haud novum tibi fiet, *regio cancellata, cancellare, cancellatio*, quæ pro limitatione in Siculo Flacco.

v. 641 *Ab antiquis*. Hi Græci sunt, qui τέρμονας dicunt: nos, una mutata littera, *terminos*.

v. 642 *Te duo diversa*. Agrorum utrimque possessores. Hoc erat sacrificium privatum; publicum vero, quod fiebat ἀμφιωνεί sexto ab Urbe lapide; de quo noster paullo post. Nunc capies Plutarchum in vita Numæ: Ὁ δὲ τέρμων, ὅρος ἄν τις εἴη, καὶ θύουσιν αὐτῷ δημοσίᾳ καὶ ἰδίᾳ κατὰ τοὺς τῶν ἀγρῶν περιορισμούς.

v. 644 *Ara fit hic, ignem*. Vetus, *Ara fit, huc ignem*, recte.

v. 644 *Curva testa*. Idem & Vaticani verius, *curto testu*. Pauperis est habere fictilem, nec integram patellam, & rupto latere guttum.

v. 649 *Stat puer*. Hunc communi consensu litterati suspicantur, quem Græci, παῖδα ἀμφιθαλῆ, vocant, Latini *Camillum*. Inclino: sed quid dissimulem? lente. Mallem, boni senis filiolum pro puero intelligi: nam colona ejusdem etiam erat proles.

v. 650 *Inde ubi ter fruges*. Dionysius de Sacrificiis ad eumdem: Καὶ θύουσιν αὐτοῖς ἔτι, τῶν μὲν ἐμψύχων οὐδέν· οὐ γὰρ ὅσιον αἱμάττειν τοὺς λίθους. πελάνους δὲ Δήμητρος, καὶ ἄλλας τινὰς καρπῶν ἀπαρχάς.

v. 654 *Spargitur & cæso*. Et ubi sacra illa Numæ lex de servandis puris a sanguine his sacris? abiit. Audi Plutarchum: Νῦν μὲν ἔμψυχα, immolant: τὸ παλαιὸν δὲ ἀναίμακτος ἦν ἡ θυσία, Νουμᾶ φιλοσοφήσαντος ὡς χρὴ τὸν ὅριον θεὸν, εἰρήνης φύλακα καὶ δικαιοσύνης μάρτυρα ὄντα, φόνου καθαρὸν εἶναι. (b)

v. 656 *Vicinia supplex*. Legunt alii, *vicinia simplex*: non reprobo; sed vulgatam referunt M. SS.

v. 662 *Thyreatida terram*. Sic recte veteres. Ignota mihi Marsi editio, *Thyreida terra*, non ob regulas syllabarias: produxit enim primam Statius, si memini, IV. Thebaidos. Thyreatis terra pars erat terræ Argolicæ; Lacedæmonii tamen interceptam tenebant. Thucydides lib. 4. Ἀφικνοῦνται ἐπὶ Θυρέαν, ἥ ἐστι μὲν τῆς Κυνουρίας γῆς καλουμένης, μεθορία δὲ τῆς Ἀργείας καὶ Λακωνικῆς. νεμόμενοι δὲ αὐτὴν ἔδοσαν Λακεδαιμόνιοι Αἰγινήταις ἐκπεσοῦσιν ἐνοικεῖν.

v. 663 *Missa trecenta forent*. Imo sexcenta: ex his tres solum supervixere. Vide Herodotum libro I. Atrox hæc pugna fuit, si benè supputo, anno MCCCCLXXII. nam paullo post captus Crœsus, & Sardes, quod rejicitur in MCCCCLXXIII.

v. 666 *Quid? nova quum fierent Capitolia*. Opus inceptum a Tarquinio Prisco ex voto, sed a Nepote Superbo absolutum.

v. 669 *Restitit*. Inde prodiit ænigma illud perantiquum tribus versibus senariis:

Se-

(a) *Indicio qui &c.* Immo vero, ut a violatione Terminorum abstinerent, legem hanc constituit horrendi carminis
QUEI TERMINOM EXARASSIT,
IPSUS, ET BOVEIS SACREI SUNTO.
Hos præterea lapides, Dionysio teste, voluit Numa Jovi terminali sacros esse.

(b) *Spargitur &c.* Recte docent alii mutatam fuisse rationem sacrificandi, Plutarcho, Ovidio, Horatioque testibus locupletissimis. Horat. Epod. 2. v. 59.
Vel agna festis cæsa Terminalibus.

Semel minusne, an bis minus sit, non sat scio,
An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier,
Jovi ipsi Regi noluit concedere.

v. 671 *Foramen habent.* Servius lib. 11. *Unde in Capitolio superna pars tecti patet, quæ lapidem ipsum Termini spectat: nam termino non nisi sub divo sacrificabatur*, non tamen huic soli: cujus enim Numini, cui in loco aliquo fulgorito ara erecta, sine tegmine veteres faciebant; sed his plerumque. Vitruvius libro primo cap. 2. *Jovi, Fulguri, & Cælo, & Soli, & Lunæ ædificia sub divo hypætraque constituuntur. Horum enim Deorum & species, & effectus in operto mundo, atque lucenti præsentes videmus.*

v. 680 *Illic Lanigeri.* Valde placet scriptura vetus, *Illa lanigeri.*

v. 681 *Sacra videt fieri.* En publica, quæ acta in via Laurentina.

v. 681 *Sextus ab Urbe lapis.* Num hi antiqui agri Romani fines? haud dubie ita est: ideo Sacerdotes ibi sacrum Deo Termino agebant, nec aliam ob caussam ἐς μακρὰν ambarvale sacrificium extendebatur. Strabo lib. 5. Μεταξὺ γοῦν τοῦ πέμπτου καὶ τοῦ ἕκτου λίθου τῶν τὰ μίλια διασημαινόντων τῆς Ῥώμης καλεῖται τόπος Φῆστοι· τοῦτον δ' ὅριον ἀποφαίνουσι τῆς τότε Ῥωμαίων γῆς. οἵ θ' ἱερομνήμονες θυσίαν ἐπιτελοῦσιν, ἐνταῦθά τε καὶ ἐν ἄλλοις τόποις πλείοσιν, ὡς ὁρίοις, αὐθημερόν, ἣν καλοῦσιν Ἀμβαρουΐαν.

v. 685 *Quintus ab extremo.* Sic legendum censeo, ut in nostro antiquissimo: nec alio die notatur in Fastis lapideis Regifugium. Alii falso ad Kalendas Junias differunt; ut Macrobius Saturnalium libro primo cap. 12. *Putaverunt Junium mensem a Junio Bruto, qui primus Romæ Consul factus est, nominatum; quod hoc mense, id est Kalendis Juniis, pulso Tarquinio, sacrum Carnæ Deæ in Cælio monte voti reus fecerit.* Non ambrgo, quin Macrobium deceperit carmen Ovidii v. Fastorum, quum canit IX. Kalendas Junias: (a)

Quatuor inde notis locus est; quibus ordine lectis,
Vel mos sacrorum, vel fuga Regis inest.

Sed in his nulla mentio Regifugii: (miror id etiam sensisse Panvinum) sed tantum harum litterarum, Q. R. C. F. quæ significant, quando Rex, id est sacrorum, Comitio fugit. Fusius ad v. de hoc ritu prisco nos vide ad eosdem versiculos.

v. 687 *Vir injustus.* Idipsum regni initium aperuit, quod occiso Servio Rege socero invasit. Multa hujus Tyranni impia referunt severioris notæ Historici; multa quidem, quæ non illi, Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 3. πρὸς Αὐτόλυκον: Τοῦ οὖν, inquit, Κύρου τελευτήσαντος, ὡς ἔφθημεν εἰρηκέναι, Ὀλυμπιάδι ἑξηκοστῇ καὶ δευτέρᾳ, γίνεται καιρὸς ἀπὸ κτίσεως Ῥώμης ἔτη σκ'. ᾧ καὶ Ῥωμαίων ἦρξε Ταρκύνιος Σούπερβος τοὔνομα. ὃς πρῶτος ἐξευνούχισε Ῥωμαίους τινάς, καὶ παῖδας διέφθειρε, καὶ σπάδοντας ἐγχωρίους ἐποίησεν. ἔτι μὴν καὶ τὰς παρθένους διαφθείρων πρὸς γάμον ἐδίδου: διὸ εἰκότως Σούπερβος ἐκλήθη τῇ Ῥωμαϊκῇ γλώσσῃ· ἑρμηνεύεται δὲ ὑπερήφανος. imo omne convitium comprehendit Latinus Pacatus Panegyrico ad Theodosium: *Denique ipsum illum Tarquinium execratione postrema hoc damnaverunt maledicto, & hominem libidine præcipitem, avaritia cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem vocaverunt Superbum, & putaverunt sufficere convitium.* Hinc veteres Græci Patres ἀπόνοιαν *superbiam* dixere.

v. 689 *Fecerat arte suos.* Bene Livius libro primo: *Minime arte Romana, fraude ac dolo aggressus est.* Hunc tu lege, a quo noster historiam ad unguem decerpsit; &, si lubet, Eutropium, & Halicarnassensem.

v. 690 *Pro-*

(a) *Quintus &c.* Ex iis, quæ disertissime enarrat 5. Fast. ad num. 257. optime conjicitur, quid fuerit, quod Macrobium deceperit; qui a Regifugio nihil quicquam Regis Sacrificuli sacrum (quod in Comitio fieri solebat) dijudicavit. Cum enim neque magistratum gerere, neque cum Populo agere sacrorum Regi permissum esset, non poterat nisi stato in Kalendario die in Comitium ire ad sacrificandum. Sacro autem cursim peracto e Comitio veluti fugiens sese eripiebat. Id autem signatum erat in Kalendario his literis Q.R.C.F. (H. est, ut eruditissimi viri exponunt) *Quando Rex* (idest Sacrificulus) *Comitio Fugit*; Ovidiano autem disticho

Quattuor inde notis &c.

mentio fit Regis Sacrorum, & Comitii, non vero Regifugii. Hos ritus oblitus Macrobius in errorem inductus est.

v. 690 *Proles manifesta Superbi*. Sextus patri simillimus, qui minimus ex tribus erat, ut scribit Naso ex Historico Patavino, si Dionysium sequimur, natu maximus: nullius caussam agam. *(a)*

v. 695 *Dicere ut hæc posset*. Tres apud me, *ut hoc posset*.

v. 695 *Verbera passus erat*. Eaque in foro publice.

v. 697 *Notata vident*. Ad idem fere sensum torsit *notare* Petronius in Satyrico: *Sequar ego frontes notans inscriptione solerti, ut videamini stigmate esse puncti*.

v. 705 *Lilia summa metit*. Imitatus factum Thrasybuli Milesii, qui rogatus a Periandro per quemdam, necessaria moneret ad imperium diuturnum; agrum mutus cum Legato petit, & aristas cædit altiores: si quietem, innuens, Rex tuus quærit in regnis, extinguat validiores.

v. 710 *Altaribus anguis exit*. Tria simul triste aliquod portendebant: visus coluber in ara, rapta exta, & ignis extinctus: sed duo postrema non recenset Livius; nec illud in altari sedisse, sed e columna lignea (eam templi Capitolini veteris suspicor) elapsum in regiam prorupisse.

v. 713 *Qui dederit primus*. Non rectius in aliis, *princeps*.

v. 714 *Properata Tulerunt*. Veteres, *dederunt*. Lege ut adlubet.

v. 719 *Offenso pede*. De industria factum, fortuitum finxit: sequitur modo ut adimpletum Pythicum oraculum.

v. 720 *Cingitur interea*. Ex fide Annalium.

v. 721 *Longas obsidione moras*. Livius de urbe obsessa: *In iis stativis (ut fit) longo magis quam acri bello, satis liberi commeatus erant, primoribus tamen magis quam militibus*.

v. 724 *Tarquinius juvenis*. Nescio cur ambigant interpretes, an hic Tarquinius sit Sextus, quum de eodem paullo post legerint:

Interea juvenis furiales regius ignes
Concipit. . . .

& mox ipsemet, multa secum animo volutans:

Cepimus audendo Gabios. . . . .

v. 728 *Ecquid in officio torus est socialis?* Numquid nos reciproce amant uxores nostræ? num servant conjugales leges? *(b)*

v. 732 *Clarum Collatia nomen*. Tarquinius Collatinus Egerii F.

v. 738 *Fusis per colla coronis*. Erat id apud avos vinolentiæ nota.

v. 739 *Posito pervigilare mero*. Livius: *Pergunt inde Collatiam, ubi Lucretiam haudquaquam ut regias nurus, (c) quas in convivio, luxuque cum æqualibus viderant tempus te-* ren-

---

(a) *Proles manifesta &c. Sextus filius ejus, qui & minimus ex tribus erat, transfugit ex composito Gabios &c.* Ita legi solet; sed alias lectum *minor* refert V. C. Joannes Dujatius, ut Sextus secundo loco genitus videatur.

(b) *Ecquid in &c.* Prudentes viri de uxorum laude parcissime dicant. Candaules enim, & Collatinus, de illis tacere omnino tutum, in earum commendationem sese effundere periculosum esse, suo satis malo docuerunt. Spectatæ fidei, raræque formæ femina admiranda viro potius est, quam laudanda.

(c) *Posito &c.* De hac lege, & more luculente differit V. Cl. Vincentius Gravina lib. de Jure Naturali, Gentium, & XII. Tab. cap. 28. *Quo autem*, inquit, *castitas facilius servaretur, vini usus feminis interdicebatur. Fax enim libidinis vinum, neque ad eam quicquam temulentia pronius, utpote quæ corpus agitet, & lucem rationis, qua petulantia coercetur, obumbret. Quamobrem longe ante Romulum, vini usus feminis interdicebatur. Ferunt enim Faunam, Fauni sororem, eamdem & conjugem, quod vinum præter morem Regium bibisset, a viro dum cæderetur, inter virgas vitam liquisse. Criminis autem hujus apud veteres maritus vindex idem constituebatur, & judex. Etenim Egnatii Mecennii uxor, quod vinum bibisset, occisa fuit a marito impune, haud ægre id patiente Romulo. Et matrona quædam, quod e loculis cellæ vinariæ claves abstulisset, fame necata fuit a suis. Ac ne quo pacto feminæ vini potum celarent, Cato severus earum adversarius censuit, mulieres propinquis osculum ferre, ut fraudem odore proderent. Quamobrem vini potus inter justas repudii caussas numerabatur.*

rentes, sed nocte sera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inveniunt. Non meminit vini Historicus, cujus potus grave crimen sexui muliebri: scita lex illa Romuli. Inde ex Polybio Athenæus lib. 10. Παρὰ Ῥωμαίοις δέ, ὥς φησι Πολύβιος ἐν τῇ ἕκτῃ, ἀπείρηται γυναιξὶ πίνειν οἶνον. τὸν δὲ καλούμενον πάσσον πίνουσιν. τοῦτο δὲ ποιεῖται μὲν ἐκ τῆς ἀσταφίδος, καὶ ἔστι παραπλήσιος πινόμενος τῷ Αἰγοσθενεῖ. Ex his quædam si tale quid hausisset, quam cito deprehendi posset, istis idem subjicit: Λαθεῖν δ' ἐστὶν ἀδύνατον τὴν γυναῖκα πιοῦσαν οἶνον, πρῶτον μὲν γὰρ οὐδ' ἔχει οἴνου κυρείαν ἡ γυνή· πρὸς δὲ τούτοις φιλεῖν δεῖ τοὺς συγγενεῖς τοὺς ἑαυτῆς, καὶ τοὺς τοῦ ἀνδρὸς ἕως ἐξανεψιῶν, καὶ τοῦτο ποιεῖν καθ' ἡμέραν ὁπόταν ἴδῃ πρῶτον. Nota hos mores, & oscula hæc licita. Sed quæ Romulo fuerit legis ferendæ caussa, legenda in Dionysio Halicarnassensi. Hanc eamdem in Italia antiquiorem fuisse, & Herculis ævo, fidus testis Alcimus meus Siculus ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ τῇ βίβλῳ Ἰταλικῇ.

v. 741 *Ante torum calathi*. Antiquæ nostræ matres in atrio, ubi & lectus stratus, lanificio operam dabant. En hæc omnia uno exemplo Asconius: *Deinde omni vi janua expugnata, & imagines majorum dejecerunt, & lectulum adversum uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt; itemque telas, quæ ex veteri more in atrio texebantur, diruerunt*. Pro veteri intellige Romano. Sedes hæc domi Græcis feminis interdicta. Æmilius Probus in Præfatione ad suos Cæsares: *Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium, aut cujus materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur? quod multo fit aliter in Græcia: nam neque in convivium adhibetur nisi propinquorum, neque sedet nisi interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur*. Γυναικωνῖτις pars erat in ædibus, in qua mulieres habitabant; ut ἀνδρωνῖτις, in qua seorsim viri, de utraque Diogenes in ejusdem nominis Cynico: Ἐπανήρχετο ἐκ Λακεδαίμονος εἰς Ἀθήνας. πρὸς οὖν τὸν πυθόμενον, Ποῖ καὶ πόθεν; Ἐκ τῆς ἀνδρωνίτιδος, εἶπεν, εἰς τὴν γυναικωνῖτιν. & Xenophon Oeconom. Ἔδειξα δὲ καὶ τὴν γυναικωνῖτιν αὐτῇ θύρᾳ βαλανωτῷ ὡρισμένην ἀπὸ τῆς ἀνδρωνίτιδος.

v. 742 *Data pensa trahebant*. A Lucretia præscripta: hoc matrifamilias incumbebat.

v. 745 *Nostra facta lacerna manu*. Hinc elicias, lacernam fuisse vestem militarem: propterea dixit hanc alicubi Propertius, *castrensia pensa*. Vetus interpres Juvenalis ad illud satis ostendit,

Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

Scis birrum, inquit, *attritum comiti condonare*. *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur*. Recte *olim*, quia postea urbanis usui fuit. Eadem dicta *penula* Tertulliano, & Svetonio; qui etiam in vita Claudii, *tunicas russulas militares* appellavit. Birrus quoque idem cum lacerna. Græci non aliter hanc reddunt quam μανδύην, seu βῆρον, seu ἐφεστρίδα, & aliquando χλαμύδα.

v. 752 *Mens abit, & morior*. Ut in Elegia quadam libri nequissimi:

Mens abit, & morior quoties peccasse fateris;
Perque meos artus frigida gutta fluit.

v. 754 *Incoeptaque Fila remisit*. In re pari noster IV. Metamorph.

. . . . . *Pavet illa, metuque*
Et colus & fusus digitis cecidere remissis.

v. 758 *Pone metum, venio*. Nec displicet alia editio, *Pone metum, veni*.

v. 763 *Nulla factus ab arte decor*. Sine fuco & pigmento, unde noster alibi:

Scitis & inducta candorem quærere cera:
Sanguine, quæ vero non rubet, arte rubet.

Malim legas, *candorem quærere creta*. Petronius: *Inter rugas malarum tantum erat cretæ*. Quo spectat & illud Valeri Martialis: (a)

Craf-

(a) *Nulla factus &c.* Conjiciunt aliqui ex Plinio 35. 17. *Cimolia quodam nitore exhilarat contristatos ex sulphure*, ad faciem ornandam feminas cimolia creta præcipue usas fuisse. Terrestris crocodili fimum additum intelligo ex Horatio Epo. 12. v. 9

. . . . . *nec illi*
Jam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili.

Libet, adjicere venustissimum illud Antiphanis Comici dictum, quod a Clemente Alexandr. refertur Pædagog. lib. 3. cap. 2. *Ter, non semel dignæ sunt perire, quæ crocodilorum excrementis utuntur, & spuma sepiarum unguntur, & supercilia fuligine illinunt, & fuco genas terunt.*

Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ.

v. 770 *Sic sedit, sic cultu fuit*. Lucretiam, ut viderat animo præsentem, sistit.

v. 771 *Neglectæ collo*. Libri veteres, *Injectæ collo*.

v. 774 *Ut soleta magno*. Nihil altius hac comparatione cogitari potest.

v. 779 *Vimque metumque toro*. Libri aliquot, *vimque dolumque toro*.

v. 781 *Comiter excipitur*. Dionysius: Ἐξένιζεν αὐτὸν ὡς συγγενῆ τοῦ ἀνδρὸς πολλῇ προθυμίᾳ τε καὶ φιλοφροσύνῃ.

v. 787 *Sanguine junctus erat*. Nam Tarquinius Collatinus nepos Tarquinii Superbi, Sexti filii consobrinus.

v. 793 *Auratum vagina liberat ensem*. Non ex vero habent libri quidam, *aurata*. Ensis auratus idem ac auro vinctus ad capulum, χρυσόδετος. Nec aliud *spata aurea* apud Julium Capitolinum in Maximinis: *Usus est argentea lorica, usus est & clypeo gemmato inaurato, & basta inaurata; fecit & spatas argenteas, fecit etiam & aureas*. Ni melius, manubrium vere fuisse ex solido argento & auro confectum.

v. 794 *Utque torum pressit*. Lecto incubuit: hoc *torum premere*. Propertius:

Apparent non ulla toro vestigia presso.

v. 798 *Sed tremuit, quondam ut*. Veteribus est, *Sed tremit ut quondam*.

v. 806 *Per crimina vitam*. In quibusdam membranis, *pro crimine*.

v. 808 *Cum quo deprensa fereris*. Nihil hic τὸ κομψόν: totum pura puta veritas.

v. 811 *Nox dedit una tuis!* Nemo ambigat quin sequens vera lectio, *quanto regnis nox stetit una tuis*.

Quodque potest, narrat; restabant ultima, flevit:
Et matronales erubuere genæ.

v. 813 *Mater itura rogum*. De more Petronius Arbiter: *Non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere*.

v. 816 *Quæ luctus caussa, requirunt*. Dionysius: Εἰς Ῥώμην ἧκεν, μέλαιναν ἐσθῆτα περιβαλομένη.

v. 822 *Ter destitit*. Huic parissimum Maronianum illud:

Bis conatus erat casus effingere in auro,
Bis patriæ cecidere manus. . . .

v. 824 *Hoc quoque Tarquinio debebimus*. Inepte Marsus τὸ *hoc* referendum inquit ad impotentiam loquelæ, quum ad stuprum clare respiciat: quasi exclamet Lucretia, Expugnatum mihi quoque muliebre decus Tarquinio debemus. Hæ nugæ erant a me omittendæ, sed extorquet horum inscitia.

v. 829 *Ipsa nego*. Hæc Phædra in casu pari Theseo conjugi dixit apud Senecam in Hippolyto, Actu 3.

Tentata precibus restiti: ferro ac minis
Non cessit animus; vim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eluet noster cruor.

v. 830 *Fixit sua pectora ferro*. Quæ præfata ante ictum, videnda omnino in Historicis.

v. 832 *Ne non procumbat honeste, Respicit*. Ut insignis illa Hecuba, de qua Euripides:

. . . . Ἡ δὲ, καὶ θνήσκουσ', ὅμως
Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν,

v. 836 *Sua nomina fallit*. Cognomen hoc L. Junii Græci interpretantur Ἠλίθιον.

v. 841 *Qui mihi numen erunt*. (a) Manes sunt defunctorum genii, quos antiquitas venerata ut Deos. Cornelia, Gracchorum mater, in epistola ad filium, præter alia, hæc illi etiam

(a) *Qui mihi &c.* Hos animas hominum esse, & ex hominibus fieri lares, si meriti boni sint, Lemures, sive Larvas, si mali, Manes autem, quum incertum est bonorum eos, sive malorum esse meritorum, disputat Plotinus apud Augustinum de Civit. Dei IX. 2. Quum illos alloquequebantur, beneque precabantur, eos adorare dicebantur. Ita intelligendus Senecæ locus Ep. 86. *In ipsa Scipionis Africani Villa jacens, hæc tibi scribo adoratis manibus ejus*. Apud Græcos Manes tam boni, quam mali erant, quos ἀγαθὰς καὶ κακὰς δαίμονας appellabant; quamvis boni ominis caussa *manes*, idest *boni* (*manis* enim & *manus* veteri lingua *bonus* erat) a Romanis dicerentur.

etiam præcipit: *Ubi mortua ero, parentabis mihi, & invocabis Deum parentem* (lego cum ſagaci Critico D. M. id eſt, *Deos Manes parentis*) *in eo tempore non pudeat te eorum Deum preces expetere, quos vivos atque præſentes relictos, atque deſertos habueris.* Extant hæc in fragmentis Cornelii Nepotis.

v. 850 *Tarquinius cum prole fugit.* Anno ab Urbe condita CCXLIV. Regno præfuit annos XXXVIII. ſeu verius XXXVII. Graviter lapſus paullum ſupra laudatus Theophilus Patriarcha Antiochenus, quum de Tarquinio ſcripſit: Ὃς ἐβασίλευσεν ἔτη κέ.

v. 850 *Capit annua Conſul.* Abit prima ætas (ſic vocarunt illam ſub Regibus) accedit ſecunda. Univerſa poteſtas datur Conſulibus, ſed duobus libertatis vindicibus, L. Junio Bruto & L. Tarquinio Collatino: ſed nemo eorum Conſulatum finiit; nam Collatinus ſe eo abdicavit. Florus: *Tantumque libertatis novæ gaudium inceſſerat, ut vix mutati ſtatus fidem caperent, alterumque ex Conſulibus, tantum ob nomen & genus regium, faſcibus abrogatis, Urbe dimitterent.* Tunc, *ex Senatus conſulto*, inquit Livius, *lex lata, ut omnes Tarquiniæ gentis exules eſſent.* In ejus locum ſuffectus Valerius Poplicola, ut ex Faſtis Capitolinis eruimus. Alter, qui L. Junius Brutus, cum Arunte Superbi filio equeſtri pugna congreſſus, invicem haſtis transfixi ſunt. Abrogatus in Conſulatum Sp. Lucretius Tricipitinus: qui etiam paullo poſt mortuus, in ejus locum ſuffectus M. Horatius Pulvillus. Quinque igitur Conſules eo anno nominantur.

v. 851 *Dies regnis illa ſuprema fuit.* Caligula primus ſpeciem principatus convertiſſe videtur in regni formam; ſed Regis, regnique nomen non uſurpatum, niſi inclinato jam Romano Imperio, a Gothis, Francis, & Vandalis. (*a*)

v. 852 *Prænuntia venit hirundo?* Videtur rejicere hirundinum adventum in diem XXII. ſive XXI. die IV. poſt Solis ingreſſus in Piſces: in eadem ſententia Eudoxus. Geminus in elementis aſtronomicis: Ἐν δὲ τῇ δ' Δημοκρίτῳ ποικίλαι ἡμέραι γίνονται ἀλκυονίδες καλούμεναι. Εὐδόξῳ δὲ Ἀρκτοῦρος ἀκρόνυχος ἐπιτέλλει, καὶ ὑετὸς γίνεται, καὶ χελιδὼν φαίνεται. καὶ τὰς ἑπομένας ἡμέρας λ' Βορέαι πνέουσι, καὶ μάλιστα οἱ προ ὀρνιθίαι καλούμενοι

v. 856 *Jamque duæ reſtant noctes.* Tertio Kalendas Martias Equiria celebrabantur frequenti equorum curſu; quæ a Romulo Marti inſtituta adinſtar Conſualium.

v. 857 *Junctis curribus urget equos.* Nam ſingulis miſſibus quatuor, aut plures quadrigæ laxato repagulo certatim ſeſe fundebant ad palmam: inde, *æmuli currus*, Julio Solino in Polyhiſtore.

v 858 *Permanſit equiria nomen.* Varro lib. 5. de L. L. *Equiria ab equorum curſu: eo enim die currunt equi in campo Martio.* Vetus codex habet, *Equrria.*

CA-

(a) *Dies regnis &c.* Id forte evenit, quum Caligula ſuper cœnam Reges, qui Romam officii cauſſa advenerant de generis Nobilitate concertantes audivit: diadema enim tantum non tunc aſſumſit, & principatum in Regni formam convertit exclamans Εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς. *Unus Imperator ſit, unus Rex.* Verum per adulationem & Principum, & Regum dignitatem exceſſiſſe admonitus, divinam ſibi majeſtatem aſſerens, Deorum Simulacra e Græcia apportari juſſit, quibus capite demto ſuum imponeret. Vide Svet. Tranq. in Caligula cap. 22.



CA-

CAROLI NEAPOLIS *ANAPTYXIS* CUM ADDITAMENTIS AD PUBLII OVIDII NASONIS *Fastorum Lib. III.*

v. 8 M*Ars ades*. Invocat in ipso initio Martem, a quo nomen mensi inditum, sed inermem, exemplo Palladis, quæ vacat pacis & belli studiis.

v. 5 *Non minus ingenuis*. Languet versiculus: erigo ex antiquo nostro codice:

Num minus ingenuis artibus illa vacat.

v. 7 *Et quod inermis agas*. Lego in eodem, *ecquid*.

v. 11 *Sacra lavaturas*. E more cotidiano Vestalium. Plutarchus: Τὴν δὲ πηγὴν ἣ κατάρδει τὸ χωρίον, ὕδωρ ἱερὸν ἀποδεῖξαι ταῖς Ἑστίασι παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καθ' ἡμέραν, ἁγνίζωσι καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκτορον. Sermo hic isti de fonte, quem Numa ad templi lotionem virginibus dedit. Silviam credibile e flumine Tiberino tunc undam hausisse.

v. 13 *Fictilis urna coma*. Aurelius Propertius de Tarpeja Vestali:

. . . . . . *At illi*
Vrgebat medium fictilis urna caput.

Mos gestandi quodcumque pondus, non magis veteri Latio receptus, quam aliis gentibus. Noster de Tomitanis, in libris Ponticis:

Femina pro lana cerealia munera frangit,
Suppositoque gravem vertice portat aquam.

deque Argivis, in Amatoriis:

Qualis Amymone siccis erravit in agris,
Quum premeret summi verticis urna comas.

v. 21 *Furta fefellit ope*. Furtum hoc sensu sæpicule Poetis. Catullus ad Mallium:

Conjugis in culpa flagravit cotidiana,
Noscens omnivoli plurima furta Jovis.

v. 21 *Fefellit ope*. Ἐνεργητικῶς, pro abdidit, occultavit.

v. 24 *Languida consurgit*. Attius Telepho apud Priscianum: *Jam cum stupido Thessala somno corpora languentque, senentque.*

v. 27 *An somno clarius*. Plus quam ἐνύπνιον.

v. 29 *Ante sacros lanea vitta focos*. Ex se ipsa, a Pontifice convictæ jam adimenda. Dionysius de Oppia, seu Opimia, ad supplicium damnata: Αὐτὴν μὲν τῆς κορυφῆς ἀφελόμενοι τὰ σέμματα, καὶ πομπεύσαντες δι' ἀγορᾶς, ἐντὸς τείχους ζῶσαν κατώρυξαν. Insigne erat, quod ut Vestalibus proprium, ita aliis cuivis numini consecratis. Juvenalis de Cerealibus sacerdotibus:

Faucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ.

v. 29 *Lanea vitta focos*. Meus, vetus (verum fatear) habet, *linea*. Damno scripturam, licet a libris aliquot defensam; quum non ex alia materia, quam lanea vittas apud veteres legam, tum ad aras cingendas, tum ad crines. *(a)*

v. 35 *Terreor a monitu*. Tres notæ veteris codices, *Terreor admonitu*.

v. 35 *Corque timore pavet*. Iidem, *timore micat*.

v. 37 *Et lupa*. De alite & hac Plutarchus: Νομίζεται δ' Ἄρεως ἱερὰ τὰ ζῶα τὸν δὲ δρυοκολάπτην καὶ διαφερόντως Λατῖνοι σέβονται καὶ τιμῶσιν.

v. 44 *Vestæ simulacra feruntur*. Ficta hæc. Nec simulacrum ullum fuit umquam in æde Vestæ; unde tu ipse in VI.

Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi;
Mox didici curvo nulla subesse tholo.

In nummis tamen vidi illud sedens in bipede, & patinam libatoriam manu tenens; sed, ut vides, extra templum.

v. 45 *Oculis opposuisse manus*. Simile evenit scelestæ illi Tulliæ, viso parentis signo in fano Fortunæ. Noster in VI.

Post tamen hæc causa est templum, monimenta parentis,
Tangere: mira quidem, sed tamen acta, loquor.
Signum erat in solio residens sub imagine Tulli,
Dicitur hoc oculis opposuisse manum.

v. 46 *Ara Deæ certe tremuit*. Hanc in denariis videre licet cum carbonibus in medio accensis, & his literis in ora, VESTA. SC.

v. 47 *Et subiit cineres*. Fere extincta: quod super omnia gravia & timenda Romani habebant.

v. 53 *Expositis*. Τοῖς χαμαιρρίπτοις.

v. 56 *Cum Laurentalia dicam*. In meo, *Larentalia*, firmat Festus editionem in his: *Larentalia, conjugis Fausti, nutricis Remi & Romuli; Larentiæ festa*. Sunt in veteri Kalendario mense Decembri X. Kal. quod & e Macrobio observa. *Primo Satur. X. Kal. feriæ sunt Jovis, quæ appellantur Larentalia*. Sacra faciebat flamen Martialis, teste Plutarcho in Romulo; sed scribit ille: Ταύτῃ δὲ. Laurentiæ, καὶ θύουσι Ῥωμαῖοι, καὶ χοὰς ἐπιφέρει τῷ Ἀπριλίῳ μηνὶ αὐτῇ ὁ τοῦ Ἄρεως ἱερεύς. Hujus scriptoris caussam tueatur qui velit, nos hallucinatum credimus. *(b)*

v. 57 *Acceptus geniis*. Ob Saturnalia. Ausonius:

Aurea nunc revocet Saturni festa December:
Nunc tibi cum domino ludere verna licet.

& Iberus epigrammatarius ad Fuscum:

Otia dum medius præbet tibi grata December.

Ad

(a) *Lanea vitta &c.* Invenio etiam vates, & Sacerdotes non laneas modo, sed vel oliva, vel lauro intextas habuisse vittas. Stat. Theb. III. 466.

Huc gemini Vates Sanctam canentis olivæ
Fronde comā, & niveis ornati tempora vittis.

De Rege Anio ita Virgilius Æneid. 3. v. 80.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos
Vittis, & sacra redimitus tempora lauro.

Præter varios quos habuere usus, & matronarum honestatem, & virgineum puellarum pudorem decorarunt, ita tamen ut matronarum duplex, simplex virginum vitta esset. Val. Max. V. II. hæc de uxore, & matre Camilli literis prodidit. *In quarum honore Senatus Matronarum ordinem benignissimis decretis adornavit. Sanxit namque, ut feminis semita viri cederent, confessus plus salutis Reip. in Stola, quam in armis fuisse, vetustisque crinium insignibus novum vittæ discrimen adjecit.* Ad virgines puellas quod attinet, vittarum usum apud eas olim fuisse ex eo conjecisse me memini, quod inter cetera, quæ Achilles Lycomedis Virginibus obtulit, vittas attulit, quibus etiam se, easque decoravit:

Cinxit purpureis flaventia tempora vittis.

Vide Stat. Achill. I. 611.

(b) *Cum Laurentalia &c.* Sacra hæc a Flamine Martiali facta fuisse ex eodem Plutarcho confirmat Vir Cl. G. H. Nieupoortius; additque *hujus Sacerdotii insigne fuisse coronam spiceam, albasque infulas, nec nisi cum ipsa vita honorem hunc finiri potuisse; hunc que captos etiam, exulesque comitatum fuisse.* Compend. Antiquit. Rom. cap. 2. §. 6.

Ad geniales hos dies alludit, quum fora clausa, & otium causidicis, studiis etiam intermissio. Huc facit C. Plinius Junior in Epistolis: *Atque ideo tu in scholam revocas, ego Saturnalia extendo.*

v. 59 *Jam nova barba comæ.* Antiquo verbo utar, *pilabant.* Festi Abbreviator: *Pilat, pilos habere incipit.* Novam barbam exponunt Glossæ, πρωθήβην, quæ Lucilio dicta, *barbula prima.* Esset & *nova barba* recenter lævigata. Pro radere, dixerunt veteres, *novare barbam.* Arnobius: *Quid novatio, & revelatio pudendorum.*

v. 67 *Restituuntur avo.* Cæso Amulio Numitori regnum Albanum.

v. 70 *Pecorumque recessus.* Qui in Palatio: ea propter ejusdem pars dicta *Pecuscum,* auctore Festo: cujus & meminit M. Varro lib. IV. de L. L. *Sed hoc alii a Palantia uxore Latini putarunt: eumdem hunc locum Pecuscum, a pecore dictum putant quidam; itaque Nævius Balantium appellat.*

v. 81 *Tellus Hypsipylea.* Lemnos insula, ab Hypsipyle Thoantis filia.

v. 86 *Peregrinos inspice Fastos.* In his invenies etiam mensem hujus nominis, unde Censorius de die natali: *Varro, inquit, Romanos a Latinis nomina mensium accepisse arbitratur. Auctores eorum antiquiores quam Urbem fuisse, satis argute docet: itaque Martium mensem a Marte quidem nominatum credit; non quia Romuli fuit pater, sed quod gens Latina.* Albanis autem, Aricinis, & Tusculanis erat ordine tertius, Forensibus & Pelignis quartus, Faliscis & Laurentibus quintus, Hernicis sextus, Æquiculis decimus.

v. 90 *Albanaque tempora.* Hoc est Albanos menses, sic & paullo post dixit:

Sanguinis auctori tempora prima dedit.

id est primum mensem. Ride nugas Pauli Marsi, qui, *Albana tempora,* interpretatur, quoad stetit Alba.

v. 91 *Factaque Telegoni.* Vide Neapolim tuum sub initium Lib. IV. (a)

v. 93 *Turba Forensis habet.* In bivio suum: nam pro Forensi turba, vult intelligi, Scaliger Forulorum gentes: qui Foruli, Sabinorum oppidum. Strabo lib. 5. Σαβῖνοι δ' εἰσί, καὶ οἱ Φόρουλοι πέτρα, πρὸς ἀπόστασιν μᾶλλον ἢ κατοικίαν εὐφυής. Doctissimus vero Geographus, *Forum populi,* oppidum situm in Albano monte; cujus accolas vocat Plinius lib. 3. cap. 5. *Foro-populienses.* Movetur hic in Principem Criticorum, ex eo quod jam mentio fit ab Ovidio Sabinorum sequenti versu, nec alia prorsus ratione, quæ gracilis & vesca: nam etiam præsumendum, *Foro-populienses* a Nasone comprehensos supra cum Albanis, qui incolunt ejusdem montis dorsum. Imo vates in illis,

Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis.

absit, quod denuo mentionem faciat Sabinorum: Sed & tibi, inquit, Peligne, cùm proavis Forensibus, qui Sabini sunt. Quis ergo vel tantillum recedat a Scaligero?

v. 94 *Cum proavis Sabinis.* Peligni, ut vides genus Italicum, sed Illiricum Festo Pompejo: tua tamen fides certa mihi, Naso, in rebus incertis.

v. 98 *Nec totidem veteres.* Incipit ostendere inscitiam veterum Latinorum in rebus astronomicis.

v. 100 *Victoribus artes Græcia.* Intromissæ igitur post bella Punica; & Romanum illud robur ac severitas paullulum mutata: id plena manu annotavit miri vir ingenii Aldus Manutius lib. I. in suis Quæsitis: cui addimus Strabonis locum, in quo prorsus contrarium; imo cunctas scriptor ille Imperii auctas opes his disciplinis refert acceptas. Legito hæc ex lib. 9. Καὶ Ῥωμαῖοι δὲ τὸ παλαιὸν μὲν, ἀγριωτέροις ἔθνεσι πολεμοῦντες, οὐδὲν ἐδέοντο τῶν τοιούτων παιδευμάτων. ἀφ' οὗ δὲ ἤρξαντο πρὸς ἡμερώτερα ἔθνη καὶ φῦλα τὴν πραγματείαν ἔχειν, ἐπέθεντο καὶ ταύτῃ τῇ ἀγωγῇ, καὶ κατέστησαν πάντων κύριοι.

v. 103 *Romanam noverat artem.* Non Græcanicam; nam illi evirati omnes, & deliciis dediti: quorum exemplo a veteris militiæ institutione Romani aliquando degenerarunt;

(a) *Factaque &c.* Hæc autem habet de Thelegoni Oppido sub initium lib. 4. n. 20. *Tusculum ab hoc conditum, non opus, ut probem. Hujus oppidi vix extant hodie pauca rudera prope Frascatium.* Recentiores Geographi Tusculum Frascatium ipsum appellant, quem locum & ædium magnificentia, & Cæli salubritate, & Hospitum eo sæpe convenientium Nobilitate, & exquisitissimo hortorum cultu, atque omnium deliciarum affluentia fere omnium, qui sunt circa Romam, vel ad animi voluptatem, vel ad valetudinis curationem facti, celeberrimum esse intelligimus.

runt; sed non perstitere. Alexander Severus, quum milites quosdam audisset a tetrica majorum disciplina recessisse, vinciri jussit; & hæc præfatus coram universo exercitu: *Commilitones, si tamen ista vobis, quæ a vestris facta sunt, displicent, disciplina majorum Rempublicam tenet: quæ si dilabatur, & nomen Romanum & Imperium amittemus. Neque enim sub nobis ista facienda sunt, quæ sub impura illa bestia facta sunt, milites Romani: vestri socii, mei contubernales & commilitones, amant, potant, lavant Græcorum more, & quidem se instituunt; & ego hoc diutius feram, & non eos capitali dedam supplicio?* Lavacra enim & balnea militibus interdicta. Dionis Epitoma de Antonino Caracalla, qui merebat ut miles gregarius: Καὶ γὰρ συνεβάδιζε τοῖς στρατιώταις, καὶ συνέτρεχε, μὴ λουτρῷ χρώμενος, μὴ τὴν ἐσθῆτα ἀλλάσσων, ἀλλὰ καὶ πᾶν ἔργον συνεργαζόμενος, ἐ πᾶσαν τροφὴν τὴν αὐτὴν ἐκείνοις αἱρούμενος. Observavit veterem disciplinam, non Græculam immundam munditiem: sic bene illi post superatam Græciam studuere, ut Græcanicis legionibus Catones præessent. Memini legisse in Vulcatio Gallicano epistolam illam Marci ad Præfectum suum de Avidio, quem Syriacis legionibus ob hominis severitatem præfecit. *Avidio*, inquit, *Cassio legiones Syriacas dedi, diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes: quas totas excaldantes se reperisse Cæsonius Vectilianus scripsit, & puto me non errasse; siquidem & tu notum habeas Cassium, hominem Cassianæ severitatis & disciplinæ: neque enim milites regi possunt nisi in veteri disciplina. Scis enim versum a bono Poeta dictum, & omnibus frequentatum:*

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Responsio Præfecti ad Marcum videnda in eodem Vulcatio, & hæc satis de insigni illa militia.

v. 103 *Qui poterat pila*. Et optimi codices habent, *tela*. Porro pilum, teli genus erat.

v. 104 *Pleidas Atlanteas*. Hesiodus.

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων.

v. 105 *Sub axe polos?* Ἀρκτικὸν, & Ἀνταρκτικόν.

v. 113 *Perdere crimen erat*. Ob hoc legi, coercitos milites pane hordeaceo, decimatione, discinctione, exercitu spectante. Legi, amictos veste muliebri, pœna morte graviori rata. Legi in castra hostilia projectos, in impedimenta castrorum una cum captivis, virgis aliquando cæsos, securi etiam percussos: si vere scelus & ratio ita posceret.

v. 114 *Illa quidem fœno.* Plutarchus de Romuli centuriis· Ἑκάστης δὲ ἀνὴρ ἀφηγεῖτο, χόρτου ἐ ὕλης ἀγκαλίδα κοντῷ περικειμένην ἀνέχων μάνιπλα ταύτας Λατῖνοι καλοῦσιν. Donatus in Eunuchum Terentii: *Sibi sertum vel coronam ex manipulo herbæ vel hujusmodi conficiebant, quod pro signo sequebantur.*

v. 114 *Sed erat reverentia fœno*. Quanta, inquit, tuis aquilis. Svetonius in Caligula: *Artabanus transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana Cæsarumque imagines adoravit*. De hac religione castrensi plura vetus historia.

v. 117 *Unde maniplaris*. A manipulo dictus miles manipularis. Vetus nomen, & ante Urbem conditam. Collectanea originis Romanæ: *Romulus coacta pastorum manu, eaque in centenos homines distributa, perticas manipulis varie vinctas dedit: unde constitutum, ut postea milites, qui ejusdem signi essent, Manipulares vocarentur*. Vegetio iidem sunt *Contubernales*: nam manipulum vocat contubernium, *ab eo quod*, inquit, *junctis manibus pariter dimicabant*; unde & Commanipuli etiam dicti. Vetus lapis: COMMANIPULUS ET HERES EJUS CONTUBERNALI SUO CARISSIMO. (a)

v. 119 *Lustra minora*. Nam ex quinis annis decimestribus, lustrum mensibus L. constabat.

v. 120 *Cum luna receperat orbem*. Videris hoc supra negasse: scribis veteres illos omnis

(a) *Unde maniplaris &c.* Procedente tempore exiguum lignum transversum hastæ adfixum fuit, in quo manus eminebat, cui etiam orbiculi subjecti, ubi imagines erant Deorum, & Principum, quod sæpe in veteribus nummis conspici potest. Ad ea, quæ refert Noster de Contubernali, & Commanipulo ex Vegetio depromta, libet subjicere veterem Formulam militarem, *vir virum legit*. Quamvis enim hæc aliquando a delectu amicorum ad delectum hostium petendorum telo traducatur, tamen e Philologorum sententia, & veterum Sriptorum auctoritate significat potestatem aliquando factam militibus, ut quisque *Virum sibi legeret*, cujus virtuti maxime fideret, a quo sibi latus tegeretur.

nis Astronomiæ alienos; nunc facis menses Romuli lunares. Quorsum hæc ἀλογία?

v. 122 *Per quos numerare solemus.* Hinc Seneca in Epistolis: *Numerare docet me Aritbmetica, & avaritiæ commodare digitos; potius doceat, nibil ad rem pertinere istas computationes, non esse felicem cujus patrimonium tabularios lassat*; & Plinius Junior in eisdem ad Calvisium: *Ubi audivit, componit vultum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos, computat; nihil nisi ut miseram expectatione suspendat.*

v. 125 *Spatiis novis.* Hoc est, ad unum iterum reditur. (*a*)

v. 126 *Inde pares centum.* Centuriam ætate & robore æqualem divisit in decurias.

v. 127 *Hastatos instituitque decem.* Hi in acie primi pugnam capessebant, deinde principes, postea triarii, sed hoc stante Republica: nam sub Cæsaribus principes hastatis triariis antepositi. Accrede huic succo expresso ex variis antiquorum locis. Ceterum hastatorum ordines decem numero fuisse, testatur etiam Livius in his: *Biennium miles gregarius fui adversus Philippum Regem; tertio anno virtutis caussa mibi T. Quintius Flaminius decimum hastatum ordinem assignavit.* Sic *primus hastatus*, pro primo ordine hastatorum, in Cæsare lib. 2. Bellorum civilium: *Cecidit*, inquit, *Q. Fulginius ex primo hastato legionis secundæ, qui ob eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus ad eum locum pervenerat*; id est, a decimo hastato per omnes reliquos ordines usque ad primum. Adi quæ ad rem observavit tui gratia Aldus Manutius in Quæsitis libro primo Epistola 3.

v. 128 *Et totidem princeps.* Hinc primus, secundus, tertius princeps usque ad decimum. Cicero ad M. Brutum: *Nasennius Cretensi bello, Metello Imperatore, octavum principem duxit.* Caput erat octavi ordinis: hunc universum dixere *principes* & *ordinarios*, teste Vegetio infinitis locis. Peculiare etiam illis nomen, *principales*, & *principia legionum.* Vide l. primam C. de *Veteranis*; & l. 16. C. *de Erogatione militaris annonæ.*

v. 128 *Totidem pilanus babebat.* Pilani iidem cum triariis, ut ex M. Varrone colligimus; & cum vexillariis, ut ex Livio, Tacito, & aliis. Non repetam hic labores Criticorum.

v. 129 *Legitimo quique merebat equo.* Legitimum interpreteris publicum, & legibus datum. Equo publico merere, dixere Græci, Δημοσίᾳ ἱππεύειν: hinc, δημοσίᾳ ἱππεύοντες, equites Romani; patet id ex Philostrato in Adriano Sophista: Φασὶ δὲ αὐτόν ποτε περὶ τὴν σκηνὴν τῆς ἀκροάσεως ἀλγεῖν, ἐξανίστασθαι μὲν ἀπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς, ἐξανίστασθαι δὲ τοὺς δημοσίᾳ ἱππεύοντας.

v. 129 *Merebat equo.* Non solum ergo peditum genera in decem quæque partes distributa, sed & eques. Polybius: Παραπλησίως δὲ καὶ τοὺς ἱππεῖς εἰς ἴλας δέκα διεῖλον. & M. Varro lib. 4. de L. L. *Turma terma est; E in V. abiit: quod terdeni equites ex tribus tribubus, Tatiensium, Ramnium & Lucerum, fiebant. Itaque primi singularum decuriarum. Decuriones dicti; qui ab eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni*; firmat idem Festus iisdem prope verbis, & Isidorus.

v. 131 *Luceribusque dedit.* Satis liquet ex supra citato Varronis loco, quid velit hoc disticho meus Publius.

v. 134 *Neu dubites.* Colligit conjecturis aliquot, Kalendas Martias sub Romulo principium anni fuisse.

v. 136 *Quæ toto perstitit anno, Tollitur.* En orditur a prima, cujus & meminit Solinus Polyhistoris capite tertio: *Romani*, inquit, *initio annum decem mensibus computabant, a Mar-*

(a) *Spatiis &c.* Illud etiam observandum erat, Veteres numeros ab uno usque ad centum super lævæ digitos enumerasse, a centum vero usque ad mille super digitos dexteræ. Ita explicandus Juvenalis locus Sat. 10. 246.

Rex Pylius (magno si quicquam credis Homero
Exemplum vitæ fuit a cornice secundæ:
Felix nimirum, qui tot per secula mortem
Distulit, atque suos jam dextra computat annos;
Quique novum toties mustum bibit.

Rursus mille ad decem millia super lævæ digitos supputabant. Quod significasse videtur Græcum Epigramma de Vetula.

Η' φαὸς ἀθρήσασ' ἐλάφου πλέον, ἡ χερὶ λαιῇ
Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη.

H. E. *Secula plus cervo quæ vidit, quæque sinistra*
Incipiens, iterum tempora dinumerat.

Decem vero millia sequentesque numeros multiplici manuum gestu, variaque figura indicavisse docet Beda, eo loco, ubi de computo per gestum digitorum eruditissime differit.

a Martio auspicantes; *adeo ut ejus die prima de aris* (mallem *in aris*) *Vestalibus ignem accenderent, mutarent viridibus veteres laureas*; & quæ sequuntur, non omittenda: *Senatus & populus Comitia agerent; matronæ servis suis cœnas ponerent, sicuti Saturnalibus domini: illæ, ut per honores promtius obsequium provocarent; hi, quasi gratiam repensarent perfecti laboris.*

v. 37 *Posita viret arbore Phoebi.* Macrobius primo Saturnalium: *Eodem quoque ingrediente mensa, tam in regia curiisque, atque Flaminum domibus laureæ veteres novis laureis mutabantur*.

v. 38 *Ante tuas itidem.* Prisci libri, *Fit idem.*

v. 38 *Curia prisca fores.* E'ρκος, loco παλαιωνικα. Curiæ priscæ erant, Forensis, Veliensis, Rapta, Velitia, & reliquæ XXVI. In harum unaquaque & cœnaculum erat, & focus ad rem sacram, ex Romuli instituto. Auctor hujus rei locupletissimus Dionysius lib. 2. Novæ totidem XXX. postea extructæ, in quas evocata sacra ab antiquis: sed illarum quatuor, quas supra retuli, & de quibus nunc Naso noster, exaugurari per religionem licitum haud fuit. Festus: *Novæ curiæ proxime compitum Fabricium ædificatæ sunt, quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ, ubi is populum & sacra in partis trigiuta distribuerat, ut in iis ea sacra curarent, quæ, quum ex veteribus in novas evocarentur, septem curiarum per religiones evocari non potuerunt; itaque Foriensis, Raptæ, Veliensis, Velitiæ res divinæ fiunt in veteribus curiis.* Nescio an huc usque ab aliquo locus hic in hunc modum umquam expositus.

v. 41 *Fieri novus ignis in æde.* Habes id ex Solino; cui addo Macrobium in hæc verba: *Hujus etiam prima die ignem novum Vestæ aris accendebant, ut, incipiente anno, cura denuo servandi novati ignis inciperet*; subdit idem: *Hoc mense mercedes exsolvebant magistris, quas completus annus deberi fecit: Comitia auspicabantur, vectigalia locabant.*

v. 44 *Mense Perenna coli.* Non leve sane argumentum: aptius enim erat anni principium ad perannare illud solitum precandum (quod a Romanis fieri mos erat Martiis Idibus, ut dicemus) quam quoduis aliud tempus. *(a)*

v. 45 *Initi memorantur Honores.* Usque ad finem, inquit, belli Punici, imo usque ad annum DC. Urbis conditæ, Q. Fulvio & T. Annio Coss. hi primi Kalendis Januariis suum magistratum inierunt: qui dies deinceps, stante Imperio Romano, solemnis ineundis Consulatibus est habitus.

v. 48 *A numero nomina quisquis habet.* Solinus loco citato: *Maxime hunc mensem principem testantur fuisse, quod qui ab hoc quintus erat, Quintilis dictus est; deinde, numero decurrente, December solemnem circum finiebat intra diem trecentesimum quartum: tunc enim iste numerus explebat annum.*

v. 51 *Sive hoc a Samio.* Σάμιος est absolute Sophus Pythagoras. Ausonius:

> *Scillite decies si cor purgeris aceto,*
> *Anticipesve tuum Samii Lucumonis acumen.*

v. 51 *A Samio doctus.* Tu in hunc ἀναχρονισμόν. Miror. interim audi Tullium IV. Tusculana: *Pythagoras fuit in Italia temporibus eisdem quibus L. Brutus patriam liberavit,*

(a) *Mense &c.* Annam *Perannam* libentius quam *Perennam* appellat Vir Cl. Barnabas Brissonius de Form. lib. I. quod huic Deæ mense Martio sacrificarum, ut *annare, perannareque liceret*: Idque affirmat ex fide Macrobiani Codicis Veneti antiqui, & recentioris Gryphianis prælis excusi. Eo die Plebs per Prata circa Tiberim fusa cum conjuge quisque sua procumbebat, ac sibi per pocula Nestoris annos ultro, citroque precabantur. Hunc Morem elegantissime describit Ovidius hoc eodem Fastorum libro.

> *Idibus est Annæ festum geniale Perennæ*
> *Non procul a ripis, advena Tibri, tuis.*
> *Plebs venit, ac virides passim disjecta per herbas*
> *Potat, & accumbit cum pare quisque sua*
> *Sub Jove pars durat: pauci tentatoria ponunt;*
> *Sat quibus e ramis frondea facta casa est.*
> *Pars sibi pro rigidis calamos statuere columnis,*
> *Desuper extentas imposuere togas*
> *Sole tamen, vinoque calent; annosque precantur*
> *Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt;*
> *Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,*
> *Quæ sit per calices facta Sybilla suos.*
> *Illic & cantant &c.*

nit; nec fallitur: calculum addit Strabo, Livius, Laertius, Lucianus, & innumeri.

v. 54 *Hæc quoque cura fuit*. Dio Cassius lib. 43. Ταῦτά τε ἐνομοθέτησε, καὶ τὰς ἡμέρας τὰς τοῦ ἔτους οὐ πάνυ ὁμολογούσας σφίσι (πρὸς γὰρ τὰς τῆς σελήνης περιόδους ἔτι καὶ τότε τοὺς μῆνας ἦγον) κατεστήσατο ἐς τὸν νῦν τρόπον, ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα ἡμέρας ἐμβαλὼν, ὅσαιπερ ἐς τὴν ἀπαρτιλογίαν ἐπέφερον. ἤδη μὲν γὰρ τινὲς καὶ πλείους ἔφασαν ἐμβληθῆναι, τὸ δ' ἀληθὲς οὕτως ἔχει præter Merkedinum, quem ex more in Februarium inseruit: nam LXVII. illos dies distribuit inter Novembrem & Decembrem. *Fuit is annus*, inquit Svetonius, *quo hæc constituebantur quindecim mensium, cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat*. libro primo capite 40. (*a*)

v. 59 *Ille moras Solis*. Quæ Lunares excedunt diebus XI. $\frac{1}{4}$. Finitur autem Lunaris annus spatio dierum CCCLIV. hanc ob caussam mensis Lunaris dies habuit XXIX. $\frac{1}{2}$. tempus vero bimestre LIX. unde cavus unus, & plenus alter esse debet. Hoc anno usi olim Romani, & obscura intercalatione; sed numquam fere notum illis certum aliquod anni tempus: reddidit caussam Galenus comment. in primam Epidem. de his qui hujusmodi intercalatione usi: Τῶν γοῦν πρὸς ἀριθμούντων τοὺς μῆνας, οὐκ ἔστιν ὁρίσαι τὰς ἡμέρας, ἐν αἷς αἱ ἰσημερίαι τε, καὶ τροπαί, καὶ τῶν ἐπιφανῶν ἄστρων αἱ ἐπιτολαὶ γίνονται. τῶν δὲ τὰς πρὸς ἥλιον ἀγόντων ὁρίσαι δυνατὸν, ὥσπερ ἐστὶν ὑπό τε Ῥωμαίων, καὶ Μακεδόνων, Ἀσιανῶν τε τῶν ἡμετέρων, καὶ πολλῶν ἄλλων ἐθνῶν. (*b*)

v. 62 *Tempora quarta die*. Incorruptissimis est, *tempora quinta die*: hanc tamen editionem sequitur Marsus, sed blaterat more solito.

v. 64 *Consumatur partibus, una dies*. Concipit hæc Scaliger in 3. magni Operis: Τῇ τε τριακοστῇ προσγίνεται ἡμέρα ἐκ τῶν μορίων συγκεφαλαιουμένη.

v. 68 *Matronæ cur tua festa colant?* Quinque recenset caussas: cuique suus inerit locus. Solemnitas hæc Martiis erat Kalendis: dies dictus *Matronalia*; fuitque quondam primus anni festus: cœpta illa ex Sabino Romuleoque instituto. Plutarchus in ejus vita: Ἑορτῶν δὲ καὶ θυσιῶν ἀλλήλοις μετέσχον, ἃς μὲν ἦγε τὰ γένη πρότερον, οὐκ ἀνελόντες, ἑτέρας δὲ θέμενοι καινάς, ὧν ἥ τε τῶν Ματρωναλίων ἐστὶ, δοθεῖσα ταῖς γυναιξὶν ἐπὶ τῇ τοῦ πολέμου καταλύσει. Hinc Juvenalis Kalendas Martias nuncupat *femineas*; & Tertullianus de Idololatria, *matronales ferias*. Tunc solitæ munuscula illæ invicem missitare, ut auctor Plautus in Milite glorioso: *Da mihi vir Kalendis, quæ mittam quom Martiæ venerint*. Ultimo moneo, aboletam hanc superstitionem per Synodum Trullanam: Τὰς οὕτω, inquit Canone LXV λεγομένας Καλάνδας καὶ τὰ λεγόμενα Βότα, καὶ τὰ καλούμενα Βρουμάλια, καὶ τὴν ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἡμέρᾳ ἐπιτελουμένην πανήγυριν καθάπαξ ἐκ τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας περιαιρεθῆναι βουλόμεθα.

v. 77 *Parva fuit, si prima velis*. Infit a prima caussa, quæ bellum est inter Romanos & Sabinos per matronas diremtum; eas scilicet festo annuo id Marti acceptum referre.

v. 78 *Spes tamen urbis erat*. Lege cum libro veteri, *hujus erat*.

70 *Moe-*

(a) *Hæc quoque &c.* Postquam Julius Cæsar Tyrannidem occupavit annum ad Solis cursum composuit, & erroribus, qui Pontificum culpa, nam pro eorum libidine annus ordinabatur, in ejus formam irrepserant, occurrit. Necesse igitur fuit, ut anno V.C. 708. septem supra sexaginta cum Merkedonio mense dies adjiceret: proindeque annus ille, qui dierum fuit 442, *confusionis* dictus est. De Anno consule *Doctissimum Nieupoortium*, a quo paucis quidem, sed diligenter de varia ejus forma differitur *Compend. Antiquit. Roman. cap.* 5. §. 1.

(b) *Ille moras &c.* Solaris annus annum lunarem diebus undecim quartaque diei parte superabat, proindeque secundo cuique anno mensis intercalaris additus fuit, qui biennio altero dies viginti duos, altero vero viginti tres complectebatur. Hic autem intercalaris mensis, qui Merkedonus a Merkedona Dea, quæ pensionibus, mercedibusque solvendis præesse putabatur dictus est, vigesimo tertio Februarii adjectus fuit. Quod vero Numæ culpa amore, ut tradunt numeri imparis, annus lunaris uno justo die longior factus est, instituit Servius Tullus, vel ut alii perhibeat XViri, ut vel vigesimotertio, vel vigesimoquarto quoque anno Merkedonius Mensis omitteretur. Hic vero Lunaris annus dierum 354. horarum 8. minutorum, ut ajunt 48. cui ob imparis numeri amorem dies adjectus, institutus fuit a Numa, quod Romuli annus, cujus formam a Latinis fortasse acceperat, neque Lunæ, neque Solis cursui respondere poterat.

v. 179 *Moenia jam stabant*. Et quadriennium excursum a condita Urbe, ad raptum & discordiam cum finitimis: cum sanioribus loquor. Ταῦτα δὲ, scribit Dionysius lib. 2. γενέσθαι φασὶ μὲν γράφουσι τῷ τετάρτῳ ἐνιαυτῷ τῆς Ῥωμύλου ἀρχῆς. Γναῖος δὲ Γέλλιος τῷ τῆς πρώτῳ. ὃ καὶ μᾶλλον εἰκός. subdit rationem: Νέον γὰρ οἰκιζομένης πόλεως ἡγεμόνα, πρὶν ἢ καταστήσασθαι τὴν πολιτείαν, ἔργῳ τηλικούτῳ ἐπιχειρεῖν, οὐκ εἶχε λόγον.

v. 181 *Regia nati*. Hærent tibi suspicor, quæ de hac scripsimus in primo Fastorum.

v. 183 *Munera somni*. Expressit Homericum illud, ὕπνου δῶρον ἑλόντα.

v. 197 *Festa para Conso*. Antiquissima hæc in Italia, & ab Evandri adventu. Dionysius lib. 1. Ἀπέδειξαν δὲ καὶ Ποσειδῶνι τέμενος Ἱππίῳ, καὶ τὴν ἑορτὴν Ἱπποκράτεια μὲν παρ' Ἀρκάδων, Κωνσουάλια δὲ ὑπὸ Ῥωμαίων λεγόμενα. Romulus igitur omissa sacra iterat, inventa fortuito ara quadam subterranea: sed de ficta hac sive vera caussa Historici non conveniunt; non ob quod ea tamen efficta.

v. 198 *Dum sua sacra facis*. Intellige certamen equorum: ob quod Strabo lib. 5. Consualia vocat, Ἀγῶνα ἱππικόν, & sacrificia quæ ad aram fiebant; de quibus Dionysius lib. 2. *Festum, quod tunc consecravit Romulus etiam nostra ætate Romani agitant nomine Consualium: in quo ara subterranea sita prope Circum maximum refossa circumquaque terra, sacrificiis & missis in ignem libaminibus honoratur; equorumque, & junctorum & injugum, committuntur certamina*. Ceterum *facis* in meo vetustissimo est, in aliis *canes*. Nec displiceret, si torqueri posset ad saltationes ad tibiam: nam de illismet ludis, in quibus raptæ Sabinæ, scripsit noster in Arte libro primo:

Dumque rudem præbente modum tibicine Thusco
Lydius æquatam ter pede pulsat humum;
In medio plausu, plausus tunc arte carebat,
Rex populo prædæ signa petenda dedit.

v. 199 *Et quos dolor attigit*. Hi sunt Cenninenses, Crustumerini, & Antemnates: isti primi impetum fecerunt, non Curites, sive Sabini, sed felicibus præliis a Romulo fusi, tresque urbes eodem anno ductæ sunt coloniæ; hoc primum incrementum civitatis Romanæ. Post has victorias secuta Sabinorum rabies: quæ, fatis Urbis sic volentibus, sedata diviso inter Romulum, & Tatium Regno. *(a)*

v. 201 *Jam.que fere raptæ*. Hæ quot fuerint dubium: xxx. ajunt quidam. Antias Valerius apud Plutarchum: Ἑπτὰ καὶ εἴκοσι καὶ πεντακοσίας, DXXVII. Jubas apud eumdem: Τρεῖς καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑξακοσίας, DCLXXXIII. hunc vetustissimum scriptorem secutus Dionysius Halicarnassensis.

v. 201 *Matrum quoque nomen habebant*. Triennium enim exactum erat, ab initio solum belli Sabini ad amicitiam contractam raptarum precibus.

v. 203 *Dictam Junonis in ædem*. *Dictam*, quasi *condictam*, Græcum συνθέσθαι; hac tamen significatione, qua usus Æschines de mala obita legatione: Συνταξάμεν ἡμᾶς αὐτούς. Porro cœtus initi mentio apud aliquos: locum ex alio quam Nasone non observes.

v. 204 *Mea sic est nurus*. Socer hæc narrat: ergo Hersilia Romuli uxor. Jam habes certum, quod in Scriptoribus plerumque dubium. Ex hac suscepit ille etiam prolem: Πρίμαν vocat Plutarchus, sed ex sententia TrezenI Zenodoti.

v. 211 *Parent, crinesque resolvunt*. Sic legendum reperio in multis, *plorant, crinesque*. Non probo.

v. 212 *Mæstaque funesta*. Veteres, *funerea*. Utrumvis rectum.

v. 217 *Ut medium campi*. Campus hic, locus in quo prælium committendum; unde apud Cyprianum, *Exercitum ad campum ducere*; & apud Flavium Vopiscum, *Solum denique ex omnibus qui oppugnabantur campus accepit*. Forte hæc trita: sed habet hoc sollicitudo, quod omnia necessaria putat.

v. 218 *Procubuere genu*. Imo sic immotæ mansere, donec a circumstantibus erigerentur. Verum hoc, & puta historia.

84 *Posse*

(a) *Et quos &c.* Cenninenses ceteris promtiores Romulum adorti, & acie superati Urbem, Regemque Acronem amiserunt. Mox etiam Antemnatibus devictis, triumphus actus, & Cenninensium opima spolia Regi detracta Jovi Feretrio suspensa sunt. In hoc stetit salus P. R. quod non omnes junctis viribus, sed singulæ gentes signa in Romulum contulerunt.

v. 122 *Posse coactus erat*. Exprimeret saltem primam litteram: per hanc infantes affectus suos præcipuos efferunt; & *a* solum illis ad loquelam.

v. 228 *Oebalides matres*. Scriptura vetus, *Oebaliæ matres*. Etiam recte.

v. 231 *Vel quod erat de me*. Altera caussa: ut meis auspiciis eam felicitatem matronæ consequantur in filiis, quantam Iliæ meæ dedi, quæ tales Heroas peperit.

v. 233 *Quid? quod hiems*. Incertus adhuc hanc tertiam subjicit: quod mense Martio terra mater fecunda fit; qualis & matrona fieri cupit.

v. 234 *Et pereunt lapsæ*. Prisci aliquot, *Et pereunt victæ*.

v. 243 *Adde, quod*. Quarta caussa.

v. 245 *Junoni templa Latinis*. Sed cognomento *Lucinæ*. Varro lib. 4. de Exquiliis, quarum par Cispius mons in sacris appellatur: *Cispius*, ait, *mons septiceps apud ædem Junonis Lucinæ, ubi æditumus habere solet*. (*a*)

v. 246 *Hac publica facta die*. Festus: *Martias Kalendas matronæ celebrant; quod eo die Junonis Lucinæ ædes coli cœpta sit*.

v. 247 *Quid moror?* Ultima caussa hæc. Juno inquit Mars, nostra parens & præest nuptiis, & mulcet tricas puerperiorum; unde Tertullianus: *In partu Lucinæ & Dianæ ejulatur*. Quid mirum igitur, matronæ filium his Kalendis potissimum colant?

v. 257 *Quis mihi nunc dicet*. Accedit sermo de Saliis: ii, ut ex Dionysio & Plutarcho observo, instituti anno VIII. Numæ regnantis. Pestis Urbem invaserat (res aliter a nostro recensetur) lacrimæ passim ad Deos, quum divinitus scutum æneum e cælo excidit; quod in Urbis salutem missum ab Egeria sua Numa tradidit: id servandum Rex ille Saliis dedit; neve furtum pati posset, XII. alia cælari curavit; quæ adeo affabre effecta a quodam nomine Mamurio, ut vix unum ab altero discerni ullo modo valeret. Ad Saliorum collegium creati primitus XII. idque liquet ex Livio lib. primo: *Salios item XII. Marti Gradivo Numa legit, tunicæque pictæ insigne dedit, & super tunicam æneum pectori tegmen*. Ii cognomento erant Collini, & Agonenses, seu Quirinales. Scis tu, puto, Sexti Pompeii illa: *Quirinalis collis qui nunc dicitur, olim Agonus appellabatur*. De Collino vetus hæc exstat inscriptio; cujus en partem: ADJECTO INTER PATRIC. AB IMP. CÆS. HADRIANO AUG. SALIO COLLINO. & Servii Schedæ: *Duo sunt genera Saliorum, ut in Saliaribus carminibus invenitur, Collini & Quirinales a Numa instituti; ab Hostilio vero, Pavorii & Pallorii*. Tuuc idem Pavori & Pallori duo fana quoque vovit. Livius libro primo: *Tullus in re trepida duodecim vovit Salios, fanaque Pavori & Pallori*. Fuere & Salii cognomento Palatini, forte quia sacra in Palatio factitarent: ubi & eorum sacrarium refertur a Sexto Ruffo, & P. Victore; ad hos antiqua hæc rudera spectant: MANSIONES SALIORUM PALATINORUM A VETERIBUS OB ARMORUM ANCILIUM CUSTODIAM CONSTITUTAS LONGA ÆTATE NEGLECTAS PECUNIA REPARARUNT. In hisce lapidibus occurrent tibi alii cognomine Herculanei, Augustales, Antoniani, Hadrianales, Albani; de istis in præsentiarum habemus hunc: (*b*)

L. ATISTIUS CN. F. HOR. SARCULO
SALIUS ALBANUS IDEM MAG. SALIORUM.

Sed quis hic Magister? forte collegii caput ἔξαρχος. Non est quin dubitem: nam apud hunc legendi potestas, & ejiciendi. Julius Capitolinus de M. Antonino: *Fuit in hoc sacer-*

(a) *Junoni &c.* In hoc Templum jussu Servii Tulli pro nascentibus nummus inferebatur. Itaque Lucius Piso Ann. I. ut apud Dionys. 4. p. 230. *Statuisse Servium quanti pretii nummos pro singulis inferre deberent cognati: in ærarium Ilythiæ, Romani Junonem Lucinam vocant, pro nascentibus*. Scio ab aliquibus *Ilythiam* dictam fuisse Dianam, quæ partubus in lucem venientibus præesset; sed hac de re alii alia.

(b) *Quis mihi &c.* In utroque Kalendario Constantini, & Constantii ad VII. Idus Martias hæc legunt viri eruditi non pauci

Arma ancilia movent.

Illud certe (si qua Polyb. fides) ratum, firmumque triginta dies moveri solita, ac per eos dies publice aliquid gerere, & nefas, & ominosum fuisse. Quo referendus locus Taciti Hist. I. v. 4. *Fuere, qui proficiscenti Othoni moras, religionemque nondum conditorum ancilium adferrent*. Condi vero dicebantur, quum in Martis Templo reponebantur.

cerdotio & Præsul, & Vates, & Magister, & multos inauguravit, atque exauguravit, nemine præeunt; quod ipse carmina cuncta didicisset. Restat ut diem, quo mota Ancilia, inquiramus. Publio est, statim post Kalendas Martias, ante Piscis occasum; qui eidem, v. Nonas. Veteri Kalendario nulla Ancilium mentio: illi, Constantini Magni rejicitur in diem sextum ante Idus. Quis hæc in amicitiam redigat?

v. 260 *Ad tua festa veni.* Priscus liber, *ad tua sacra*: alius, *ad tua facta*; puto verius.

v. 261 *Vallis Aricinæ Est locus*: Erat in sinistra viæ parte, qua Ariciam descenditur. Strabo lib. 5. Τὸ δ' Ἀρτεμίσιον ὃ καλοῦσι νέμος, ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς τὴν δ' Ἀρικίνην τὸ ἱερὸν λέγουσι δ' εἶναι ἀφιδρύματα τῆς Ταυροπόλου. Mallem ἀφίδρυμα: quum unum fuerit Dianæ simulacrum ex Taurica illuc advectum. Servius: *Orestes accepto oraculo, carendi furore caussa, cum amico Pylade Colchos petierat; & cum his, occiso Thoante, simulacrum sustulit absconditum fasce lignorum (unde & Fascelis dicitur, non tantum a face cum qua pingitur, propter quod & Lucifera dicitur) Ariciam transtulit.* Sed heus! non unum in eo loco mendum, plura latent; quare sic lege, & dispunge: Τὸ δὲ Ἀρτεμίσιον, ὃ καλοῦσι νέμος ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν. τῆς δ' Ἀρικίνης τὸ ἱερὸν λέγουσι δὲ εἶναι ἀφίδρυμα τῆς Ταυροπόλου. Restitutum hunc debes Claudio Salmasio: cui multum & litteræ debent hoc ævo.

v. 261 *Silva præcinctus opaca.* Bene: nam fanum situm in luco. Idem Geographus: Τὸ δ' ἱερὸν ἐν ἄλσει, πρόκειται δὲ λίμνη πελαγίζουσα· κύκλῳ δ' ὀρεινὴ συνεχὴς ὀφρὺς περίκειται, καὶ μάλα ὑψηλή, καὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὸ ὕδωρ ἀπολαμβάνουσα ἐν κοίλῳ τόπῳ καὶ βαθεῖ. Prope hanc λίμνην repertus hic lapis anno Christiano MCLIV.

DIANÆ
NEMORENSI VESTE
SACRUM DICT
IMP. NERVÆ TRAJANO AUG.
GERMANICO III. COS PRÆF.
EJUS T. VOLTENIO MAMILIANO
QUÆSTORIB.
L. CÆCILIO URSO II. M. LUCRETIO
SABINO II. ÆDILIB Q. BIBENNA QUIETO
TI. CLAUDIO MAGNO
P. CORNELIUS TROPHIMUS PISTOR
ROMANIENSIS EX REG. XIII. IDEM CUR
VICI QUADRATI ET LANIA C. F. THIONOE CONIUX
EJUS VOTUM LIBENS SOLVERUNT.

v. 264 *Nullis illud aditur equis.* Vates in VII. Æneidos:

Unde etiam Triviæ templo, lucisque sacratis
Cornipedes arceantur equi, quod littore currum
Et juvenem monstris pavidi effudere marinis.

v. 265 *Licia dependent.* His suspensa dona votorum compotum.

v. 265 *Longas sepes.* Murum quo nemus septum.

v. 266 *Meritæ Deæ.* Huc pertinent Straboni, illa lib. XIV. Καὶ ἡ Ἄρτεμις ἀπὸ τοῦ ἀρτεμίας ποιεῖν.

v. 266 *Multa tabella Deæ.* Heus tu, etiam antiquis noster iste mos tabulas votivas in templo suspendendi. quid dubitas? Strabo lib. 8. de Epidaurio templo Æsculapii: Καὶ αὕτη δ' οὐκ ἄσημος ἡ πόλις, καὶ μάλιστα διὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Ἀσκληπιοῦ θεραπεύειν νόσους παντοδαπὰς πεπιστευμένου, καὶ τὸ ἱερὸν πλῆρες ἔχοντος ἀεὶ τῶν τε καμνόντων, καὶ τῶν ἀνακειμένων, ἐν αἷς ἀναγεγραμμέναι τυγχάνουσιν, αἱ θεραπεῖαι, καθάπερ ἐν Κῷ τε καὶ Τρίκκῃ. Addo Tibulli testimonium:

Nunc Dea nunc succurre mihi: nam posse mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Frequentiores ad hujusmodi martyremata invenio lapides: quid mirum? durarunt hi, non illæ, quæ ligneæ; ut hunc:

ÆSCULAPIO. ET. HYGIÆ
CETERISQ. DIIS DEABUSQ.
HUJUSQ. LOCI SALUTARIB.
C. JUL. FRONTONIANUS. VET.
EX B. F. COS LEG. V. M. P. REDDI-
TIS. SIBI. LUMINIBUS. GRAT.
AG. EX VISO PRO SE ET. CAPSIA
MAXIMA CONIUG ET JULIA
FRONTINA FILIA V. S. L. M.

In his tabulis nostro ævo subscribuntur hæ litteræ, V. F. & G. A. in antiquis passim hæ, VOT. QUOD FE. A. L. P. seu, EX VOTO, seu V. S. A. L. P. & similia. Caussæ, ut cotidianæ, casuales: ut, RESTITUTIONE FACTA SIBI CAPILLORUM & PERICULO OCEANI LIBER. aut, PRO FILIO MALE AFFECTO. & aliæ: quas vide in Thesauro Inscriptionum antiquarum, ubi & has saltuatim collegimus.

v. 268 *Portat ab Urbe faces*. Ad ritum aspectans Statius in Hercule Surrentino:

Fumat Aricinum Triviæ nemus....

v. 269 *Regna tenent fortes*. Hic *regnum* idem ac sacerdotium: nam qui sacerdos, ibi dictus *Rex Nemorensis*: inde sacerdotium *regnum*. de hoc Lucanus III. Pharsalico:

Qua sublime nemus Scythicæ, qua regna Dianæ.

v. 269 *Fortes manibus*. Is igitur Sacerdos sacri illius nemoris, qui viribus excellens: hunc si tractu temporis præstantior alter vinceret, primo interemto, sacerdotium occupabat; hinc Svetonius in gestis amentis Caligulæ: *Nemorensi Regi, quod multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit*. De barbarico hoc more Strabo libro V. Καὶ γὰρ τὸ βαρβαρικὸν κρατεῖ καὶ Σκυθικὸν περὶ τὸ ἱερὸν ἔθος· καθίσταται γὰρ ἱερεὺς, ὁ γενηθεὶς αὐτόχειρ τοῦ ἱερωμένου πρότερον, δραπέτης ἀνήρ· ξιφήρης οὖν ἐστιν ἀεὶ περισκοπῶν τὰς ἐπιθέσεις, ἕτοιμος ἀμύνεσθαι. (a)

v. 269 *Pedibusque fugaces*. Quivis δραπέτης, non qui cursu velocior.

v. 271 *Incerto murmure*. Nam id ubi sit, ambigitur. Sermo Nasoni est de fontibus, quibus lacus ille impletur; de his ita Strabo: Τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾶν ἐστιν ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται. τούτων δ' ἐστὶν ἱερὰ καλουμένη δαίμονος τινὸς ἐπώνυμος. αἱ δ' ἀπορρύσεις, αὐτόθι μὲν ἄδηλοί εἰσιν, ἔξω δὲ δείκνυνται πόρρω πρὸς τὴν ἐπιφάνειαν ἀνέχουσαι. Magnus Scaliger legit, τούτων δ' ἐστὶν Ἰούρνη. δαίμ. de Juturma locum audiens. Hic fons est in eo tractu. Sequor illustrem virum.

v. 273 *Egeria est*. Hæc τὸ δαίμων ἐπώνυμος cum Juturna.

v. 275 *Promtos ad bella Quirites*. Plutarchus de Numa & Lycurgo: Δεύτερον, ait, τοίνυν, ὅτι καθάπερ ἁρμονίαν λύρας, ὁ μὲν ἐκλελυμένην καὶ θρύψασαν ἐπέτεινε περὶ τὴν Σπαρτιατῶν, ὁ δὲ τῆς Ῥώμης τὸ σφοδρὸν ἀνῆκε καὶ σύντονον.

v. 277 *Ne fortior omnia posset*. Alia editio, *ne firmior*.

v. 281 *Visa jam vertitur ara*. Ex Numæ nova lege. Plutarchus: *Suis*, inquit, præcepit τὸ μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων, μηδὲ θύειν ἄπερ ἀλφίτων. καὶ τὸ προσκυνεῖν περιστρεφομένους, καὶ τὸ καθῆσθαι προσκυνήσαντας. Solitum ergo antiquis in adorationis ritu corpus dexroversum circumagere: hoc adstricte significat τὸ *vertitur*; manifeste Plautus in Curcullione:

Ph. *Quo me vortam nescio*
Pa. *Si Deos salutas, dextroversum censeo.*

& Lucretius lib. 5.

Nec pietas ulla est, velatum sæpe videri,
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras.

Pli-

(a) *Fortes &c.* Idem Ovidius de Arte I. 259.

Ecce suburbanæ Templū Nemorale Dianæ,
Partaq; per gladios Regna nocente manu.

Romani hunc Dianæ locum in Agro Aricino Nemus appellabant. Hinc Sacerdos Nemoralis. Ejus crudelissimi moris, explicatio, quod Nemoralis Sacerdos, qui & Rex dicebatur a validiore victus & occisus, Regno cederet, lucem affert loco Val. Flacci. 2. 305.

Et soli non mitis Aricia Regi.

Plinius lib.28. cap.2. *In adorando dextram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus; quod in lævum fecisse, Galliæ religiosius credunt*; imo in dextram, si verus Athenæus lib.4. Καὶ τοὺς θεοὺς προσκυνοῦσιν ἐπὶ τὰ δεξιὰ στρεφόμενοι. Erat & apud antiquos, ut vidisti, in adoratione solemnis manus ad os admota: quod & ex Minutio Felice observo in Octavio: *Cæcilius*, inquit, *simulacro Serapidis denotato, ut vulgo superstitiosius solet, manum ori admovens osculum labris impressit*; inde hujusmodi oscula, *labrata* dixerunt veteres, imo statuas ipsas Deorum, & imagines Imperatorias, quæ isto osculo adorabantur. Sic exponunt Græci λάβρατα. Chronicum Alexandrinum: Τούτῳ τῷ ἔτει ἐβασίλευσεν Ἀνθέμιος, καὶ ἀπῆλθεν τὰ λάβρατα αὐτοῦ ἐν Κωνσταντίνου πόλει ἐπὶ Φιγεντίου ἐπάρχου πόλεως.

v. 287 *Piabile Fulmen*. Et monitorium (utor veteri verbo:) nam latens fatum aperuit. *(a)*

v. 294 *Lucus Aventino suberat*. Varro de hujusce collis etymo: *Olim*, inquit, *paludibus mons erat ab reliquis disclusus. Itaque eo ex urbe qui advehebantur ratibus, quadrantem solvebant: cujus vestigia, quod ea, qua tum itur velabrum; & unde ascendebant ad Rumam, nova via lucus est, & sacellum Larum*. Hic lucus de quo noster.

v. 294 *Niger ilicis umbra*. Servius ad illud: *Ilice sub nigra, vel umbrosa, vel revera nigra, quia talis est*; ob virorem qui ad nigrum accedit; inde Horatio, *pulla myrtus*.

v. 298 *Fonti Rex Numa mactat ovem*. Hœdus victima proprior; idem Flaccus ad fontem Blandusiam:

> *Dulci digne mero, non sine floribus,*
> *Cras donaberis hædo.*

v. 300 *Cumque suis*. Hi numero bisseni. Antias vetus auctor apud Arnobium lib. 5. Adversus gentes: *Numam dicunt, Egeriæ monitu, castos duodecim juvenes apud aquam celasse cum vinculis; ut quum Faunus & Martius Picus ad id locorum venissent haustum, nam illis aquandi solemne iter huc fuit, invaderent, constringerent, colligarent*.

v. 304 *Addit in arcta manus*. Ridet hos nexus Arnobius: *Soliditatis*, inquit, *habebant quidquam, aut ex duris ossibus informatæ fuerant eorum manus, quæ constringi laqueis & nodorum possent illigationibus coerceri?*

v. 310 *Cornua Faunus ait*. Capripidem & cornutum hunc finxit antiquitas.

v. 313 *Et qui dominamur*. Recte in nostro, *& qui dominemur*: bellius quod in alio veteri, *& qui dignemur*.

v. 315 *Per te deducere cælo*. Verbum magicum. Tibullus: *Lunam deducere tentat*. Græcorum κατάγειν. Apollonii interpres: Αἱ φαρμακίδες κατάγουσι τὴν σελήνην. *(b)*

v. 316 *Sed poteris*. Veteri inest, *At poteris*.

v. 319 *Summa perductus ab arce*. Eidem, *valida perductus ab arte*. Sic arbitror legendum.

v. 321 *Emissi quid agant laqueis*. Non elegantius liber scriptus, *Emissi laqueis quid agant*.

v. 321 *Quæ carmina dicant*. Videntur mihi verba illa Pontificis quum fulmina condebat; de quibus veteres Glossæ Juvenalis: *Condi fulgura dicuntur, quoties Pontifex dispersos ignes in unum redigit, quadam tacita ignorat aque prece, & locum aggestione consecratum it*.

124 *Eli-*

(a) *Piabile Fulmen &c.* Præter fulmen *monitorium*, erat etiam *consiliarium*: *sed habet distinctionem* (ut docet Seneca) Nat. Quæst. 2. 39. *quia hoc suadet, dissuadetque, illud solum impendentis periculi evitationem continet*: Etiamnum tamen idem aliam videt utriusque distinctionem. *Consiliarium est, quod cogitanti factum est, monitorium, quod nihil cogitanti*. Inexpectatum vero *caducum* dicebatur. *Caduciter* enim, ut Nonius inquit *præcipitanter* est. Varronis locum affert. *At frigidos Nimbos aqua ista caduciter ruentes*. Consule Versus Horatianos Od.4. lib.3.

> . . . . *Scimus ut impios*
> *Titanas, immanesque Turbam*
> *Fulmine sustulerit caduco,*
> *Qui terram inertem, qui mare temperat &c.*

(b) *Per te &c. Lunamque Cœlo deripit* Horat. Epod. Od.5. v.45. verbo magico communi tamen aliorum Scriptorum usus Virg.Ecl.8. v.69.

> *Carmina vel Cœlo possunt deducere Lunam.*

Sed & *trahere* dicebant & *perducere*, ut videre est in Nostro. Hujus generis elegantissimas voces alias fortasse invenies in Latinorum Scriptorum libris.

v. 326 *Eliciumque vocant*. Habuerunt quoque Græci τὸν ἱκ καταιβάτην, quod *Elicium* interpreteris: illius meminit Pollux lib. 9. ni fallor; hujus Varro lib. 5. *Sic Elicii Jovis ara in Aventino, ab eliciendo.* (a)

v. 328 *Terraque subsedit*. Ut illud supra in primo.

Ictaque subsedit pondere molis humus.

v. 330 *Utque animus rediit*. Prisca editio, *Ut rediit animus*. Non melior.

v. 338 *Eruta cepa meis*. Studet Numa tristius avertere. Plutarchus in eodem: Ἔνιοι δὲ οὐ τοὺς δαίμονας φασὶν ὑποθέσθαι τὸν καθαρμόν, ἀλλ' ἐκείνοις μὲν καταγαγεῖν τὸν Δία μαγεύσαντας· τὸν δὲ θεὸν ὀργιζόμενον τῷ Νουμᾷ, προστάσσειν ὡς χρὴ γενέσθαι τὸν καθαρμὸν κεφαλαῖς, ὑπολαβόντος δὲ τοῦ Νουμᾶ, κρομμύων, εἰπεῖν αὐθρώπων. τὸν δὲ αὖθις ἐκκρούοντα τοῦ προστάγματος δεινόν, ἐπερέσθαι. θριξίν· ἀποκειναμένου δὲ τοῦ Διὸς ἐμψύχοις, ἐπαγαγεῖν τὸν Νουμᾶν μαινίσι. ταῦτα λέγειν ὑπὸ τῆς Ἠγερίας δεδιδαγμένον. & ille Antias apud Arnobium: *Jovem diu cunctatum, Expiabis, dixisse, capite fulgurita: Regem respondisse, Cepitio; Jovem rursus, Humano: retulisse Regem, Sed capillo; Deum contra, Anima: subjecisse Pompilium, Piscis. Tunc ambiguis Jovem propositionibus captum extulisse hanc vocem, Decepisti me Numa.*

v. 340 *Piscis, ait*. Cur μαινὶς potius oblata, non alius, nescio. Dianæ olim immolabant, ob caussam quam recitat Eustachius in his: Φίλη μαινὶς τῇ Ἑκάτῃ. ταυτὴν δ' αἰτὴν τῇ σελήνῃ. διὰ τὸ δοκεῖν ἴσως οἷς μανιῶν αἰτία εἶναι.

v. 341 *Mea tela procures*. Hoc est in posterum: unde Plutarchus de fulminum procuratione: Οἷς ποιεῖται μίχει νῦν διὰ κρομμύων, καὶ τριχῶν, καὶ μαινίδων.


v. 344 *Imperii pignora certa*. Ancile: cui ad imperii tutelam eadem fides præstita ac Palladio, Diis Samothracum, & igni Vestali.

v. 349 *At certe credamus, ait*. Ita hæc habet liber vetus, *At certe credetis, ait*.

v. 354 *Adveniente die*. Idem, *a veniente die*.

v. 361 *Niveo velatus amictu*. Galea sacerdotali. Veteres Glossæ Juvenalis: *Tiara galea sacerdotis, quæ per malas veniens mento subligatur*. Videtur pileum Judaici sacerdotis; de quo Isidorus: *Pileum ex bysso rotundum, quasi sphæra media caput tegens sacerdotales, & in occipitio vitta constrictum, hoc Græci & nostri tiaram vocant.*

v. 375 *Quod ab omni parte recisum*. Ancile igitur licet ex nostri sensu colligam fuisse rotundum, non tamen hujusmodi penitus credam; sed adeo oblongulum, ut in nummis vidisse memini: ubi sic cusum;




Sed, quod displicet, solus Naso in hanc sententiam, qui verbi vim secutus. Sic *ancæsa* dicta sunt ab antiquis vasa, quæ cælata appellamus, quod circumcædendo talia fierent, idque auctore Festo, qui hæc de ancilium forma: *Ancile appellatum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum infimumque latus pateret* prisca editio habet, *latius pateret*. Quæ si bene capio, non alia Festi mens, quam ancilis schema sic delineare:

De-

(a) *Eliciumque &c.* Hæc tradidit Numa Pontifici, cujus scitis publica, privataque sacra subjecit. Liv. lib. 1. cap. 20. *Nec cælestes modo ceremonias, sed justa quoque funebria, placandosque manes, ut idem Pontifex edoceret: quæque prodigia fulminibus, aliove quo viso missa, susciperentur, atque curarentur. Ad ea elicienda ex mentibus divinis Jovi Elicio Aram in Aventino dicavit, Deumque consuluit auguriis, quæ suscipienda essent.*



Describit nobis parum clare Plutarchus in Numa: Ἀγκύλια καλοῦσι διὰ τὸ σχῆμα. κύκλος γὰρ οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ἀποδίδωσιν, ὡς πέλτη, τὴν περιφέρειαν, ἀλλ' ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, ἧς αἱ κεραῖαι καμπὰς ἔχουσαι, καὶ συνεπιστρέφουσαι τῇ πυκνότητι πρὸς ἀλλήλας, ἀγκύλον τὸ σχῆμα ποιοῦσιν. Dionysius peltæ Thraciæ æquiparat, secutus puto Varronem, qui *Ancilia* ait lib. 4. *dicta ab ancisu; quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum, incisa.* Nota, quod *ut* in incisionem cadit. Vult enim Varro eam incisionis figuram fuisse in ancilibus, quam peltæ Thracum haberent in summo tantum, illa ad utrumque latus: nam peltæ lunam semiplenam referebant in hunc modum:



Ceterum anciliis etymon deduci potest ex eo quod esset ἀγκύλον τὸ σχῆμα, aut quod ἐπ' ἀγκώνων gestaretur; sive quia ἄνωθεν ὄκηλαν ἐκ' ἐνέχθησαν; an, ut summo viro placuit, quod averruncandæ pestilentiæ caussa, ἀκέσεως significatio in nomine sit. Laudo ingenium.

v. 379 *Plura jubet fieri*. Non ab uno, sed a pluribus; ut inter tot aliquis ad verum cæleste σχῆμα exprimeret Plutarchus: Τὴν δὲ πέλτην προθέντος αὐτοῦ, καὶ κελεύσαντος ἁμιλλᾶσθαι τοὺς τεχνίτας ὑπὲρ τῆς ὁμοιότητος, τοὺς μὲν ἄλλους ἀπειπεῖν, Βετούριον δὲ Μαμούριον, ἕνα τῶν ἄκρων δημιουργῶν, οὕτως ἐφικέσθαι τῆς ἐμφερείας, καὶ κατασκευάσαι πάσας ὁμοίας, ὥστε μηδὲ αὐτὸν ἔτι τὸν Νομᾶν διαγινώσκειν.

v. 385 *A saltu nomina*. (a) *Salii*, inquit M. Varro, *a saltando: quod facere in Comitio quotannis & solent, & debent*; tamen ex Polemone quodam refert, quemdam Arcadam, dictum Salium, eis enopliam saltationem & nomen etiam dedisse: at nugæ. Plutarchus: Σάλιοι δὲ ἐκλήθησαν, οὐχ ὡς ἔνιοι μυθολογοῦσι Σαμόθρακος ἀνδρὸς ἢ Μαντινέως ὄνομα Σαλίου τὴν ἐνόπλιον ἐκδιδάξαντος ὄρχησιν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως αὐτῆς ἁλτικῆς οὔσης, ἣν ὑπορχοῦνται διαπορευόμενοι τὴν πόλιν, ὅταν τὰς ἱερὰς πέλτας ἀναλάβωσιν ἐν τῷ Μαρτίῳ μηνί. & clarius Dionysius lib. 2. Υ' πὸ δὲ Ῥωμαίων, ἀπὸ τῆς συντόνου κινήσεως. τὸ γὰρ ἐξάλλεσθαί τε καὶ πηδᾶν σαλίρε ὑπ' αὐτῶν λέγεται. ἀπὸ δὲ τῆς αὐτῆς αἰτίας καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας ὀρχηστὰς, ἐπειδὴ κἀν τούτοις πολὺ τὸ χόρδαμα καὶ σκίρτημα ἔνεστι, παραγαγόντες ἀπὸ τῶν Σαλίων τοὔνομα, Σαλιτορας καλοῦσι.

Hoc Saliorum tripudio haud suspicor Romæ solemnius celebratum, si vera Lucianus Περὶ

O'

(a) *A saltu &c.* Bracteas, seu lamellas Pontifices Saliosque saltantes sacris suis adhibuisse docet Zosim. IV. 36. Et hunc ritum in usu fuisse apud Thessalos in Ponte Penei. Bracteæ istæ, vel lamellæ in virilem, muliebremque speciem expressæ erant, ut docet Festus (quod ad rem divinam conferre videbatur) quas *Subsiles*, *Ipsiles*, e *Ipsulices* dictas fuisse idem Festus confirmat.

Ὀρχήσεως: Ἐπὶ τούτοις δίκαιον μηδὲ τῆς Ῥωμαίων ὀρχήσεως ἀμνημονεῖν, ἣν οἱ ἀγένειοι αὐτῶν, τῷ πολεμικωτάτῳ τῶν θεῶν Ἄρῃ, οἱ Σάλιοι καλούμενοι (ἱερωσύνης δὲ τοῦτο ὄνομα) ὀρχοῦνται σεμνοτάτην τε ἅμα καὶ ἱεροπρεπῆ. Bene ἀγένειοι. nam, teste Tullio in Oratione pro domo sua, ex Patritiis legebantur. Ceterum saltatio qualis fuerit, tradidit etiam Dionysius lib. 2. Κινοῦνται γὰρ πρὸς αὐλὸν ἐν ῥυθμῷ τὰς ἐνοπλίους κινήσεις, ποτὲ μὲν ὁμοῦ, ποτὲ δὲ παραλλάξ, καὶ πατρίους τινὰς ὕμνους ᾄδουσιν ἅμα ταῖς χορείαις: χορεία δὲ καὶ κίνησιν ἐνόπλιον καὶ τὸν ἐν ταῖς ἀσπίσιν ἀποτελούμενον ὑπὸ τῶν ἐγχειριδίων ψόφον, εἴ τι δεῖ τοῖς ἀρχαίοις τεκμηριοῦσθαι λόγοις, Κούρητες ἦσαν πρῶτοι οἱ κατασκευασάμενοι. In motibus autem frequens illis fuit amptruario, quæ fiebat in circum: hæc a prosaltore initium sumebat. Lucillius:

Præsul ut amptruat, inde & volgu redamptruat olli.

Præsul, & prosaltor, idem: hoc unum ex Saliatu munus, quæ tria, Præsulis, Vatis, & Magistri.

v. 386 *Armaque.* (a) Ea qui fuerint diximus: unum addi potest, & debet, quo habitu induti, hunc accurate descriptum inferam ex Dionysio lib. 2. Ἑορτὴ, inquit, δ' αὐτῶν ἐστι περὶ τὰ Παναθήναια, τῷ καλουμένῳ Μαρτίῳ μηνὶ, δημοτελὴς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἀγομένη, ἐν αἷς διὰ τῆς πόλεως ἄγουσι τοὺς χοροὺς εἴς τε τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ Καπιτώλιον, καὶ πολλοὺς ἄλλους ἰδίους τε καὶ δημοσίους τόπους, χιτῶνας ποικίλους χαλκείαις μίτραις κατεζωσμένοι, καὶ τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας. ἔστι δ' ἐπιχώριος αὕτη Ῥωμαίοις ἐσθὴς ἐν τοῖς πάνυ τιμίοις· καὶ τὰς καλουμένας ἀπίκας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδές. Sunt Dionysio ποικίλοι χιτῶνες, quod Livio *tunicæ pictæ*. Sic ille de Saliis: *Tunicæ pictæ insigne dedit*, quam Latini *pictam vestem* vocant. Hesychius: Ποικίλον ἱμάτιον ζωγραφητόν.

v. 386 *Verba canenda modos.* Hinc illi Ὑμνηταὶ, καὶ Χορευταὶ dicti passim. Glossæ: *Salius* ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων. ὑμνῳδὸς, πρύτανις.

v. 388 *Nomina nostra sonent.* Dictum factum: ut addita non multo post Lucia Volumnia: nec hi solum, verum alii (sic postea receptum, grassante adulatione) in sacrum hoc carmen inserti. Germanico mortuo, auctore Tacito, inter alios honores decretum, *ut nomen ejus Saliari carmine caneretur.* M. Antoninus Philosophus Cæsari Vero filio *jussit*, ait Capitolinus, *ut statuæ tantummodo decernerentur, & imago aurea Circensibus ferenda, & ut Saliari carmini nomen ejus insereretur.* Non absimilis mos Atheniensibus; o si hodie! quo de Republica meritos peplo Minervæ intexebant: testis Diodorus Siculus de Antigono & Demetrio lib. xx. hinc de clarissimo viro natum epithetum, Ἄξιος ἐστι τοῦ πέπλου.

v. 390 *Mamuriumque vocant.* Fabrum quemdam hunc fuisse, fabulosum multis; ut M. Varroni, cui Veturius Mamurius nihil aliud quam vetus memoria. Vidit hanc discordiam Plutarchus, ideo, Οἱ δὲ, inquit, Οὐετούριον Μαμούριον εἶναί φασι τὸν ᾀδόμενον, ἀλλὰ Οὐετέρημ μεμορίαμ.

v. 392 *Differ.* Ad condita usque ancilia. Rationem prævides suspicor, sed hic habes. Eadem superstitione per id tempus nihil publice geri poterat; nullum iter alicui fas erat aggredi. De Othone apud Tacitum Hist. primo: *Fuere, qui proficiscenti Othoni moras, religionemque nondum conditorum ancilium adferrent. Aspernatus omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitiosam.* & Svetonius lib. 8. *Expeditionem autem impigre & præpropere suscepit, sed & motis, necdum conditis, ancilibus.* Mota dicebantur, dum illa Salii per Urbem circumferebant: inde in Kalendario Constantini Magni notatur ea dies, ARMA ANCILIA MOVENT.

v. 395 *Capitis discincta Dialis.* Omnino veteres melius, *apicati sancta Dialis.* Apicalus, qui gerit apicem: quid hic in flamine, notum; non illud, cum eodem flamini mori non licuisse. Appianus de Merula (hunc paullum supra facit τὸν ἱερέα τοῦ Διὸς lib. primo Bellorum civilium: Μερόλας μὲν τὰς φλέβας ἐνέτεμεν ἑαυτοῦ, καὶ πινάκιον αὐτῷ περικείμενον ἐδή-
λου

(a) *Armaque &c.* Tunicis puniceis usos Plutarchus, pictis Livius, Toga purpura prætexta censet Dionys. Ab hujus sententia ratione firmissima adducti discederemus, quod nihil saltanti magis incommodum, quam vestis genus talare, ac fusum, in ea nisi nos retineret Vir Doctissimus Ferrarius, qui in 1. de re Vest. docet Salios togas fibula contraxisse, ne saltantibus impedimento esset ritu Gabinio. Dionysio τήβεννα eædem, ac Trabeæ esse videntur, ut probare est ex glossis. Picus Rex Saliorum veste indutus, sic describitur a Virg. Æn. 7. v. 187.

. . . . parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat.

κα ὅτι κόπτων τὰς φλέβας ἢ τὸ ἄλλο ἀποδοῦναι. ἱερία γὰρ ἦν δεινῶν ἀνεζήμια τὸν πλεῖστῶν.

v. 737 *Debet habere comas.* Ut etiam per dies XIV. mense Junio, donec stercus ex æde Veste delatum; ut dicturi sumus, Θεοδιδόντος, in VI. Fastorum.

v. 740 *Ubi moveri ortus.* V. Nonas est austrini piscis δύσις ἑῴα φαινομένη.

v. 740 *Austris sic est.* Ideo Νότιος appellatus, alter Βόρειος; sed hic & Χελιδονίας, & Solitarius, & Ἰχθὺς ὁ μέγας. Vide Theonem & Germanici Scholiasten.

v. 743 *Quintæ tempora lucis aget.* III. Nonas occidit Arctophylax cosmice.

v. 745 *At non effugiet Vindemitor.* Hac eadem vindemiatoris ortus ἀκρόνυχος.

v. 748 *Amissum liber in astra tulit.* Græcis vocatus τρυγητὴρ, aliis προτρυγητὴς, & προτρύγητος. sita hujus stella in una Virginis ala. Hyginus: *In utrisque pennis binæ: quarum una, quæ est in dextra penna ad humerum defixa, protrygeter vocatur*; eadem Geminus.

v. 755 *Sextus ubi e terra.* Pridie Nonas Martias Augustus Pontifex Maximus designatur, ut haberet omni ex parte jus αὐτοκρατορίας. Svetonius in eodem: *Postquam vero Pontificatum Maximum, quem numquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit: quidquid Fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus, vulgo ferebatur, supra duo millia, contracta undique, cremavit.* Liquidum hoc etiam e Dione Cassio lib. 54. Annus fuit ab Urbe condita DCCXLI. diem vero, quem suggerit noster, firmat vetus Kalendarium; in quo ante Nonas hæc legimus PR. NP. HOC DIE CÆSAR PONTIF. MAX. FACT. EST. Eodem mense, sed post dies quatuor (res mira) Tiberius filius dignitatem hanc adiit. Lapis Romanus: (partem adscribam, & quæ huc faciunt) ITEM DEDICATIONE STATUARUM CÆSARUM ET AUGUSTARUM, MULSUM ET CRUSTULA PECUNIA NOSTRA DEVOTIS OMNIBUS ET POPULO DEDIMUS, PERPETUOQUE EJUS DIE DEDICATIONIS DATUROS NOS, TESTATI SUMUS: QUEM DIEM, QUO FREQUENTIOR QUOTANNIS SIT, SERVABIMUS VI. IDUS MARTIAS, QUIA HAC TIBERIUS CÆSAR PONT. MAX. FELICISSIME CREATUS EST.

v. 759 *Pontificalis honor.* Hujus exemplo, secuti Cæsares munus id sacrum non neglexere ad Gratianum usque: qui primus ex iis sancte respuit hunc morem. Zozimus lib. 4. *Simul enim atque summum Imperium quisque accipiebat, amictus ei sacerdotalis a Pontificibus offerebatur, & continuo Pontificis Maximi titulum usurpabat: & ceteri quidem Principes universi, lubentissimis animis hunc honorem accepisse & hoc usi titulo videntur; adeo ut Constantinus etiam potitus Imperio, licet is a recta sacris in rebus via deflexerit* (tace impie) *& fidem Christianorum amplexus esset, itemque post illum reliqui ordine secuti, & Valentinianus, atque Valens. Quum ergo Pontifices, ex more, Gratiano talem amictum attulissent, aversatus est id quod petebant, ratus, non esse fas illiusmodi habitu Christianum uti.*

v. 767 *Bene vivitis ignes.* Plautus aulularia:

Nam si ignis vivet, tu extinguere extempulo.

unde *mori*, de igne dictum. Martialis:

Quod spurcæ moriens lucerna Lede.

v. 769 *Una nota est Martis.* (a) Martiis, inquit, Nonis dicata Vejovis ædes: erat in regione VIII. P. Victor in eadem: *Ædes Vejovis inter arcem & Capitolium.* Prope Asylum exædificavit hanc Romulus, ad augendam Asyli religionem. Colligo ex Dionysio, sed Auctor ille (& caute, ne Græcus in Romano etymo erraret) Vejovem incertum quemdam δαίμονα appellavit. Hæc verba e lib. 2. quibus & sequentes ordine tres versus habes elucidatos: Τὸ γὰρ μεταξὺ χωρίον τοῦ τε Καπιτωλίου καὶ τῆς ἄκρας, ὃ καλεῖται νῦν κατὰ τὴν Ῥω-

(a) *Una nota &c.* Vejovem dictum quasi Parvum Jovem Ovidius auctor est, ac *ve* particulam diminutionem significare:

Nunc vocor ad nomen: vegrandia farra coloni,
Quæ male creverunt, vescaque parva vocant.
Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni suspicer esse Jovis?

Contra vero Gellius *ve* noxium aliquid significare, *ac simulacrum Vejovis, quod est in æde, sagittas tenere, quæ sunt videlicet ad nocendum paratæ, proindeque eum Deum, plerosque Apollinem esse dixisse.* De controversia hac eruditorum judicium esto; magno se quisque judice tueri poterit.

Ῥωμαίων διάλεκτον, μεθόριον δυοῖν δρυμῶν, καὶ ἦν τότε τοῦ συμβεβηκότος ἐπώνυμον, ὕλαις ἀμφιλαφέσι κατ' ἀμφοτέρας τὰς συναπτούσας τοῖς λόφοις λαγόνας ἐπίσκιον, ἱερὸν ἀνεὶς ἄσυλον ἱκέταις, καὶ ναὸν ἐπὶ τούτῳ κατασκευασάμενος. ὅτῳ δὲ ἄρα θεῶν ἢ δαιμόνων. οὐκ ἔχω τὸ σαφὲς εἰπεῖν. τοῖς καταφεύγουσιν εἰς τοῦτο τὸ ἱερὸν ἱκέταις, τοῦ τε μηδὲν κακὸν ὑπ' ἐχθρῶν παθεῖν ἐγγυητὴς ἐγίνετο, τῆς εἰς τὸ θεῖον εὐσεβείας προφάσει, καὶ εἰ βούλοιντο παρ' αὐτῷ μένειν, πολιτείας μετεδίδου καὶ γῆς μοίρας ἣν κτήσαιτο τοὺς πολεμίους ἀφελόμενος.

v. 441 *Stat quoque capra simul*. A. Gellius lib. 5. Noctium Atticarum: *Immolatur illi ritu humano capra; ejusque animalis figmentum juxta simulacrum est*.

v. 442 *Lac dedit illa Jovi*. De hac eadem Aratus in Phænomenis.

Αἴξ ἱερή· τὴν μέν τε λόγος Διὶ μαζὸν ἐπισχεῖν.

v. 443 *Vegrandia Farra*. Dicta ait antiquitus, quæ male creverunt; id est malegrandia, & minuta: nam veteres *ve* syllabam ad rei parvitatem præponebant; unde minutam fabam, *vegrandem* quoque dixerunt; minores flamines, *veflamines*; de quibus extat vetus hic lapis, P. JULIUS HORATIANUS VE FLAMEN AUGUSTI. & iste haud integer, & semirosus:

: : : : : : : : : : : : : : : : : : :
CURIÆ PONT · : : : : :
FLAM PACIS JULIÆ
VE FLAM : : : : : : : : : :

Voluit quipiam per *veflamines* non minores, sed veteres sacerdotes intelligi: quid nugacius? Sed ad nos Festus: *Vegrande frumentum, pro parvo & minuto*. *Grandire* apud antiquos, est idem quod crescere. Lustricum carmen Catonis: UTIQUE TU FRUGES, FRUMENTA, VIRGULTA, VINETA GRANDIRE BENEQUE EVENIRE SIRIS.

v. 444 *Vescaque parva vocant*. Hinc *vescus*, pro imbecillo & exsucco. Plinius de Tritano refert, *Vesco corpore, sed eximiis viribus fuisse*. Afranius: *Ab puer est vescis imbecillus viribus*. Glossæ: *Vescus*, ὀλιγόσιτος: ὀλιγοδίνης.

v. 446 *Non magni Jovis?* Adolescentis sive pueri: forte hunc appellavit Satyricus *Jovem nondum barbatum*; & antiqua Inscriptio, *puerum*; ille Satyra 6.

Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan
Atque aliqua extiterint & sub Jove sed Jove nondum
Barbato, nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius .....

id est, sub initiis Urbis, & illa vagiente: ad quam Romulus allusit, quum Vejovi templum consecraret. Vetus vero marmor hoc:

FORTUNÆ
JOVIS PUERI
PRIMIGENIÆ

Alii Vejovem, eumdem cum Vedio putarunt: qui malum numen; & cui nocendi potestas, non juvandi: Martianus Capella lib. 2. de Nuptiis Phil. *In eo perenni strepitu colliditur animarum quas Vedius adjudicarit impietas, id est Pluton: quem etiam Ditem Vejovemque dixere*. Papias Vocabulista: *Vedius Pluto, vel Orcus*; idest, malus Divus.

v. 448 *Gorgonei colla videbis equi*. Iisdem Nonis Pegasus oritur heliace.

v. 450 *Prosiluisse comis*. Sic vulgus Poetarum. Vera opinio est, Pegasum fuisse navis nomen, qua vectus Bellerophon appulit ad montem Telmissum temporibus Amisodari, mostraque ibi quædam evertit.

v. 454 *Ungula fodit aquas*. Unde fons ille dictus a Græcis ἱππουκρήνη; & Aulo Persio, *fons Caballinus*.

v. 456 *Quinque decemque micat*. Sunt Hygino XVIII.

v. 457 *Venienti nocte Coronam*. VIII. Idus, die XXI. post Solis ingressum in Pisces, ut placuit Eudoxo. Geminus: Ἐν δὲ τῇ κα' Εὐδόξῳ στέφανος ἀκρόνυχος ἐπιτέλλει, ἄρχονται ζέφυροι πνέοντες.

v. 461 *Quid flebam Rustica? dixit*. De his lacrymis alibi noster: (a)

Thesea crudelem surdas clamabat ad undas,
Indigno teneras imbre rigante genas.
Clamabat, flebatque simul: sed utrumque decebat;
Nec facta est lacrimis turpior illa suis.
Jamque iterum tundens mollissima pectora palmis,
Perfidus ille abiit, quid mihi fiet? ait.

v. 474 *Clamabo, femina credat*. Ex nuptiis Catullianis, Pelei & Thetidos:

Tum jam nulla viro juranti femina credat:
Nulla viri speret sermones esse fideles:
Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt;
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

v. 476 *Jamque in præsenti*. In meo, *Jamque ego præsenti*.

v. 477 *Morituram, Liber, arenis*. Non Chii, ut nugantur interpretes, sed Diæ insulæ, quæ sita juxta Theram. Κυρηναίων μητρόπολιν. Ibi relictam a Theseo, & inventam a Baccho, scribit in Arte & Metamorphosi, ut Theolytus Methymnæus in Bacchicis carminibus. Athenæus: Τὸν δὲ Γλαῦκον τὸν θαλάττιον δαίμονα, Θεόλυτος μὲν ὁ Μηθυμναῖος ἐν τοῖς Βακχικοῖς ἔπεσιν, ἐρασθῆναι φησὶν Ἀριάδνης, ὅτε ἐν Δίᾳ τῇ νήσῳ ὑπὸ Διονύσου ἡρπάσθη. Catullus, & alii.

v. 485 *Fallentemque ipse vocabas*. In tribus antiquis, *Fallacemque ipse vocabas.*

v. 491 *Fuscæ mihi candida pellex*. Ironice. *Fuscus* erat color noviter amatæ: hic Indorum proprius; Itali dicunt *olivastro*: aliquando significat ejusdem idiomatis *brunetto*; in hac significatione legimus apud nostrum alicubi:

Est etiam in fusco grata colore Venus.

v. 493 *Vitio tibi gratior ipsa est*. Duo veteres, *gratior ipso est*, *ipsa nigredine*.

v. 497 *Ceperunt matrem*. Pasiphaem. Nota fabula.

v. 498 *Me tua*. Sic probat, & matri & filiæ placuisse caput cornigerum. (b)

v. 511 *Monumenta coronæ*. Inde hanc cælestem quis dixit *Gnossiam*: quis, *monumentum desertæ puellæ*: & hic Manilius in Sphæra: quis, signum ἀποιχομένης Ἀριάδνης.

v. 513 *Novem transformat in ignes*. In Metamorphosi:

. . . . Gemmæ nitidos vertuntur in ignes,
Consistuntque loco, specie remanente coronæ;
Qui medius nixique genu est anguemque tenentis,

ὁ ἐν γούνασι: & recte.

v. 515 *Sex ubi sustulerit*. III. Idus Martias erant Equiria in Campo Martio.

ve-

(a) *Quid flebam &c.* Non concinne minus ac eleganter proditam a Theseo puellam gravi casu, vehementique dolore agitatam describit nitidissimus Catullus Carm. 63. v. 124.

Sæpe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces;
Aut tum præruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem in Pelagi vastos protenderet æstus:
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatæ tollentem tegmina Suræ;
Atque hæc extremis mæstam dixisse querelis
Frigidulos udo singultus ore cientem
Siccine me patriis . . . . .

(b) *Me tua &c.* Κεράσφορος a Græcis dictus, χρυσοκέρων dixerunt Græcorum alii, quod radios projiciens aureis cornibus ornatus videretur. Horat. lib. 2. Od. 19. v. 29.

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, & recedentis trilingui
Ore pedes, tetigitque crura.

Alii alias caussas afferunt, cur Baccho cornua tribuerentur, nobis omnium ea maxime placet, quæ e poculis petitur: cornibus enim pro poculis antiquos usos esse (ut complures alios prætercam) docet Didym. Auctorque magni Etymologici.

v. 517 *Altera gramineo*. Dixit *altera*; quia prima acta III. Kalendas Martias. In veteri Kalendario mense Februarii hæc legimus: B. EQ. NP. & hæc mense Martio: B. EQ. NP. Bulengerus priora fuisse scribit, ut equitatus lustraretur; altera, ut numerus integraretur: sed testem non adhibet.

v. 518 *In latus urget aquis*. Erat enim Martius campus positus prope Tiberim. Dionysius lib. 5. Ἓν μόνον ἐξελόμενοι πεδίον ὃ κεῖται μεταξὺ τῆς τε πόλεως καὶ τοῦ ποταμοῦ. sed hoc tuo ævo, non Aureliani temporibus, qui pomerium ea Urbis parte protulit: tunc ei additum suspicor campum Martium.

v. 520 *Qui tamen ejecta*. Qui ex undatione Tiberina si forte sit inaccessus, in campo quodam montis Cælii Equiria agebantur. Festus: *Martialis campus in Cælio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, si quando aqua Tiberis campum Martium occupasset*. Campus minor etiam vocatus ille Cælii montis. (a)

v. 521 *Cælius*. Est unus e septem Urbis collibus; cui primum Tuscum fuit nomen *Mastarna*, ut videre est in Oratione Claudii Imperatoris Lugduni eruta in ærea tabula incisa. Hoc olim me primum ex eruditis vidisse credebam, sed reperi postea ab aliis præoccupatum.

v. 522 *Idibus est Annæ*. Vide Macrobium primo Saturnalium. Tunc amnem populus auspicato transibat, & Annæ Perennæ re divina facta, omnibus licitum annare & perennare illud solitum precari. Hilaris olim fuit illa dies. Ludi Romæ etiam aliquando excitati, an quotannis, non affirmo. Appianus de Martiis Idibus quibus Julius Cæsar interfectus, inquit Θέαι δ' ἦσαν lib. II. Bellorum civilium, ἐν τῷ Πομπηίου θεάτρῳ, καὶ βουλευτήριον ἔμελλόν τι περὶ αὐτὸ οἴκων ἔσεσθαι, εἰωθὸς ἐπὶ ταῖς θέαις ὧδε γίγνεσθαι. (b)

v. 523 *Non procul a ripis*. Ubi nemus Annæ Perennæ, de quo Martialis lib. 4. Epigram. 40. inter Anienis confluentem & Milvium pontem.

v. 526 *Pauci tentoria ponunt*. Ut commodius sub his se continerent. Usus verbo militari, nec male: animadverto ex Athenæo lib. 4. ubi quædam festa apud Lacedæmonios prorsus his paria, & cum iisdem tabernaculis, vocat imitamentum militaris disciplinæ. Adscribam locum: Δημήτριος δ' ὁ Σκήψιος ἐν τῷ πρώτῳ τοῦ Τρωικοῦ διακόσμου, τὴν τῶν Καρνείων φησὶ ἑορτὴν παρὰ Λακεδαιμονίοις, μίμημα εἶναι στρατιωτικῆς ἀγωγῆς. τόπους γὰρ εἶναι ἐννέα μὲν τῷ ἀριθμῷ· σκιάδες δὲ οὗτοι καλοῦνται, σκηναῖς ἔχοντες παραπλήσιόν τι· καὶ ἐννέα καθ' ἕκαστον ἄνδρας δειπνεῖν, πάντα τε ἀπὸ προστάγματος κηρύσσεσθαι. ἔχειν τε ἑκάστην σκιὰν φρατρίας, καὶ γίνεσθαι τὴν τῶν Καρνείων ἑορτὴν ἐπὶ ἡμέρας ἐννέα.

v. 527 *Frondea facta casa est*. Adludit ad trichila, & umbras, quæ & Neptunalibus excitari solitæ. Sextus Pompejus: *Umbræ vocabantur Neptunalibus, casæ frondeæ pro tabernaculis*.

v. 528 *Calamos statuere columnis*. Quisquis auctor Copæ:

Sunt cupæ, calices, cyathi, rosa, tibia, chordæ,
Et trichila umbrosis frigida arundinibus.

v. 529 *Extentas imposuere togas*. Cameras his similes & in bellica necessitate reperio. Scriptor belli Alexandrini: *Quibus rebus attenuati milites, oppido perquam pauci sub pellibus acquiescebant, reliqui ex vestimentis tentoriolis factis, atque arundinibus scopisque contextis*, M. SS. *atque arundinum copiis*. Placet; nec illos sequor, quibus amica hæc lectio, *atque arundinum topiis*.

v. 534 *Quidquid didicere theatris*. (c) Præclarus ad hanc corruptelam locus Aristidis in Oratione, De non agendis comœdiis: *An verò*, inquit, *multum ad gloriam valet, si in bal-*

(a) *Qui tamen &c.* Jure mirantur aliqui quid sit, quod in Gramine hi ludi celebrarentur, neque in tanta rerum magnificentia publice locus iis datus esset, muro conclusus. Fit hinc, ut credant, hæc a Cæsare spatio ligneo inclusa fuisse, quemadmodum Septa, Theatrum, & Stadium. Aream Navoniam his tribuunt, gramine obsitam, suisque finibus conclusam, quam denique ab Alexandro Severo circi formam, ornatumque accepisse confirmant.

(b) *Idibus est &c.* De hoc Festo, deque *Perennæ* nomine a nobis alibi dictum est.

(c) *Quidquid &c.* Utinam cum veteribus malus is repetendi, quæ in Theatro audita sunt, mos periisset: neque enim tam sæpe in genus ineptorum imitatorum vocibus, quæ a musicorum pulpito prave didicerunt, ubique recini, ac resonare ad grave fastidium usque audiremus.

balneis, *in angiportis*, *in foris*, *in ædibus mulierculæ*, *pueri*, *singuli deinceps talia canant?* audita scilicet in impuris illis theatris.

v. 535 *Ad sua verba manus*. Jactare manus, pro saltare. Propertius de nano:

Jactabat truncas ad cava buxa manus.

Id est, saltabat ad tibiam. Sic & Græcis, βάλλειν χεῖρας, pro eodem; ut in his versiculis nondum cusis in saltatricem:

Αἰνέω οὐχ ὅτι πάντα παιδαίνεται, οὐδ' ὅτι βάλλει
Τὰς ἁπαλὰς ἁπαλῶς ὧδε καὶ ὧδε χέρας.

Sed illa, *ad sua verba*, saltationis motum ostendunt compositum ad cantilenam. Exemplum: si lugubre quid canerent, lugubres quoque motus exprimerent; si quid hilare, hilares toto corpore repræsentarent. Adi integrum Luciani libellum Περὶ ὀρχήσεως. Has vero saltationes voci subservientes, *hyporchemata* appellarunt. Idem sub medium: Ἐν Δήλῳ δέ γε οὐδὲ αἱ θυσίαι ἄνευ ὀρχήσεως, ἀλλὰ σὺν ταύτῃ, καὶ μετὰ μουσικῆς ἐγίνοντο. παίδων χοροὶ συνελθόντες ὑπ' αὐλῷ καὶ κιθάρᾳ, οἱ μὲν ἐχόρευον, ὑπωρχοῦντο δὲ οἱ ἄριστοι προκριθέντες ἐξ αὐτῶν. τὰ γοῦν τοῖς χοροῖς γραφόμενα τούτοις ᾄσματα, ὑπορχήματα ἐκαλεῖτο. & Athenæus lib. 14. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἐξ ἀρχῆς συνίσταντο οἱ ποιηταὶ τοῖς ἐλευθέροις τὰς ὀρχήσεις, καὶ ἐχρῶντο τοῖς σχήμασι σημείοις μόνον τῶν ᾀδομένων. τηροῦντες ἀεὶ τὸ εὐγενὲς καὶ ἀνδρῶδες ἐπ' αὐτῶν, ὅθεν καὶ ὑπορχήματα τὰ τοιαῦτα προσηγόρευον. εἰ δέ τις ἀμέτρως διαθείη τὴν σχηματοποιίαν, καὶ ταῖς ᾠδαῖς ἐπιτυγχάνων μηδὲν λέγοι κατὰ τὴν ὄρχησιν, οὗτος δ' ἦν ἀδόκιμος.

v. 538 *Et sunt spectacula vulgi.* Eodem sensu Horatius Flaccus libro primo Satyra VII.

Compositus melius cum Bitho Bacchius, in ius
Acres procurrunt: magnum spectaculum uterque.

v. 545 *In sua fata rogis*. Sic fabulatum, postquam ab hospite Ænea deserta.

v. 546 *Compositusque cinis*. In amphoram, de more, aut vasculum missus.

v. 546 *Tumulique in marmore*. Tumulus, aggestus terræ super vasculum, χῶμα, sive τύμβος: in hoc statuebatur cippus lapideus, Græcis στήλη. Glossæ, στήλη, *cippus*, *titulus*. De tumulo, & cippo Homerus:

Τύμβῳ τε στήλῃ τε. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

v. 547 *Hoc breve*. Ratio, cur pressa veteres epitaphia cippis inscriberent; non alia quam, ut ea cito viatores perlegerent, nec illis tædio esset longum carmen. Propertius:

Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve; quod currens vector ab urbe legat.

ideo etiam grandi nota incidi solita. Noster Publius:

Quosq; legat versus oculo properante viator,
Grandibus in tumuli marmore cæde notis.

v. 551 *Maurus Hiarba*. Pro *Hiarbas*, ut *Marsya*, & *Marsyas*: libris aliquot & antiquis non est aspiratio, aliis utique. Græci sane scribunt Ἰάρβαν.

v. 552 *Seque memor spretum*. Servius ex auctoritate antiquorum: *Hiarbas Rex Libyæ, qui, secundum historias, Didonem petiit; & cum illa recusaret, Carthagini intulit bellum: cujus timore cum cogeretur, a civibus petiit ut ante placaret manes mariti; & ædificata pyra, se in eam præcipitavit.*

v. 554 *Diffugiunt Tyrii*. Elisæ in fuga comites. Solinus: *Adrumeto atque Carthagini auctor est a Tyro populus.*

v. 560 *Accipiuntque comas*. Petronius: *Laceravit vehementius pectus, ruptosque crines super pectus jacentis imposuit.* Inde querela illa Canaces de infante exposito & mortuo: (a)

Non

(a) *Accipiuntque &c.* Viri & barba & capillis passis luctus maximi judicium dabant. Cic. Verr. 2. 25. *Sordidati maxime barba, & capillo Romæ biennium prope fuerunt*. Caligula mœroris impatiens ob Drusillæ sororis interitum *propere redit barba, capilloque promisso*. Ita Svet. Cal. cap. 24. n. 6. Crines etiam Mulieres, virique tendebant.

Non mihi te licuit lacrimis perfundere justis,
In tua nec tonsas ferre sepulcra comas.

v. 566 *Vicina Cosyra*. Duplici σσ scribunt Græci. Ptolomæus: Πελάγιαι δὲ νῆσοι αἱ τῇ Ἀφρικῇ αἵδε. Κόσσυρα νῆσος. Καὶ πόλις. Μελίτη νῆσος, ἐν ᾗ Μελίτη πόλις, καὶ Χερσόννησος, καὶ Ἥρας ἱερὸν, καὶ Ἡρακλέους ἱερόν.

v. 569 *Rex ibi Battus erat*. Hic ille, inquit Silius, qui Cyrenem condidit; imo in ea urbe scribit idem Annam a Batto receptam: sed hæc pugnant cum exacta temporum ratione. Carthago a Didone condita anno periodi Julianæ MMMDCCCXXVIII. Battus Cyrenem condidit MMMMLXXXIV. nondum ergo hic natus, cum Didonis mors & Annæ fuga a Carthagine.

v. 573 *Pygmalionis opes*. Hic Annæ & Elisæ frater, filius Pygmalii, si credimus Menandro Ephesio, qui conscripsit historiam Περὶ τῶν Τυρίων Βασιλέων. plerique volunt Beli Regis etiam Tyrii; sed hic non numeratur in ea Dynastia. Vide Menandri fragmentum apud Theophilum, ad Autolicum l. 3.

v. 574 *Tertius ibat Annus*. Pæne circiter annos tres apud Battum Anna diverterat, cum audito fratris adventu, alio parare fugam coacta; idque Batti suasu, qui viribus impar, divitem Pigmaliona non parum timebat.

v. 580 *Lapidosi Crathidis*. Hunc Calabriæ fluvium quis nescit. De etymo hæc Strabo lib. 8. Πρὸς δὲ ταῖς Ἀχαϊκαῖς Αἰγαῖς ὁ Κράθις ῥεῖ ποταμὸς, ἐκ δυοῖν ποταμῶν αὐξόμενος, ἀπὸ τοῦ κίρνασθαι τὴν ὀνομασίαν ἔχων· ἀφ' οὗ καὶ ὁ ἐν Ἰταλίᾳ Κράθις. huic sane confinis est Sybaris, cum quo forte miscetur.

v. 581 *Cameren incola turba vocat*. Lege etiam, si lubet, *Camaren*: utroque modo appellatur ab antiquis. Omnino falsæ editiones, quæ præferunt *Cremeren*.

v. 586 *Torto lino*. Ἀγράμματος interpres nescio quid dignum cachinno intelligit pro *torto lino*; cum non aliud quam funes, quibus vela laxantur, aut in altum panduntur, imo tantum *lineam*. Sic Glossæ exponunt, *linea funis*.

v. 598 *Ducitur ad Laurens*. Silius Italicus VIII. Punicorum:

Ergo agitur pelago, Divis inimica sibique,
Quod se non dederit comitem in suprema sorori,
Donec jactatam laceris (miserabile) velis,
Fatalis turbo in Laurentes expulit oras:
Non cæli, non illa soli, non gnara colentum,
Sidonis in Latia trepidabat naufraga terra.

v. 601 *Miscueratque duos*. Trojanos & Latinos.

v. 607 *Sustulit illa suos*. Recte multis inest, aut *rettulit*, aut *sustinet*.

v. 608 *Quos terræ quærat hiatus?* Ne virum aspiciat, qui caussa mortis sororiæ, Carthaginis occupatæ, exsilii, & infaustæ navigationis.

v. 619 *Ausus adire domos*. E maxumo Poetarum; finxit hic Æneam vidisse apud inferos Didonem, eamque etiam allocutum, in his:

Inter quas Phœnissa recens a vulnere Dido
Errabat silva in magna: quam Trojus heros
Ut primum juxta stetit, agnovitque per umbram
Obscuram; (qualem primo qui surgere mense
Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam)
Demisit lacrimas, dulcique affatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat extinctam, ferroque extrema secutam.
Funeris heu tibi caussa fui! per sidera juro,
Per Superos, & si qua fides tellure sub ima est,
Invitus Regina tuo de littore cessi:
Sed me jussa Deum, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere suis....

v. 626 *Tyrios induta paratus*. Vestes purpura & auro intextas. En elisam cultam sic idem descripsit in IV.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo;
Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum;
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

v. 640 *Effuge, ne dubita*: Silius loco citato:

Surge age, jam tacitas suspecta Lavinia fraudes
Molitur, dirumque nefas sub corde volutat:
Praeterea, ne falsa putes haec fingere somnum,
Haud procul hinc parvo descendens fonte Numicus
Labitur, & leni per valles volvitur amne:
Huc rapies, germana, viam tutosque receptus;
Te sacra excipient hilares in flumina Nymphae,
Æternumque Italis numen celebrabere in oris.
Sic fata, in tenuem Phœnissa evanuit auram.

v. 642 *Illinc super ausa fenestra*. Perverse mutatum: legito cum antiquis, *humili super arva fenestra*.

v. 643 *Ille timor*. Rectius, *ipse timor*.

v. 644 *Cumque metu rapitur*. Meus liber, & alii, *Quaque metu rapitur*.

v. 644 *Tunica velata recincta*. Discincta: hanc nunquam in cubili ponebant. Noster alibi de Ariadna: (*a*)

Utque erat a somno tunica velata recincta,
Nuda pedem, croceas irreligata comas.

v. 650 *Inerant vestigia ripis*. Silius:

Vicini ad ripas fluvii manifesta sequuntur
Signa pedum....

v. 660 *Hac quoque, quam referam*. Hanc forte aniculam quamdam fuisse Bovillanam: quæ quum plebi victum necessarium præbuisset eo tempore, quo indignans suam vicem a magistratu abiisse, a patribus secessit in Sacrum montem, ob id inita pace; illi a grata plebe signum erectum, & festa annua constituta.

v. 662 *Plebs vetus*. Contigit anno Urbis conditæ CCLIX.

v. 662 *Fugit*. Consulibus invitis, L. Sicinio quodam auctore: nolebat jam ferre diutius Magistratus & Senatus superbiam, avaritiam nobilium fœneratorum, imo crudelitatem: sæviebant illi vinculis & verberibus in pauperum & civium corpora, ob ipsorum debita. Legito fusius Historicos.

v. 663 *Sacri vertice montis*. Hic tumulus, qui trans Anienem primus occurrit via Nomentana, ibi plebs post reditum in Urbem Jovi Fauno aram posuit. Dionysius lib. 6. Ἐπεὶ δὲ ταῦτα ἐψηφίσαντο, βωμὸν κατασκευάσαι ἐπὶ τῆς ἀκρωρείας, ἐν ᾗ κατεστρατοπέδευσαν, ὃν ἐπὶ τοῦ κατασχόντος αὐτοὺς δήματος τότε ὠνόμασαν, ὡς ἡ πάτριος αὐτῶν σημαίνει γλῶσσα, Διὸς Δηματίου. ᾧ θυσίας ἐπιτελέσαντες, καὶ τὸν ὑποδεξάμενον αὐτοὺς τόπον ἱερὸν ἀνέντες, κατῆσαν εἰς τὴν πόλιν ἅμα τοῖς πρέσβεσιν. exinde mons ille sacer appellatus: videtur ergo antea nomen aliud habuisse. (*b*)

v. 666 *Sub urbanis Bovillis*. Hoc etiam epitheto donavit Propertius oppidum istud vetus Latinorum. Gentes dicti *Bovillani*; Græcis Βοϊλλανοί: illud iisdem Βοΐλλαι. De nominis origine vide Nonnium Marcellum cap. 2.

v. 668 *Mitra canos incincta capillos*. Quid mitra, explicat Servius ad illud de Paride in VI.

Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus....

Mi-

(a) *Tunica velata &c.* Quas tunicas nunquam in cubili ponerent, eas interulas fuisse (quod vestis interioris muliebris genus, multo ante Varronem, qui refertur a Nonio, *intusium* dixit Plautus, Græci vero ἐνδύματα,) crediderim. Haud equidem divino, sed tale aliquid fuisse puto.

(b) *Sacri vertice &c.* Ibi Castrum nunc esse putant *di S. Silvestro*, quod dicunt, in finibus Sabinorum, quo Crustumerium ibatur. Hanc certe Plebis secessionem Crustumerinam dicit Varro de L. L. lib. 4. Sacrum alii montem appellatum fuisse censent, quod in eo ubi castra habuerant, timore Panico perculsi, aram Jovi Fauno, seu Terrifico (Ovidius autem non Dimatio Jovi, sed Annæ, ut observat Carolus Noster num. 222.) sacrificiis placando posuerint; alii vero, quod Leges Sacratæ in ipso latæ fuerint, quibus cautum, ut qui Tribunum plebis violasset, Jovi Sacer esset. Livium Dionysiumque consule.

Mitra, hoc est incurvo pileo, de quo pendebat etiam baccatum tegimen. Sane quibus effeminatio crimini dabatur, mitra eis adscribebatur. Palliolum videtur fuisse muliebre, & capitis tegmen, sive tænia: nam Græcis μίτρα ταινία, καὶ δῆμα. Ergo eadem cum rica, quæ Festo *cingulum capitis*: uno verbo *capitale*. Glossæ, *capitale*, κεφαλόδεσμος.

v. 672 *Pace domi facta*. Reconciliata est per Agrippam Menenium miri eloquii virum; istace tamen lege, ut plebs haberet suos annuos Magistratus, quibus auxilio esset latio adversus Consules, & Nobilitatem, neve cui patrum ea munia capere liceret. Creati Tribuni Pleb. primi L. Junius Brutus & L. Sicinius Bellutus; sed ex antiquis quidam nominant alios: his additi collegæ, quos Græci Romanarum rerum scriptores vocarunt ὑπηρέτας τῶν δημάρχων καὶ συνάρχοντας, καὶ δικαστάς.

v. 972 *Signum posuere*. Huic ergo putat aram & signum positum Ovidius, non Jovi Δειματίῳ, ut recensuit accuratissimus Dionysius.

v. 674 *Nunc mihi, cur cantent*. Unde origo tot obscœna canendi in festo Annæ Perennæ.

v. 676 *Nuper erat Dea facta*. Quum Mars ad eam quæ sequuntur: vivebat scilicet ille post plebis secessum. O vatum deliria!

v. 681 *Uror, & in longo*. Antiquioris notæ codices, *Uror, & hoc longo*.

v. 688 *Deducitur istuc*. Aliæ membranæ ad verum, *illuc*. Usus verbo solemni deducere Statius Papinius VIII. Thebaidos:

. . . . . Illi Cythereja laudant
Connubia, & multam deductam lampade fratrum
Harmonien . . . . . .

v. 695 *Verba dedisse Deo*. Idem fallere, & verba dare. Alicubi noster: *Verba dat omnis amans*; & in Epistola Cydippes:

Verba quid exultas tua si mihi verba dederunt?
Jamque parum prudens capta puella dolis?

v. 696 *Præteriturus eram*. Iisdem Martiis Idibus mors fuit maximi illius Principis C. Julii Cæsaris. Appianus lib. 2. Οὕτω μὲν δὴ Γάϊος Καῖσαρ ἐτελεύτησεν ἐν ἡμέραις ἃς καλοῦσιν Εἰδοὺς Μαρτίας, ἀνθισταμένου ἣν τινα ἡμέραν αὐτῷ ὁ μάντις ἐς φυλακὴν προὔλεγεν. Annus ab Urbe condita DCCIX. ut auctor Eutropius lib. 7. Dies ille nominatus *parricidium*, quod ex Svetonio liquet lib. 1. cap. 88. ac decretum, ne umquam eodem Senatus ageretur: atrum enim pronuntiarunt. Dio lib. 47. Ταῦτα μὲν οὖν αὐτῷ ἔδωκαν· καὶ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἐφονεύθη, κυρίαν ἀεί ποτε ἕδραν βουλῆς ἔχουσαν, ἀποφράδα ἐνόμισαν.

v. 698 *Meus fuit ille sacerdos*. Quia tunc erat Pontifex Maximus, ad quem sacrorum omnium suprema cura pertinebat: hinc in ea oratione Antonius ad populum apud Cassium: Ἀλλ' οὗτος ὁ πατὴρ, οὗτος ὁ ἀρχιερεὺς, ὁ ἄσυλος, ὁ ἥρως, ὁ θεὸς, τέθνηκεν. De potestate Archierei erga Vestales satis erit, quod refert Plinius de Domitiano lib. 4. Epistola 11. *Quum Corneliam*, inquit, *maximam Vestalem defodere vivam Domitianus cupisset, ut qui illustrari seculum suum hujusmodi exemplo arbitraretur Pontificis Maximi jure, seu potius immanitate Tyranni, licentia domini reliquos Pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocavit. Virginis stupratores ad necem in Comitio cæsi*; hanc ob rem, ei palpum obtrudens Papinius in Equo ejusdem, polite satis illa cecinit: (a)

Templa superfuges, & prospectare videris,
An nova contemptis surgant palatia flammis
Pulchrius, an tacita vigilet face Troicus ignis.
Atque exploratas jam laudat Vesta ministras.

Non aliam ob caussam inducit Poeta Vestam Cæsaris vices agentem.

v. 701 *Cæsaris umbra fuit*. Ut Propertianum illud lib. 2. Eleg.

Non ego, sed tenuis vapulas umbra mea.

v. 703 *Templa dicata foro*. Sed hic honos cum aliis a triumviris decretus. Dio lib. 47. Καὶ ἡρῷόν οἱ ἔν τε τῇ ἀγορᾷ, ἐν τῷ τόπῳ ἐν ᾧ ἐκέκαυτο, προκατεβάλοντο; & Appianus

(a) *Meus fuit &c.* Sed Crispino notissimo adultero, qui Vestali vitium intulerat, Domitianus ignovisse perhibetur. De hoc Juvenalis Sat. 5. v. 8.

Nemo malus felix, minime corruptor, & idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura Sacerdos.
Sed nunc de factis levioribus . . . .

nus lib. 2. de foro in quo excitata pompa funeris: Ἔνθα βωμὸς πρῶτος ἐτέθη, νῦν δ' ἐστὶ ναὸς αὐτοῦ Καίσαρος, θείων τιμῶν ἀξιωθείς. Aram illam plebs eo in loco, quo rogus fuerat, extruxit, ut Cæsari tamquam Deo sacra ibi fierent: sed Consulum jussu illico subversa; auctores etiam supplicio affecti, eodem Cassio teste. Templum ei erectum triennio ab obitu, cœpto anno V. C. DCCXII. M. Lepido, & L. Blanco Coss.

v. 704 *At quicumque nefas ausi*. Horum nomina vide in Commentariis Isaaci Casauboni ad librum primum Svetonii.

v. 706 *Testes estote Philippi*. Vix omnes triennio supervixere: at hic de Cassio & Bruto loquitur, qui ad Philippos profligati. De Cassio Plutarchus sub finem excessus Juliani: Θαυμασιώτατον δὲ τῶν μὲν ἀνθρωπίνων τὸ περὶ Κάσσιον. ἡττηθεὶς γὰρ ἐν Φιλίπποις, ἐκείνῳ τῷ ξιφιδίῳ διεχρήσατο ἑαυτὸν ᾧ κατὰ Καίσαρος ἐχρήσατο. Brutum etiam Straton fugæ comes gladio perfodit. *Philippi* Thessaliæ urbs, quæ alio nomine Κρηνίδες.

v. 708 *Hoc opus hæc pietas*. Laudat Octavium Augustum a pietate, qui auspicatus rerum gestarum gloriam ab ultione paterna: hinc passim virtus illa in hoc Cæsare laudata, imo in nummis posteris relicta, ubi insculptæ visuntur aræ hac passim inscriptione, PIETATI AUGUSTI, ad morem veteris ritus, hoc est, ad minorem invidiam.

v. 710 *Postera cum teneras* XVII. Kalendas Apriles Scorpius medius occidit, eadem fere die Euctemone, Geminus post Solis transitum in Pisces. Ἐν δὲ τῇ κδ' Εὐκτήμονι τοῦ Σκορπίου οἱ πρῶτοι ἀστέρες δύνουσι, ἐπιτελεῖ Βορέας ψυχρός.

v. 712 *Tertia post Idus*. XVI. Kalendas erunt Liberalia Libero patri sacra. Sic cogor scribere, ut sequar vetus Kalendarium, quod ad unguem & noster sequitur; unde suspicor hic nolentem Ovidium lapsum: nam III. post Idus est XV. Kalendas. Quod si verum tempus Liberalium, non succedunt Quinquatria XIV. Kalendas: & hoc certissimum.

v. 715 *Nec referam Semelen*. Adi Mythicos.

v. 720 *Gentes thuris, & Inde tuas*. Gesta hæc Bacchica vera, quidam ex antiquis credit; ut Megastenes cum paucis: Eratostones vero, de rebus Indicis benemeritus, ἄπιστα καὶ μυθώδη. uterque apud Strabonem lib. 15.

v. 722 *Acte Lycurge*. Diodorus Siculus lib. 3. Bibliotheces: Τῶν δὲ κολασθέντων ὑπ' αὐτοῦ φασὶν ἐπιφανεστάτους εἶναι Πενθέα μὲν παρ' τοῖς Ἕλλησι, Μύρρανον δὲ τὸν Βασιλέα παρ' Ἰνδοῖς, Λυκοῦργον δὲ παρ' τοῖς Θρᾳξί. (a)

v. 726 *Populos ad sua liba vocet*. Illa, seu melius illæ: nam plures erant quæ transeuntes quoslibet ad liborum emptionem invitabant, & pro emptore sacrificabant, libi empti parte foculo indita. Varro lib. 5. de L. L. *Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus cum libis & foculo pro emptore sacrificantes*. Fiebant & Liberalibus ludi Scenici; idque sub finem narratiunculæ noster adsignificat.

v. 733 *Ducunt Libamina nomen*. Plutarchus. Διὰ τί τὸν Διόνυσον Λίβερουμ πάτερ καλοῦσι; πότερον ὡς ἐλευθερίας πατέρα τοῖς πίνουσι γινόμενον; γίνονται γὰρ οἱ πολλοὶ θρασεῖς καὶ παῤῥησίας ὑποπίμπλανται περὶ τὰς μέθας. ἢ ὅτι τὴν λοιβὴν παρέχει; ἢ (ὡς Ἀλέξανδρός φησιν) ἀπὸ τῆς περὶ Ἐλευθέρας τῆς Βοιωτίας, ἐλευθέριος Διονύσου προσαγορευόμενος; ab hoc etymo lux jam advenit illis paullo post:

Sive quod es Liber, vestis quoque libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter.

v. 735 *Succis quia dulcibus*. Athenæus lib. 3. Ἐξῆς ἐπιτηδευθὲν πλακοῦς ἐκ γάλακτος ἰτρίων τε καὶ μέλιτος, ὃν Ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι.

v. 737 *Satyris comitatus*. Bene noster hos alicubi vocat, *præviam Dei turbam*.

v. 740 *Ærisferæ manus*. Quæ cymbala ferebant: illa enim ex ære, & cava; unde Propertius dixit, *æra rotunda Cybiles*, inde ad tympanum Clemens Alexandrinus in Protreptico ἀτικαπτὲν usus, ad cymbalum ἐπιχεῖν. verba sunt: Οὕτως τὸ πολίτευμα τὸ ἑαυτῶν, τὴν παρ' Κυζικηνοῖς μητρὸς τῶν θεῶν τελετὴν ἀπομιμούμενον παρ' Σκύθαις, τύμπανόν τε ἐπικτυποῦντα, καὶ κύμβαλον ἐπηχοῦντα.

245 Con-

(a) *Acte Lycurge &c.* Vices suas, quod Pantheus sacra sua contemneret, quodque Lycurgus vites succideret, satis Liber ultus est, alter enim ab Agave Parente, ejusque sorore in furorem versis discerptus est; alter vero quo tempore vites, ne Baccho libaretur excidebat, ab eodem Numine furore abreptus, sibi misere tibias succidit.

v. 740 *Concrepuere manus*. Ne damnes scriptum in quo, *quum crepuere manus*.

v. 743 *Æra sequuntur apes*. Vide Plinium Historiæ naturalis lib. 11. cap. 20. (a)

v. 745 *Lenisque senex*. Certe noster verius, *lævisque senex*. qua vocula adspectat Sileni calvitiem. Glabro capite hunc depinxit vetustas, & ore deformi. Athenæus de Critobolo Socratis discipulo: Ὁ γὰρ δὴ Κριτόβουλος μειράκιον ἀστεῖον, γέγονεν καὶ διδάσκαλον αὐτοῦ τὸν Σωκράτην σκώπτει, πολὺ τῶν Σιληνῶν αἰσχίω λέγων εἶναι.

v. 748 *Aspicit, & celat*. Muto puncta, & lego ex nostro, *Aspicit & ceras*.

v. 755 *Ille cadit Præceps*. Tale quid sic idem describit in Arte:

Ebrius ecce senex pando Silenus asello
Vix sedet, & pressas contivet arte jubas.
Dum sequitur Bacchas, Bacchæ fugiuntque petuntque
Quadrupedem: ferula dum malus urget eques,
In caput aurito cecidit delapsus asello.
Clamarunt Satyri: Surge age, surge pater.

v. 759 *Limumque inducere Monstrat*. Ad ictuum medelam. Optimum, aqua etiam ex raphani foliis faciem linire: habes e Plinio lib. 20. cap. 4.

v. 767 *Cur hedera hæc cincta est?* Has vetulas coronatas hedera sacrificasse, jam supra consuadet M. Varro.

v. 769 *Nysiadas Nymphas*. Hæc una ex caussis inter sexcentas, quas Mythici referunt.

v. 771 *Toga libera detur*. Locus hic ab Aldo Manutio docte parum expositus in suis quæsitis per Epistolas. Colligit ex his Liberalibus, illa solum die pueris, qui nondum XVII. ætatis annum attigerant, toga libera uti licuisse, eodem finito festo depositam: nostri vero sensus est, eos, qui jam ad XVI. pervenissent, Liberalia potissimum exspectasse, ad togam ejusdem fere nominis assumendam. Addam firmandæ totius rei hosce qui sequuntur:

Ergo ut tyronum celebrare frequentia possit,
Visa dies danda non aliena togæ. (b)

Tyrones apud veteres erant, quibus, deposita prætexta ob ætatem adultam, virilis jam, seu libera, seu pura, seu recta (συνώνυμα hæc hujus togæ) amiciri dabatur; unde *tyrocinium* ipsa actio. Svetonius scito loco: *Uno atque eodem die togam*, subaudi virilem, *sumsit, barbamque posuit sine ullo honore: qualis contigerat tyrocinio fratrum ejus*. Faxit Deus videat hæc æquus judex.

v. 733 *Luciferis pueris*. Cur negem in aliis legi,

Luce geri pueris candide Bacche tua.

Quæ sane editio licet pugnax aperte in prædicta videatur, non est, si bene examines.

v. 774 *Juvenisque videris*. Hinc ille Euripidi θηλύμορφος. Fuit & apud antiquos Bacchus καταπώγων. Græci suam innuunt caussam, διὰ τὸ τοὺς ἀρχαίους πάντας πωγωνοτροφεῖν.

v. 775 *Seu quia tu pater es*. Apte huc attexam illa Servii: *Pater licet generale sit omnium Deorum, tamen proprie Libero semper cohæret*. Jon Chius ad eumdem:

Χαῖρε μοι ἡμέτεροι βασιλεῦ, σωτήρ τε πατήρ τε.

657 *Nu-*

(a) *Æra sequuntur &c.* Sed ante Plinium id elegantissime jam docuerat Virg. Georgic. lib. 4. v. 58.

Hinc, ubi jam emissum caveis ad sidera cœli
Nare per æstatem liquidum suspexeris agmen,
Obscuramque trahi vento mirabere Nubem,
Contemplator: aquas dulces, & frondea semper
Tecta petunt: huc tu jussos asperge sapores,
Trita Melisphylla, & Cerinthæ ignobile gramen;
Tinnitusque cie, & Matris quate cymbala circum.
Ipsæ consident medicatis sedibus, ipsæ
Intima more suo sese in cunabula condent.

(b) *Toga libera &c.* Faciunt cum Carolo qui sapiunt, aequoque judicant Jove. Neque enim modo *Liberalibus* togam virilem sumebant, sed bullam etiam auream, vel scorteam (quam lorum fuisse censet Macrobius) si libertini ordinis essent, Diis Laribus suspendebant. Hæc facta quum essent, magna Amicorum frequentia deducebantur in Forum, ut vitam civilem instituerent. Ritum moremque hunc *Forum attingere*, vel *in Forum venire* dicit Tullius.

v. 776 *Numinibusque tuis*. Bene omnino liber vetus, *nominibusque tuis*.

v. 778 *Liberioris iter*. Acerbe jam ea ætate ferentis paternum jugum, seu pædagogicum; hinc Plutarchus in libro de Audiendi ratione: Ὅτι τῶν φροντιστῶν ἀπηλλάξω, τὸ ἀνδρεῖον ἀπειληφὼς ἱμάτιον.

v. 779 *An quia, cum colerent*. Quartam ob caussam cogitur referre humilia initia Scenicorum ludorum de quibus loquitur, ex sententia Varronis primo de Vita populi Romani, a rusticis scilicet illa profecta. Tertullianus libro de Spectaculis: *Quum promiscue ludi Liberalia vocarentur, honorem Liberi patris manifeste sonabant; Libero enim a rusticis primo fiebat ob beneficium, quod ei adscribunt pro demonstrata gratia vini.*

v. 779 *Prisci studiosius agros*. De more auctor Columella; de eodem etiam mutato, de quo conquestus initio operis: *Rem rusticam*, inquit, *pessimo cuique servorum, veluti carnifici noxe dedimus, quam majorum nostrorum optimus quisque optime tractavit.*

v. 786 *Nunc habet illa Dea*. Forsan huc pertinent illa Cypriani: *Ceterum reliqui, dum Urbem fames occupasset, ad vocationem populi acquisiti sunt ludi Scenici, & Cereri & Libero dicati postmodum.*

v. 791 *Itur ad Argeos*. xv. & xvi. Kalendas Apriles sacra in Argeis factitata: quid illi, Glossæ explicant. *Argi arra* χειρόδρυμα. emendat Scaliger *Argei ara*: malim, *Argeæ aræ*, ut sit idem numerus; quum sint etiam plures urbici Argei. Varro lib. 4. de L. L. *Reliqua Urbis loca olim discreta, ut Argeorum sacraria in septem & viginti partes Urbis sunt disposita*: & Livius: *Multa alia sacrificia, locaque sacris faciundis, quæ Argeos Pontifices vocant, dedicavit*. Hinc legimus passim in vetustate nunc quintum, nunc sextum Argeorum sacrarium. (*a*)

v. 791 *Sua pagina dicet*. Forsan in aliquo sex posteriorum; exclamare licet: Heu gemmam amissam malo litterarum!

v. 792 *Hac, sicut memini*. In alio, *Hac, si commemini*.

v. 793 *Vergit declivis ad Arctou*. Eodem xvi. est Milvii occasus vespertinus: Plinius facit uno die tardiorem lib. 18. cap. 26. *Cæsar & Idus Martias ferales sibi annotavit Scorpionis occasu*, xv. *vero Kalendas Apriles Italiæ Milvium ostendi*.

v. 794 *Milvius*. In duobus Vaticanis, *Milviis*. Hæc una ex famelicis & rapacissimis avibus; inde in proverbium abiit, *Milvina unguis*. Hispani dicunt, *el Milano*. Latinis etiam est *Circanea avis*, ab assiduo volatu & circuitione saltuum.

v. 805 *Immolat hunc Briareus*. Hic ille gigas centimanus; a quo Καρύστος dicta Αἰγαία: nam illi fuit nomen etiam *Ægæon*, teste Hesychio, Scholiasta Apollonii, & aliis. Solinus diversos putat in Polyhistore.

v. 800 *Una dies media est*. xiv. Kalendas festum erat Minervæ, cui nomen *Quinquatrus*, *Quinquatres*, & *Quinquatria*. Hoc monui, ne forte cum Lambino labaris, qui scribit ad Horatii Epistolam ultimam lib. 2. festa hæc *Quinquatrus*, non *Quinquatria* appellata. En exemplum. Svetonius in Augusto: *Nos, mi Tiberi, Quinquatris satis jucunde egimus*. Livius lib. 44. *Legati ex Macedonia Quinquatris ultimis expectati venerunt*. Omnes more veteri, pro *Quinquatriis*. Sed quid tritius per ora vulgi? vetus Kalendarium in Martio QUINQUATRIA extensis litteris: nam in reliquis esset locus dubio, ubi tantum QUINQ.

v. 810 *A junctis quinque diebus habent*. Tricæ. (*b*) Ait noster a quinque diebus Quinqua-

---

(a) *Itur ad &c.* Argei e scirpeis virgultis fiebant, simulacra enim hominum triginta erant; solebant quotannis publice a Sacerdotibus in Tiberim jaci. Id ex Varr. Ita Noster Fastorum 5.

Tum quoque priscorum Virgo simulacra Virorum
Mittere roboreo scirpea Ponte solet.

Festus: *Argea loca Romæ appellantur, quod in his sepulti essent quidam Argivorum illustres Viri*. Ἀργεῖοι item vocabant simulacra straminea, quæ humanis victimis Saturno immolari solitis suffecta sunt.

(b) *A juncti &c.* Quidam Philologorum, quibus in animo est, hanc litem componere, ita censent: Festum hoc primo tempore per unum tantum diem celebratum fuisse, diemque ipsum *quinquatrum* appellatum, quod post quintum Idus esset; procedente vero tempore in dies quinque (quos *quinquatrus*, vel *quinquatria dixere*) ampliatum fuisse, eo plane pacto, quo Panathenæa, quæ sunt Romanorum quinquatria Athenis olim celebrari solita, primum quidem per unum diem, deinde per plures agi consueverunt.

quatria dicta, imo per totidem celebrata; cui favet Svetonius: *Quinquatriis*, inquit, *satis jucunde egimus: lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus*: Livius lib.36. licet non adeo clare: *Interrupit hos sermones nocte quæ pridie Quinquatrus fuit*: nam *pridie* vult A. Gellius pro priori die appositum. Esto hoc: sed quid Charisio & aliis dices, qui uno tantum die Quinquatria faciunt? ipse: *Quinquatrus non enim dictæ sunt quinque dies atri, sed quod Quinquatrus antiqui dicerent sive a quinquando, id est, lustrando, quod eo die arma Ancilia lustrari sint solita*; quid nugacius? Varro lib. 5. de L. L. *Quinquatrus, hic dies unus a nominis errore observatur, proinde ut sint quinque dictus, ab Tusculanis post diem sextum Idus similiter vocatur Sexatrus, & post diem septimum Septimatrus; sic hic, quod erat post diem quintum Idus, Quinquatrus*; idem expressius Festus. Ego sane tunc me difficultate expediam, quum hi digiti, quibus scriptito, pulvis erunt.

v. 811 *Sanguine prima vacat*. Quia prima dies solemnitatis censebatur Minervæ μονόθηλος. Hujusce diei mentionem facit Athenæus lib.3. Τῆς δὲ τῶν, inquit, Παναθηναίων ἑορτῆς ἐπιτελουμένης, δι' ἣν καὶ τὰ δικαστήρια οὐ συνάγεται, ἔφη, μονόθηλος ἐστὶ ὁ ἀλέκτωρ Ἀθήνῃσι, καὶ ἄδικος ἡ πέμπτη ἡμέρα.

v. 811 *Nec fas concurrere ferro*. Nec prælusionibus illis, quæ ensibus obtusis fieri solitæ, & integro etiam die perdurare: sed totum rei divinæ credo destinatum.

v. 814 *Altera tresque super*. Reliquis quattuor diebus gladiatores in circo nudis gladiis batuebant. De secundo ipse IV. Tristium, qui illustrior ejusdem Poetæ natali:

Lucifer amborum natalibus adfuit idem:
Una celebrata est per duo liba dies.
Hæc est armiferæ de festis quinque Minervæ,
Quæ fieri pugna prima cruenta solet.

Ludus hic gladiatorius in Panathenæis etiam observatus, sed post Athenas dominæ Urbi subditas, adeo ut mos a Romana religione videatur tralatitius. Philostratus in vita Apollonii Tyanei lib. 4. cap. 7. Διωρθοῦτο δὲ κἀκεῖνο Ἀθήνησιν. οἱ Ἀθηναῖοι ξυνιόντες ἐς τὸ θέατρον τὸ ἐπὶ τῇ ἀκροπόλει, προσεῖχον σφαγαῖς ἀνθρώπων, καὶ ἐσπουδάζετο ταῦτα ἐκεῖ μᾶλλον, ἢ ἐν Κορίνθῳ νῦν· χρημάτων τε μεγάλων ἐωνημένοι ἤγοντο μοιχοί, καὶ ἀνδραποδισταί, πόρνοι, καὶ τοιχωρύχοι, καὶ βαλαντιοτόμοι, καὶ ἀνδραποδισταί, καὶ τὰ τοιαῦτα ἔθνη. οἱ δ' ὥπλιζον αὐτοὺς, καὶ ἐκέλευον ξυμπίπτειν. ἐλάβετο δὲ καὶ τούτων ὁ Ἀπολλώνιος· καὶ καλούντων αὐτὸν ἐς ἐκκλησίαν Ἀθηναίων, οὐκ ἄν, ἔφη, παρελθεῖν ἐς χωρίον ἀκάθαρτον, καὶ λύθρου μεστόν· ἔλεγε δὲ ταῦτα ἐν ἐπιστολῇ· καὶ θαυμάζειν ἔλεγεν ὅπως ἡ θεὸς οὐ καὶ τὴν ἀκρόπολιν ἤδη ἐκλείπει, τοιοῦτον αἷμα ὑμῶν προσχεόντων αὐτῇ. δοκεῖτε γάρ μοι προϊόντες, ἐπειδὴ τὰ Παναθήναια πέμπετε, μηδὲ βουσὶν ἔτι, ἀλλ' ἑκατόμβαις ἀνθρώπων καταθύσειν τῇ θεῷ.

v. 814 *Strata celebrantur arena*. Rectius veteres *rasa*, hoc est æquata & de industria sic sparsa. Instravit quondam insania Principum pro illa minium, & chrysocollam: non e solo usque ad superficiem, nam hæc dementia; sed post multam arenæ inectionem, minium aut aliud leviter sparsum; ad quod puto Plinium calamum flexisse, quum scribit: *Visumque jam est Neronis Principis spectaculis arenam Circi chrysocolla spargi, quum ipse concolori panno aurigaturus esset*. Considera nunc illa, *arenam Circi*: ergo prius solita illa insterni, postea superinjecta chrysocolla. Eodem traho Svetonium de Cajo: *Edidit & Circenses quosdam præcipuos, minio & chrysocolla constrato Circo*.

v. 815 *Pallada nunc pueri*. Hi eloquentiam a Minerva totis Quinquatriis expetebant. Juvenalis Satyra 10. (a)

Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam.

Hinc

(a) *Pallada &c.* His diebus nihil pueris lætius accidere poterat. Horat. Epist. 2. 2. 197.

. . . . *puer ut festis Quinquatribus olim*
Exiguo, gratoque fruaris tempore raptim.

Festum Tibicinum, quo Festo teste, per Urbem Tibicines vagabantur, ad Minervæ convenientes, erantque Idus Juniæ, *Minores quinquatrus* dicebant. Ita Ovid. Fast. 6.

Et jam quinquatrus jubeor narrare minores,
Nunc ades, o, cœptis, flava Minerva, meis.
Cur vagus incedit tota Tibicen in Urbe?
Quid sibi personæ, quid stola longa volunt?

Hinc etiam illis festis certamina Oratorum & Poetarum exhibita. Xiphilinus in Domitiano. Θεὸν μὲν γὰρ τὴν Ἀθηνᾶν ἐς τὰ μάλιστα ἤγαλλε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ Παναθήναια μεγάλως ἑώρταζε· καὶ ἐν αὐτοῖς ἀγῶνας καὶ Ποιητῶν καὶ Λογογράφων μονομάχων τε κατ' ἔτος ὡς εἰπεῖν, ἐν τῷ Ἀλβανῷ ἐποίει.

v. 817 *Lanam mollire*. Carminare, ἔρια ξαίνειν, a quo ξάνιον instrumentum ad purgandas lanas rudes: hæc Græcis, ἀγρὰ ἔρια.

v. 819 *Stantes telas*. Licia jugo annexa. Hoc lignum, in quo stamen extenditur; noster, *tela jugo juncta est*. Idem jugum, & ἱστός.

v. 819 *Radio percurrere*. Stamini tramam interponere.

v. 821 *Læsis de vestibus aufers*. Fullones, qui sulphure, nitro, cimolia sordes è vestibus eluunt: qui plures olim in Urbe, ob togas miri candoris; quas ab usu pallidas bis & quater lego lotas. Fullo Græcis πλυντής, ars πλυντική: sed hæc tantum quæ lavat & purgat perditos maculatosque pannos; alia est, quæ dicitur γναφευτική, sed est eorum fullonum, qui eos tondent, carpunt, vellicant, a γνάπτω, a quo γνάφος, *spina fullonia*.

v. 823 *Quisquis abena paras*. Infector, & affector; de quibus vocibus Festus: *Infectores, qui alienum colorem in lanam injiciunt: affectores, qui proprio colori novum afficiunt*; alia editio, *qui e proprio colore efficiunt*. Glossæ, *infectum* ἐντευμμένον: *infectus* βεβαμμένος, ἐντευμμένος. *Abena* vero *parare*, nihil aliud quam in iis apta quæque miscere ad lanas fucandas: unde *Sidonium abenum*, in quo purpureas tingebant. Seneca in Hercule Oetæo:

Nec Sidonio mollis abeno
Repetita bibit lana rubores.

v. 824 *Sit Tychio Doctior*. Sic noster liber. In duobus totidem lectiones, *Ficio*, & *Titio*; sed *Tychio* scribendum omnino, qui Homero Iliade η. Σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος. hunc ipsum ex eodem Poeta nominat etiam Strabo lib. 9. in Bœotia.

v. 825 *Manibus collatus Epeo*. Hic opifex equi Duratei.

v. 827 *Vos quoque Phœbea*. Curæ quoque fuit Palladi Medicorum tutela: eapropter & ipsi *Medicæ* cognomentum. Observa ex hoc marmore Placentino:

MINERVÆ MEDICÆ
CABARDIÆ
VALERIA SAMMONIA
VERCELLESIS VOT. S. L. M.

v. 829 *Censu fraudata magistri*. Sunt qui legant, *sensu*. Tu cogita, mi Lector, quas ineptias effutire cogantur. Iter hos est Fanensis, & Marsus, &, quod mirum, Theodorus Marcilius ad Persii illud Satyra 3.

..... *Non sano multum laudanda magistro*.

Hic vero mentio fit veteris Minervalis: quo non dato, Rhetoribus & Grammatistis fraus & dolus aperte fiebat; illud autem hoc mense solutum, patet ex Macrobio primo Saturnalium: *Hoc mense mercedes*, inquit, *exolvebant magistris, quas completus annus deberi fecit*. Fraudum caussam si quæris, dabant feriæ per id tempus, quum a parentibus data pro magistris stipendia ludis & bellariis pueri destinabant: meto & pudore postea ad scholas accedere non audebant. Sic didascali sine mercede, sine discipulis assoliti remanere: ideo noster ad hos: Vos quoque Minervam non spernite; nam attrahet illa novos discipulos. De feriis sese offert Symmachi locus lib. 5. Epistolarum: *Nempe Minervæ tibi solemne de scholis notum est, ut fere memores sumus, etiam procedente ætate puerilium feriarum: ad eum diem convivium tibi paramus*; & Horatii Epist. ultima:

Ac potius puer ut festis Quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.

v. 831 *Quique moves cælum*. Cælum est γλύφανον: quo non unus, sed plures utuntur.

v. 831 *Tabulamque coloribus uris*. Quique estis ἐγκαυσταί. De encaustice loquitur & Ausonius in his:

Ceris inurens januarum limina.

v. 832 *Mollia saxa manu*. Addit & marmorarios: sed hic Publio non mens omnes fere opifices numerare, inde sic claudit hæc disticha: *Mille Dea est operum*; quibus fax a Lactantio Firmiano lib. 1. cap. 18. *Sunt & aliæ artes, quarum repertores humanæ vitæ plurimum profuerunt; cur non etiam illis attributa sunt templa? sed nimirum Minerva*

est

est qua omnes repperit, ideoque illi opifices supplicant: ergo ab his sordibus Minerva ascendit in cælum.

v. 741 *Captæ delubra Minervæ*. Hæc numerantur a Topographis inter VIII. ædiculas regionis secundæ: situs, ut vides, erat ad radices Cælii. (a)

v. 742 *Nominis in dubio caussa est*. Vel inquit *Captæ* nomen inditum, quod ingeniosa Dea sit; quum *capitale* ingenium solers dicamus: vel, quod feratur prosiluisse ex Jovis vertice: vel, quod domitis Phaliscis deducta in Urbem captiva: vel, quod capite puniatur, qui quidquam ex ejusdem templo furto subtrahat.

v. 745 *Ingenium solers*. Tullius lib. 2. Epistola 2. de Philisto nostro. *Siculus ille capitalis, creber, acutus, brevis, pæne pusillus Thucydides*. Sic & apud membranas veteres Trebellii Pollionis *capitalis* (in vulgatis legitur *militaris*) *jocus*, pro astuto & ingenioso est. *Capitali enim*, inquiunt, *joco regna promeruit: nam quum milites cum eo quidam cœnarent* (de Regilliano agitur) *astitit Valerianus Tribunus qui diceret, Regilliani nomen unde credimus dictum? Alius continuo, Credimus quod a regno: Tum is qui aderat scholasticus cœpit quasi grammaticaliter declinare, & dicere, Rex, regis, regi, Regillianus. Milites, ut est hominum genus pronum ad ea quæ cogitant, dixerunt, Ergo potes Rex esse? item alius, Ergo potest nos regere? item alius, Deus tibi Regis nomen imposuit. Quid multa? his dictis quum alia die mane processisset, a principibus Imperator est salutatus. Ita quod aliis vel audacia vel judicium detulit, huic jocularis astutia.*

v. 752 *Quæ pendere pœnas*. Conveniunt his verba Festi: *Capitalis lucus, ubi si quid violatum est, capite violatoris expiatur.*

v. 754 *Summa dies e quinque*. Et quintus Quinquatruum dies, qui x. Kalendas Apriles, scribitur his notis in Kalendario veteri, TUBILUS. NP. & alter mense Majo, qui x. Kalendas Junias. Ergo Tubilustrium bis in anno Romano celebratum: Minervæ semel mense Martio, Vulcano semel mense Majo. Observa reconditum morem ex nostro, forsan in alio non leges; & videsis sub finem libri quinti nos ad illud: (b)

Proxima Vulcani lux est, quam Lustria dicunt:
Lustrantur puræ quas facit ille tubæ.

v. 758 *Tubam lustrare canoram*. Cave legas, *tuba canoro*; ut vult momar ille Marsus, mea prisca lingua, incomitiem. In tribus editionibus, *tubas canoras*, non rejicio.

v. 763 *Nunc potes ad Solem*. Eodem primo festo Quinquatruum, id est XIV. Kalendas.

v. 770 *Hic here*. Hoc est XV. Kalendas Sol in Ariete. *Here* est χθὲς.

v. 771 *Seminibus tostis*. Vide Hygenum lib. 2. Poet. Astronomicon.

v. 774 *Mittitur ad Tripodas*. Quid *tripus* notum: hoc idem dixere Antiqui *tripodium*. Glossæ manuscriptæ: *Tripodia, tripedia, id est, scabellum, quod tres pedes habet; vel mensa, in sacris Apollinis, vel nummus consecratus*. Quidquid igitur tribus fulcris sustinebatur, sic dici potuit: inde bene Siculi vocant *tripodi*, quibus ollæ ad focum superimponuntur. (c)

v. 779 *Velati tempora vittis*. Ex ritu recepto. Alibi noster de Pyladem & Orestem mm olatura:

Sparsit aqua captos lustrali Graja sacerdos,
Ambiat ut fulvas infula longa comas:
Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis,
Dum tardæ caussas invenit illa moræ.

v. 787 *Per freta longa*. Quibus postea nomen fuit Hellespontus.

v. 787 *Gemini consorte pericli*. Immolationis, & fugæ.

v. 792 *Tres ubi Luciferos*. Si numeres a XIV. Kalendas, ut fieri debet, erit Ovidio Æqui-

---

(a) *Captæ delubra &c. Capitæ delubra Minervæ* lego alibi. *Minervam Capitam* invenio apud Philologos, videturque vox hæc, rejecta syncope, ad caussas nominis allatas propius accedere.

(b) *Summa dies &c.* Tubicines etiam sacris adhibiti, qui per singulos annos bis tubas lustrarent.

(c) *Mittitur ad &c.* Erat etiam vel paupertatis, vel frugalitatis insigne. Lautitiem Maximi cujusdam in severitatem versam his significat Sidon. Ep. 4. 24. *Coma brevis, barba prolixa, tripodes sellæ &c.*

Æquinoctium vernum XI. Kalendas: nec multum sane discrepat ab antiquis Aetius: Μηνὶ Δύστρῳ, ὅ ἐστι Μαρτίῳ, ιδ' ὁ λεγόμενος ἵππος ἀνατέλλει, μηνὶ τῷ αὐτῷ κγ' ἰσημερία ἐαρινή, καὶ ἐστι μεγίστη ταραχὴ τοῦ καιροῦ. Columellæ est die XXIII. & XXV. Plinio hac eadem, & Kalendario veteri; in quo: DIES HOR. XII. NOX HOR. XII. ÆQUINOCTIUM VIII. KAL. APR.

v. 879 *Inde quater pastor*. Post quattuor dies completos, id est VI. Kalendas, Janus placandus, & terna hæc tranquilla numina, Pax, Salus, & Concordia. Bonum ergo aliquod Urbi hoc die accessit; ita est; sicque notatur in Kalendario antiquo, HOC DIE CÆSAR ALEXANDRIAM RECEPIT.

v. 883 *Romana Salus*. Dictane sic? non suspicor; qui ergo? *Publica*. Sed quid discriminis inter Publicam & Romanam? sacrificia tamen Publicæ facta repperi. Vetus fragmentum fratrum Arualium, SALUTI PUBLICÆ VACCAS II. eidem & statuas erectas. Vide Dionem lib. 54. vocat hic autem δημοσίαν. (a)

v. 883 *Salus*. Hæc Salutis ædes a C. Junio Bubulco Censore locata in colle Quirinali juxta portam Salutarem: voverat Consul bello Samnitico, sed dedicavit Dictator. Livius lib. 10. *C. Junius Bubulcus cum M. Titinio magistro equitum profectus, primo congressu Æquos subegit; ac die octavo triumphans in Urbem quum rediisset, ædem Salutis, quam Consul voverat, Censor locaverat, Dictator dedicavit*; hoc fuit anno CDLII. Ex his elicias, falso aliquos arbitrari, Salutem ab Augusto consecratam. Sane Princeps Ille ejusdem augurium tantum abolitum renovavit, ut scribit in Augusto Svetonius. Aliud templum Salutis Thomas Dempsterus (libet hoc ἐν παρόδῳ monere) Romæ constituit, ex Tacito lib. 15. Annalium, & Cuspiniani Fastis; sed verba: ait consecratum a Nerone diu post hæc tempora; hoc verum: sed pernego in Urbe. Sic ille Annali citato de Nerone gratias Diis agente pro conjuratione detecta: *Tum decreta dona, & grates Deis, propriusque honos Soli, cui est vetus ædes apud Circum, in quo facinus parabatur, qui occulta conjurationis, numine retexisset: utque Circensium cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur; mensisque Aprilis Neronis cognomentum acciperet: templum Saluti exstrueretur, eo loci, ex quo Scevinus ferrum promserat*. In Ferentano igitur oppido templum dicatum: ex eo pugionem bonus vir extraxerat. Res nota.

v. 884 *Luna colenda jugo*. Lilius Gyraldus se dimovet a communi sententia, qui versiculum hunc accipiunt de templo Dianæ in Aventino; ille de templo Lunæ, quasi diversum unum ab altero. Fateor, miratum me, quum legerem, & veri caussa sedulo inquisivisse. Exstant forte pro eo hæc Livii lib. 40. de quaplam tempestate: *Signa ænea in Capitolio dejecit: forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, raptam tulit, & in posticis partibus Cereris templi affixit*. Sed quare non erit hoc templum Dianæ Aventinensis, forte quia *Lunæ* dicitur? nugæ: nam si id verum, duo templa Servius ædificavit in eo colle, alterum Lunæ, alterum Dianæ; quod falsum ex fide historica. Templum hoc igitur & *Lunæ* & *Dianæ* dictum. Diana eadem cum Luna Trebellio Pollioni, in duobus Gallienis: nam in antiquo hujus Codice, pro *Dianæ Ephesiæ* legitur, *Tunc etiam templum Lunæ Ephesiæ dispoliatum & incensum est*. Sed quid imus per ambages? Tacitus de hoc Servii Tullii Dianio, quod incensum Neronianis temporibus, lib. 15. Annalium: *Sed vetustissima religione, quod Servius Tullius Lunæ, & Magna ara fanumque, quæ præsenti Herculi Arcas Evander sacraverat, ædesque Statoris Jovis vota Romulo, Numaque regia, & delubrum Vestæ cum penatibus populi Romani, exusta*. En dictum *Lunæ*, illud Dianæ: nec locus dubio, additum *Servii Tullii*. Tace Lili Gyralde.

CA-

(a) *Romana salus &c.* Non virtutibus modo, & animorum affectionibus, sed iis rebus etiam, quæ aut placerent, aut prodessent, templa sacrabant. Ut æque Menti, Pietati, Fidei, ac Felicitati, & Libertati & Paci templa extruxerint. Magnificentissimum Paci condidit (quod ἐν παρόδῳ) Imp. Vespasianus ad Forum, in quo Hierosolymitani Templi vasa fuisse perhibentur.

CAROLI NEAPOLIS *ANAPTYXIS* CUM ADDITAMENTIS AD PUBLII OVIDII NASONIS *Fastorum Lib. IV.*

v. 1 G*Eminorum mater Amorum*. Annæus Seneca in Oedipo:

Concutit tædas geminus Cupido.

& Valerius Flaccus;

Tum Venus aligerum mater sic fatur Amorum.

An hos aspectare dicam tritum illud Cupidinis & joci, an aliud? quæso, omittamus has nugas.

v. 6 *Saucius, aut sanus*. Proprie Ennius: *Animo ægra, amore sævo saucia.*

v. 7 *Tu mihi semper onus*. Liber vetus, *tu mihi semper opus*; quod verum.

v. 8 *Quod decuit*. Hic, & alii optimæ notæ, *Quæ decuit.*

v. 8 *Sine crimine lusimus*. Vita proba fuit, licet lascivum carmen; hoc vocat Martialis, *innocuos lusus.*

v. 14 *Mea tempora myrto*. Arbuscula eidem sacra. Membranæ aliquot habent, *timpora.*

v. 19 *Quod tuearis, Habet*. Ob adoptionem in Juliam familiam.

v. 22 *Longum scriberet annum*. Quia re vera non adeo breve spatium tempus decimestre: non ad discrimen anni lunaris, ut volunt magistelli.

v. 30 *Dardanon Electra*. Sumit sanguinis initium a Dardano, secundo Ilii Rege; cujus filius Erichthonius, hujus Tros ex Astioche, hujus Assaracus, hujus Capys, hujus Anchises: primi tres regnum tenuere, hos secuti Ilus, Assaraci frater, Laomedon, Priamus.

v. 36 *Hinc satus Æneas*. Sequitur nunc Dynastia Æneadarum; quam volo conferas cum Livio, Dionysio, & Euse bio: eam igitur inseram ex his tribus magna fide expressam; sed prius, en breviter quo ordine hos Reges enumeret noster, quos prætereat. (a)

OVI-

(a) *Hinc satus &c.* Silvium non filium, sed fratrem Ascanii Dionysius, Aurelius Victor, aliique complures fuisse censent. Historia est ejusmodi, Laviniam gravidam relictam metu Ascanii, post interfectum Lausum filium Mezentii, devictumque Mezentium, redeuntis, ad Magistrum patrii pecoris Thyrrhum perfugisse, ibique puerum enixam, qui a Silvis, in quibus natus, Silvius appellatus fuit. Hunc petente, ac vehementer optante Ascanio indicatum Lavinium tandem cum Matre deductum, ibique summo in honore fuisse habitum. Præter Ascanium (quod præterire nolo) Euryleontem, Remum, & Romulum Æneam filios suscepisse, narrat apud Dionys. Cephalon Gergithius.

OVIDIUS:	LIVIUS:	EUSEBIUS:	DIONYSIUS:
Æneas	Æneas	Æneas	Αἰνείας,
Ascanius	Ascanius	Ascanius	Ἀσκάνιος,
Silvius	Silvius	Silvius	Σιλούιος,
	Æneas	Æneas	Αἰνείας Σιλ.
Latinus	Latinus	Latinus	Λατῖνος Σιλ.
Alba	Alba	Alba	Ἄλβας Σιλ.
Epytus	Atis	Silvius Athis	Κάπετος Σιλ.
Capys	Capys	*sive* Ægytus	Κάπυς Σιλ.
Capetus	Capetus	Capys	Κάλπετος Σιλ.
Tiberiuus	Tiberinus	Calpetus	Τιβερῖνος Σιλ.
Remulus	Agrippa	Tiberinus	Ἀγρίππας Σιλ.
Agrippa	Romulus	Agrippa	Ἀλλάδης Σιλ.
Aventinus	Aventinus	Remulus	Ἀβεντῖνος Σιλ.
Proca	Proca	Aventinus	Πρόκας Σιλ.
Numitor.	Amulius.	Procas	Ἀμούλιος Σιλ.
		Amullus.	

v. 29 *Ille dedit capte*. Non semel monet me Josephus Scaliger, ut legam, *Ille dedit Capyi*, & in Animadversionibus ad Eusebium, & in Canonum Isagogicorum lib. 3. Facio lubens: nam in hoc Albano Capye vult Ovidius repetitum esse nomen illius veteris Dardanidæ.

v. 35 *Capete, factus avus*. Puto litterulam unam excidisse, scribendumque, *Calpete*, ut habent Prisci. Vulgatam editionem si intueare, non respondet quantitati syllabaiæ. Et licet hunc Capetum nominet in Metamorphosi, non sequitur, hic ita reponi debere: nam haud discrepat in hoc uno de his Regibus Metamorphosis a Fastis.

v. 35 *Agrippam natum*. En hunc in Metamorphosi vocat Acrotam.

v. 37 *Cum lauso*. Halicarnassensis, τὸν ὑὸν τοῦ Νομίτορος Αἴγεστον, appellat; Plutarchus in Parallelis, Αἴνιτον.

v. 44 *Graio sermone notatum*. Fuit antiqua plurium sententia. Macrobius primo Saturnalium: *Secundum mensem nominavit Aprilem, ut quidam putant, cum aspiratione, quasi Aphrilem, a spuma, quam Græci ἀφρὸν vocant, unde orta Venus creditur: & hanc Romuli fuisse asserunt rationem, ut primumquidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Aenea matre Venere nominaret; & hi potissimum anni principia servarent, a quibus esset Romani nominis origo*. (a)

v. 45 *Græcia major erat*. Legas omnino Isaaci Casauboni Castigationes in lib. 6. Strabonis sub initium, & Philippi Cluverii caput 16. lib. 4. Italiæ antiquæ; cui multum illa & orbis debent: (silnit hæc uterque) in eadem duplex fuit idioma, & patrium & Græcanicum. Horatii Scholiastes ad illud,

: : : : : *Canusini more bilinguis*,

Quoniam, inquit, *utraque lingua usi sunt sicut per illum omnem tractum Italiæ, quem magna ex parte Græci incoluerunt, ex quo magnæ Græciæ nomen accepit ideo ergo Brutios, & Græciloquos & bilingues dixere*. sed de his ita Festus: *Bilingues Brutates Ennius dixit; quod Brutii & Osce & Græce loqui soliti sunt*.

v. 46 *Venerat Evander*. De Evandri & Herculis adventu in Italiam non iterabo hic, quæ notavimus in primo.

v. 47 *Testes Laestrygones extant*. Ipse Vlysses apud Homerum in Odyssea:

Ἔξῆμος

(a) *Graio sermone &c. Hanc Romuli fuisse asserunt rationem, ut primum quidem mensem a Patre suo Marte, secundum ab Ænea Matre Venere nominaret; & hi potissimum anni principia servarent, a quibus esset Romani nominis origo*. Hæc Macrobius, cujus locum Noster attulit, sed alii sub ista hæc subjiciunt. Certa Numinis Providentia ita Romulum ordinasse menses, ut primus Marti hominibus formidando dicaretur, alter vero Veneri, cujus Comitate, decentique vultu efferа ejus vis, furorque placaretur.

Ε'ξῆμαρ μὲν ὁμῶς πλέομεν νύκτας τε καὶ ἦμαρ.
Ε'βδομάτῃ δ' ἱκόμεσθα Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον,
Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην. : : : :

v. 67 *Circes nomina littus habet*. Idem:

Ε'νθεν δὲ προτέρω πλέομεν ἀκαχήμενοι ἦτορ,
Α'σμενοι ἐκ θανάτοιο, φίλους ὀλέσαντες ἑταίρους.
Α'ιαίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ', ἔνθα δ' ἔναιε
Κίρκη. : : : :

Inſulam vocat, quam Strabo inſulæ ſpeciem: Μετὰ δὲ, inquit lib. 5. Α'ντιον τὸ Κιρκαῖον ἐστιν, ὄρος νησιάζον θαλάττῃ τε καὶ ἕλεσι.
v. 68 *Et jam Telegoni*. Tuſculum ab hoc conditum, non opus ut probem. Hujus oppidi vix extant hodie pauca rudera prope Fraſcatium.
v. 68 *Mœnia Tyburis*. Hæc ſtatuere tres fratres, Catillus, Coras, Tyburtius, ſive Tyburnus, *Argiva juventus*, inquit Vates. A primigenio nomen urbi inditum. Sed & mœnia Catilli, non minus quam Tyburni, non pauculi app ellant. *(a)*
v. 68 *Tyburis udi*. Horatius lib. 3. Oda 28.

Nov ſemper udum Tybur, & Æſulæ.

v. 69 *Argolicæ quæ poſuere manus*. Strabo lib. 5. de Tybure & Præneſte: Φασὶ δ' Ε'λληνίδας ἀμφοτέρας.
v. 71 *Terra Faliſca putat*. Veriſſimum, mutato N. in F. cum Servio loquor. Urbi autem Fallerii & Faliſca fuit nomen. Strabo & Solinus aperte decepti, qui lib. 5. Φαλέριον καὶ Φαλίσκον diſcriminavit; unde Auctor Polyhiſtoris: *Quis ignorat, vel dictam vel conditam ab Haleſo Argivo Phaliſcam, a Phalerio Argivo Phalerios?* Idem oppidum putavi olim ex hoc marmore,

LIBERO PATRI
SACRUM PRO
SALUTE IMP.
CÆS. MAUR.
COMMODI
ANTONINI
AUG. PII P.P.
L. CALVISIUS L. F.
VELINA SECUN
FALERIONE
P. P. LEO XIII. G. P. F.
SUB VESPRONIO...
DIDO COS DEDIC.
C. AURELIO SAL. D.D.

dictum etiam Falerlonem: iſtud vero illud eſt non procul a Termæ fontibus. Si vidiſſet hunc lapidem Philippus Cluverius, non titubaſſet de vero illius loci nomine.

25 *Sva-*

(a) *Mœnia &c.* Catillus ad montem, qui Tiburi ab Oriente conſpicitur ſedem collocaſſe perhibetur. Hinc mons ipſe Catillus dicebatur vulgo Catellus ſeu Carellus, hodie *della Croce*. Ad ejus radices Caput habet via Valeria, quæ hodie a Tiburtibus *Via Reale* dicitur, vel quod in ea rudera ſint Villæ Siphacis Numidiæ Regis, ejuſque ſepulcrum, vel quod per Aprutium ad Regnum Neapolitanum recta perducat. *Haec ex Martio Canonico Tiburtino in Hiſto. Tiburt.* lib. 1.

v. 72 *Suasorem Antenora Pacis*. A quo Patavio suo origo. Id plerisque haud certum; sed non ita verum. Veritas Cato in Originibus de Venetis: *Mixta his nobilis stirps Trojana; a quibus Patavium suo conditore inclytum*. Quid hæc Trojana stirps nisi Antenor? Seneca Consolatione ad Helviam: *Quid interest numerare Antenorem Patavii conditorem?* Quare Poeta *suasorem pacis* dixerit, lege, si lubet, Dictyn Cretensem lib. 5. & in Homero Iliade η. Antenoris Orationem ad Trojanos, cujus initium: (a)

Κέκλυτέ μευ Τρῶες καὶ Δάρδανοι ἠδ᾽ ἐπίκουροι,

v. 73 *Et generum Oeniden*. Testantur hujus adventum Diomedeæ insulæ contra litus Apulum. Diomedis campi in Apulia; de quibus Festus: *Diomedis campi in Apulia appellantur, qui ei in divisione Regni, quam cum Dauno fecit, cesserunt*; quæ non præteriit Strabo lib. 6. in Italiæ descriptione. In ea regione percussit Diomedes Colchicum draconem, qui per id tempus totam evastabat: quamobrem publicæ statuæ Heroi erectæ; unde de eo Lycophronis Cassandra:

Κολοσσοβάμων δ᾽ ἐν πτυχαῖσιν Αὐσόνων
Σταθεὶς, ἐρείσει κῶλα χερμάδων ἔπι
Τοῦ τειχοποιοῦ δαιτίδων ἀμοιβίων,

v. 74 *Serus ab Iliacis*. Adsignificat, diu post hos Æneam in Italiam venisse: quo igitur anno? clare ingerit, post Trojæ excidium. Ipsa condita anno orbis MMDXXIV. stetit CCXCIX. id mihi satis bonæ fidei auctores probant: necessario capta anno MMDCCCXXIII. & bene: sunt enim sic ad primam Olympiadem anni CCCCVII. quod intervallum Chronologi uno ore testantur, & eorum summus Josephus Scaliger ad Eusebii annum MCCXLI. Capta Troja, Taojani Ænea duce in Thraciam venere, ubi tota bruma hiemarunt: ineunte vere in Siciliam translati; morati sunt ibi ad finem anni incœpti. Anno secundo in Italiam jere: in qua, icto fœdere cum Latino Rege, acceptaque agri parte, Lavinium condiderunt. Adventus igitur Æneæ fuit anno ab orbe condito MMDCCCXXV.

v. 78 *A quo Sulmonis*. Vix in hoc veri umbra: nam Virgilius Æneæ comites in uno sistit Latio; Silius tamen, nostrum forte secutus, addit calculum in VIII.

v. 80 *Ergo age*. Nec damno scriptum, *Euge age*.

v. 86 *Ab aperto tempore dictum*. Ecce ex his unum gravissimum. Macrobius primo Saturnalium: *Sed Cincius in eo libro, quem de Fastis reliquit, ait, imperite quosdam opinari, Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse; quum nullus dies festus, nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a majoribus institutum sit: sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla, ut ceterorum cælestium, laus celebretur. Cincio etiam Varro consentit, affirmans, nomen Veneris ne sub Regibus quidem apud Romanos vel Latinum vel Græcum fuisse; & ideo non potuisse mensem a Venere nominari: sed, quum fere ante Æquinoctium vernum triste sit cælum, & nubibus obductum, sed & mare navigantibus clausum, terræ etiam ipsæ aut aqua, aut pruina, aut nivibus contegantur, eaque omnia verno hoc mense aperiantur; arbores quoque, nec minus cetera quæ continet terra aperire se in germen incipiant, ab his omnibus mensem Aprilem dici merito credendum, quasi Aperilem: sicut apud Athenienses* ἀνθεστηριὼν *idem mensis vocatur, ab eo quod hoc tempore cuncta florescant* . . .

v. 91 *Perque suos coitus*. Noster infimæ vetustatis, *Perque suos initus*. Verissime T. Lucretius:

Aeriæ primum volucres te diva tuumque
Significant initum, perculsæ corda tua vi.

32 *Cus-*

(a) *Suasorem &c.* Et Doctorum fere omnium consensione, & gravissimorum scriptorum testimonio, & Græcarum, Latinarumque Historiarum auctoritate Patavinos Homines ab Antenore originem traxisse firmum adeo, ratumque sit, ut, cum nullam habeat dubitationem, si quis contra dicere velit, non audiatur. Antenorem vero Patriam, signo Græcis dato, prodidisse, fatalis equi ventrem aperuisse, atque ita porta data hostibus in eo collocatis facilem aditum ad cædem Patriæ sua manu fecisse; hæc atque alia ejusmodi, quæ de optimo cive ab aliquibus dictitantur, ab ingenio, prudentia, & æquitate hominis, quem reddendæ Helenæ semper auctorem fuisse, quem saluberrima consilia dedisse, quem nihil unquam, quod minus honestum, rectumque esset, in negotio suscepisse novimus, adeo abhorrent, ut vix callidis rerum æstimatoribus, aut ne vix quidem, probari possint.

v.117 *Cuspide læsa manum*. Homerus Iliade ε.

Ἄκρην οὖτασε χεῖρα μετάλμενος ὀξέϊ χαλκῷ.

v.118 *Trojano judice*. Paride.

v.131 *Longaque vestis adest*. Anceps, an e veteribus legam, *abest*: nam hæc editio impudiculas tangit, illa matronas. Noster in libris Ponticis:

Scis tamen, & liquido juratus dicere posses,
Non me legitimos sollicitare toros.
Scripsimus hæc illis, quarum nec vitta pudicos
Attingit crines, nec stola longa pedes.

v.133 *Tota lavanda Dea est*. Sic scribe, indubitato: in aliis, *tota juvanda*; pessime. Huc pertinent fictores, unctores vestitores Deorum; quorum meminit Senecæ quoddam fragmentum, Firmicus, & trecenti lapides.

v.135 *Nunc alii flores*. His ipsis Kalendis Aprilis: idque factum in templo Veneris Verticordiæ, de qua sermo paullo post. Eo etiam die erat lavatio matronarum prope templum Fortunæ virilis. Plutarchus in Numa: Ἐν ᾧ θυσίας τελοῦσι, καὶ ταῖς Καλάνδαις ἐστεφανωμέναι αἱ γυναῖκες μυρσίνῃ λοῦονται. non exprimit locum, sed in nostro habes. *(a)*

v.142 *Fortunæ tura virili*. Sita hujus ædes ad Tiberim: in hac erat statua illa lignea Servii Tullii. De auctore, ne iterem scriptionem, dicam in 6. quarto Idus Junias, ubi locus ad hæc aptior.

v.149 *Mella liquata favis*. Forsan his exprimit cocetum antiquorum, de quo Tertullianus libro contra Valentinianos, & Plinius lib. 19. cap. 8. *Papaveris*, inquit, *sativi tria genera, candidum, cujus semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur*; ex his illud compositum. Festus: *Cocetum, genus edulii ex melle & papavere factum.* Sed lac non video: de alio ergo bellario noster agit.

v.154 *Proavorum tempore*. Anno DCXXXIX. M. Acilio & C. Porcio Coss.

v.154 *Lapsa est*. Infame prodigium præcesserat, quod spurcum eventum vaticinabatur. Julius Obsequens id refert: *Pompejus Elvius, Eques Romanus, a ludis Romanis quum in Apuliam reverteretur, in agro Stellati filia ejus equo insidens fulmine icta, exanimataque, vestimento deducto in inguinibus, exerta lingua per inferiores locos, ut ignis ad os emicuerit, responsum, infamiam virginibus & equestri ordini portendi; quia equi ornamenta dispersa erant. Tres uno tempore Virgines vestales nobilissimæ cum aliquot Equitibus Romanis incesti pœnas subierunt: ædes Veneri Verticordiæ facta*. Ita in exemplaribus corruptissimis legitur hic locus; at sic scripsit Julii vera manus: *Fulmine icta, exanimata cecidit vestimento deducto ab inguinibus, exerta lingua, adeo ut ignis ad os emicuerit*. Delevi *per inferiores locos*; quia haud dubie videtur glossema: prænomen vero Pompeii Elvio an certum, addubito. Orosius L. Elvium hunc nominat lib. 6. ibi prodigium istud fuse narratur; prese in hunc modum Plutarchus in Quæst. Rom. Λέγεται τὴν Ἐλβίαν παρθένον ὀχουμένην ἐφ' ἵππου βληθεῖσαν κεραυνῷ, καὶ γυμνὸν μὲν εὑρεθῆναι κείμενον τὸν ἵππον, γυμνὴν δὲ αὐτὴν ἀνεστάσθαι ἀνηγμένου τοῦ χιτῶνος ἀπὸ τῶν ἀπορρήτων, ὑποδημάτων δὲ καὶ δακτυλίων καὶ κεκρυφάλου διερριμμένων χωρὶς ἄλλων ἀλλαχοῦ, τοῦ δὲ στόματος ἔξω προβεβληκότος τὴν γλῶσσαν.

v.155 *Cumæam consuluistis anum*. Aditi sunt libri Sibyllini. Convenit in hoc Plutarchus ibidem, & Valerius Maximus lib. 8. cap. 15. ubi habes, quæ fuerit electa ad sacrandum numinis simulacrum: *Merito*, inquit, *virorum commemorationi Sulpitia, Servii Paterculi filia, Q. Fulvii Flacci uxor, adjicitur: quæ, quum Senatus, libris Sibyllinis per Decemviros inspectis, censuisset, ut Veneris Verticordiæ simulacrum consecraretur; quo facilius virginum mulierumque mentes a libidine ad pudicitiam converterentur; & ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductæ, de sanctissima femina judicium facerent, cunctis castitate prælata est*. Adi, ni tædium, Plinium lib. 7. cap. 35.

v.156 *Templa jubet Veneri fieri*. Posita ædes in via Salaria extra portam Collinam regione 5. Panvinius, & alii in summaria Urbis descriptione.

(a) *Nunc alii &c.* Alii dictam putant Verticordiam, quod cor verteret ad pudorem, alii vero quod & corda cupidinis flammis incenderet, & flammas auferret, quod amorem, injicere, & tollere posset. Magicis etiam carminibus id fieri posse putabant. Ita Dido ad sororem de sibi monstrata a Sacerdote Hesperidum Templi Custode ver. 47.

Hæc se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit, ast aliis duras immittere curas.

v. 157 *Verso nomina corde venit*. Dicta Verticordia: hæc Græcis est ἀποστρόφια Ἀποστροφία. Pausanias in Bœoticis: Τρίτην δὲ Ἀποστροφίαν, ἵνα ἐπιθυμίας τε ἀνόμου καὶ ἔργων ἀνοσίων ἀποστρέφῃ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων.

v. 161 *Scorpius in virides*. Kalendis Aprilis Scorpii occasus matutinus; idem sentit Columella.

v. 161 *In virides aquas*. *Viridis* hic pro cæruleo; hunc pro viride dixit Manilius in Sphæra Barbarica;

> *Cæruleum foliis viridi quia gramine collem*
> *Conseret*. . . . . .

Confundunt igitur Poetæ, imo & alii. Plinius de smaragdis; *Probatissimi sunt ex his, qui viriditatem puri maris imitantur*; quam Solini expressit, *intervirens glauci & cæruli temperamentum*.

v 162 *Nox ubi transierit*. IV. Nonas Plejadum occasus heliacus. Nec aliud quod sequitur, *humeros relevare paternos*, quam, cælo decedere. Sagax Criticus vult hæc Nasonis intelligi de ortu matutino; sed hallucinatur. Vide Petavium, Jesuitarum decus, in suo Uranologio Variarum dissertationum lib. 7. cap. 6.

v. 164 *Semustamque facem*. Hanc faciebant rustici e pluribus virgulis: quarum fasciculus hodie etiam laternæ pauperum; de his loquitur Varro de Re rustica: *Naturale sepimentum, quod obseri solet virgultis aut spinis, quod habet radices, ac vivæ sepis, prætereuntis lascivi non metuet facem*. Hujus rei æquiparatione usus alicubi noster: (a)

> *Ut facibus sepes ardent, quum forte viator*
> *Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit*.

De laternarum usu antiquissimo vide testimonia veterum Græcorum citata ab Athenæo lib. 15. cap. 18.

v. 173 *Et facti sola pudore latet*. Hyginus lib. 11. Poet. Astr. *Hæ numero septem dicuntur, sed nemo amplius quam sex videre potest; cujus caussa proditur hæc, quod de septem sex cum immortalibus concubuerunt, tres cum Jove, duæ cum Neptuno, una cum Marte, reliqua autem Sisyphi uxor demonstratur*.

v. 176 *Ter sine perpetuo*. Pridie Nonas Apriles erant Megalesia festa magnæ matris Idææ. Vetus Kalendarium notat hunc diem hisce litteris, LUD. MATRIS MAG. illud Constantini Magni, LUDI MAGALESIACI, & sequentes usque ad natalem Divi Severi. Livius lib. 29. *Pertulere Deam pridie Idus Aprilis; isque dies festus fuit: populus frequens dona Deæ in Palatium tulit: lectisterniumque & ludi fuere Megalesia appellata*. Ausim dicere scribendum pro *Idus*, *Nonas*. (b)


v. 178 *Inflexo cornu*. De hoc ipso Athenæus lib. 15. Τὸ κέρας αὐτῷ προσάπτουσιν ἀνάλογον τῷ τῆς σάλπιγγος κώδωνι. & Eustathius, (c) quum Phrygiam Thyrrenicæ assimilat: Ἔχει Τυρσηνική τις λέγεται Τυρσηνοί, ὁμοία Φρυγίῳ αὐλῷ, τὸ κώδωνα κεκλασμένον ἔχουσα, λίαν ὀξύφωνος, sed in Phrygia codon iste solum e cornu annexum, reliquum buxeum, aut osseum erat.

(a) *Semustamque &c.* Viatoribus quæ præferebantur ad eorum usum fieri solebant ex ligno vel quercu, vel iligno γράβια dicebant.

(b) *Ter sine &c.* Religioni Tullius tribuit, quod hi ludi externo, non vero latino vocabulo appellati fuerint. Ita Tullius in Orat. de Harusp. responsis. *Ita ludos eos, quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris accersita, in hac Urbe consederit, qui uni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso, & appetita religio externa, & Matris Magnæ nomine suscepta, declaretur, hos ludos servi fecerunt, servi spectaverunt &c.*

(c) *Inflexo &c.* De codone pauca quædam addere libet, quæ nullo pacto præterire nequimus. Ex Polluce, quem Noster testatur, codonas, αὐλῶν fuisse conjicimus tum etiam, quum iis equi ornabantur. Has igitur patellas fuisse viri doctissimi putant cavas, & patulas, quæ tamen paullatim dilatarentur, in quas delapsus equi hinnitus majorum sonum redderet. Subscribit Hesychius, qui phimos aut camos *tibiales* vocat, quod iis *codones* additi essent, in quos inflantes, hinnientesque equi quasi tubam imitarentur. Non desunt tamen, qui *codonem* tintinnabulum fuisse putent, quod papaveris capiti simile esset, phaleris, frenisque equorum addi solitum. Inter ceteros, si lubet, consule præcipue Diodorum de curru Alexandri, & Phavorinum.

erat, teste Polluce: idque in harmonia Φρυγιςῦ tantum erat in sinistra tibia, non in dextra, quæ recta, illa obliqua. Hesychius: Ἐγκεραύλης, ὁ τοῖς Φρυγίοις αὐλῶν. εἶχε γὰρ ὁ ἀριστερὸς προσκείμενον κέρας. Rectæ & sinistræ tibiæ en schema:



1. Dextra. 2. Hoc totum ex osse, aut buxo. 3. Sinistra. 4. Codon e cornu adnexum.

v.180 *Ibunt semimares*. Velut anteambulones: igitur quidam e sacerdotibus statuam Matris Idææ præibunt, quidam humeris superimpositam ferent, neque hi solum; sed, quod in supellectile augusta, ditissimum omne lecticam Divæ præibat. Herodianus lib: primo: Ἦρος ἀρχῇ, ἑκάστου ἔτους, ὡρισμένης ἡμέρας, μητρὶ θεῶν πομπὴν τελοῦσι Ῥωμαῖοι· καὶ πάντα ὅσα παρ' ἑκάστοις πλούτου σύμβολα, κειμήλιά τε βασιλέως, ὕλης τε ἢ τέχνης θαύματα, τῆς θεοῦ προπομπεύει. ἄνεσις τε πᾶσι δίδοται ἐξουσία παντοδαπῆς παιδιᾶς. ἕκαστός τε, ὃ βούλεται, σχῆμα ὑποκρίνεται. οὐδ' ἔστιν οὕτω μέγα ἢ ἐξαίρετον ἀξίωμα, ὃ μὴ παντὶ τῷ βουλομένῳ ἀμφιεσαμένῳ ὑπάρχει παῖξαί τε, καὶ κρύψαι τὴν ἀλήθειαν, ὡς μὴ ῥᾳδίως διαγνῶναι τόν τε ὄντα, καὶ τὸν μιμούμενον. Ista vero si capias de Hilariis, ut Critici volunt, nullo modo huc attexenda: nam illa erant mense Martio VIII. Kalendas Apriles, si Macrobio credimus. Nulla enim memoria hujus festi in Kalendariis antiquis; meminit tamen ejusdem Flavius Vopiscus in Aureliano, Georgius Pachymeras in Epistolas Dionysii Areopagitæ, Damascius apud Photium in Isidori vita. Sed sis, exprimam quid sentiam: Megalesia, & Hilaria eadem suspicor; & sic audaculus legerem & expungerem aliqua in Macrobio primo Saturnalium: *Praecipuam autem Solis in his caerimoniis verti rationem hinc etiam potest intelligi, quod ritu eorum* κατβάσει *finita, simulationeque luctus peracta, celebratur laetitiae exordium pridie Nonas Aprilis, quo tempore Sol diem longiorem nocte protendit.*

v.180 *Et inania tympana tundent*. Inania, quia cava: hinc tympanum vocat Antipater, δινωτὸν ῥινᾶς ὅπλον ἐλυμπάδος.

v.187 *Lotos adunca sono*. Λωτὸς antiquis, pro tibia: nam eorum aliquæ e loto arbore. Aliis dicuntur λώτινοι αὐλοί, ut apud Athenæum lib. 5. quas scribit ab Alexandrinis φώτιγγες nominari.

v.202 *Veste latens saxum*. Lapis hic *abadir* a Grammaticis dictus; jidem, *Graeci*, inquiunt, *βαίτυλον vocant*. Quid vere apud illos sit bætylon, vide plura apud Damascium in vita Isidori, quæ in Photii Bibliotheca; ex multis tamen hæc nota: Εἶδον, φησι, τὸν βαίτυλον διὰ τοῦ ἀέρος κινούμενον, ποτὲ δ' ἐν τοῖς ἱματίοις κρυπτόμενον. ni veste latens explices ἐν σπαργάνοις εἰλημένον πέτρον.

v.204 *Tinnitibus Ide*. (a) Quodam armorum strepitu tunc a Curetibus invento; de quo

(a) *Tinnitibus &c.* Alios ritus, aliasque rituum caussas a Firmico accipimus. Cretenses enim, ut is refert, Jovem iratum propter Bacchi filii cædem, furentemque placaturi, annuum sacrum trietericis addidere, & dies funeris statuerunt. In his fiebant omnia, quæ puer moriens aut fecerat, aut passus erat. Vivum igitur taurum dentibus laniabant, & insaniam furoremque per silvas clamoribus dissonis simulabant. Præferebant cistam, ubi cor soror absconderat, tibiarumque cantu, & cymbalorum tinnitu crepundia mentiebantur, quibus puer deceptus fuerat. His adde, quæ Strabo lib. 10. *Ingens est diversitas istarum narrationum: alii eosdem cum Curetibus ponunt Corybantas, Cabiros, Idaeos, Dactylos, Telchines, alii cognatos inter se, & exilibus distinctos differentiis.*

quo Diomedes lib. 3. *Vel ab Idæis dactylis, quos Curetas sive Corybantas Poetæ appellabant: hi namque in insula Creta Jovem custodiendo, ne vagitu se parvulus proderet, lusus excogitato genere, clypeolis æneis inter se concurrentes, tinnitu æris illisi, rhythmica etiam pedis dactyli compositione celavere vocem infantis*. Ridiculus Agathocles Babylonius, qui, suis grunnitu Jovem a Saturno liberatum, testari non pudet: Μυθεύουσιν ἐν Κρήτῃ γενέσθαι τὴν Διὸς τέκνωσιν ἐπὶ τῆς Δίκτης, ἐν ᾗ καὶ ἀπόρρητος γίνεται θυσία. λέγεται γὰρ ὡς ἄρα θηλὴν ὑπέσχεν ὗς, καὶ τῷ σφετέρῳ γρυσμῷ περιοιχνοῦσα τὸν κνυζισμὸν τοῦ βρέφους ἀνεπαΐστον τοῖς παριοῦσιν ἐτίθει. διὸ πάντες τὸ ζῷον τοῦτο περισσότερον ἡγοῦνται, καὶ οὔ φασι τῶν κρεῶν ἐδαίσαντο. apud Athenæum lib. 9.

v.205 *Tutus ut infanti*. Hinc in Cretensi historia apud Geographum lib. 10. Οἱ Κουρῆτες Διὸς τροφεῖς λέγονται, καὶ φύλακες, εἰς Κρήτην ἐκ Φρυγίας μεταπεμφθέντες ὑπὸ τῆς Ῥέας.

v.206 *Pars clypeos manibus*. In Lactantio Firmiano lib. primo legitur, *Pars clypeos sudibus*; similior vero lectio: nam ὑπὸ τῶν ἐγχειριδίων sonitum in clypeolis excitabant. Dionysius lib. 2. Χορείαν δὲ καὶ κίνησιν ἐνόπλιον καὶ τὸν ἐν ταῖς ἀσπίσιν ἀποτελούμενον ὑπὸ τῶν ἐγχειριδίων ψόφον, εἴ τι δεῖ τοῖς ἀρχαίοις τεκμηριοῦσθαι λόγοις, Κουρῆτες ἦσαν οἱ πρῶτοι κατασκευασάμενοι. Eadem fere Lucianus in suo de Saltatione.

v.206 *Galeas pars tundit inanes*. Ex hoc tempore in hujus rei memoriam isti ἐνόπλιον ὄρχησιν instituere; & primum, ut vides, in Creta: unde Κρητικὴ nuncupata. Vetus Commentator Sophoclis ad ajacem: Τῶν δὲ ὀρχήσεων ἡ μὲν Βερεκυνθιακὴ λέγεται, ἡ δὲ Κρητική, ἡ καὶ Πυρρίχη. Quæ hæc Pyrricha? eadem cum armata illa Curetica; vero verius. Theon, Arati interpres, de Corybantibus: Οἱ δὲ μυθολογοῦσι τούτους ἀναστραφῆναι ἐν Κρήτῃ. ὅτε τὴν Πυρρίχην, ἡ ἐστιν ἐνόπλιος ὄρχησις, γενέσθαι λέγεται, ἣν ὀρχούμενοι οἱ Κορύβαντες, qui iidem cum Curetibus, ἐπὶ ὅλον ἐνιαυτὸν τὸν Δία ἔθρεψαν, λανθάνοντες τὸν Κρόνον. & alii, quos fuse vide in Joannis Meursii Orchestra. Unum addo, quod addi debet, πρύλιν hanc Κρητικὴν a Callimacho dici Hymno in Jovem, quam ἐνόπλιον Scoliastes exponit: inde πρύλιν eamdem faciunt cum Pyrricha, quia ἐνόπλιος. Pindari Scholiastes: Ἀριστοτέλης δὲ πρῶτον Ἀχιλλέα ἐπὶ τῇ τοῦ Πατρόκλου πυρᾷ τῇ Πυρρίχῃ φησὶ κεχρῆσθαι, ἣν παρὰ Κυπρίοις φησὶ πρύλιν λέγεσθαι. Una ergo & eadem ὄρχησις ἐνόπλιος, πρύλις, Πυρρίχη.

v.212 *Genus acre leonum*. Lucianus περὶ τῆς Συρίης θεοῦ (hæc eadem cum Rhea) Σημήια δὲ ἡ θεὸς τὰ πολλὰ ἐς Ῥέην ἀπικνέεται. λέοντες γάρ μιν φέρουσι, καὶ τύμπανον ἔχει, καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πυργοφορέει, ὁκοίην Ῥέην Λυδοὶ ποιέουσι.

v.214 *Feritas mollita per illum*. Hinc Hierapoli in septis templi Deæ Syriæ ursi & leones erant mansueti, qui neminem læderent; ut per hanc mollitam feritatem, ni fallor, docerent. Idem: Ἐν δὲ τῇ αὐλῇ ἄφετοι νέμονται βόες μεγάλοι, καὶ ἵπποι, καὶ αἰετοί, καὶ ἄρκτοι, καὶ λέοντες, καὶ ἀνθρώπους οὐδαμὰ σίνονται, ἀλλὰ πάντες ἱροί τέ εἰσι, καὶ χειροήθεες.

v.220 *Phryx puer*. Facetus est Ciophanus, qui hunc putat Æneam, quum sit ille Attis Matris Ideæ amasius: fuit sane domo Phryx. Vetus saxum: ET QUI PHRYGA PLANGITIS ATTIN. & Arnobius lib. primo: *Nonne illum Attin Phrygem abscissum, & spoliatum viro, magnæ Matris in adytis Deum propitium, Deum sanctum Gallorum conclamatione vocatis?* Non audio Lucianum; sed non penitus, qui Attiden Lydum facit. Lydia certe Phrygiæ contermina, sed nullo modo in Phrygia. Plinius lib. 5. cap. 29. *Lydia autem perfusa flexuosis amnis Mæandri recursibus super Joniam procedit, Phrygiæ ab exortu solis vicina*; at Strabo Cariam, Phrygiam, Mysiam, Lydiam adeo inter se concurrentes scribit, ut vix discerni queant. Sic enim lib. 13. Τὰ δ' ἑξῆς ἐστι τὰ νότια μέρη τούτοις τόποις, ἐμπλοκὰς ἔχει μέχρι πρὸς τὸν Ταῦρον, ὥστε τὰ καὶ τὰ Φρύγια, καὶ τὰ Λύδια, καὶ τὰ Καρικά, καὶ ἔτι τὰ τῶν Μυσῶν, δυσδιάκριτα εἶναι παραπίπτοντα εἰς ἄλληλα. Ex hac confusione defendi potest, qui dixerit Lydos Phryges, & Mysos Lydos, sive Phryges; neque id a me ediscas, sed ex eodem. En lib. 14. Οἱ Ποιηταὶ δὲ, μάλιστα οἱ Τραγικοί, συγχέοντες τὰ ἔθνη. καθάπερ τοὺς Τρῶας, καὶ τοὺς Μυσοὺς, καὶ τοὺς Λυδοὺς, Φρύγας προσαγορεύουσιν. Luciani locus hic: Ἄττης δὲ γένος Λυδὸς μὲν ἦν, πρῶτος δὲ τὰ ὄργια τὰ ἐς Ῥέην ἐδιδάξατο. καὶ τὰ Φρύγες καὶ Λυδοὶ καὶ Σαμοθρᾷκες ἐπιτελέουσι. Scripserunt & alii Græci cum ι, ut Dio Cassius: Ἐκιθαρῴδησεν Ἄττιν τινὰ, ἢ Βάκχας. sed Laconica Orthographia. Hesychius: Ἄττις, τὸν λέγουσιν Ἄττιν οἱ Λάκωνες.

v.220 *In silvis*. Nam pastor, & agrestis. Arnobius lib. 4. de Saltatione qua Cybele repræsentabatur: *Saltatur, & magna sacris comta cum infulis mater, & contra decus ætatis, illa Pessinuntia Dindymene in bubulci unius amplexu libidinosa fingitur appetitione gestire*; & de eadem Tertullianus in Apologetico cap. 15. *Sed & histrionum litteræ omnem fœditatem eorum designant: luget Sol filium jactatum de cælo, lætantibus vobis; & Cybele pastorem suspirat fastidiosum, non erubescentibus vobis.*

v.226 *Et in Nympha Sagaritide*. Finxit hujus nominis Najadem a Sagaro Phrygiæ flumine. Plinius: *Sagaris fluvius ex inclytis oritur in Phrygia; accipit vastos amnes, inter quos Tembrogium, & Gallum*. Idem *Sangarius* a plerisque dictus: & cui non ex Græcis Σαγγάριος? Sunt in eis qui scribant Σαγάριος, immo Σάγαρος: a quo forte nostrum *Sagaris*. Hujus scripturæ Myrleanum auctorem facit Apollonii interpres: Σαγγάριος ποταμὸς Φρυγίας. ὁ δὲ Μυρλεανὸς Σάγαρον λέγεσθαι φασί.

v.233 *Remove modo verbera*. Ex his fortassis postea mos ille mansit verberandi Cybeles ministros, si deliquissent in sacris; ultimum eruo ex Plutarcho adversus Colotem: Ἀλλ' ἐκ ἐλλόγιμος ὢν ὡς Μητράδωρος ἐστὶν, ἀλλ' ἀπαίδευτος καὶ ἀνάγωγος, ἐ' ὑδὲ μάστιγος ἐλευθέρας δεόμενος, ἀλλὰ ἀστραγαλωτῆς ἐκείνης ᾗ τοὺς Γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς μητρῴοις κολάζουσιν.

v.239 *Signa relicta viri*. Non solum in corpore, sed etiam nulla in cultu. Lucianus περὶ τῆς Συρίης θεοῦ: Ὡς γάρ μιν ἡ Ρέη ἔταμε, βίον μὲν ἀνδρήιον ἀπεπαύσατο, μορφὴν δὲ θηλέην ἠμείψατο, ἐς ἐσθῆτα γυναικηίην ἐνεδύσατο. ad hujus imitationem Hierapoli quotannis veris initio se castrabant, & muliebri vestitu in posterum incedebant. Idem: Ἐν ταύτῃσι τῇσι ἡμέρῃσι Γάλλοι γίγνονται, ἐπεὰν οἱ ἄλλοι αὐλέωσί τε, καὶ ὄργια ποιέωνται, ἐς τοὺς ἤδη ἡ μανίη ἀπικνέεται καὶ πολλοὶ οἱ ἐς θέην ἀπικόμενοι, μετὰ δὲ, τάδε ἔπρηξαν. καταλέξω δὲ καὶ τὰ ποιέουσι ὁ νεηνίης, ὅτῳ τάδε ἀποκέαται, ῥίψας τὰ εἵματα, μεγάλῃ βοῇ ἐς μέσον ἔρχεται, καὶ ξίφος ἀναιρέεται· τὰ δὲ πολλὰ ἔτεα, ἐμοὶ δοκέω, διὰ τοῦτο ἕστηκε. λαβὼν δὲ αὐτίκα, τάμνει ἑωυτὸν θέει τε διὰ τῆς πόλιος, καὶ τῇσι χερσὶ φέρει, τὰ ἔταμε. ἐς οἰκίην δὲ ὁκοίην τάδε ἀπορρίψει, ἐκ ταύτης ἐσθῆτά τε θηλέην, καὶ κόσμον τὸν γυναικήιον λαμβάνει. (a)

v.241 *Jactatis comis*. Capitis jactatio peculiare Gallis. In sacris plura obvia exempla; sed satis hoc unum Lampridii de Elagabalo: *Jactavit autem caput inter praecisos fanaticos, & genitalia sibi devinxit, & omnia fecit quae Galli facere solent*; ob id illi comam alvere & idem Gallus, & Capillatus a matre magna; cujus nominis in hoc lapide memoria: (b)

DIS M
L. VETTIO SYNTROPHO
RELIGIOSO
A MATRE MAGNA
CAPILLATO
VETTIA AMOR
DE SUO FECIT
POSTERISQUE EORUM.

v.246 *Dindymon*. Apollonii Scholiastes: Δίνδυμον ὄρος Κυζίκου ἱερὸν τῆς Ῥέας. in eo enim & templum habuit. Ammianus lib. 22. *Respergit ex eo latere Cyzicum, & Dindyma, religiosa matris* (excidit *ob*) *magnae delubra*; at Dindymæum ab Argonautis sacratum, Strabo lib. 12. Ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς Δίνδυμον μονοφυὲς, ἱερὸν ἔχον τῆς Δινδυμήνης μητρὸς τῶν θεῶν, ἵδρυμα τῶν Ἀργοναυτῶν.

68 Et

(a) *Signa relicta &c.* Varias se dicit figuras habere. Cat.

Quod genus figuræ est, quod ego non habuerim?
Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer.

Alii legunt

Quod genus figuræ est, ego non quod habuerim
Ego puber, ego adolescens, ego ephebus, ego puer.

Ita autem de se loquitur in Galliambico c.63. v.62.

(b) *Jactatis &c.* Libet huic lapidi in quo de Sacerdotum Gallorum Nomine agitur, duos addere ubi aliud nomen Attidi imponitur.

M. D. M. J.
ET. ATTIDI. SANCTO
MENOTYRANNO

MATRI. DEUM. MAGNÆ
IDEÆ. SUMMÆ PA
RENTI. HERMÆ. ET. ATTIDI
MENOTYRANNO. INVICTO.

Menotyrannus autem dictus, quod ejus nomine Solem Phryges colebant, qui Rex est, & Dominus anni & Mensium, ac summus Moderator, quasi μηνῶν τύραννος.

v.246 *Et amœnam fontibus Iden*. Vide apud eumdem de eadem re Demetrii testimonium lib. 13.

v.247 *Iliacas opes*. Nam omnis Phrygia illi sacra: Ilium in Troade, Troas in Phrygia minore. Stephanus: Ἴλιον πόλις Τρωάδος. Ptolemæus: Φρυγίας δὲ μικρᾶς ἢ τῆς Τρωάδος μεσόγειος Ἴλιον, Φρυγίας δὲ τῆς μεγάλης Δάγυτα. Minor ergo & magna Phrygia apud veteres: recentiores magnam diviserunt in primam, & salutarem, Troadi minoris nomine relicto; ut patet ex multis, & veteri notitia Romanarum provinciarum in Asiaticis.

v.252 *Jam sæcula quinque*. Et insuper annos XLVIII.

v.254 *Fatalia verba sacerdos Inspicit*. Curæ fuit hoc per id tempus Decemviris. Invenies Duumviros inspexisse libros Sibyllinos, invenies XV. viros; sed Duumviri antiquiores Decemviris: unde colligas, paullatim auctum hoc sacerdotium. Præ manibus sunt testes: sed abstineo, ne repetam toties a Criticis prædicta.

v.255 *Inspicit*. Caussam inspectionis Appianus suggerit in Annibalicis: Γιγνομένων ἐν Ῥώμῃ σημείων ἐκ Διὸς φοβερῶν, οἱ μὲν τὰ Σιβύλλεια ἐπισκεπτόμενοι δέκα ἄνδρες, ἔφασαν ἐξ οὐρανοῦ τι ἐς Πεσσινοῦντα τῆς Φρυγίας, ἔνθα σέβουσιν οἱ Φρύγες θεῶν μητέρα, πεσεῖσθαι τῶν δὲ τῶν ἡμερῶν, καὶ δεῖν αὐτὸ ἐς τὴν Ῥώμην ἐνεχθῆναι. μετ' οὐ πολὺ δὲ πεσὸν τι προσηγγέλθη καὶ ἐς Ῥώμην ἐκομίσθη τὸ βρέτας· καὶ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσιν. (a)

v.256 *Mater abest*. Μήτηρ passim apud Græcos est Cybeles, non addito τῶν θεῶν. Pindarus:

Σοὶ μὲν κατάρχει μάτερ, πάρα
Μεγάλοι ῥόμβοι κυμβάλων.

Unde simpliciter Μητρῷον Athenis erat ædes Matris Idææ; de qua Pollux: Ἐλέγετο δὲ τὸ καὶ Μητρῷον Ἀθήνησι τὸ τῆς Φρυγίας θεᾶς ἱερόν. & Moschopulus: Μητρῷον παρ' Ἀθηναίοις, τὸ τῇ μητρὶ τῶν παρ' αὐτοῖς θεῶν ἀνειμένον.

v.260 *Consulitur Pæan*. Mutavit rerum ordinem: nam prius missi Legati, postea Oraculum consultum. Livius lib. 29. *Legati Asiam petentes protinus Delphos quum escendissent, Oraculum adierunt, consulentes, ad quod negotium domo missi essent, perficiendi ejus quam sibi spem Populoque Romano portenderent: responsum esse ferunt, per Attalum Regem compotes ejus fore quod peterent.*

v.262 *Mittuntur Proceres*. Ex his unus M. Valerius Lævinus, qui bis Consul fuerat, ac res in Græcia gesserat; alter M. Cæcilius Metellus Prætorius: additus Sulpitius Galba Ædilitius; duo Quæstorii, C. Tremelius Flaccus, & M. Valerius Falco.

v.262 *Tenebat Attalus*. Sed ille (nam plures Asiæ Reges Attali (qui Romanos in bello Galatensi contra Philippum juvit. Livius lib. 39. & Strabo lib. 13. Ἐκ δὲ Ἀττάλου καὶ Ἀντιοχίδος τῆς Ἀχαιοῦ γεγονὼς Ἄτταλος διεδέξατο τὴν ἀρχὴν, καὶ ἀνηγορεύθη βασιλεὺς οὗτος πρῶτος, νικήσας Γαλάτας μάχῃ μεγάλῃ. Οὗτος δὲ καὶ Ῥωμαίοις κατέστη φίλος, καὶ συνεπολέμησε πρὸς Φίλιππον μετὰ τοῦ Ῥοδίων ναυτικοῦ· γηραιὸς δὲ ἐτελεύτησε βασιλεύσας ἔτη τρία καὶ τετταράκοντα. sed alter lib. 33. addit in regno alium: *Attalus Rex*, inquit, *æger Thebis Pergamum advectus moritur altero & septuagesimo anno, quum quattuor & quadraginta annos regnasset*; & post pauca, quæ profero, quia me indigent: *Victis deinde prælio uno Gallis* (fœdum mendum: scribo non uno pollice sed utraque manu, (*Galatis*) *quæ tunc gens recenti adventu terribilior Asiæ erat, regium ascivit nomen: cujus magnitudo semper animum æquavit, summa justitia eos rexit, unicam fidem sociis præstitit, uxorem ac liberos duos superstites habuit*. Malim quatuor, quos sic nominat Strabo, Eumenem, Attalu, Philetœrum, Athenæum.

v.263 *Rem negat ille viris*. Ah, mi Naso, parum φιλαληθής: clamat id falsum historia. *Is Legatos*, inquit Livius, *comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit; sacrumque iis lapidem, quem matrem Deum esse dicebant, tradidit.*

v.269 *In Phrygios avos*. Herodianus libro primo de Cybeles simulacro: Ἔτυχον δὲ ῥᾳδίως, συγγένειαν προβαλλόμενοι, καὶ τὴν ἀπ' Αἰνείου τοῦ Φρυγὸς εἰς αὐτοὺς διαδοχὴν καταλέγοντες. ob hanc forte consanguinitatem ultimus Attalus cognomento Philometor, nullo relicto

---

(a) *Inspicit &c.* Prodigia, quæ animos superstitione repleverant in caussa fuere, quamobrem Sybillini libri inspicerentur. Relatum fuit a Decemviris, ut narrat Appianus, paucos post dies in Urbem Phrygiæ Pessinuntem casurum aliquid de Cælo, quod advehendum Romam esset. Nec multo post Simulacrum Matris Deorum delapsum fuisse, nunciatum est, quod Romam asportatum fuit.

cto ex suis superstite, heredes nominavit Romanos. Strabo lib. 13. Βασιλεύσας δὲ οὗτος ἔτη πέντε, καὶ κληθεὶς Φιλομήτωρ, ἐτελεύτα νόσῳ τὸν βίον. κατέλιπε δὲ κληρονόμους Ῥωμαίους. οἱ δ᾽ ἐπαρχίαν ἀπέδειξαν τὴν χώραν, Ἀσίαν προσαγορεύσαντες ὁμώνυμον τῇ ἠπείρῳ.

v.272 *Et picta coloribus ustis*. Huc spectant Plinii illa: *Tertium genus accessit, resolutis igni ceris, penicillo utendi: quæ pictura in navibus nec sole, nec sale nec ventis corrumpitur*.

v.276 *Rhœteumque capax Sigeaque littora*. Utrosque illos ἀγκῶνας, qui in mare protenduntur; de quibus ita Strabo lib. 13. Ἀπὸ δὲ τῶν μετὰ τόπους Ἰδαίας ὀρεινῆς δύο φησὶν ἀγκῶνας ἐκτείνεσθαι πρὸς θάλατταν, τὸν μὲν ἐπὶ Ῥοιτείου, τὸν δὲ Σιγείου, ποιοῦντας ἐξ ἀμφοῖν γραμμὴν ἡμικυκλοειδῆ πλευτὰν δ᾽ ἐν τῷ πεδίῳ, τοσοῦτον ἀπέχοντας τῆς θαλάττης ὅσον τὸ νῦν Ἴλιον. His convallibus certe nomen inditum ab iisdemmet urbibus Sigeo & Rhœteo ibidem sitis: ab una ad aliam spatium inerat LX. stadiorum, si ejusdem vulgatis fides aliqua. Ἔστι δὲ τὸ μῆκος τῆς παραλίας ταύτης, ἀπὸ τοῦ Ῥοιτείου μέχρι Σιγείου, καὶ τοῦ Ἀχιλλέως μνήματος ἐπ᾽ εὐθυπλοούντων ἑξήκοντα σταδίων. nam alii habent ἑπτά, alii ἑβδομήκοντα. Notandum Hercule discrimen. Sed hæc per viam dicta sint; & ista, in opposito cornu fuisse tumulum Ajacis, ut Achillis in Sigeo: quod nuper in Strabone vidisti. Idem: Εἶτα Ῥοίτειον πόλις ἐπὶ λόφῳ κειμένη, καὶ τῷ Ῥοιτείῳ συνεχὴς ἠϊὼν ἀλιτενὴς Αἰάντειον, ἐφ᾽ ᾗ μνῆμα καὶ ἱερὸν Αἴαντος, καὶ ἀνδριάς. ὃν ἄραντος Ἀντωνίου κομισθέντα εἰς Αἴγυπτον, ἀπέδωκε τοῖς Ῥοιτειεῦσι πάλιν, καθάπερ καὶ ἄλλοις ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ.

v.277 *Et tenerum*: Hæc jacet extra Hellespontum opposita Sigeo littori. Strabo eodem libro: Ἔστι δ᾽ ἡ μετὰ τὴν Σιγιάδα ἄκραν καὶ τὸ Ἀχίλλειον ἡ Τενεδίων περαία τὸ Ἀχαιὸν, καὶ αὐτὴ ἡ Τένεδος, οὐ πλείους τῶν τετταράκοντα σταδίων διέχουσα τῆς ἠπείρου. & Plinius: *Extra Hellespontum adversa Sigeo littori adjacet Tenedus, Leucophrys dicta, & Phœnice, & Lyrnessos*; addo ex Geographo etiam *Calydnam*: Καὶ αὐτὴν δὲ τὴν Τένεδον Κάλυδναν εἰπεῖν τινες, ἄλλοι δὲ Λευκόφρυν.

v.278 *Lesbo post terga relicta*. Illis scilicet insulis, ex his una Lesbos, quæ sitæ sunt ante Cariam, Joniam, Æolidem, usque ad Troaden: item illis, quæ ante Græciam usque ad Troaden: item illis, quæ ante Græciam usque ad Macedoniam & confinem Thraciam; Eubœa, in qua urbs Carystus, Scyro, Peparetho, Lemno, Thaso, Imbro, & aliis. *(a)*

v.288 *Ostia contigerat*. In corruptis legitur, *Hostia*: non tamen caren- assecla: sed hic bonus Marsus. Livius: *Postquam navis ad ostium amnis Tiberini accessisset*.

v.297 *Limoso vado*. Naso tribuit siccitati, quod Historici defectui ostii Tiberini. Huc omnino adscribendus Strabonis locus: Ὠστία, inquit lib. 5. πόλις ἀλίμενος διὰ τὴν πρόσχωσιν, ἣν ὁ Τίβερις παρασκευάζει, πληρούμενος ἐκ πολλῶν ποταμῶν παρακινδύνως μὲν οὖν ὁρμίζονται μετέωρα ἐν τῷ σάλῳ τὰ ναυκλήρια.

v.302 *Referebat ab alto*. Hæc vulgaris editio: forte legendum, *ab Atta*. Claudius ille princeps Patritiæ hujus familiæ recens a Sabinis Atta Clausus appellatus, priusquam Appius Claudius diceretur. Livius lib. 3. *Atta Clausus, cui postea Appio Claudio nomen fuit*; & Tacitus Annali XII. *Adnotabunt periti, nullam ante hanc adoptionem inter Patritios Claudios reperiri, eosque ab Atta clauso continuos duravisse*. Cave aliter legas: est spectatæ fidei codicis, cui adhærent magni nominis viri. *(b)*

v.304 *Rumor iniquus*. Fama non æqua.

v.306 *Et ornatis*. Calamistis inustis: hoc est, *ornatus capillus*; item gemmis distinctus: inde *ornatrix mulier*.

88 *Pro-*

(a) *Lesbo post &c.* Notam Lesbon dicit Horat. Epist. lib. 1. 9. v. 1.

Quid tibi visa Chios Bullati, notaque Lesbos?

Nobilis re vera cum soli fertilitate, ac puellarum forma, tum vero maxime natalibus Alcæi, & Sapphonis. Ovidius ep. Sapph. ad Phaon.

Nec plus Alcaeus consors, patriaeque, Lyraeque,
Laudis habet, quamvis grandius ille sonet.

Horat. lib. 1. Od. 32. v. 3.

. . . . . age dic Latinum
Barbite carmen
Lesbio primum modulate civi.

Aliqui addunt Theophrastum, sed gravioribus testibus utentes Eresium hunc malumus dicere, quam Lesbium.

(b) *Referebat &c.* *Actium alii dixere, Attam alii, alii Attium*. Male Tatium Svetonius, & Titum Dionysius vocat. Hac de re consule Robortellum lib. 2. emend. cap. 31. Sabinus fuit, cui postea Romæ Appio Claudio nomen. Ab hoc Gens Claudia propagata potens, superba, & Romanæ Plebi infensissima.

v 306 *Trodisse capillis*. Vetus Codex, *fudisse capillos*.

v.315 *Fixit, & hos dixit*. Amplector scriptum, *Figit, & los edit*. (a)

v.328 *Religant in stipite funem*. Hoc veteres, & ex istis Attius Phœnissis, si bene memini, dixit, *suppare copulas*.

v.336 *Purpurea canus cum veste sacerdos*. Haud dubie hic ἀρχιερεὺς, qui nostris proprio nomine *Archigallus*; de quo mentio in hoc saxo, CAJUS CAMERIUS CRESCENS ARCHIGALLUS MATRIS DEUM MAGNÆ IDÆÆ ET ATTIS. Sed quare purpurea illi vestis in hoc sacrificio? an quia bacchantibus, quorum hic unus, assolitum ἐν πορφυρᾷ ἐσθῆτι incedere? ut notissimum vel pueris: an quod uni Archigallo hujusmodi color in usu? ut Hierapoli observatum in sacrificiis Deæ Syriæ. Si conjectura sedet, en testem Lucianum: Ἐσθῆτι δὲ ἀνέουσι πᾶσα λευκῇ, καὶ πῖλον ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἔχουσι. ἀρχιερεὺς δὲ ἄλλος ἑκάστου ἔτεος ἐπιγίγνεται, πορφυρέην δὲ μοῦνος οὗτος φορέει, καὶ τιάρῃ χρυσέῃ ἀναδέεται. ἔστι δὲ καὶ ἄλλο πλῆθος ἀνθρώπων ἱρῶν, αὐλητέων τε καὶ συριστέων καὶ Γάλλων, καὶ γυναῖκες ἐπιμανέες τε καὶ φρενοβλαβέες. Reliquis ergo Gallis, ut vides, alba erat vestis, sed in ea urbe: nam Pessinunte versicoloriam gestabant; ut de Battace illo Phryge, matris Idææ sacerdote, testantur Excerpta Diodori Siculi ex lib. 36 Ecloga 2. & Romæ, præter Archigallum, opinor, ejusdem Divæ ministri, auctore Dionysio libro primo.

v.337 *Dominam sacraque lavit aquis*. Domina, & sacra, nihil aliud quam parvus lapis, ut didicisti e Livio: & hunc facit Arnobius coloris furvi, atque atri, angulis prominentibus inæqualem; unde magnes vere creditus. Prudentius.

Lapis nigellus evehendus essedo,
Muliebris oris clusus argento sedet:
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.

Caussam lotionis non video: scio quotannis postea repetitam; scio simile quid apud Argivos factitatum cum simulacro Minervæ. Callimachi interpres in Hymnum, qui Λουτρὰ Παλλάδος inscribitur: Ἔθος εἶναι φησί, ἐν τινι ἡμέρᾳ ὡρισμένῃ τὰς Ἀργείας γυναῖκας λαμβάνειν τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, καὶ τὸ Διομήδους, καὶ ἄγειν ἐπὶ τὸν Ἴναχον, κἀκεῖ ἀπολούειν.

v.338 *Exululant comites*. In ululationibus hæ voces illis frequentes, εὐὰ, σαβοῖ, ὕης, ἄττης, καὶ ἄττης ὕης.

v.339 *Taurea terga manus*. De tympano Antipater:

. . . . . Ἄϊξεν γὰρ τὴν βύρσαν
Ταυρῆς κεινὸν δέπτον ἔδησε λέων.

Asinum etiam ad tympanum excoriarunt Galli apud Phædrum.

v.345 *Augustus nunc est*. Hoc ipsemet mihi suggerit in suo monumento Ancyrano: ÆDEM JUVENTATIS ÆDEM MATRIS MAG DEIAE IN PALACIO FECI.

v.345 *Ante Metellus erat*. Sed hic & Augustus templi refectores. Primi ex S. C. erexere e fundamentis M. Livius, & C. Claudius, Censores. Lege Patavinum lib. 36.

v.347 *Parva cur stipe*. Hanc *exiguam* dixit in libris Ponticis:

Ante Deum Matrem cornu tibicen adunco
Quum canit, exiguæ quis stipis æra neget?

Hanc

(a) *Fixit &c.* Quinctam hanc tanquam pudoris exemplar proponit Appius Claudiæ perditissimæ Feminæ uxori Metelli apud Cic. in Orat. pro M. Cœlio: *Nonne, si te nostræ imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Quincta illa Claudia; aemulam domesticae laudis in gloria muliebri esse admonebat? Addit. ad num.* 97. Lege tamen cautum, ut videre est in 2. de leg. apud Cic. cap. 9. *Ne præter Idææ Matris famulos, eosque justis diebus, quis stipem cogeret*. Refert Svet. Aug. cap. 57. Quotannis in Lacum Curtium pro salute ejus (*Augusti*) omnes ordines stipem jacere consuevisse. Stipem etiam quotannis Kalendis Januariis dabant Imperatoribus. Quod fieri quum cœpisset sub Augusto, vetitum fuit a Tiberio, ac tandem revocatum a Caligula.

Hanc vicatim colligebant Phrygii generis vir & mulier per eos dies quibus Diva per urbem ferebatur. Dionysius lib. 2. Ἱερῶνται δὲ αὐτῆς ἀνὴρ Φρὺξ, καὶ γυνὴ Φρυγία· καὶ περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος, τύπους τε περικείμενοι τοῖς στήθεσι, καὶ καταυλούμενοι πρὸς τῶν ἑπομένων τὰ μητρῷα μέλη, καὶ τύμπανα κροτοῦντες. Non audio codices, in quibus μηναγυρτοῦντες: nam erogatio illa semel annua fuit, non menstrua. Μητραγυρτεῖν, inquit Eustathius esse, τὸ μετὰ τυμπάνου καὶ αὐλοῦ τινῶν περιϊέναι, καὶ ἐπὶ τῇ μητρὶ ἀγείρειν τροφάς. Inde Μητραγύρτης, qui stipem cogebant Matri Deorum cum tabella, ut ait Comicus ἐν Ἡνιόχῳ. His mendicantibus solitus olim dicere Antisthenes, Οὐ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἣν οἱ θεοὶ τρέφουσιν, teste Clemente Alexandrino in Protreptico. Observandum tamen, hujusmodi munus numquam ut civis Romanus exerceret Senatum permisisse. Auctor idem Dionysius: Ῥωμαίων δὲ τῶν αὐθιγενῶν οὔτε μητραγυρτῶν τις, οὔτε καταυλούμενος πορεύεται διὰ τῆς πόλεως, ποικίλην ἐνδεδυκὼς στολὴν, οὔτε ὀργιάζων τὴν θεὸν Φρυγίοις ὀργιασμοῖς, κατὰ νόμον ἢ ψήφισμα βουλῆς. Extera hæc & insana sacra respuit semper urbica gravitas.

v. 350 *Cur vicibus factis ineant convivia*. Rationem paullo post reddit, quod ipsa Dea sedem bene mutarit ex Phrygia in augustius domicilium: inde vicissim hoc tempore inibant Romani convivia, quod prisco verbo dictum *mutitare*. Unde quæstio illa apud A. Gellium lib. 18. cap. 2. *Quam ob caussam Patritii Megalensibus mutitare soliti sint, plebs Cerealibus?* De hoc more suspicor audiendus Cicero in Catone Majore: *Primum semper babui sodales. Sodalitates autem me Quæstore constitutæ sunt sacris Idæis Magnæ Matris acceptis: epulabar igitur cum sodalibus omnino modice*. Sacra accipere, & μυεῖσθαι, idem, sive ἐποπτεύειν: licet distinguat vetus interpres Aristophanis in Ranis: Οἱ δὲ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες, μύσται καλοῦνται. οἱ δὲ παραλαβόντες αὐτὰ, τῷ αὖθις ἐνιαυτῷ ἑορτάζουσι τὰ μυστήρια καὶ ἐποπτεύουσι.

v. 356 *Illa Deos*. En caussam.

v. 358 *Qui se excidere, vocamus*. A Gallo Phrygiæ flumine: auctor Stephanus, & Herodianus libro primo: Ἐν δὲ τῷ προειρημένῳ Πεσινοῦντι, πάλαι μὲν Φρύγες ὠργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ Γάλλῳ παραῤῥέοντι, ἀφ᾽ οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσιν οἱ τῇ θεῷ τομίαι ἱερώμενοι. Hos vere domo Gallos credidit Hieronymus, quos, in pœnam ab illis olim expugnatæ urbis, Romani evirarent. Verba sunt in cap. 4. Osee, sed hallucinatur.

v. 361 *Altasque Celænas*. Et mons & urbs vetus in eodem sita est hujus nominis. Strabo lib. 12. de Mæandro: Ἄρχεται δὲ ἀπὸ Κελαινῶν λόφου τινὸς, ἐν ᾧ πόλις ἦν ὁμώνυμος τῷ λόφῳ. Dixi *vetus*; nam desiit, civesque in Apamæam novam urbem translati, haud procul a veteribus Celænis: cujus migrationis auctor olim fuit Antiochus Soter.

v. 364 *Herbosum moretum*. Græci vocant μυσσωτόν. Callimachi fragmentum: Ἣν ἐτρίψατο μυσσωτόν. quod ita supplet Josephus Scaliger in Notis ad appendicem Maronis:

Τὶς χρῶ ἐγκάπτειν, ἣν ἐτρίψατο μυσσωτόν.

Omnem tritum fere *moretum* dixere veteres. Glossæ, *moretum*, τρῖμμα, quod ἀπὸ τοῦ τρίβειν, id est conterere. Aliæ, *intritum*, ἐμβροχή, quod ἀπὸ τοῦ βρέχειν, id est madefacere. Hoc Glossarium movit sagacem Criticum, ut putaret falso Donatum vetus illud Comici, *Tu te hoc intrivisti, tibi omne exedundum est*, de moreto exaudire; quum omne intritum sit ἐμβροχή: qui cibus panis est, ut ille suspicatur, intritus, & friatus in aquam, aut poscam, aut vinum. Sed quæ potior ratio suadet, ut ἐμβροχή sit similis cibus; intritum vero, non moretum? certe nulla; imo ἐμβροχὴν, & moretum unius facio significatus: nam quum moretum exprimere vellet Hesychius, vocula intritum usus, eaque Latina, quæ sonat Græce τρῖμμα, primis Glossis, *moretum*. Ἔντριτον, scripsit, τὸ Διονυσίου ἔμβρωμα ὃ Γαλάται ἔμβρεκτον φασίν. Sed quod Galatis ἔμβρεκτον, Græcis ἐμβροχή: quæ vox pure respondet Latinis *perfusio*; hæc in moreto conficiendo necessaria. Erat enim ex oleo & aceto, quod in allia, apium, rutam, coriandrum, bulbum, & caseum infundebatur; sic componitur in carmine scriptoris anonymi, quod *Moretum* inscribitur.

v. 369 *Primos cibos*. Caseus certe ex antiquissimis est. Vide quæ quotannis Athenienses exhibebant Dioscuris in Prytaneis, ut refricarent prisci victus memoriam. Athenæus lib. 4. Ὁ δὲ τὰς εἰς Χιωνίδην ἀναφερομένας Πτωχοὺς ποιήσας, τοὺς Ἀθηναίους φησὶν, ὅταν τοῖς Διοσκούροις ἐν Πρυτανείῳ ἄριστον προτιθῶνται, ἐπὶ τῶν τραπεζῶν τιθέναι τυρὸν, καὶ φυστὴν, δρυπεπεῖς τ᾽ ἐλάας, καὶ πράσα, ὑπόμνησιν ποιουμένους τῆς ἀρχαίας ἀγωγῆς.

v. 372 *Sacrata est colle*. Sic censeo legendum. Non amplector editionem in qua, *sacrata in valle*.

v. 373 *Hac*

v. 373 *Hac Fortuna die Publica*. Verum fatear, candide Lector, a nemine hic locus intellectus. Duo sunt templa in Fastis Ovidianis Fortunæ Publicæ dedicata, unum hic Nonis Aprilis, alterum VIII. Kalendas Junias. Unum vero Romæ fuit a Latinis Græcisque (τύχην δημοσίαν hi nuncuparunt) sic dictum in monte Quirinali. Merito ergo argutantur multa interpretes, sed nemo sane eorum sanæ mentis. Legi & relegi Annales, nihil ad lucem repperi, quum ecce obvium mihi venit fragmentum Kalendarii antiqui inscriptionum veterum pag. 135. in quo, post notas illas, Q. R. C. F. id est, *Quando Rex comitiavit fas*, qui dies est IX. Kalendas Junias, statim sequebantur hæ, FORTUN. PUBLIC. PR. IN COLL. hoc est, *Fortuna Publica primigenia in colle*. Sequitur ergo, quod versus mense Majo loquatur de Fortuna Primigenia; quæ etiam, ut vides, *Publica* dicta; mense vero Aprili de ea quæ tantum Publica cognominata; utraque templum habuit in colle Quirinali. Mecum Historici, & dominæ Urbis Topographi. (*a*)

v. 374 *Tertia lux memini*. Hoc est, tertia post Nonas, quæ VI. Idus Aprilis, ludi fiebant: idque etiam monet vetus Kalendarium. Dubius, an hos fecerint Romani in Julianæ victoriæ æviternam memoriam, sitque ludus aliquis continuatus ex tot quos tunc edidit summus ille Princeps. Singulatim de illis multa leges apud Plutarchum, Dionem, Appianum, Paterculum.

v. 374 *Hac mihi quidam*. Malo, *quondam*, ut inest M. SS. Scribebat in exsilio.

v. 376 *Hæc ait, illa dies*. Habes diem: annus vero fuit DCCVII. ab V. C. triumphus Cæsaris IV.

v. 379 *Officiis præfuit*. Scriptus, *officio*.

v. 381 *Inter bis quinos*. Ergo juxta Tribunum sedit Ovidius; non quia ex equestri familia, ut censet Magnus Lipsius in Amphitheatro, sed quia Decemvir. Hoc munus exercuit noster pauculos annos, opinor, antequam Urbe discederet: nec aliud occupasse legi præter Triumviratum juvenili ætate. Merula ex illis in Tristibus,

Nec male commissa est nobis fortuna reorum,
Usque decem decies inspicienda viris,

colligit, Nasonem tulisse etiam Centumuiratus honorem. O peponem! imo ibi se clare Decemuirum testatur: nam ad hunc magistratum pertinebat Centumuiros congregare, ad judicia reorum peragenda: cui rei initium ex Augusti institutione. *Auctor enim fuit*, inquit Svetonius, *ut Centumuiralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, Decemuiri cogerent*.

v. 382 *Subito subducimur imbre*. Eodemmet die. Plinius lib. 18. cap. 26. *Cæsari* VI. *Idus significatur imber Libræ occasu*.

v. 384 *Ante tamen quam summa dies*. Erit Orionis occasus heliacus. Sed heus quam mensis dices hanc ultimam spectaculorum? Kalendarium Constantini Magni ludos Magalesiacos terminat IV. Idus; nam III. Idus facit natalem Severi: vetus vero hunc etiam, qui mensis II. notat his litteris, LUDI. Sequimur antiquius.

v. 386 *Proxima victricem*. Pridie Idus Apriles erant Cerealia: quæ non ex Festis antiquis Urbis, si verus nummus Laurentii Medicei, in cujus ora: MÆMIUS ÆDILIS CURULIS CEREALIA PRIMUS FECIT. (*b*)

114 *Pompa*

(a) *Hac Fortuna &c.* Adducor, ut credam, primigeniam Fortunam dictam fuisse, quod ejus Numen iis, qui gignebantur favere, credebatur, eosque maximis beneficiis cumulare. Putabant Romani ab ipsa homines ad maxima quæque evehi posse. In lapide Præneste effosso legas: FORTUNÆ JOVIS PUERI PRIMIGENIÆ, quod Jupiter puer multa pericula ejus ope evaserit. Fors Fortuna, semper boni eventus esse, habebatur. Quot habuerit Romæ cognomina, vix dici potest.

Addit. ad num. 107.

. . . . *hac mihi quidam*
Spectanti Senior, continuusque loco.
Contiguusque non improbatur.

(b) *Proxima &c.* Nummi Medicæi viri faciem barbatam habent, & intonsam; inscripta sunt nomina Quirini, & C. Memmi. A tergo imaginem Cereris cum draconibus. Titulus *Memius Ædilis Curalis Cerealia primus fecit*. Invenio tamen apud Liv. lib. 30. cap. 39. a Dictatore C. Servilio Gemino, Magistroque Equit. P. Ælio Paeto an. V. C. 551. Cerealia ludos Cereri institutos multo ante Memmium.

v. 388 *Pompa celeber*. Expressim de hac Cereali M. Varro de R. R. *Nam modo ovum illud sublatum est, quod ludis Circensibus novissimi curriculi finem facit quadrigis: sed ne illud quidem ovum vidimus, quod in Cereali pompa solet esse primum.* (a)

v. 389 *Palma petetur equis*. Ludi constabant ex pluribus equitum cursibus, teste Tacito. Prodigii loco olim habitum, pro hisce gladiatorios exhibitos. Vide Dionem lib. 47. anno DCCXII.

v. 390 *Hinc Cereris ludi*. Hoc est a 12. mensis die incipiunt Cereales. Cave credas bono Marso, qui primum distichum interpretatur de ludis Circensibus; ac si dicat hic noster, post Circenses incipere Cereales. Sed ab homine nec Criticen nec Grammaticam exigimus.

v. 396 *Postmodo glans nata est*. Vide, sodes, elegans Epigramma Zonæ, in Græcis.

v. 400 *Illa jugo tauros*. Callimachus polite in Hymno ad eamdem.

> Κάλλιον, ὡς πολίεσσιν ἑαδότα τέθμια δῶκε·
> Κάλλιον, ὡς καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρῶτα
> Ἀσταχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι,
> Ἁνίκα Τριπτόλεμος ἀγαθὰν ἐδιδάσκετο τέχναν.

v. 409 *Sint modo casta*. Plenus ex Ethnicis paribus gemmis Plato, & Porphyrius. Vide illum in Alcibiade altero, hunc Περὶ ἀποχῆς ἐμψ. libro 2.

v. 410 *Cultros removete*. Antiquissima lex fuit inter primævos Italiæ populos, qua pari pœna homicida, & bovicida damnabatur: ratio apud Ælianum Ποικίλης lib. 5. Inter leges hic inquit, Atheniensium, καὶ τοῦτο δὲ ἦν φυλαττόμενον παρ' αὐτοῖς· βοῦν ἀρότην ἢ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ, ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. (b)

v. 411 *Ignavam sacrificate suem*. Forsan ad illud Platonis Comici adlusit ἐν ταῖς Ἑορταῖς τῷ δράματι: quem dixisse refert Clemens Alexandrinus Stromatωn lib. 7. non oportere nos alium ex omni quadrupede occidere quam suillum: nam & caro habetur in gulæ deliciis, & nihil ex porco redit præter setas, grunnitum, & lutum. Unde & facete dicere solebat Æsopus, ideo maxime clamare sues quum trahuntur, quia ad nihil aliud utiles se credunt quam ad sacrificium.

v. 418 *Grata domus Cereri*. Imo non habuit Diva gratiorem, tum ob frumentationem, tum ob cultum. Diodorus lib. 5. (si fides Siculo de laude Sicula; apage, fidus est Historicus.) Καὶ τὴν ἁρπαγὴν δὲ τὴν τῆς Κόρης ἐν ταύτῃ τῇ νήσῳ γενομένης ἀπόδειξιν εἶναι λέγουσι φανερωτάτην, ὅτι τὰς διατριβὰς αἱ θεαὶ κατὰ ταύτην τὴν νῆσον ἐποιοῦντο, διὰ τὸ στέργεσθαι μάλιστα παρ' αὐταῖς ταύτην. imo & veneratæ. Hinc carmen illud cujuspiam Græci vatis:

> Δάματερ πολύκαρπε σὺ κ' ἐν Σικελοῖσιν ἐναργής.

Exstant adhuc, ni fallor, Ennæ rudera templi veteris Cereri dicati; de quo Strabo lib. 6. sed de illius religione mira Cicero Verrina 4. *Apud patres nostros atroci ac difficili Reipublicæ tempore, quum, Tito Graccho occiso, magnorum periculorum metus ex ostentis portenderetur, P. Mucio L. Calpurnio Consulibus, aditam est ad libros Sibyllinos; in quibus inventum est, Cererem antiquissimam placari oportere: tum ex amplissimo collegio Decemvirali sacerdotes populi Romani, quum esset in Urbe nostra Cereris pulcherrimum & magnificentissimum templum, tamen usque Ennam profecti sunt. Tanta enim erat auctoritas & vetustas illius religionis, ut quum illuc irent, non ad ædem Cereris, sed ad ipsam Cererem proficisci viderentur.* Paullo post subdit, fanum illud habuisse bina Cereris simu-

---

(a) *Pompa &c.* Quid fuerit ovum in Circensibus, libet breviter explicare. Qui primus in his ludis curriculum septies absolvisset, victor erat. Septem hæc curricula missus unus dicebantur: ne vero curriculorum numero deciperentur, ex ovis ligneis, quæ columnis in Spina stantibus imponi solebant, unoquoque curriculo completo, unum tollebant, vel, ut alii censent, columnis imponebant. Septem fuisse Delphinas, quorum singuli singulis expletis curriculis vel adderentur, vel tollerentur, alii existimant, quod Circensia primum in honorem Neptuni, cui hæc animalia sacra sunt, instituta fuerunt.

(b) *Cultros &c.* Adducti Athenienses, ut id lege caverent, quod putabant bovem jugum trahentem agricolam esse, & humanorum laborum socium. Ita in Æliano loco laudato cap. 14.

mulacra, unum marmoreum, alterum æreum modicum cum facibus, sed excellens & perantiquum. Si templi auctorem quæris, non dabo integrum: is Gelon fuit Syracusanus, sed partem exstruxit, non omne: obiit, quum fere clauderetur opus. Diodorus Siculus lib. 11. Ἀπὸ δὲ τούτων γενόμενος ὁ Γέλων, ἐκ μὲν τῶν λαφύρων κατεσκεύασε ναοὺς ἀξιολόγους Δήμητρος καὶ Κόρης· χρυσοῦν δὲ τρίποδα ποιήσας ἀπὸ ταλάντων ἑκκαίδεκα, ἀνέθηκεν εἰς τὸ τέμενος τὸ ἐν Δελφοῖς, Ἀπόλλωνι χαριστήριον. Ἐπεβάλετο δὲ ὕστερον καὶ κατὰ τὴν Ἔνναν κατασκευάζειν νεὼν Δήμητρος· σπανίως δὲ οὔσης, τοῦτον μὲν οὐ συνετέλεσε, μεσολαβηθεὶς τὸν βίον ὑπὸ τῆς πεπρωμένης. Quis ergo perfecit? verum fateor, ipsi ignoramus; forte apud scriptores Græcos vestigium exstat aliquod hujus rei.

v. 419 *Culto solo*. Meo veteri est, *celso*, ex situ, qui arduus & acclivis. Livius: *Enna in excelso loco ac prærupto undique sita, quum loco inexpugnabilis erat, tum præsidium in arce validum habebat*. Strabo quoque lib. 6. Κειμένην ἐπὶ λόφῳ, περιειλημμένην πλατέσιν ὀροπεδίοις ἀροσίμοις πᾶσιν· Sed ad quid testes? forte diruta. An non exstant cineres? Ipsa urbs vetertima visitur hodie a longe in edito colle, non deserta, sed dives gente, & pleraque illustri. (*a*)

v. 424 *Locus est*. Vasta illa specus celebris hoc raptu apud veteres, & soli fertilitate. Adscribam Aristotelis verba ex libro de Mirandis: Ἐν τῇ Σικελίᾳ τῇ καλουμένῃ Ἔννῃ, σπήλαιόν τι λέγεται εἶναι, περὶ ὃ κύκλῳ πεφυκέναι φασὶ τῶν τε ἄλλων ἀνθέων πλῆθος ἀνὰ πᾶσαν ὥραν, πολὺ δὲ μάλιστα τῶν ἴων ἀπέραντόν τινα τόπον συμπεπληρῶσθαι, ἃ τὴν σύνεγγυς χώραν εὐωδίας πληροῖ, ὥστε τοὺς κυνηγοῦντας, τῶν κυνῶν κρατουμένων ὑπὸ τῆς ὀδμῆς, ἐξαδυνατεῖν τοὺς λαγὼς ἰχνεύειν. Διὰ δὲ τούτου τοῦ χάσματος, ἀσυμφανής ἐστιν ὑπόνομος, καθ᾽ ὅν φασι τὴν ἁρπαγὴν ποιήσασθαι τὸν Πλούτωνα τῆς Κόρης.

v. 433 *Laxos degravat*. Sic optime liber scriptus; non, *lapsos*.

v. 434 *Illa legit calthas*. Caltham Glossæ exponunt βούφθαλμον. At Plinius hanc a buphthalmo, & bene, discriminat: nam licet sint flores fere colore similes, non tamen iidem. Caltham ille facit violæ marinæ concolorem, sed amplioribus foliis. *Sed sativis*, inquit, *maxima auctoritas luteis. Genera iis Tusculana, & quae marina appellatur, folio aliquanto latiore, sed minus odorato: in totum vero sine odore, minutoque folio calathiana, munus autumni, ceterae veris. Proxima ei caltha est concolori amplitudine: vincit numero foliorum marinam, quinque non excedentem*.

v. 439 *Liliaque alba legit*. Claudianus in raptu de eadem:

: : : : : *Et aut violas aut candida lilia carpit*.

v. 447 *Non patiuntur equi*. Rectius vetus codex, *vix patiuntur*. (*b*)

v. 448 *At chorus æqualis*. Facit Proserpinæ comites ejusdem fere ætatis.

v. 448 *Cumulato flore ministræ*. Scribe cum meo libro, *cumulatæ*: nec sane spernendus alter, in quo, *cumulatis flore canistris*.

v. 451 *Et feriunt nuda*. Patet ultimæ voculæ transpositio: legendum,

Et feriunt mæsta pectora nuda manu.

v. 453 *Filia, dixit, ubi es?* Meliores libri, *filia clamat, ubi es?*

v. 455 *Mænadas ire comis*. Dionysianas illas: quibus nomen hoc ab insania.

v. 458 *Sic Dea nec retinet*. Iidem, *Sic Dea non retinet*. O quanto aptius!

v. 461 *Natæ pondere*. In antiquis plerumque, *noto pondere*.

v. 468 *Liquerat Ortygiam*. Insulam prope Syracusas; ne dicam peninsulam: nam pone-

(a) *Culto solo &c*. De Templo Cereris, deque Enna, pluribus verba fecimus in additamentis ad disput. Abstemii in Thes. Crit. Gruter.

(b) *Non &c*. De equis Stygiis auras, lumenque minime patientibus eadem ferme legimus apud Silium Ital. lib. 14. vers. 238.

Hac Stygius quondam stimulante cupidine Rector
Ausus adire diem, mæstoque Acheronte relicto
Illicitas egit currum per inania terras.
Tum rapta præceps Ennæa Virgine cessit.
Attonitos Cæli visu, lucemque paventes
In stygiis rursus equos, & prædam condidit umbris.

ponte fuit olim annexa magnæ, miræ illi urbi. Vetus Magister ad Pindari Olymp. Oda VI. Ὀρτυγία, νῆσος ταῖς Συρακούσαις παρακειμένη τὸ πρότερον, νῦν δὲ συνήφθη τῇ πόλει. expressim de ponte Strabo lib. 6. Ἡ δ' Ὀρτυγία συνάπτει γεφύρᾳ πρὸς τὴν ἤπειρον προσεχὴς οὖσα. At Thucydidis Scholiastes videtur adsignificare, spatium illud breve inter insulam & Syracusas, aggere solidaque terra semel impletum ab insulæ cultoribus: Τὸ πρῶτον, ait ille, οἱ Συρακούσιοι τὸ νησίδιον ᾤκισαν μόνον, αὖθις δὲ μὴ χωροῦντος αὐτοῦ, συνάψαντες αὐτὸ τῇ Σικελίᾳ διὰ χώματος, κατῴκησαν καὶ ἐν τῇ Σικελίᾳ· ἐκαλεῖτο δὲ ἡ Σικελία, Ἔξω πόλις.

v. 469 *Quaque Simethæas*. Catoni risum excuteret Bersmannus cum sua illa nota, *Simæthos insula*; quum Σύμαιθος sit flumen prope Catanam, & Cyclopum scopulos: accolæ dicunt, *la Jaretta*.

v. 471 *Nomina falcis habet*. Licet hæc nescias, de Messana an Drepano intelligas: nam utraque habet a falce nomen, (Ζάγκλην hanc prisci mei Siculi vocarunt;) ex chorographia tamen, & ex eo quod multo post nominet Erycem, ad cujus pedes sita civitas Drepanitana, Messanam præfatis verbis describi non ambigo. (a)

v. 474 *Thapsumque*. Scripta membrana, *Thapsonque*.

v. 474 *Et Oloria Tempe*. Legas cum nostro, *& Eloria Tempe*. Tres apud me veteres habent, *Heloria*. Et sane parum constantes scriptores antiqui in ortographia fluminis & urbis ejusdem nominis. Plinius: *Syracusæ portus Naustathmus, flumen Elorum*; at Silius.

Atque

(a) *Nomina &c.* De falce, a qua originem Drepanum, aliæq; Urbes habuere, hæc luculentissime suo more disputat Vir Eruditissimus Joannes Ventimiglia patricius Messanensis in suo de Poetis Bucolicis Siculis libro ad. Id. Theocr x. qui inscribitur *Messores*. Quæ ipse Italicæ, nos Latine. Ex Falce Cereris Drepani nomen derivari. Nomen hoc ad hanc usque diem Urbem illam clarissimam retinere. Affert Servii interpretationem ad locum Virg. 3. Æneid. sub finem:

Hinc Drepani me portus . . . .

ex lectione Cluveriana Sic. Ant. lib. 2. c. 1. *Drepanum Civitas est &c. Drepanum dictum volunt a Falce Cereris, quam ibi, quum filiam suam Proserpinam quæreret, amisit*. Hoc loco explicari posse censet Ventimiglia locum alium Isaaci Tzetzæ ad versum Licophronis

Falcis Saturniæ Saltum

In quo tamen loco, quod in eo scriptore sæpe fit, haud omnia plana ac certa esse videntur. *Harpe, sive Drepanum (idest Falx) cum Phæacia, Corcyra, tum Sicilia dicitur. Corcyra, quod illic abscondita erat Falx, qua Jupiter Saturnum exsecuit, aut Falx, quam Ceres ab Vulcano accepit ad secandas spicas. Drepanum autem dicebatur Sicilia, quia isthic erat Falx, qua Cælum exsecuit Saturnus: Falx autem Siculis vocatur Ζάγκλον*. Vir autem honestissimus locum hunc a Cluverio emendari maluisset, quam irrideri. Ipse vero sic differit: Siciliæ Corcyræque nomen Drepano fecisse Falcem, quæ ex Vulcani Officina in usum Cereris exierat. Idipsum autem Siciliæ, rectius quam Corcyræ, deberi, inde conficit, quod & Siciliæ magis, quam Corcyræ duo hæc Numina familiaria semper habita sunt, & quod primi Corcyræ incolæ, vel ipso Homero teste ejus insulæ amantissimo homine, Phæaces Siculi fuerunt. Si vero, inquit Vir eruditissimus, Falcem a Neptuno (cujus manum semper regit communi omnium antiquarum Imaginum testimonio) inventam esse Nat. Comiti assentimur, nullus erit dubitandi locus, quin in Sicilia, ubi regnavit, obiit, conditusque fuit, ejusdem, quam invenerat, falcis periculum, usumque fecerit. Quum autem & Falx ipsa & monumenta ad id Numen pertinentia Siculi diligentius asservaverint, latissimum Poetarum carminibus de Falce Saturni in Sicilia relicta, campum aperuere. Hanc apud Mamertinos fuisse validissimis rationibus Reina eruditissime contendit. Hinc Messana δρεπανηΐδος dicitur a Nicandro in lib. de Sic. x. ut videre est apud Steph. in Ζάγκλη: Ζάγκλης δρεπανηΐδος eadem ratione, ac δρεπανηφόρος (idest Falciger) Saturnus ipse appellatur. Ovidius Fast. 1.

Caussa ratis superest: Thuscum rate venit in amnem
Ante pererrato Falcifer Orbe Deus.

Advertendum tamen est δρεπανήϊον dictam non quod falcatæ figuræ sit, ut censet Cluverius, δρεπανῆδος voce ipsa paullulum fortasse immutata, deceptus, sed (Stephano Byzantino locupletissimo teste) *quod Saturnus ibi Falcem absconderit*.

. . . . *Atque undæ clamosus Helorus.*
Græci: Ἔλωρος, πόλις Σικελίας, ἀπὸ Ἐλώρου ποταμοῦ.

v. 490 *Teda datur*. Ea propter supra dixit, *unctas accendite tedas*.

v. 500 *Mæstissima saxo*. Clemens Alexandrinus in Protreptico: Καὶ φρέατι ἐπικαθίζει λυπουμένη. An in puteo, an in saxo sederit, dubii scriptores.

v. 501 *Nunc quoque triste vocant*. Materna lingua Ἀγέλαστον πέτραν. Aristophanis Scholiastes: Ἔστι δὲ καὶ Ἀγέλαστος πέτρα καλουμένη παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, ὅπου καθίσαι φασὶ Θησέα μέλλοντα καταβαίνειν εἰς ᾅδου· ὅθεν καὶ τοὔνομα τῇ πέτρα· ἢ ὅτι ἐκεῖ ἐκάθισεν ἡ Δημήτηρ κλαίουσα, ὅτε ἐζήτει τὴν Κόρην. & Hesychius: Ἀγέλαστος, πέτρα ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἐφ' ἧς ἐκαθέσθη ἡ Δημήτηρ, ὅτε τὴν Κόρην ἐζήτει. Hoc saxum fuit propre puteum Καλλίχορον dictum: ibi primum aliquid in honorem Cereris celebratum. Pausanias in Atticis: Φρέαρ τε καλούμενον Καλλίχορον, ἔνθα πρῶτον Ἐλευσινίων αἱ γυναῖκες χορὸν ἔστησαν, καὶ ᾖσαν ἐς τὴν θεόν.

v. 505 *Haec Celei rura fuere senis*. Videtur adsignificare, post Cereris adventum Eleusim conditam, & in loco ubi erant Celei rura. Quod immanis anachronismus: sive τὴν ἁρπαγὴν conferas in tempora Lyncei cum Eusebio, quod & indicat Tatianus Assyrius in Oratione contra Græcos: Κατὰ δὲ Λυγκέα, ἡ Κόρης ἡ ἁρπαγὴ ἐστὶ ἡ τοῦ ἐν Ἐλευσῖνι τεμένους καθίδρυσις, καὶ ἡ Τριπτολέμου γεωργία. sive certius, ad Thesei sæculum: quum Eleusis in Attica condita cccc. & aliquot annis antea ab Ogyge. Hunc facit urbis auctorem Africanus ἐν τρίτῃ Χρονογραφιῶν. verba sunt: Ἀναφέρει τις ἐπιλογιζόμενος ἀπὸ τοῦ τέλους τῆς αἰχμαλωσίας ἄτλζ ἔτη κατ' ἀνάλυσιν εὑρίσκεται τοῦτον τὸν χρόνον ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ἀπὸ Αἰγύπτου διὰ Μωσέως ἐξόδου Ἰσραήλ, ὅσον ἀπὸ τῆς πεντηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ Ὤγυγον, ὃς ἔκτισεν Ἐλευσῖνα. Pausanias vero in Atticis hujus filium, nomine Eleusinem. Vidi omnino locum. (*a*)

v. 505 *Celei senis*. Pauper, ut vides, nostro fuit Celeus: sed alii scribunt, Eleusinis Regnum tenuisse. Apollodorus lib. 3. Ἐριχθονίου δὲ ἀποθανόντος καὶ ταφέντος ἐν τῷ αὐτῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς, Πανδίων ἐβασίλευσεν· ἐφ' οὗ Δημήτηρ καὶ Διόνυσος εἰς Ἀττικὴν ἦλθον. ἀλλὰ Δήμητρα μὲν Κελεὸς εἰς τὴν Ἐλευσῖνα ὑπεδέξατο. Διόνυσον δὲ Ἴκαρος. imo ut Deus ille & uxor ab Athenienſibus culti. Athenagoras in Legatione pro Christianis: Ἀλλ' Ἀθηναῖοι μὲν Κελεὸν καὶ Μετάνειραν ἱδρύονται θεούς.

v. 506 *Excussaque mora rubetis*. Mora etiam dicuntur quæ rubi ferunt. Hieronimus Paulino: *Amos pastor, & rusticus, & ruborum mora destringens*; & Phaniam Eresium, Græcum auctorem, sic etiam appellasse comperi apud Athenæum lib. 2.

v. 514 *Simularat anum*. Quo indice? nisi mitra: quæ vetularum propria apud veteres Græcos & Latinos.

v. 518 *Neque enim lacrimare Deorum est*. Diana apud Euripidem ad Hippolytum:

Ὁρῶ, κατ' ὄσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ.

v. 524 *Cui Dea sic inquit*. Ita libri vulgati; at nostri, *Cui Dea, Duc inquit*.

v. 525 *Seque levat saxo*. Surgit e tristi lapide. Qui loquendi modus adhuc in idiotismo Italico.

v. 526 *Quod sit sibi filius*. Legerem, *quam sit sibi filius*, ex optima ditione.

v. 531 *Exolvisse famem*. Nam vires reficere non decreverat, nisi Proserpina inventa. At gustati papaveris hanc caussam rettulit Servius: *Cereale papaver; vel, quod est ejus sicut, frumentum; vel, quo Ceres, usa est ad oblivionem doloris: (nam ob raptum Proserpinae vigilis, gustato eo, acta in soporem) vel, quia Miconem Athenienſem dilexit Ceres, & transfiguratum in papaverem, tutelae suae jusserit reservari; vel, quia pani aspergatur.* Hi sunt panes, qui Græcis dicti sunt μακωνίδες.

153 Po-

(a) *Hæc Celei &c.* Ut vere dicam, quod sentio, non id mihi videtur Ovidius significare, quod Carolo. Hæc enim Ovidii verba, *qui nunc Cerealis Eleusis Dicitur, hæc Celei rura fuere senis*. Ubi rura fuere senis, ii Attici fuere, quos postea Eleusinos, a voce græca προσηλύσεως, adventum latine, quae significat, dixere. Consedit autem Ceres eo loco, qui dicitur Cerealis Eleusis, unde universae genti nomen ea scilicet: Eleusinorum parte ubi arva erant Celei. Non negat certe Ovidius gentem hanc in Graecia fuisse ante Cereris adventum.

v. 532 *Posuit jejunia.* Hinc in mysteriis Eleusiniis illa: Ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης. de quibus Clemens in Protreptico. *(a)*

v. 533 *Tempus habent mensae.* Est etiam vetus lectio, *Tempus habent cœnae.*

v. 536 *Mater Menalina vocatur.* Sic legendum ex omnibus libris scriptis & cusis. Athenagoras vero, si ante oculos supra citata, vocat Μετάνειραν: nec sane aliter Apollodorus lib. primo Bibliotheces.

v. 544 *Abstinet alma Ceres.* Non sequitur noster eorum sententiam qui scribunt, Deam hausisse κυκεῶνα oblatum a Baubone post remissum paullulum dolorem ex risu, quem Cereri excussit anus illa Eleusinii pagi, ostensa obscœna corporis forma.

v. 547 *Sustulit illa suo.* Apollodorus loco citato: *Celeo tum ex Metanira conjuge filius erat; hunc in sinu suo absumptum Ceres alebat: quem quum immortalem facere vellet, per noctes in igne deponebat infantem, ac eum in modum, quidquid in illo mortalitatis inerat, adimebat.* Bene Hercules ad Alcmenam matrem apud Senecam Tragicum:

Jam parce mater questibus, manes semel
Umbrasque vidi: quidquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis iniectus tulit.

v. 554 *Cui Dea, Dum non vis.* Optimi libri plerumque, *Dum non es.*

v. 556 *Sed primus arabit.* Non desunt, qui Osyridi aratri inventionem tribuant, qui Buzygi; & his subscribit Hesychius: erudite omnium Maro nomen hujus subticuit in principio Georgicon. *(b)*

v. 560 *Piræaque tuta recessu.* Πειραιεὺς, portus Atheniensium tutissimus, catena claudi solitus, & aliis accuratæ custodiæ generibus. Thucydides lib. 2. Ὁ Κνῆμος καὶ ὁ Βρασίδας, καὶ οἱ ἄλλοι ἄρχοντες τῶν Πελοποννησίων, ἀρχομένου τοῦ χειμῶνος, ἐβούλοντο, διδαξάντων τῶν Μεγαρέων, ἀποπειρᾶσαι τοῦ Πειραιῶς τοῦ λιμένος τῶν Ἀθηναίων. (ἦν δὲ ἀφύλακτος καὶ ἄκλειστος) εἰκότως, διὰ τὸ ἐπικρατεῖν πολὺ τῷ ναυτικῷ. & post pauca: Καὶ μετὰ τοῦτο φυλακὴν ἤδη τοῦ Πειραιῶς μᾶλλον τὸ λοιπὸν ἐποιοῦντο, λιμένων τε κλήσει, καὶ τῇ ἄλλῃ ἐπιμελείᾳ.

v. 567 *Hinc Meroe.* Hæc insularum maxima (Νῆσος δὲ μεγίστη vocat Strabo) ex illis quas Nilus efficit. Ausonius ad ejusdem nominis vetulam:

Et tu sic Meroe, non quod sis atra colore;
Ut quæ Niliaca nascitur in Meroe.

v. 567 *Terraque sicca subest.* Ægyptus, & Æthiopia.

163 *Li-*

(a) Posuit jejunia &c. Ad mysteria haec Eleusinia Horatium spectasse puto arcanam Cererem quum cecinit Od. 2. lib. 3.

. . . . . . *Qui Cereris sacrum*
Vulgarit arcanae . . . . .

Haec enim in Attica fieri consueverunt: non initiati si adessent morte plectebantur. Neque ipse quidem scelestissimus omnium hominum Nero in sua per Græciam peregrinatione Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii & scelerati præconis voce submovebantur, interesse ausus est. Vide Suet. Ner. cap. 34. Ita vero hæc irridentur a Clemente in Protrepticis: *Hæc symbola hujus initiationis satis superque apposita, satis scio vobis risum esse motura, etiamsi vobis non veniat in mentem ridere, eo quod refellamini: Ex tympano comedi; ex cymbalo bibi; temperatum attulit, ingressa sum thalamum* (id genus aliqua affert Noster ex græco, sed paullulum immutata Ἐνήστευσα ἔπιον &c.) *an non probra sunt baec symbola &c.*

(b) *Sed primus &c.* Vir eruditissimus Claudius Gaspar Bacchetus, cujus sententiæ sese ascribit Firmicus ad eum locum Epist. 4. Heroid. Phæd. ad Hippol.

Tempore, quo vobis inita est Cerealis Eleusin,
Gnossia me vellem detinuisset humus,

hæc narrat. Ad eos populos Cererem pervenisse, a quibus humaniter habita, ac liberaliter a Celeo suscepta quum fuisset, ut de se benemeritis gentibus gratam præberet, Triptolemum Agriculturam docuisse; Eleusinos vero ob accepti beneficii memoriam Deae templum dedicasse, Eleusinaque sacra celebrare coepisse.

v. 572 *Liquidique immunia ponti*. Maro de iisdem bene: *Metuentes aequore tingi.*(a)
v. 578 *Crimine nox vacua est*. Noctu, inquit, non contigit raptus. Unde supra:

Panditur interea Diti via: namque diurnum
Lumen inassueti non patiuntur equi.

v. 590 *Quid gravit victore Gyge*. Quid tristius evenire mihi poterat, in gigantomachia, te victo & prostrato?

v. 595 *Ille pudendus, ait*. Paullum aliter in Metamorphosi: *Neque erit nobis gener ille pudori.*

v. 603 *Visaque certa*. Ita scribendum. In tribus est, *certaque jussu*; in alio, *jussaque certa*. Utraque scriptura repellenda.

v. 604 *Solvit jejunia granis*. Sic filia reddi ab inferis non potuit: inde malo punico abstinuerunt Thesmophoriazusæ, quæ Cereri τῇ Θεσμοφόρῳ a sacris erant. Clemens Alexandrinus in Protreptico: Καὶ αἱ θεσμοφοριάζουσαι τῆς ῥοιᾶς τοὺς κόκκους παραφυλάττουσιν ἐσθίειν. fallor, non ea caussa; nam subdit: Τοὺς ἀποπεπτωκότας χαμαὶ ἐκ τῶν τοῦ Διονύσου αἱμάτων σταγόνων βεβλαστηκέναι νομίζουσι τὰς ῥοιάς. (b)

v. 614 *Cessatis messis in arvis*. Adludit ad ea quæ finxit in Metamorphosi, de mœsta & irata Cerere:

Nescit adhuc ubi sit; terras tamen increpat omnes,
Ingratasque vocat, nec frugum munere dignas:
Trinacriam ante alias, in qua vestigia damni
Repperit; ergo illic sæva vertentia glebas
Fregit aratra manu, parilique irata colonos
Ruricolasque boves leto dedit, arvaque jussit
Fallere depositum, vitiataque semina fecit.
Fertilitas terræ latum vulgata per orbem
Sparsa jacet: primis segetes moriuntur in herbis;
Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber:
Sidera nunc ventique nocent; avidæque volucres
Semina jacta legunt: lolium, tribulique fatigant
Triticeas messes, & inexpugnabile gramen.

v. 616 *Alba decent Cererem*. Tertullianus in suo de Pallio, ubi & distinctos colores

res

(a) *Liquidique &c.* De eodem Ponto hæc Virg. Georgicorum primo v. 58.
At Chalybes nudi ferrum, virosaq; Pontus
Castorea . . . .
Castorea testiculi Castoris, quæ virosa dicuntur; quod in medicaminibus adhiberi solent. Virosus enim in utramque partem sumitur bonam & malam, sicut φάρμακον. In bonam sumit Statius Silv. 4. lib. 1.
Jungam ipse manus, atque omne benigne
Virus odoriferis Arabum quod doctus in
Arvit.
Aut amphrysiaco pastor de gramine carpsi.
In malam vero latini scriptores, fere omnes sumsere, quos vide. Ad locum Virgilii, qui affertur a Nostro
Arctos Oceani metuentes aequore tingi.
Georgic. 1. ver. 246, de ursa majore, ac minore fit sermo: versatur utraque circa polum septentrionalem, & ab earum nomine *Arctos* Arcticus appellatur: nunquam possunt ad horizontem nostrum (quem finientem latine Tullius) inclinari, quod polo, qui nobis semper attollitur, proximæ sunt. Quæ de iis fabulantur, noveris, poetas si consulueris. Notandus est latinæ elegantiæ quasi atticismus (quod πάρεργον) *metuentes aequore tingi*, idest quæ tingentur nunquam. Ita Horatius Ode 2. lib. 2. v. 5.
Vivet extento Proculejus ævo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes
h. e. quæ nunquam solvi poterit.

(b) *Solvit &c.* Fallitur quidem certe, Clementem Carolus si proponit. Ideo enim mulieres, quæ Thesmophoria celebrabant granorum esu mali Punici abstinebant, quod mala Punica ex guttis sanguinis Dionysii nata, auctaque, & propagata fuisse putabant. Ita laudatus Clemens in Protrepticis.

res in antiqua superstitione cuique numini proprios annumerat: *Cur istas*, inquit, *non spectas; vel illos item habitus, qui novitate vestitui religionem mentiuntur? quum ob cultum omnia candidatum, & ob notam vittæ, & privilegium galeri, Cereri initiantur: quum ob diversam affectionem tenebricæ vestis, & tetrici super caput velleris, in bellonæ montes fugantur: quum latioris purpuræ ambitio, & Galatici ruboris superjectio Saturnum commendat: quum ipsum hoc pallium morosius ordinatum, & crepidæ Græcatæ Græcatim Aesculapio adulantur*. Aliquos τὸ *Græcatim* expunxisse miror, & indignor.

v. 616 *Pulli velleris*. Tenebricæ vestis, & tetrici supra caput velleris.

v. 617 *Cognomine Victor Jupiter*. Hujus ædem statuunt antiqui Urbis Topographi in regione x. P. Victor in eadem: *Ara Palatina ædes Jovis Victoris, domus Dionysii*. Vovit illam Q. Fabius Maximus Rullianus Consul contra Samnites anno Urbis conditæ CDLVIII. Livius lib. 10. *Ipse ædem Jovi Victori spoliaque hostium quum vovisset, ad castra Samnitum perrexit*.

v. 620 *Hac quoque, ni fallor*. Iisdem Idibus atrium Libertatis exstructum; melius dixerim refectum, si nulla mens Nasoni ad Gracchum: nam hic nomine Tiberius primus Romæ dedicavit. Fidus testis Plutarchus. Restauravit postea Senator ille nobilis Asinius Pollio. Svetonius lib. 11. de sacris operibus Augusto invitante excitatis: *Multa a multis exstructa sunt, sicut a M. Philippo aedes Herculis Musarum, a L. Cornificio aedes Dianae, ab Asinio Pollione atrium Libertatis*. Sed *exstructa* ibi idem quod reparata. Nullus certe eorum istarum ædium primus auctor, ut dicemus suis locis. Hic Asinius atrium, puto, de novo polivit: certum est addidisse bibliothecam, quæ omnibus pateret, & hanc Scriptorum iconibus adornasse. Isidorus: *Primus Romae bibliothecas publicavit Pollio Graecas & Latinas, additis Auctorum imaginibus in atrio, quod de manubiis magnificentissimum exstruxit*; de hac audiendus quoque noster lib. 3. Elegia prima in Tristibus:

Nec me quæ doctis patuerunt prima libellis.
Atria Libertas tangere passa sua est.

Ad calcem moneo, in hoc atrio publica acta signata, etiam antequam illud augeretur bibliotheca; quum anno DLXXXV. id usui fuisse certum sit ex Livio, qui sic lib. 43. *Censores ex templo in atrium Libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, negarunt se quidquam publici negotii gesturos, quam judicium populi de se factum esset*. Ceterum ubi atrii situs fuerit, video consentire omnes in regione 13.

v. 622 *Luce secutura*. XVIII. Kalendas Majas.

v. 622 *Tutos pete, navita, portus*. Ob randinem imminentem: hanc etiam eadem luce minatur Columella lib. 2. cap. 2.

v. 624 *Mutinentia Cæsar*. Præcipue vero C. Pansa, & A. Hirtius. Vide apud Historicos annum quo contigit horum Consulatus, qui DCCX. (*a*)

v. 626 *Tertia post Veneris*. XVII. Kalendas erant Fordicidia. Glossario, Θυσίαι ἐγκυμόνος βοός. Festus: *Fordicidiis boves fordæ, id est gravidæ, immolabantur; dictæ a fetu*.

v. 628 *Forda ferens bos est, fecundaque*. Glossæ, *fordas* ἐγκυμονούσας, Varro lib. 2. de R. R. *Quæ sterilis est vacca, taura appellata; quæ prægnans, horda: ab eo in Fastis dies Hordicidia nominatur, quod tunc hordæ boves immolantur*. *Hordæ* ἀρχαϊκῶς pro *fordæ*. Pari modo antiqui dixere, *herctum* & *fertum*, *fostia*, & *hostia*, *folus*, & *holus*.

v. 632 *Ter denas curia vaccas*. Una ergo in unaquaque curia cæsa. XXX. numero curiæ erant, teste Livio, & Dionysio. Varro quot fuerint victimæ non meminit: *Fordicidia*, inquit, *a fordis bubus; bos forda, quae fert in ventre: quod ea die publice immolantur boves praegnantes in curiis complures*. lib. 5. de L. L.

v. 636 *Quae natu maxima virgo est*. Vestalium virginum vetustissima hæc Tacito nominatur, Dioni ἡ πρεσβεύουσα.

v. 637 *Purget ut ille cinis*. Unde illa paullo qost in Palilibus:

Cer-

(*a*) *Mutinentia &c.* Antonio hoste judicato, frustra enim jusserat Senatus, ut exercitum dimitteret, & in Macedoniam, quæ illi obtigerat, proficisceretur tumultuque decreto, Hirtio & Pansæ Coss., ac Cæsari, qui hoc ipso anno in prætoria erat potestate, bellum contra Antonium mandatum fuit. Hæc optimi Scriptores, qui hunc ipsum annum 710. Consulatum Hirtii, & Pansæ excepisse, confirmant.

Certe ego de vitulo cinerem, stipulamque fabalem
Sæpe tuli plena Februa tosta manu.

v. 651 *Sternitur in duro vellus utrumque.* Quibus incumbendum. Hac voce usi ad hoc veteres. Servius ad illa, quæ huc etiam spectant,

. . . . Oracula Fauni
Fatidici genitoris adit: huc dona sacerdos
Quum tulit, & cæsarum ovium sub nocte latenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit:

Incubare proprie dicuntur ii, qui dormiunt ad accipienda responsa.

v. 656 *Supra nova vellera.* Quæ nuper excoriarat. In his omnino quiescendum, consilium a numine pètenti. En simile apud Strabonem lib. 4. Δείκνυται δὲ τῆς Δαυνίας, περὶ λόφον ᾧ ὄνομα Δρίον, ἡρῷα· τὸ μὲν Κάλχαντος ἐπ' ἄκρᾳ τῇ κορυφῇ· ἐναγίζουσι δὲ αὐτῷ μέλανα κριὸν οἱ μαντευόμενοι, ἐγκοιμώμενοι ἐν τῷ δέρματι.

v. 659 *Somnia nigra trahit.* Recte Euripides: (*a*)

Ὦ πότνια χθὼν μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων.

v. 664 *Numa visa resolvit.* Manifestus error: legas e veteri, *revolvit.*
v. 667 *Gravidae Bovis.* Hæc est juvenca, quæ duas habet animas.
v. 669 *Jussit, & aetheeos.* Repperio in scripto, *& admissos.*
v. 670 *Quam primum luce sequenti.* XVI. Kalendas Cæsar Augustus; Imperatoris nomen adeptus, prænomen illud solitum secutorum Principum, nam pro gestis bellicis vicies reportavit. Dio Cassius, de anno quem Cæsar quinto Consulatu auspicatus, lib. 52. Τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπίκλησιν ἐπέθετο. λέγω δὲ οὐ τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένην τισὶν (ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον, πολλάκις δὲ καὶ ὕστερον ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥστε καὶ ἐν εἰκόσιν ὄνομα αὐτοκράτορος σχεῖν) ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος διασημαίνουσαν, ὥσπερ τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ Καίσαρι καὶ τοῖς ἐκγόνοις ἐψήφιστο.

v. 672 *Sed jam præteritas.* XV. Kalendas Suculæ se vesperi celant; eodem die Cæsari apud Plinium lib. 18 cap. 26. verba sunt: *Decimo quarto Kalend. Maii Ægypto Suculæ occidunt vesperi, sidus vehemens, & terra, marique turbidum, decimo sexto Atticae, decimo quinto Caesari, continuoque triduo significat; Assyriae autem* XII. *Kalend. Hoc est vulgo appellatum sidus Palilicium.*

v. 674 *Tertia post Hyadas.* XIII. Kalendas ludi iterum in Circo fiebant: sed eis a Cerealibus in hunc usque diem nulla fuit Romæ pausa. Vetus Kalendarium: (*b*)

F. N. LUDI CERERI
G. EID. NP. LUDI
H. N. LUDI
A. FORD. NP. LUDI
B. N. LUDI
C. N. LUDI
D. N. LUDI
E CER LUDI IN CIRCO.

& illud Constantini Magni ex eodem tempore menstruo:

IU-

(a) *Somnia &c.* Recte quidem: somniorum enim Parens nigra nox esse putabatur. Jure igitur, meritoque sua somnia Soli narrabant, ut videre est apud Sophoclem. Sicut enim Sol noctis tenebras fugat, ita etiam Noctis filios expellere illum posse, iisque vim omnem, roburque adimere, reputabant.

(b) *Tertia &c.* Porcam etiam, quod frugibus sus femina maxime infensa sit, Cereri immolabant. Combusta autem vulpes in ejus sacris pœnas dabat illati messibus damni, quas Carseolis Æquorum oppido combusserat. Porcæ, qua Cereri fieri solebat, mentionem facit Naso lib. 2. Ex Ponto, Epist. 9. v. 28.

Vana laborantis si fallat vota Coloni,
Accipiat gravidæ cur suis exta Ceres?

LUDI CEREALICI
LUDI SENATUS LEGITIMUS
LUDI C
LUDI E
LUDI R
LUDI E
LUDI A
CEREALICI.

(The word CEREALICI is set vertically beside the five LUDI lines, letters C-E-R-E-A-L-I-C-I.)

Addebatur his ludis hoc eodem die combustio vulpium, ob vetus damnum: quod si verum, non inepte Cerealibus vindictam de eis quotannis iterabant. Tu legito.

v. 683 *Humida semper aquis*. Alibi noster, *Pelignis natus aquosis*.

v. 690 *Ille suam peragebat humum*. Delineat eleganter rustici & uxoris vitam.

v. 692 *Raro cum pectine villam*. Non rastro; ita Marsus interpretatur: nam rastris aut terra fodiebatur, aut glebæ refringebantur; quod non sane opus muliebre. *Rarum pecten* hic est lignum oblongum in ultima sui parte tridente: hoc rustici utuntur, quum villæ everrias rudi manu colligunt. In vaticano est, *stantem tibicine villam*. Probo γελοίως. *Tibicines*, structuræ quibus ædificia sustinentur. Glossæ ἀντηρίδας exponunt, & Hesychius: Ἀντηρίδες, τὰ ἀντερείδοντα ξύλα ἢ λίθινα κατασκευάσματα. (a)

v. 692 *Cum pectine villam*. In aliis, *cum pectine pratum*. μαμμάκυθος Fanensis legit, *stante tibicine telam*. Non capio hominis mentem.

v. 697 *Frigoris arma parat*. Sibi indumenta texit ad arcendas hiemes.

v. 701 *Illa cohortis aves*. Sic usus etiam hac vocula Varro lib. 3. de R.R. cap. 3. *Primus enim*, inquit, *ille gradus antiquus majorum nostrorum erat, in quo essent aviaria duo dumtaxat; in plano cohors, in qua pascebantur gallinæ; & earum fructus erant ova & pulli.* Cohors est Græcorum χόρτος, sive clarius, περίβολος. Inde nos atrium dicimus *cortile*; & *cortillos* vocamus casulas quasdam in rotundum conjunctas, quas multa habitat vicinia: sed formæ convenit quod Cato dixit lib. 4. Originum: *Mapalia vocantur ubi habitant: ea quasi cohortes rotundæ sunt.*

v. 707 *Carseolana vetat*. Carseolis igitur lege prohibitum nominare vulpem; a qua ruinam olim segetes passæ.

v. 710 *Proxima cum veniet*. In aliquot vulgatis codicibus hic & septem sequentes versiculi locantur ante illud supra, *Tertia post Hyadas*: sed quis cæcior Tiresia non videt huc omnino inserenda? sic volunt sensus & membranæ veteres.

v. 712 *Qui perdidit Hellen*. Alibi pro eodem posuit, *bene pertulit Hellen*.

v. 713 *Egresso victima major adest*. XII. ergo Kalendas Majas Sol in Tauro.

v. 715 *Posteriora latent*. Nam ex eo non videtur nisi ἡμίτομον. Hallucinatur Hyginus, quum scribit, *reliquum hujus corpus obscurius videri*; ut alii, qui clunes aut caudam eidem tribuere (quosdam ex his recenset & Josephus Scaliger in Notis ad primum Isagogicum Manilii) quum non habeat: & sane non aliter quam semisectus pingitur in schedographia.

v. 718 *Palilia poscor*. (b) XI. Kalendas Majas erant Palilia. Convenit & veteri Kalendario:

(a) *Raro cum &c.* Nos missis Glossis Græcis latina interpretatione, ubi latine aliquid, uti malumus. Festus. *Tibicines in ædificiis dici existimantur a similitudine tibiis canentium, qui ut canentes sustinent, ita illi ædificia.* Putidiusculas (sed tamen in loco) Arnobii metaphoras enarrare libet, quibus Atlanta *gestatorem* facit esse, *bajulum*, *tibicinem*, *ac destinam Cæli*.
Sed audiamus Juven. Sat. 3. v. 193.
Nos Urbem colimus tenui tibicine fultam.

(b) *Palilia &c.* Utrum instituta fuerint ante V. C. an non, nec pluribus quærere in animo nobis est, neque de re, in qua scriptores vel gravissimi ancipites, sunt disputare. Hoc quidem Paliliorum die initium Urbi factum elegantissime narrat Propertius lib. 4. Eleg. 4. v. 72.

Urbi Festus erat, dixere Palilia Patres
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua Pastorum convivia, lusus in Urbe,
Quum pagana madent fercula deliciis;
Quumque super raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundas ebria turba dapes &c.

Parilia dicuntur aliis. Pali sive Deo, sive Deæ, utrumque enim incertum, quæ, vel qui pabulo curando præerat, celebrantur.

rio: in eo Constantini Magni eadem dies notatur, N. URBIS, id est, Romæ natalis. Hujus vero initiis sitne festum antiquius, anceps ego etiam cum Dionysio: Πότερον δὲ, ille inquit in primo, παλαίτερον ἔτι τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορταστικὴν ἐπιτηδειοτάτην οἰκισμῷ πόλεως ἐνόμισαν, ἢ ἀπὸ κτίσματος ἄρξαντες ἱερὰν ἐποιήσαντο, καὶ θεοὺς ἐν αὐτῇ τοῖς ποιμέσι φίλους γεραίρειν ᾤοντο δεῖν, οὐκ ἔχω βεβαίως εἰπεῖν. Auctores tamen sunt (cur negem?) qui suadeant, ante Urbem conditam pastorale hoc sacrum extitisse, Tibullus lib. 2. Elegia 5. & Plutarchus in Romulo: qui sane testes gravissimi.

v. 719 *Pastorum sacra caventi*. Non probius vetus, *pastoria sacra*.

v. 721 *Certe ego de vitulo cinerem*. Is erat e triginta bubus, quas maxima Vestalis cremarat Festis Fordicidiis. Ipsemet docuit superius:

Igne cremat vitulos quæ natu maxima virgo est,
Luce Palis populos purget ut ille cinis.

Hunc vero & stipulam fabalem, quam paullo post vocat *culmen inane* (demtis enim fabis sola & arida incen a) Februa appellat; quia sic dictum, ut nosti, quodvis purgamentum.

v. 729 *Sanguis equi suffimen erit*. Cave credas Solino: *Et observatum*, inquit, *deinceps, ne qua hostia Parilibus cæderetur, ut dies iste a sanguine purus esset*. Bene Plutarchus in Romulo: Ἐν ἀρχῇ δ' (φασιν) οὐδὲν ἔμψυχον θύειν. Mutatum, ut vides, postea. Cum utroque sentit Aurelius Propertius lib. 4. Elegia prima: (a)

Annuaque accenso celebrare Palilia fœno,
Qualia nunc curto lustra novantur equo.

Si ergo sacrificium ea solemnitate factum ut adsolitum, quinto quoque anno sanguis ille ex amputata cauda exprimebatur. Vide Festum in *Caviares hostiæ*, & eumdem in *Equus October*.

v. 731 *Ad prima crepuscula*. Ὑπὸ νύκτα.

v. 731 *Crepuscula lustret*. Vetus Kalendarium rurestre mense Aprili: OVES LUSTRANTUR.

v. 732 *Virgaque verrat humum*. Præcipuum hoc in sacro quovis lustrali. Et fuit apud antiquos purgatio, quæ dicta *exuerræ*, ab everriatione certo scoparum genere. Non ignorant ista litterati.

v. 734 *Et tegat ornatas*. Meus liber, *Obtegat ornatas*.

v. 734 *Longa corona fores*. De more Juvenalis:

. . . . . *Nocte coronam*
Postibus, & densos per limina tende corymbos.

Longæ coronæ, inquit Tertullianus de Corona militis, *quibus coronabantur templa & amphitheatra*: nam lentæ & flexibiles bene aptabantur ad ædificii structuram.

v. 737 *Ure mares oleas*. Nec abest a priscis libris vulgata lectio, *Ure maris rores*. Φύλλα τοῦ λιβανωτίδος. Et hanc legi pro ture usui fuisse veteribus. Vide Culicem Maronis sub finem. Attamen utrovis modo legas, non instamus.

v. 737 *Tedamque herbasque Sabinas*. Sulphur & tedam adhibitam in tribus purgationibus, auctor Servius lib. 6. De Brathy diximus lib. primo: de lauro plura exstant veterum testimonia; quibus addo Procopium Gazæum in Deuteronomion: *Quid igitur de purificationibus in lege constitutis dicemus? primam quidem præ se figuram purificationis melioris ferre, insuper vero a Græcanicis differre; quod eæ cum incantationibus, salibus, lauro, ordeo, mari & transitione per ignem fieri solebant*.

v. 739 *Libaque de Milio*. Constabant, ni fallor, ex milio, & faba. Tale quid Diis rusti-

(a) *Sanguis equi &c.* Festus: *Caviares hostiæ dicebantur, quod caviæ, idest pars hostiæ cauda tenus diceretur, & ponebatur in Sacrificio pro Collegio Pontificum quinto quoq; anno. October equus* (idem) *appellabatur, qui in Campo Martio mense Octobri Marti immolabatur, de cujus Capite maxima erat contentio inter Suburranos, & Sacravienses, ut hi in Regiæ pariete, illi ad turrim Mamiliam id figerent; cujus cauda, ut ex ea sanguis in focum distillaret, magna celeritate perfereba tur in Regiam*.

rusticis dabatur etiam Autumno. Festus: *Suffimenta dicebant, quæ faciebant ex faba milioque mellito, mulso sparso: ea Diis eo tempore dabantur, quo uvæ calcatæ prælo premebantur.*

v. 741 *Adde dapes mulctramque suas.* Non est in aliquot veteribus, *mulctramque*, sed, *adde dapes in utrumque suas*. Nec respuit hanc editionem v. cl. ὁ κλυτὸς Daniel Heinsius. Dapes hic sume antiqua significatione. Festus: *Daps apud antiquos dicebatur res divina, quæ fiebat aut biberna semente, aut verna.*

v. 741 *Dapibusque refectus.* Absit ut damnem hanc scripturam, licet prisci quidam vacillent. Alii habent, *dapibusque paratis*, alii, *relictis*, Vaticani, *refectis*.

v. 745 *Sive sacra pavi.* Lege indubitato, *Sive sacro pavi*, in loco Diis consecrato.

v. 746 *Pabulaque in bustis.* Scribe, *e bustis*, auctore libro nostro perantiquo. *Bustum* hic, locus in quo aliquis sepultus. (a)

v. 746 *Inscia carpsit ovis.* Ex hac superstitione Julianus Imperator in Codice Theodosiano lib. 5. De sepulc. viol. *Pergit audacia, ut quidam in busta, diem functorum, & aggeres consecratos sæviant; quum & lapidem hinc movere, terram sollicitare, & cespitem vellere, proximum sacrilegio majores semper habuerint: sed ornamenta tricliniis, aut porticibus, auferant de sepulcris.* Sic legendus & supplendus hic locus.

v. 747 *Si nemus intravi.* Uni veteri est, *intravit*, ovem aspectans: non perplacet; quia mox, *nostrisque fugatæ*.

v. 747 *Nostrisque fugatæ.* Liber, *nostrisve*.

v. 749 *Lucum spoliavit opaco.* Vetus superstitio, qua quivis sacer lucus erat incæduus, nec ramum aut folium fas erat inde conlucare, nisi sacrificium præcessisset; ea super re ex Catone Plinius nos admonet lib. 17. cap. ultimo: *Idem Cato arbores religiosas lucosque succidi permisit sacrificio prius facto: cujus rei rationem quoque eodem volumine tradidit.* Mallem, *precationem quoque e. v. trad.* quæ his sane verbis concipiebatur: SI DEUS, SI DEA ES, CUJUM ILLUD SACRUM EST, UTI TIBI JUS SIET, PORCO PIACULO FACERE ILLIUSCE SACRI COERCENDI ERGO. Observa *coercendi* verbum in hac significatione, sed antiqua, pro *conlucare*, *deputare*. Festus *coinquire*, *coercere* explicuit, sed obscuriuscule; at proprie alibi, *coinquire*, *deputare*. Miror cur lectionem hanc adulteret magni judicii vir in *coinquinere*, pro decubare; quum nihil mutandum sit, clamet Trebatius apud Servium: *Luci*, inquit, *qui sunt in agris, qui novitio capti sunt, hos lucos eadem cærimonia moreque coinqui haberique debent, ut ceteros lucos qui in antiquo agro sunt.* Id est, sacrificio prius facto conlucari debent. *Coinquo* sane vere est maculo, seu contamino; unde hodiernum *coinquino*: sed in hac conlucatione ideo receptum, quia a Deo sive Dea venia contaminandi, seu putandi, quod aliter scelus inexpiabile, luci petebatur.

v. 750 *Unde data est ægræ.* Sic plerumque vetus scriptura; in alia, *teneræ*. Utraque ad verum: nam agnis, aut ægris ovibus, pastorum est, frondium aut herbarum fiscinam in stabula ferre. Varro de adhuc lactentibus lib. 2. de Re rustica: *Diebus post paucis objicere his viciam molitam, aut herbam teneram, antequam exeunt pastum, & quum revertentur: & sic nutricantur, quoad facti sunt quadrimestres.*

v. 751 *Agre-*

(a) *Pabulasque &c. Bustum* hic *locus, in quo aliquis sepultus*, hac enim significatione utitur Ovidius, quod ejus versiculo planissimum fit: re vera enim Festo est locus ubi mortuus combustus est, & sepultus. V. C. Vincentius Gravina, ad legem ROGUM BUSTUMVE, Bustum locum, ubi Cadaver fuerat exustum, siquidem alibi conditum fuisset, cum Hotomanno interpretatur, quamvis locus ustionis proprie diceretur Ustrina. Esto, ita legem esse hoc loco interpretandam, sed in hac significatione tantum non semper sumitur ab optimis Scriptoribus. Bustum dicitur, eodem auctore, quasi bene ustum. Ubi vero combustus mortuus erat, neque tamen sepultus *Ustrinam* dixeris ab urendo: *sed modo bustum*, ut ipse colligit, *eo quod sepelitur, Sepulcra* vocamus. Earum busta, qui publicum in se odium concitassent, saxis petebantur, & diris incessebantur. Joseph Scaliger ad ea Propertii carmina lib. 4. eleg. 5. v. 75.

Quisquis amas, scabris hoc bustum caedito saxis,
Mixtaque cum, saxis adjice verba mala.

Nam prætereuntes busta eorum, qui in publica detestatione erant, lapidibus petebant. Testimonium recitat Ausonii, Argentarii poetæ, & Euripidis Electra.

v. 753 *Agresti Fauno*. Hic est, qui dictus *Silvanus agrestis* in libro Catonis de Agrorum limitibus; qui Græcis ἀγρεὺς & ἄγραυλος. sic vocat Archius in quodam Epigrammate. De lectione vero verum fatear, ita plures, nec adeo novi codices; nec vereor quin tueri possit, licet sit parum recepta a litteratis nostri ævi. Vulgo dicimus, in divo Alberto, pro ejusdem sacra æde. Sed placent & veteres in quibus, *agresti fano*. (a)

v. 755 *Mota ungula*. Pecus gradiens turbavit aquas limpidas.

v. 759 *Videamus labra Dianæ*. Ἀρτέμιδος, λουτρά.

v. 760 *Pelle procul morbos*. Petita jam venia incipit precatio pastoralis: quam, quæso, conferas cum Lustrico Catonis carmine. Pars ejusdem: SUOVE TAURILIA CIRCUMAGI JUSSI, UTI TU MORBOS VISOS INVISOSQUE, VIDUERTAM VASTITUDINEM, CALAMITATES INTEMPERANTIASQUE PROHIBESSIS, DEFENDAS AVERRUNCESQUE, UTIQUE TU FRUGES, FRUMENTA, VINETA VIRGULTAQUE GRANDIRE BENEQUE EVENIRE SIRIS, PASTORES PECUAQUE SALVA SERVASSIS, DUISQUE BONAM SALUTEM VALETUDINEMQUE MIHI, DOMUI FAMILIÆQUE NOSTRÆ.

v. 766 *Ubera plena premam*. Rogat igitur pro pingui lacte, pro caseo, pro felici & multo ovium fetu. Dionysius scribit oppositum, Palilibus pro partu ab agricolis gratias Diis relatas: Θύουσι δ' ἐν αὐτῇ περὶ γονῆς τετραπόδων οἱ γεωργοὶ καὶ νομεῖς θυσίαν χαριστήριον ἔαρος ἀρχομένου. Unum & alterum puto factum; & pro venturo fetu sacrificia ab eis acta, & pro præsenti grati animi indices exhibitos.

v. 767 *Vimina rara sero*. Tibullus.

Raraque per nexus est via facta sero.

v. 768 *Sitque salax aries*. Ad gregis auctionem. (b)

v. 769 *In stabulo meo*. Noster codex, *in stabulis multa sit agna meis*.

v. 771 *Veluti cratere*. Lego in aliis *velut in cratere*.

v. 776 *Cratere camella*. Marrucinus Marsus legit *canella*; & sexcentas effutit nugas: tu

(a) *Agresti &c.* Ad ea Verba: *Vulgo dicimus in Divo Alberto pro ejusdem Sacra æde*: Cavendum hic, ne studiosi latinæ elegantiæ Adolescentes Caroli nostri auctoritate in errorem fortasse inducantur. Divus enim vel *Deus* est, vel in *Deorum numerum relatus*, ut egregie vir doctissimus Christophorus Cellarius in Curis posterioribus de Barbar. & Idiot. *Exempla enim, inquit, Diva Mater, Diva Juno, Divi Penates, Divus Trajanus, & his paria per Appositionis figuram, ut Dea mater exponi possunt; nec facile exemplum repereris in puriore sæculo, quod Barthii verbis in dedicatione Britonis DIVÆ ORIGINIS PRINCIPI consimile sit, pro quo malim cum Livio dicere divinæ originis*. Probat deinde Horatii testimonio *Diva Potens*, Valerii Flacci *Æquorei Divi*, Silii Italici *Triformi Divæ* nomina esse substantiva. Verba deinde refert Georg. Cassandri, quibus in dedicatione Hymn. Ecclesi. acriter in has formulas Vir Optimus invehitur. In Antibarbaro vero sub Livianum locum lib. 7. cap. 26. *Si Divus, si Diva esset* (hoc est, si Dea) *qui sibi præpetem misisset, propitius adesset*, hæc subjicit: *Icciro non magis licet Divus Paullus, Divus Augustinus, aut de Principibus Divus Carolus, Divus Bernardus, dicere, quam Deus Paullus, Deus Augustinus, atque ita de ceteris*. Tutius igitur fuisset dicere, ut Cicero, Divinum Platonem, sic in Divino Alberto. Verum tutius multo, & melius in Beato, aut Sancto Alberto, quam Divo.

(b) *Sitque &c. Sitque salax Aries* magis proprie, quam Virgilius:

Vir gregis ipse Caper deerraverat. Eccl. 7. v. 7.

Caper enim Varroni, Gellio, & Martiali ὁ ἐκτομίας est, exsectus:

Sic modo qui Tuscus fueras, nunc Gallus Haruspex,
Dum jugulas hircum, factus es ipse Caper.

Nugas agit Scaliger, qui ut locum defendat, hæc male divinando concinit de Capro. *Capra vetus est vox. Sic mas Caper, antequam castrandi usus inventus esset*. Undenam Scaliger ad nos attulit vocem *Caper*, antequam usus castrandi reperiretur, inventam fuisse? Anne quod Femina Capra dicitur, Vir Caper dicendus erat? qua quidem ratione ex analogia, Hirca Femina dicenda esset, quod mas hircus appellatur. Quid est amabo te, Scaliger, in dumeta repere, quum teneris, si hoc non est?

tu legito ut est in vulgatis. *Camella* vas erat ligneum, ubi hæc potio infundenda; de quo Petronius: *Enothea mensam veterem posuit in medio altari, quam vivis implevit carbonibus, & camellam vetustate ruptam pice temperata refecit*; & statim: *Tum clavum, qui detrahentem secutus cum camella lignea fuerat, fumoso parieti reddidit*. Hoc vasis genus Polluci est σκάφια.

v. 777 *Lac niveum potes, purpureamque sapam*. Hæc potio dicebatur burrhanica, a colore burrho. Festus: *Burrhanica potio, lac commistum sapa, a rufo colore, quem burrhum vocant*. Unde eleganter, homines a vino rubentes *burrhos* apud eumdem dictos inveni. Hinc deducit illud vere ἔμψυχον μουσεῖον Josephus Scaliger duas voculas Hispanas, *borracho y borracha*: quarum prima significat ebrium, altera vas vinarium; quod etiam dicunt *botta*, verbum quoque Græco-barbarum. Glossæ, βυττίον, *cupella*: aliæ, βῦτις, *cupa*. Ille color πυῤῥὸς est Græcis: unde πυῤῥίας ejusmodi cutis homines Comici dixere. Observat Helladius apud Photium: Ὅτι οἱ Κωμικοὶ τοὺς οἰκέτας τὸ μὲν πλέον ἀπὸ τοῦ γένους ἐκάλουν. οἷον, Σύρον, Καρίωνα, Μίδαν, Γέταν, & ὅμοια· ἐκάλουν δὲ καὶ ἐξ ἐπιθέτων· ὡς ἀπὸ τοῦ χρώματος μὲν, Πυῤῥίαν καὶ Ξανθίαν. Ab eodem colore vocarunt πυῤῥίχον equum breviorem; Latini *burrhichum*: sed Hispanis *el borrico* est asinus, πυῤῥίχος, *aca*. De his audiendus Hieronymi locus frustra adhuc vexatus Epistola 26. ad Pammachium super obitu Paulinæ uxoris: *Ubi videris fumare patinas, & phasides aves lentis vaporibus decoqui, ubi argenti pondus, ubi ferventes buricos, mannos, comatulos pueros, pretiosas vestes, picta tapetia; ibi ditior est largitore, cui largiendum est*. Lege, *ferventes burrhichos, mannos*. Glossæ, *burrhichi, manni*, id est equuli. Tentarunt alii legere, *ferventes borico manus*; sed frustra.

v. 777 *Purpureamque sapam*. De hac ita Nonnius: *Sapa, quod nunc mellaceum dicimus, mustum ad mediam partem decoctum*. Varro de vita populi Romani: *Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant*. (a)

v. 780 *Moris mihi restat origo*. In multis est prima, quod sibi sua ferint inesse igni vim quamdam abstersivam, & malorum medelam: & hæc fuit antiqua opinio Judaica & Græcanica, inde immista in Romanam religionem: & stetit, ut mireris, usque ad tempora Justiniani τοῦ ῥινοτμήτου. Tunc congregata 6. Synodus Trullensis, & ineptiæ hæc cum aliis abolitæ. Liquet ex Canone 65. ad quem Theodorus Balsamon: Ἀλλὰ καὶ ἔμπροσθεν τῶν ἐργαστηρίων αὐτῶν καὶ τῶν οἰκιῶν ἀνῆπτον πυρκαϊὰς, καὶ ἐπάνω αὐτῶν ἐπήδων, νομίζοντες διὰ τούτου τὰ προσυμβαίνοντα ἴσως αὐτοῖς δυσχερῆ κατακαίεσθαι, καὶ ἐπίσης ἀγαθοῖς ἐντυγχάνειν. ἀκολούθως δὲ τούτοις ἐποίουν καὶ τινες ὀρθόδοξοι ἐν ταῖς ἡμέραις ἐν αἷς ἡ παροῦσα γέγονε σύνοδος.

v. 788 *Vitæ caussa est*. Pompejus Festus: *Aqua & ignis interdici solet damnatis, quam accipiunt nuptæ: videlicet quia hæ duæ res humanam vitam maxime continent. Itaque funus prosecuti, redeuntes ignem supergrediebantur aqua adspersi: quod purgationis genus vocabant suffitionem*.

v. 792 *Saxis saxa feribant*. Hoc fuisse puto primo adinventum ad scintillas eliciendas; postea venit usus petræ focariæ a ferro percussæ; postea πολλῆς πυρίας, & misti coloris: cujus generis & Αστυρώνου vidi plurimos.

v. 797 *Innocuum cui dedit ignis iter?* Statius lib. 2. Silvarum, in lacrimis Hetrusci:

Felix cui magna patrem cervice ferenti
Sacra Mycenææ patuit reverentia flammæ.

v. 798 *Hoc tamen est vero propius*. En noster etiam initium Palilium non facit antiquius Urbis natali, nec dissentit a Tibullo & Plutarcho: nam agit de sacro Palis sic celebrari cœpto, & cum his stipularum acervis; quod originem duxisse putat ab incensis antiquis tuguriolis, quum rustici in nova novæ Urbis migrarent. Absit, quod neget ante hanc conditam fuisse Palilia; in quibus Pales cum Silvano culta lacte, & anni primitiis. Addita igitur sub Romulo transitio per flammas, suffimenta illa, sed equus victima multo post.

v. 804 *Na-*

(a) *Purpureamque &c.* Plinio mustum est ad tertiam partem decoctum Hist. 14. 9. *Syræum, quod alii ἕψημα nostri sapam appellant, ingenii, non naturæ est, musto usque ad tertiam partem mensuræ decocto*.

v. 804 *Natali nunc quoque, Roma, tuo.* Nam eodem XI. Kalendas illa condita. Plutarchus: Ὅτι μὲν οὖν ἡ κτίσις ἡμέρᾳ γένοιτο τῇ πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν Μαΐων, ὁμολογεῖται· καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορτάζουσι Ῥωμαῖοι, γενέθλιον τῆς πατρίδος ὀνομάζοντες.

v. 809 *Ambiguum est.* Scriptura nostra, *ambigitur*.

v. 809 *Nomina ponat uter.* Ennius apud Tullium primo de Divinatione:

Certabant, urbem Romamne Remamne vocarent;
Omnis cura viris uter esset Induperator. (a)

v. 811 *Bis sex videt ordine frater.* Ab antiquis germana lectio eruitur, *bis sex videt ordine; pacto Statur*.

v. 816 *Apta dies legitur.* Hanc jam habes. Hora fuit post secundam ante tertiam plenam, ut ex Tarruntio insigni Mathematico scribit Julius Solinus; & ex eodem excerpta Dionis verba sunt: Ὥρα δὲ Ῥώμης ὅτε Ῥωμύλος ταύτην ἤρξατο κτίζειν, ὥρα δευτέρα πρὸ τρίτης, ὡς Ταρούτιος ὁ Μαθηματικὸς κατεστήριξε· Διὸς μὲν ἰχθύσι, Κρόνου δὲ καὶ Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεος, καὶ Ἑρμοῦ σκορπίῳ, ἡλίου τε ταύρῳ καὶ σελήνης ζυγῷ. Annus fuit secundus Olympiadis 7. si Eratostheni credimus.

v. 817 *Sacra Palis suberant.* Albius Tibullus lib. 2. Elegia 5.

Romulus æternæ nondum formaverat urbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo;
Sed tum pascebant herbosa palatia vaccæ;
Et stabant humiles in Jovis arce casæ.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbræ;
Et facta agresti lignea falce Pales.

Legit Onufrius Panvinius, *Sacra Pales aderant*. Quæ lectio si emendati & antiqui codicis esset, magno me scrupulo liberaret; quem silere addecet.

v. 819 *Terra petita solo.* Vide Plutarchum in Romulo.

v. 820 *Fuugitur igne focus.* Rectissime in vulgatis est, *funditur*. Quæ lectio Marso caussa fuit ineptissimi interpretamenti.

v. 822 *Designat mœnia sulco.* Ex ritu finitimo. Varro lib. 4. de L. L. *Oppida condebant*, inquit, *in Latio Etrusco ritu multa, id est junctis bubus, tauro & vacca interiore aratro circumagebant sulcum.* Obiter moneo, ritum hunc, & alios servatos in libris, quos vocabant Rituales; de his Festus: *Rituales nominantur Etruscorum libri, in quibus perscriptum est, quo ritu condantur urbes, aræ, ædes sacrentur, qua sanctitate muri, quo jure portæ, quo modo tribus, curiæ, centuriæ distribuantur, exercitus constituantur, ordinentur, ceteraque hujusmodi ad bellum & pacem pertinentia.* Res ipsa suadet, me silente, Romulum præcepta hæc prælegisse.

v. 826 *Advertite vultus.* Priscus codex, *advertite cuncti*.

v. 830 *Tonitru dedit omnia lævo.* Cur lævum dextro felicius, fiet palam ex his Plinii: *Fulmina læva prospera; quia sacrificantis vel precantis latus lævum, dextrum est ejus qui postulata largitur.* (b)

v. 840 Celer

(a) *Nomina &c.* Haud equidem infirmaverim fidem Ennio, sed si Dionysius, aliique compiures audiendi sunt, nulla caussa fuit, quamobrem de nomine inter se Fratres certarent. Ab Evandro enim, quem Palatinum Collem partem Urbis imperio tenuisse constat, Ῥώμη græce, Latine Valentia multo ante Romulum appellata fuit. Quidquod, si qua aliis fides, a femina quadam, cui Romæ nomen, Græcane, an Trojana incertum, quæ vel comes, vel cognata, vel conjux Æneæ fuit Urbi terrarum Dominæ, Reginæque nomen factum? Sed malumus Historiam cum Ennii testimonio componere. Dicemus igitur, quod etiam verosimilius, Romam ab Evandro in Palatio conditam, procedente tempore, aut desertam, aut dirutam fuisse, & a Romulo restitutam, ab ipso Restitutore nomen accepisse.

(b) *Tonitru &c.* Caussam, quam affert Noster ex Plinio non contemnimus, sed quæ est apud Varronem, magis probatur. A læva enim Romani habebant mundi ortum, quippe qui ad meridiem, auspicaturi, aliquid ut agerent, sese convertebant: Neque tamen semper, quod lævum esset, felix, faustumque dicebatur. Ovid. in Ibin v. 125.

Eveniet, dedit ipse mihi modo signa futuri
Phœbus, & a læva mœsta volavit avis.

v. 840 *Celer occupat auſam*. Raſtro, ſeu rutro paſtorali. Antiquæ membranæ Chronici Euſebiani: *Remus rutro paſtorali a Fabio Romuli duce occiditur*. Malim igitur in Dionyſio, Πλῆξαι τῷ σκαφίῳ τῆς κεφαλῆς καὶ αὐτίκα ἀποκτεῖναι. Legitur in vulgatis, τῷ σκαφίῳ. Verterunt bene *rutro* intrepretes, quum ſit σκάφιον ſitrum; male Gloſſæ, *ruſtrus*, σκάφιον. (a)

v. 845 *Sicque meos muros*. Ipſa verba Titi Livii.

v. 848 *Poſito ſuprema feretro*. Servius: *Feretrum, locus ubi mortui feruntur; & eſt Græcum nomen: nam Græce φέρτρον dicitur*, & νεκροφόριον. Placet in initio, *Feretrum, loculus ubi*.

v. 849 *Invito frater ademte*. Verius *volenti* dixiſſes; nec aliud mihi umquam ſuadebis. Cicero 4. Officiorum: *Species enim utilitatis animum pepulit ejus; cui quum viſum eſſet utilius, ſolum quam cum altero regnare, fratrem interemit*. Audi nunc ejuſdem ſententiam de hac prima perduellionis lege: *Omiſit hic & pietatem & humanitatem, ut id quod utile videbatur, neque erat, aſſequi poſſet; & tamen muri cauſſam oppoſuit, ſpeciem honeſtatis neque probabilem, neque ſatis idoneam: peccavit igitur, pace vel Quirini vel Romuli dixerim*.

v. 853 *Subdita Flamma rogo eſt*. Inde ſepultus in Remuria: qui locus in ſummo Aventino; ubi ille de condenda urbe fuerat auſpicatus (b)

v. 859 *Idem Vinalia dicam*. IX. Kalendas erant ſacra Vinalia: quæ duplicia; & quæ celebrata hoc menſe, Plutarcho dicta Ἀφροδίσια; & quæ menſe Sextili XIV. Kalendas Septembres, auctore Feſto, & veteri Kalendario. Priora putarunt viri docti Veneri ſacra, poſteriora Jovi. Teſtimonia poſces, quæ non habeo, niſi diſſenſum ſcriptorum. A quo judicatu me ſolvo.

v. 861 *Numina vulgares*. Hoc feſto meretriculæ Veneris Erycinæ templa adibant; & oblatis floreis munuſculis cuncta expetebant, quibus populo placerent.

v. 863 *Multa profeſſarum*. Sic dictæ famoſæ hæ mulierculæ: nam ſe vulgare non poterant, niſi præcederet apud Ædiles profeſſio. Vide accuratiſſimum Lipſium ad Annales Taciti

v. 863 *Profeſſarum quæſtibus*. In his ſitum præcipuum harum vilium ſtudium; & vere Alexis ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Ἰσοστασίῳ· Πρῶτον μὲν γὰρ εἰς τὸ κέρδος καὶ τὸ συλᾶν τοὺς πέλας τἆλλα αὐταῖς πάρεργα γίνεται.

v. 868 *Collinæ proximæ portæ*. Strabo lib. 6. Ἀφίδρυμα δ' ἐστὶ καὶ ἐν Ῥώμῃ τῆς θεοῦ ταύτης τὸ πρὸ τῆς πύλης τῆς Κολλίνης, ἱερὸν Ἀφροδίτης Ἐρυκίνης λεγόμενον, ἔχον καὶ ναὸν, καὶ στοὰν περικειμένην ἀξιόλογον. Dedicata Romæ hæc ædes anno DLXXII. de quo agens Livius lib. 40. *Ædes*, inquit, *duæ eo anno dedicatæ ſunt, una Veneris Erycinae ad portam Collinam (dedicavit L. Porcius L. F. Licinius Duumvir: vota erat ab Coſ. L. Porcio Liguſtino bello) altera in foro Olitorio Pietatis*.

261 *A Si-*

(a) *Celer occupat &c.* Livius ab irato Romulo, quod per ludibrium novos muros tranſiliiſſet, interfectum fuiſſe, narrat. Quamvis in turba ictum fuiſſe, novum certamen de tyrannide occupanda ortum quum eſſet, non inficietur, Egnatii opinio, neque occiſum fuiſſe Remum, & Romulo ſuperſtitem vixiſſe eo Virgilii verſiculo:

. . . . *Remo cum Fratre Quirinus*
Jura dabant. . . . .

ſatis probari poſſe videtur: ſed alio referendus eſt Virgilianus locus: Ad purgandos enim Remi manes, conſuevit Romulus, ſi quid eſſet ſibi ſanciendum, juxta ſe ſellam ponere cum aliis Regiis inſignibus, quaſi ſibi Remo adſidenti inſervire deberent.

(b) *Subdita &c.* Num per id tempus cadavera cremarentur dubitari fortaſſe poteſt, quamvis rogum in uſu fuiſſe antiquiſſimis Reip. temporibus Leges Decemvirales teſtentur; quod enim anno V. C. 253. cadavera combuſta fuiſſe legimus, id neceſſitati aliqui tribuunt, quod ſepeliendi otium minime ſuppeteret. Ad Sullam vero, quod pertinet, qui primus Romæ crematus eſſe dicitur, quod primus ex Gente Cornelia crematus eſſe perhibetur, ridiculum nobis videtur. Etiamſi enim Romani uſtionis uſum accepiſſent, quod longiquis bellis terra obruti eruebantur, eorumque manes turbabantur, plures tamen familiæ vetuſtam humationem retinuerunt, ex quibus Cornelia, in qua primus Sylla corpus ſuum cremari voluit, quippe qui, quum juſſiſſet reliquias C. Marii ad Anienem ſitas diſſipari, idem ne ſuo cadaveri fieret, formidavit.

v. 869 *A Siculo nomina colle tenet*. Ubi & templum habuit ditissimum; de quo etiam Strabo eodem libro: Οἰκεῖται δὲ καὶ ὁ Ἔρυξ λόφος ὑψηλός, ἱερὸν ἔχων Ἀφροδίτης, τιμώμενον διαφερόντως, ἱεροδούλων γυναικῶν πλῆρες τὸ παλαιόν· ἃς ἀνέθεσαν κατ' εὐχὴν οἵ τ' ἐκ τῆς Σικελίας καὶ ἔξωθεν πολλοί: νυνὶ δ' ὥσπερ αὐτὴ ἡ κατοικία, λειπανδρεῖ καὶ τὸ ἱερόν, καὶ τῶν ἱερῶν ἐκλέλοιπε τὸ πλῆθος. Quis præstet huic fidem? Diodorus, qui scripsit pauculos annos ante Strabonem hæc de cultu & splendore ædis Erycinæ lib. 4 *Fani hujus religiosi majestatem si quis accuratius pensitet, merita illud admiratione prosequetur: alia enim sacraria post aliqua gloriæ incrementa adversi persæpe casus labefactant, & convellunt; at hujus fani cultus a primo dedicationis exordio tantum abest ut defecerit, ut contra, subinde majus acceperit augmentum.*

v. 871 *Carmine vivacis*. Pace tua dicam, mi Ovidi, hallucinaris: nam hæc Veneris ædes prope portam Collinam non dedicata monitu carminis Sibyllini, sed vovit sponte L. Porcius Ligustino bello, dedicavit Porcius L. F. Licinius, ut ex Livio vidimus, anno DLXXII. Fateor aliam eidem Veneri vovisse Q. Fabium Maximum jussu libri fatalis, sed ante hanc positam annis XXXIV. Servilio Geminio, & C. Flaminio Coss. idem Livius lib. 22. *Decemviri libros Sibyllinos adire jubentur: qui, inspectis fatalibus libris, retulerunt patribus, quod ejus belli caussa votum Marti foret, id non rite factum, de integro atque amplius faciendum esse; & Jovi ludos magnos, & ædes Veneri Erycinæ ac Menti vovendas esse, & supplicationem, lectisterniumque habendum*. Hoc igitur anno vota, sed dicata DXXXVIII. L. Postumio Albino & T. Sempronio Coss. idem lib. 23. *Exitu anni Q. Fabius Maximus a Senatu postulavit, ut ædem Veneris Erycinæ, quam Dictator vovisset, dedicari liceret: Senatus decrevit, ut T. Sempronius Consul designatus, quum primum magistratum inisset, ad populum ferret, ut Fabium Duumvirum esse juberent ædis dedicandæ caussa*. Nec suspicetur aliquis, Nasonem de hac æde Q. Fabii forte loqui: nam hæc sita in Capitolio regione VIII. ipsusmet Livius eodem libro: *Interea Duumviri creati sunt, Q. Fabius Maximus, & T. Octacilius Crassus, aedibus dedicandis; Menti Otacilius, Fabius Veneri Erycinæ: utraque in Capitolio est, canali uno discretæ*. Hanc, quam hic nominat noster, aperte ait sitam prope portam Collinam, quæ in regione V. Insuper alius Auctoris lapsus insurgit: nam post captas, inquit, Syracusas Venerem Erycinam in Urbem translatam; & ut ista,

Carmine vivacis Venus est translata Sibyllæ,

torqueamus ad tempus, quo primum monitu Sibyllino Venus Erycina Romæ coli cœpta est, non perstant: nam Syracusæ captæ anno Urbis DXLI. templum dicatum DXXXVIII.

v. 874 *Sit Jovis ista dies*. M. Varro lib. 5. de L.L. *Vinalia a vino: hic dies Jovis, non Veneris*.

v. 875 *Turnus, an Æneas*. Hac de re vide Livium, Plutarchum, Originem gentis Romanæ; ubi multa ex antiquissimis Scriptoribus: vide etiam Plinium lib. 14. cap. 12.

v. 881 *Stat mihi non parvo*. Idem apud Propertium lib. 3. *magno stare*.

Atridæ magno quum stetit alter amor. (a)

v. 885 *Nulla mora est operi: vestrum est dare*. Meus habet, *Nulla mora est operæ, vestrum dare*.

v. 897 *Sex ubi quæ Restent*. VII. Kalendas ver meo Publio dipartitur; quod Columellæ ipso die Palilium, XI. Kalendas.

v. 899 *Et frustra pecudem Quæres*. Eodem VII. Aries occidit acronycho occasu.

v. 900 *Exoriturque Canis*. (b) Mira & nova fateor. Numquam audivi a nata Astrologia, post Arietis occasum, immo post Tauri ortum, Canem exoriri. Quidam mallet, exo-

(a) *Stat mihi &c.* Miror, quid sit, quod in re tam aperta teste utatur Propertio. Hic enim dicendi modus pervulgatus est, & latinis Scriptoribus satis usitatus. Hora Sat. 2. lib. 1. v. 121.

. . . *quæ neque magno*
Stet pretio, neque cunctetur &c.

Liv. lib. 23. cap. 30. *Multoque sanguine, ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit*. Paterc. l. 2. c. 62. *Utrique vindicta libertatis, morte stetit*. Passim invenies apud alios.

(b) *Exoriturque &c.* Caroli lectionem affert Crispinus, *effugietque Canis*, ipsumque Carolum laudat. *Neapolis*, inquit, *Illustris sunt ista*. Gratiam habeo: utinam id fecisset sæpe alias, tum scilicet, quum eruditissimi Interpretis sententiam, explicationemque proponens, ejusdem, cujus erat explicatio, nomen subticuit.

exoriturque Capra. Sed ad quid? Sequuntur Rubigalia, quæ ad occasum Canis instituta, & celebrata. Plinius lib. 18. cap. 29. *Rubigalia Numa instituit anno regni sui* XI. *quæ nunc aguntur ad* VII. *Kalendas Maii; quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinat Sole Tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio: sed vera caussa est, quod post dies undeviginti ab Æquinoctio verno, per id quatriduum, varia gentium observatione, in quartum Kalend. Maii Canis occidit. Sidus & per se vehemens; & cui praeoccidere Caniculam necesse sit*. Suspicio hinc mihi de menda venit; & adlubet scribere:

Signa dabunt imbres, effugietque Canis.

Hic enim moto Tauro statim cedit navi Argoæ. Nigidius apud Servium Commentario sphæræ Græcanicæ: *Oritur enim Canicula cum Cancro, in columen venit cum Geminis, occidit cum Tauro*. Virgilius primo Georgicon:

Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus, & averso cedens Canis occidit astro.

Firmat etiam nostram emendationem; quod ille in occasu vehemens, gelidus, pluvius. Manilius clare suggerit libro primo:

Subsequitur rapido contenta Canicula cursu,
Qua nullum terris violentius advenit astrum,
Nec gravius cedit: namque horrida frigore sævit;
Sic in utrumque movet mundum, & contraria reddit.

v. 901 *Hac mihi Nomento*. Sabinorum oppido.

v. 902 *In media candida turba via*. Candida turba sunt Flamines, qui ad Rubiginem placandam properabant, albo induti vestimento: coloris erat sacrificantium. Valerius Maximus, loquens de S. C. publicato post cladem Cannensem, quo cautum, ut luctui ejus stragis diebus triginta finis daretur, ne publica & privata sacra desererentur; *Matres*, inquit, *ac filiæ, conjugesque & sorores nuper interfectorum, abstersis lacrimis, depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem & aris dare thura coactæ sunt*.

v. 902 *Media via*. De hac Servius: *Ab hoc oppido via Nomentana dicta, quæ incipiebat a Viminali porta*; & priscus lapis:

VIÆ NOMENTANÆ PATRONUS.

v. 903 *In antiquæ lucum*. Displicet lectio; sed sic plerique, præter duos optimos, qui habent *antiquum*. Quanto melius ad lucum, quam ad Rubiginem epithetum referre. Antiqua sane Rubigalia non infiteor: instituit Numa Pompilius anno Regni sui XI. Varro lib. primo de R. R. caussam incœpti cultus his explicat: *Quarto, Robigum, ac Floram, quibus propitiis neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent: itaque publicæ Robigo feriæ, Robigalia; Floræ, ludi Floralia instituti*. Festus: *Rubigalia dies festus* VII. *Kalendas Majas, quo Robigo Deo suo, quem putabant rubiginem avertere, sacrificabant*.

v. 903 *Lucum Rubiginis*. Panvinius in Topographia Urbis, lucum & ædem ponit in regione 5. sed ædem expressim via Nomentana extra portam Catulariam; ubi sacrificium Robigini & Caniculæ faciebant: Ad hanc mentem Festus: *Catularia porta Romæ dicta est; quia non longe ab ea, ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur*.

v. 903 *Rubiginis ibat*. Libri duo e meis, *Robiginis*; & certe verius: nam ei venit etymon, ut suspicor, a colore robo; qui Græcis ξανθὸς. Hinc *robos* boves a rusticis vocatos, auctor est Festus in vocula *robum*. Expresse vetus Senatus Consultum apud Gellium lib. 4. cap. 6. SATIS HABENDVM CENSVERVNT, SI QVID SVCCIDANEIS OPVS ESSET ROBVS, SVCCIDERET. Vulgo male legitur, ROBIGVS ACCEDERET. Et inserta I reperio *Robios*; ut in hac Inscriptione, LITATVRVM SE SCIAT VOLCANALIBVS X. CAL. SEPTEMBRES VITVLO ROBIO ET VERRE.

v. 904 *Exta canis flammis*. Rufus esse debebat; imo catulus, & lactens; id me docuit Columella:

Hæc ne ruricolæ paterentur monstra salutis;
Ipsa novas artes varia experientia rerum,
Et labor ostendit miseris, ususque magister
Prodidit agricolis ventos sedare furentes,
Et tempestatem Tuscis avertere sacris;
Hinc mala Rubigo, virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur & extis.

v. 915 *Culmos titan incalfacit udos.* Quod & principio Georgicon Poeta notavit in hisce,

Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos
Esset Rubigo. . . . .

Bene *esset*: nam penitus rodit & occidit segetes. Hac metaphora usus Martialis in Epistola libri 12. ad Priscum in synchronos vates Bilbilitarios, qui ejus Epigrammata invidia carpebant: *Accedit his*, inquit, *municipalium rubigo dentium, & judicii loco livor, & unus aut alter mali, in pusillo loco multi.* Rubigo autem tunc sævit in sata, quum illis udis soles magni superveniunt. Plutarchus de primo frigido: Τὸ γὰρ ἐγγυτάτω τὸ ψαῦον αἷμα ἂν σωφρονῇ, πυρωτὰ μὲν ἐνίοτε ἐξεπαρίματωσιν· ἐρυσίβας δὲ, ἥλιοι πυρωφλεγεῖς ἐπ' ὄμβρῳ. Negavit id Plinius, omnemque uredinem segetis frigori imputat clare his verbis lib. 18. cap. 28. *Plerique dixere, rorem inustum sole acri, frugibus rubiginis esse caussam, & carbunculi vitibus: quod ex parte falsum arbitror, omnemque uredinem frigore tantum constare, sole innoxio.* Verior Græci scriptoris & nostri sententia.

v. 926 *Astrictum longa.* Diuturnæ pacis index Bachilidis Melici Carmen: (a)

Ἐν δὲ σιδαροδέτοισιν πόρπαξιν αἰθᾶν ἀραχνᾶν
Ἱστοὶ πέλονται, ἔγχεά τε λογχωτὰ,
Ξίφεά τ' ἀμφάκεα δάμναθ' χαλκέων
Δ' οὐκέτι σαλπίγγων κτύπος, οὐδὲ συλᾶθ' μελίφρων ὕπνος.

v. 929 *Dixerat: a dextra.* In alio, *duxerat ad dextram*. Si quid video, non verius.
v. 929 *A dextra villis mantele solutis.* Manu dextra sacerdos ille Quirinalis cum patera & acerra gestabat linteum mappa longiusculum, tergendis manibus peracto sacrificio. *Mantele*, Græcis χειρόμακτρον. Julius Pollux: Λάσια δὲ ἐκάλουν τὰ μαλλοὺς ἔχοντα. χειρόμακτρα, ὡς ἀπὸ τοῦ ἐκτυπώματος, ὥστε οὐδὲν κωλύει τὰς ὀνομαζομένας μαντήλας ὕπο καλεῖν. Varro lib. 5. de L. L. *Mantelium, quasi manuterium, ubi manus terguntur.* Glossæ parum proprie, *mappa*, χειρόμακτρον: nam *mappa* tantum ori serviebat: breve linteum, quod conviviis quisque vocatus e domo sua ferebat. Confunditur tamen apud omnes mappa cum manteli, mantele cum mappa; istud etiam passim mensarum integumentum. Martialis in Epigrammate cui lemma, *Gausapa, vel mantele*:

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum:
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Spartianus in Heliogabalo: *Exhibuit parasitis cænas de vitreis; & nonnumquam tot picta mantelia in mensam mittebat his edulibus picta quæ apponerentur.*
v. 929 *Villis solutis.* His contrarium, *tonsis villis*; id est Servio, *minutis*, *vel compositis.*

(a) *Astrictum &c.* Toto hoc loco ab eo versu::: *Nec teneras segetes*, usque ad illud::: *Astrictum longa sentiat esse mora*: orat eandem Rubiginem, ut ferrum absumat, quod ad malos usus vitæ conflari solet, patiatur autem nitere, quod solet hominibus utilitates complures, & opportunitates afferre. Damnaque, ac incommoda, quorum caussa est, concinne, ut mihi videtur, in hanc fere sententiam, a Plinio numerantur lib. 33. cap. 14. *Ferrum autem optimum vitæ, pessimumque instrumentum habetur. Siquidem hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squallore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. Hoc extruimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur: sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus solum, sed etiam missili, volucrique, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc vero pennato, quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror* &c.

stitis. Prorsus male: ibi enim Poeta vult, mantelia nullos in ora extima cirros habuisse. Nec *viliosa lintea* apud Martialem ea sunt, quibus villus per omnia insurgit; tonsa, quibus derasus: sed quibus nullum. Quid aliud ibi villus, quam quod nos Itali, *i fiocchi d'una tovaglia? Villos* igitur *solutos* explico, subtemen e linteo pendens; huic simile dat unum Phædrus cuidam liberto:

Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus.

v. 935 *Quo sidere moto*. Quo exorto; sic postulat hic sensus: nam moveri sidus proprie est, quod ἀπὸ τοῦ ἀφανοῦς εἰς τὸ φανερὸν procedit; & econtra, quod ἀπὸ τοῦ φανεροῦ εἰς τὸ ἀφανές. (a)

v. 936 *Tosta sitit tellus*. Bene de hujus sideris ortu Alcæus Mitylenæus:

Οἴνῳ πνεύμονα τέγγε,
Τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται·
Ἡ δ' ὥρη χαλεπή,
Πάντα δὲ διψᾷ ὑπὸ καύματος.

v. 937 *Canis hic imponitur aræ*. Huic parissimum festum fuit apud Græcos, si bene memini: Κυνοφόντιν illi dixere. Athenæus lib. 3. Μὴ βαύζε, εἶπεν, ὦ ἑταῖρε, μὴ δὲ ἀγρίαινε τὴν κωμικὴν προβαλλόμενος λύσσαν, τὴν ὑπὸ κυνὸς ἴσων ἡμερῶν δέον αἰκάλλειν μᾶλλον, καὶ προσσαίνειν τοῖς συνδείπνοις, μὴ καί τινα Κυνοφόντιν. Isaacus Casaubonus mallet, Κυνοφόντιδα, ἑορτὴν παυσώμεθα, ἀντὶ τῆς παρ' Ἀργείοις ἐπιτελουμένης.

v. 939 *Cum Phrygis Assaraci*. IV. Kalendas Majas incipiebant Floralia. Plinius lib. 18. cap. 29 *Itaque iidem Floralia* IV. *Kalendas ejusdem* Maii *instituerunt*, *Urbis anno* DXVI. *ex oraculis Sibyllæ*, *ut omnia bene deflorescerent*. *Hunc diem Varro determinat*, *sole Tauri partem quartamdecimam obtinente*; *ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium*, *fruges*, *& omnia quæ florebunt*, *lædi necesse erit*. Nescio, an probi numeri Pliniani: sit mihi fides, & scribe, *anno Urbis* DXIII. nam L. & M. Publicio plebis Ædilibus, ut dicemus, instituta. Facile fuit ex 2. reddere litteram 5.

v. 943 *Exit & in Majas*. Scribit igitur solemnitatis partem sub finem mensis Aprilis agitari; quod reliquum, mense Majo. Diem ille Libro sequenti facit VI. Nonas Majas. In Kalendario Constantini Magni prima Floralia invenio pridie Kalendas Majas, altera 5. Nonas.

v. 945 *Aufert Vesta diem*. Ne fallaris: in hunc Vestalia non incidunt, sed in VI. Idus Junias. Nunc translatio celebratur sacri ignis in domum Palatinam. Mos fuit, Pontificem Maximum ædes publicas juxta Vestam incolere: quumque Augustus Pontifex jam designatus Palatium vellet inhabitare, Vestam ad se transtulit, id est a regione 8. in 10. ubi situm: cujus partem tunc publicavit. Dio Cassius: Ἐπειδὴ τοῦ Λεπίδου μεταλλάξαντος ἀρχιερεὺς ἀπεδείχθη, καὶ μετὰ τοῦθ' ἡ βουλὴ ψηφίσασθαι αὐτῷ ἠθέλησεν, οἰκίαν αὐτὸν προσοικήσασθαι ἔφη, καὶ ἐγκειμένων σφίσιν, ἐξανέστη τι καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ συνεδρίου. καὶ ὅτι ἐκεῖνα ἐπ' ἐκυρώθη, οὔτ' οἰκίαν τινὰ δημοσίαν ἔλαβεν, ἀλλὰ μέρος τι τῆς ἑαυτοῦ, ὅτι τὰ ἀρχιερατεῖα ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν, ἐδημοσίωσε. imo & mox totum; addit enim idem Scriptor lib. 55. Ὁ δὲ Αὔγουστος, τὴν οἰκίαν οἰκοδομήσας, ἐδημοσίωσε πᾶσαν, εἴτε διὰ τὴν συντέλειαν τὴν παρὰ τοῦ δήμου οἱ γενομένην, εἴτε καὶ ὅτι ἀρχιέρεως ἦν· ἵν' ἐν τοῖς ἰδίοις ἅμα καὶ ἐν τοῖς κοινοῖς οἰκοίη. Secunda caussa verior.

288 *Phæ-*

(a) *Quo sidere &c. Quo exorto* (explicat Carolus) *sic postulat hic sensus*: & moveri sidus, dici proprie affirmat, quod ἀπὸ τοῦ ἀφανοῦς &c. rursus ἀπὸ τοῦ φανεροῦ &c. moveatur. Esto. Sed, vel ipso Carolo teste, quo tempore Robigalia celebrantur canis non exoritur, sed occidit: hoc autem loco de Robigalibus sermo est. Jamvero Publius noster Robigalibus VII. Kalendas Majas Sidus hoc perperam exoriri dixerat; nam eo tempore seges vi potius frigoris, quam caloris obnoxia esse videtur. Id, Publi, si fieri dicas cane intra tredecimum, duodecimumque Kalendas Sextiles exoriente, equidem intelligo, sed septimo Kalendas Majas, vel juratus ajo, me nullo pacto intelligere. Absit verbo invidia, vel dicendum *Sidere moto* ad Sextiles Kalendas referri, vel Publium nostrum dormitasse credendum est.

Addit. ad num. 283. Bene, atque adeo optime de hujus sideris ortu Græcus Vates: *torrentur omnia*, *sitiunt omnia*, *sidus oritur rebus omnibus infestum*, scimus & libentissime confitemur: at quo tempore? eo, quo re vera oritur, non autem eo, quo omnium doctorum consensu occidit.

v. 947 *Phœbus habet partem*. In alio Palatii angulo templum erat Apollinis Palatini; unde illa nostri Nasonis in extrema Metamorphosi:

Vestaque Cæsareos inter sacrata penates,
Et cum Cæsarea tu Phœbe domestice Vesta.

Vides duo numina in una domo dicata. Svetonius in Augusto: *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo aruspices pronuntiarant*. Ipse in suo Indice Ancyrano: CVRIAM, ET CONTINENS, ET CALCHIDICVM TEMPLVMQVE APOLLINIS IN PALATIO CVM PORTICIBVS FECI. Meminit etiam porticus Svetonius: *Addita porticus cum Bibliotheca Latina Græcaque*; de hac initio libri 53. Dio Cassius; & Horatius Epistola 2. ad Florum libro primo:

. . . . . . Tangere vitet
Scripta Palatinus quæcumque recepit Apollo.

Latina scilicet, Græcaque, quæ divisim in Palatio locata. Hinc colligo, quod unaquæque bibliotheca suos custodes habuerit. Antiquus lapis: L. VIBIVS AVG. SER. PAMPHILIVS SCRIBA, ET A BIBLIOTHECA LATINA APOLLINIS. Alter: C. JVLIVS FALIX A BIBLIOTHECA GRÆCA PALATINA. Miror cur Palatina tantum *Græca* dicatur, Latina vero *Apollinis*: idque non in his solum lapidibus, sed & in tribus aliis observavi. *(a)*

CARO-

(a) *Phœbus &c.* Miratur eruditissimus Carolus, quid sit, quod in propositis lapidibus *Græca Bibliotheca* dicatur *Palatina*, *Latina vero Apollinis*. In tribus aliis id se observasse narrat, quod & nos. Romæ

TI. CLAUDIUS. ALCIBIADES
MAG. A BIBLIOTHECA LATINA
APOLLINIS

Alia C. JULIUS. FELIX
A. BIBLIOTHECA
GRÆCA. PALAT.

Lapis in ædibus Maffejanis ad Thermas Agrippinas

SULPICIÆ
THALLUSÆ
ANTIOCHUS. TI. CLAUDII
CÆSARIS. A. BIBLIOTHECA
LATINA. APOLLINIS
CONJUGI. SUÆ
BENE. MERITÆ

Ego vero diu, multumque rimatus, nihil usquam, quantum quidem potui animo & cogitatione contendere, elicui, cui dignum aliquid admiratione quasi μυστήριον, subesset: si quid indaganti sese ostenderit, mihique benigne demonstraverit, gratificantem mihi hominem multum amavero. Formulas igitur ex una consuetudine captas fuisse, censuerim. Quum enim vel ex Authore Bibliothecis nomen facerent, ut Octaviæ, Tiberianæ, Ulpiæ, vel ex ipso loco, ubi instructæ essent, ut Palatinæ, Tiburtinæ, vel ex ipso Numine cui essent consecratæ, ut huic Apollinis, Nomen loci Græcæ, Numinis vero Latinæ, qui sibi vel suis a bibliotheca homines monumenta posituri essent, pro arbitratu fortasse dedere. Latinam vero Apollinis potius quam loci nomen ideo præ se tulisse, crediderim, quod & latina esset, & præsentissima ejus Numinis ope Romani Scriptores indigerent, ut vel dignis carminibus, quæ in amplissima bibliotheca servarentur, vel alio rerum pulcherrimarum genere, quas essent excogitaturi, possent facile se ad immortalitatem comparare. Sed hæc dicis caussa: neque enim facile adducor, ut credam, easdem semper formulas Palatinæ bibliothecæ Custodes in suis monumentis omnibus fere innumeris, reliquisse. Græcæ Bibliothecæ, cui nihil omnino vel de loco, vel de auctore additur, ut quæ fuerit, dignoscatur, mentionem fieri video in Inscriptione apud Gruterum

C. JULIUS C. L. PHRONIMUS
A BIBLIOTHECA GRÆCA.

CAROLI NEAPOLIS
ANAPTYXIS
CUM ADDITAMENTIS AD PUBLII OVIDII NASONIS *Fastorum Lib. V.*

v. 2 NON *satis est liquido cognita caussa*. Ea propter tria adducitur ἔτυμα, mensem hunc aut a Majestate, Honoris & Reverentiæ filia, dictum, aut a Majoribus; aut a Maja Mercurii matre. Primi non meminit ullus nisi noster: secundum est ex sententia Fulvii nobilioris. Macrobius primo Saturnalium: *Nam Fulvius Nobilior in Fastis, quos in æde Herculis Musarum posuit, Romulum dicit, postquam populum in majores junioresque divisit, ut altera pars consilio, altera armis Rempublicam tueretur, in honorem utriusque partis hunc Majum sequentem Junium vocasse*. Tertium ex opinione Cincii; licet hic Majam Vulcani dicat uxorem. Vir ille Consularis: *Cincius mensem nominatum putat a Maja, quam Vulcani dicit uxorem; argumentoque utitur, quod flamen Vulcanalis Kal. Majis huic Deæ rem divinam facit*. Plutarchus in libro τῶν Κεφαλαίων: Καὶ τὸν τοῦτον ἴσως Ἑρμῆν ἐν αὐτῷ σέβονται, καὶ Μαίας ἐπώνυμός ἐστιν. ἢ (καθάπερ ἔνιοι λέγουσιν) ὁ μὲν Μάϊος ἀπὸ τῆς πρεσβυτέρας, ὁ δὲ Ἰούνιος ἀπὸ τῆς νεωτέρας ἡλικίας ὠνόμασται;

v. 3 *Ut stat, & incertus*. Theognis: Ἐν τριόδῳ δ' ἕστηκα.

v. 19 *De media plebe*. Τὸν τυχόντα Græci dicerent. Isocrates in Helenæ encomio: Ἐκ τῶν τυχόντων, ἀλλὰ μὴ τῶν πολὺ διενεγκόντων. Eodem sensu legitur, *de via mulier*, *puer e triviis*.

v. 19 *Sedere Deus*. Ac si postea sedes unicuique pro meritis assignatæ. Hanc distinctionem mihi visus Homerus adsignificasse in Iliade A. ubi, post Deorum convivium fictum & pictum,

Οἱ μὲν, addidit, κακκείοντες ἔβαν οἶκόνδε ἕκαστος,
Ἧχι ἑκάστῳ δῶμα περικλυτὸς ἀμφιγυήεις
Ἥφαιστος ποίησ' ἰδυίῃσι πραπίδεσσι.

Hinc Apulejus in Metamorphosi: *Accumbebat summum totum maritus, Psychem gremio suo complexus, & cum sua Junone Juppiter, ac deinde per ordinem toti Dei*.

v. 23 *Imposuere toris*. Scriptura palam melior, *composuere toris*.

v. 25 *Magna fuit.*. Semper una, & eadem.

v. 28 *Pudor & Metus*. Majestatis individui comites. Hinc Sophocles in Oedipode

Ἀλλ' ἔστι γὰρ καὶ Ζηνὶ σύνθακος θρόνων
Αἰδὼς ἐπ' ἔργοις πᾶσι. . . . . .

v. 30 *Suspectus bonorum*. Cultus & admiratio digniorum.

v. 36 *Et pro cruribus angues*. Sidonius Apollinaris:

Non hic terrigenam loquar cohortem
Admixto mage vividam veneno:

Cui præter speciem modo carentem,
Angues corporibus voluminosis
Alte squamea crura porrigentes,
In vestigia fauce desinebant.

v. 46 *Coluerunt Romulus illam.* Hinc Principi majestas in jure tribuitur. Vide Julium Paulum lib. 4. Sententiarum tit. 5. & Legem 7. §. Hoc ceterum. D. Ad legem Juliam majest. & Legem ultimam C. De legib. *(a)*

v. 50 *Illa datos fasces commendat.* Dignitates Consulares, Ædilitias, Prætorias, omnem denique Magistratum. De Prætore, inquit Paulus ad Sabinum in l. 9. D. De justit. & jur. *Prætor, salva majestate imperii sui, salvoque more majorum, jus dicere constituit.*

v. 61 *Patuit tunc curia seros.* Alludit ad Leges illas annarias. *(b)*

v. 65 *Unde petatur honor.* Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosii: *Non in amplissimis*, inquit, *Magistratibus adipiscendis, sed in Præturis quoque, & Ædilitatibus capessendis ætas spectata est: petitorum nec quisquam annos Comitiali lege præscriptos festinatis honoribus occupavit*; impetrata tamen a Principe aliquando venia. Plinius junior de se ipso VII. Epistolarum: *Illum in Prætura sum consecutus, quum mihi Cæsar annum remisisset.*

v. 66 *Et medius juvenum.* Loco digniori. Sallustius: *At medius ex tribus (quod & apud Numidas honori ducitur) Jugurtha foret*; inde Hadriani indignatio: *Nam quum quodam tempore*, scribit Spartianus, *servum suum inter duos Senatores e conspectu ambulare vidisset, misit qui ei colaphum daret, & diceret, Noli inter eos ambulare quorum esse adhuc potes servus.*

v. 67 *Et interior.* Si duo vero erant, prælatus senex in itione, aut sessione, & ad dextram positus. Hic verus sensus, ut placet V. C. Justo Lipsio in Electis, & Hadriano Turnebo, & aliis, si legas cum optimis etiam membranis, *& anterior*; quod non suadeo: dices, senem juvenem comitem tantillum præivisse.

16 *Cen-*

(a) *Coluerunt &c.* Florente, liberaque Republica *Senatus auctoritas*, *majestas Populi* dicebatur, quæ in Prætoribus erat, & in Coss. & in aliis Magistratibus majoribus; hanc, quam & dignitatem dixeris, qui læsisset *minutæ Majestatis reus habebatur*, *& majestatis crimine tenebatur*. Occupata vero Tyrannide, sublataque libertate, Majestatis nomen cœpit esse penes tantum Imperatores. Usurpabantur autem hæc *Majestas Augusti*, *Majestas Divinæ Domus*. Sicut vero in libero Populo apud hunc Majestas fuit, quæ dignitatem, atque amplitudinem imperii significaret, ita ubi summum Imperium cum uno esse cœpit, de uno tantum vocis hujus vis, ac significatio usurpari cœpit: factum hinc est, ut quæ antea *Majestas populi* dicebatur, *Majestas esset Augusti*. Jam vero *Majestas & Numen Augusti* simul ponebantur; hinc frequentia sunt illa in veteribus Monumentis N. M. Q. E. D. Idest *Numini*, *Majestatique ejus Devotus*. Ubi vero adulatio bonorum pestis capitalissima apud perditissimam Civitatem locum habuit, assentatores, & parasiti, ut Romanorum Primores verbis palparent, dignitatem quamlibet majestatem appellabant. In pravum hunc suorum temporum morem invehitur Trebellius, quem de Majestate Augusti, deque Majestate Cæsaris consule eo loco, ubi, de Valeriano Juniore multum dubitatum fuisse, narrat, Cæsar ne tantum, an Augustus etiam fuerit: multa enim a Trebellio in hunc locum deduximus.

(b) *Patuit &c.* Annaria, sive annali rogatione definitum, quot quisque natus annos magistratum quemque peteret, caperetque. Lata est L. Villio Trib. Pleb. (cui post Annales perrogatas leges Annali cognomen fuit) Lucio Manlio Acidino, Fulviano, Q. Fulvio Flacco Coss. An. V. C. 574. Sed ante Villium annariæ aliæ Leges scriptæ, perlatæque fuere, vel ipsius Livii testimonio gravissimo. De Scipione enim Africano (multis scilicet annis ante legem hanc ita scribit: *Huic petenti Ædilitatem, quum obsisterent Trib. Ple. negantes rationem ejus habendam, quod nondum ad petendum legitima ætas esset.* Sed Scipioni id evenisse fortasse per errorem scripsit Livius, quod postea accidit Æmiliano. Ut ut ista narrantur, cautius certe erit *latam a Villio*, demto *primum*, quam *a Villio primum* dicere.

v. 69 *Censuram longa senecta dabat.* Senibus, inquit, habita reverentia, ac morum magistris. *(a)*

v. 70 *Delectaque corpora.* Vetus liber, *selectaque*.

v. 71 *Summa relata.* Τὸ σύμπαν. Terentius Phormione: *Ad te summa rerum redit.*

v. 72 *Tangor.* Inducor ut credam.

v. 82 *Cum cælifero Atlante.* Membrana vetus, *cum stellifero*. Utram eligas, recta: & adludit ad fabellam Æschylus in Prometheo:

. . . . . Ὃς πρὸς ἑσπέρους τόπους
Ἕστηκε κίον᾽ οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς,
Ὤμοις ἐρείδων ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.

v. 85 *Et summo concubuisse Jovi.* Ipse superius in xv.

Nam Steropen Marti concubuisse ferunt:
Neptuno Halcyonen, & te formosa Celaeno:
Majan, & Electram Taygetamque Jovi.

v. 88 *Ladonque rapax.* De hoc flumine nos vix tria verba in 2. quibus addo locum Strabonis e libro primo: Καὶ ὁ Λάδων δὲ ὁ ἐν Ἀρκαδίᾳ ἐπέσχε ποτὲ τὸ ῥεῦμα. *(b)*

v. 90 *Exul ab Arcadia.* Hæc & quæ sequuntur tetigimus in primo.

v. 99 *Alipedisque Dei.* Panis & Mercurii. Dionysius vero libro primo inter sacra, quæ numerat ab Evandro in Latium introducta, Mercurii penitus oblitus: nam Pani scribit instituta Lupercalia, Victoriæ fanum, & θυσίας alternis annis; Cereri templum, & sacra ex more Græcanico; Neptuno ἱπποκράτεια. in genere postea subdit: Πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τεμένη καὶ βωμοὺς, καὶ βρέτη θεῶν καθιδρύσαντο, ἁγισμούς τε καὶ θυσίας κατεστήσαντο πατρίους, αἳ μέχρι τοῦ κατ᾽ ἐμὲ χρόνου τὸν αὐτὸν ἐγίνοντο τρόπον. In his sine dubio includit quidquid sacri tunc Mercurio institutum: sed damno Auctorem, qui hoc inter præcipua tunc novis accolis expressim non recensuit.

v. 100 *Succinctis Faune Lupercis.* Quia currebant cum subligaculis circa pudenda, ut notavimus in 2. Hoc eodem epitheto hos nominat Papinius in Epicedio ad patrem; attamen Fastorum membranæ aliquot veteres habent, *cinctutis*; non verius: nam *cinctutus*, & *succinctus* idem prorsus est. Utraque vocula venit a cinctu: nec alia caussa dixit Flaccus in Arte Poetica, *cinctutos Cethegos*, quam quod tunicam infra pectus cingerent.

v. 101 *Verbera secta.* Lego in multis, *vellera secta*. Vellus pro pelle usurpari quis nescit?

v. 107 *Quid faciam?* Non assentior magis veteri; in quo, *Quid faciant*.

v. 110 *Prima mihi nocte videnda.* Kalendis Maiis Capella oritur heliace; post hasce Ptolemæo: β. inquit, Ὥρᾳ ιδ ς ὁ καλούμενος αἲξ ἑῷος ἀνατέλλει. Columellæ eadem die qua nostro Fastographo.

v. 111 *Stella est in cunis.* Emendati codices, *in cunas*.

v. 112 *Oleniæ Capellæ.* Aget meas vices Strabo: cujus verba adscribam e libro 8. Αἴγιον, urbs est Achaiæ, δὲ ἱκανῶς οἰκεῖται. Ἱστοροῦσι δ᾽ ἐνταῦθα τὸν Δία ὑπ᾽ αἰγὸς ἀνατραφῆναι, καθάπερ φησὶ καὶ Ἄρατος.

Αἲξ ἱερή, τὴν μέν τε λόγος Διὶ μαζὸν ὑποσχεῖν.
Ἐπιλέγει δὲ καὶ ὅτι,
Ὠλενίην δέ μιν αἶγα Διὸς καλέουσ᾽ ὑποφῆται.

v. 112 *Signum pluviale.* In meo, *sidus pluviale*.

32 Cin-

(a) *Censuram &c.* Recte de senibus: *habet enim*, inquit Tullius de Orat. *ut in ætatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas*: & de Senect. *Temeritas est videlicet florentis ætatis, prudentia senectutis*. Ibidem; *Apicem senectutis auctoritatem esse dicit*.

(b) *Ladonque &c.* Ladonem Dionysius Εὐκάλλιμον, καὶ εὐρύφορον; placidum dicit Ovidius. Syrinx apud Ladona in arundinem mutata: Publius noster lib. 1. Metamorphoseon:

. . . . . *Restabat plura referre,*
Et precibus spretis fugisse per avia Nympham,
Donec Arenosi placidum Ladonis ad amnem
Venerat, hic illam, cursum impedientibus undis
Ut se mutarent, liquidas orasse sorores,
Panaque, quum prensam sibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphæ calamos tenuisse palustres.

v.122 *Cinxitque recentibus erbis*. Variant libri. In uno optimo est, *decentibus*; in quis, *virentibus*; in quis, *decoribus*.

v.126 *Sidera nutricem, nutricis*. In meo, *sidera nutricem, & nutricis*.

v.127 *Dominæ nunc quoque nomen habet*. Nam dictum κέρας Ἀμαλθείας.

v.128 *Videre Kalendæ*. His iisdem ara Laribus cognomine Præstitibus dedicata. (*a*)

v.130 *Ara erat illa quidem Curibus*. Ex hoc Sabinorum oppido olim cum Larum marmoreis signis in urbem advecta. Nescio an longe melior, & concinnior lectio membranæ veteris, *Struxerat illa quidem Curius*: nam in scriptoribus nec auctorem, nec tempus aræ dicatæ, sive transportatæ, vestigium repperi.

v. 131 *Et saxo longa senecta vocet*. Ausonius in hanc sententiam;

> . . . . . *Monumenta fatiscunt*.
> *Mors etiam saxis nominibusque venit*.

v.133 *Quod præstant oculis*. Hoc primum notes, Lares etiam antiquis creditos, quos nunc vocamus genios tutelares. Nunc ad etymon deveniam. Plutarchus: *An Præstites sunt qui præsunt*. Martianus Capella: *Specialis singulis mortalibus genius admovetur, quem & Præstitem, quod præsit gerundis omnibus, vocaverunt*. Hac etiam de caussa JOVEM PRÆSTITEM reperio legi sic cognominatum in inscriptionibus antiquis.

v.134 *Stant quoque pro nobis*. Hi speciales Capellæ genii cuique ad custodiam præfecti. Græci dixere, ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων. de his capiendus Epictetus primo Differet. cap. 14. Ἀλλ' οὐδὲν ἧττον καὶ ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε, τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδωκε φυλάσσειν αὐτὸν αὐτῷ, καὶ τοῦτον ἀκοίμητον καὶ ἀπαραλόγιστον. Novit hoc veriloquium antiquitas: hinc passim in spectionibus antiquis, ANTONINI IMP. GENIO; & junctim, CÆSARVM GENIIS, aræ perpetuæ consecratæ. (*b*)

v.134 *Et præsunt mœnibus urbis*. Hos vocarunt *Generales*, qui regna, urbes, populos curant. Capella: *Nam & populi Genio, quum Generalis poscitur, supplicant*. Hunc Roma dixit PVBLICVM, sive P. R. ut observo per lapides. Sed hunc Generalem putarunt augustiorem: nam in iisdem lego, DEO MAGNO GENIO COLONIÆ PVBLICANORVM.

v.136 *Et canis ante pedes*. Imo ipsi caninis quoque pellibus amicti. Plutarchus: Διὰ τί τοὺς Λάρητας, οὓς ἰδίως πραιστίτης καλοῦσι, τούτοις κύων παρέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται; ἢ πραιστίτης μὲν οἱ προεστῶτές εἰσι, τοὺς δὲ προεστῶτας, οἴκου φυλακτικοὺς εἶναι προσήκει, καὶ φοβεροὺς μὲν τοῖς ἀλλοτρίοις (ὥσπερ ὁ κύων ἐστίν) ἠπίους δὲ καὶ πράους τοῖς συνοικοῦσιν.

42 *Ser-*

(a) *Videre &c.* Cur præstites dicantur, caussam statim subjicit Ovidius: *Caussa tamen positi*, & ver. seqq. Videtur eamdem fere attingere Plutarchus Quæst. Rom. 50. *Laribus, quos proprie vocant Præstites, canes assistunt, & ipsi canum pellibus amiciuntur, quoniam qui præsides sunt, eos alienis formidolosos esse oportet, uti canes videmus, domesticis vero mites, ac mansuetos; vel quod Lares quidam furiales sunt, & exactores vitæ nostræ, atque operationum speculatores, quibus assidet canis, quem novimus ad investigandum sagaces esse*.

(a) *Stant &c.* Putabant autem viris Deum custodiam præfectum, feminis Junonem. Quid est igitur, quod legamus Ecl.4. v.63.

Incipe parve puer, cui non risere parentes
Nec Deus hunc mensa, nec Dea dignata cubili est?

Ergo viris & Deus præerat, & Dea. Sed hunc locum (varias enim ac dissimiles aliorum interpretationes missas facio) ita explicandum esse facile assentior V.C. Carolo Ruæo: Hunc puerum Genius ali non permisit (Genio enim vitæ præsidi Antiqui mensam sacravere) nec permisit Juno, in cujus tutela lecti geniales sunt, puerperia, nati & pueri, ad felices Nuptias pervenire. De Diis præsidibus hæc Plinius 2. 7. *Major Cælitum Populus, etiam quam hominum intelligi potest, quum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant, Junones, Geniosque adoptando sibi*. Locus autem Juvenalis Sat. 2. 98.

Et per Junonem Domini jurante Ministro

intelligendus est de molli, effeminatoque homine, cui ut mulieribus Juno præsit.

v.135 *Servat uterque domum.* Glossæ: *Lares* θεοὶ κατοικίδιοι. & Tertull. vocat *comitio potentes*, id est, domi potentes, si vera conjectura Claudii Salmasii: & non erit tanti Critici? Domi vero nulla fuit illis certa sedes: nam eos in foco positos reperio, in cubiculo, & in compluvio, & in porticu huic annexa. (a)

v.138 *Domino quoque fidus uterque.* Canum φιλοδεσποτίαν in dies experimur, & non custodiam? custodes ipsos, ut mireris, κύνας veteres dixere. Vide Æschylum in Agamemnone.

v.139 *Compita grata Deo.* Compita, αἱ συντέχναι. Glossæ, *Competit*, συντρέχει. Persii vetus interpres ad illud Sat. 5. *Pertusa compita, sunt loca in quadriviis quasi turres, ubi sacrificia pro finita agricultura rustici celebrant. Merito pertusa, quia per omnes quatuor partes pateant*; & post pauca: *Vel compita sunt non solum in urbe loca, sed etiam viæ publicæ, ac diverticulæ aliquorum confinium, ubi ædiculæ consecrantur: patentes, vel compita dicuntur, ad quæ plura itinera competunt.* Hinc Lares Compitales, & Compitalia festa, quæ Laribus in Compitis fiebant. Nec alibi talia sacra celebrari poterant: adde tamen etiam in foco. Cato de R. R. *Rem divinam nisi Compitalibus in compito, aut in foco, ne faciat.* Erant hæc inter ferias conceptivas. Varro lib. 5. de L. L. *Compitalia*, inquit, *dies adtributus Laribus, ut alibi: ideo ubi viæ competunt, tum in compitis sacrificatur; quotannis hic dies concipitur*; & alibi: *Comitiales dicti, quod tum esset populus constitutus ad suffragium ferendum: nisi si quæ feriæ conceptae essent, propter quas non liceret, ut Compitalia, & Latinae.* Hinc etiam Ausonius vocat, (b)

Et numquam certis redeuntia festa diebus.

Solus Dionysius videtur facere Stativa lib. 4. Ant. ubi Saturnalibus, quæ a XVI. Kalend. Januarias per dies aliquot celebrata, scribit successisse Compitalia. Audi Græcum scriptorem: Ἣν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἑορτὴν ἄγοντες Ῥωμαῖοι ἐπιτελοῦσι, ἐν ἡμέραις ὕστερον ἡμέραις τῶν Κρονίων, σεμνὴν ἐν ταῖς πάνυ καὶ πολυτελῆ, Κομπιτάλια προσαγορεύοντες αὐτὴν ἀπὸ τῶν στενωπῶν. Sed & mense Majo in Kalendario antiquo VI. Nonas invenio COMP. Nescio quo me vertam.

v.143 *Viribus annosæ.* In væteri est, *Visibus annosæ*.

v.144 *Qui tradidit illos.* Ne mireris vernalem hanc κολακείαν in exule ad suum Principem. Moneo, ne eruat ex his aliquis, ab Augusto primo Larum cultum Romæ traditum. Quid ille novi addiderit, vide apud Svetonium lib. 2. cap. 31.

v.145 *Urbs habet.* In quovis enim compito, in quovis larario domestico duo aderant, & cum his Augusti Genius, qui inter eos apud veteres cultus; hoc a nostro multis in locis adnotatum. Sed juvat nimium Taciti locus Annali primo: *Falanio objiciebat accusator, quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quemdam mimum corpore infamem adscivisset.*

48 *Diva*

(a) *Servat &c.* Erant etiam familiarum hæreditarii. Eorum cereas imagunculas, quisque habebat in Larario. Eligebantur etiam vel ex Diis Magnis, vel ex Majoribus defunctis, vel ex aliis Heroibus. Refert Lampridius, Alexandrum Severum, Abrahamum, Christum, & & Orpheum in Larario coluisse, quem vide in vita Alex. Sev. c. 29.

(b) *Compita &c.* Existimant aliqui ea numerari consuevisse inter compita, quæ Janum Quadriformem habuissent, & Lares. Ex veteri Lapide Veronæ

COMPITUM REFECERUNT, TECTUM PARIETES ALLEVARUNT, VALVAS LIMEN DE SUA PECUNIA LARIBUS DANT COSSO CORNELIO LENTULO L. PISONE AUGURE COSS.

conjiciunt eruditi viri Compitum Templum fuisse pro Compitis, ubi sacra celebrarentur.

Ad ludos autem compitales, quod pertinet, quum omnium testimonio conceptivi essent, non video quid sit, quod adeo moveatur Dionysii loco Carolus Noster, ut titubet, ut hæreat, ut nesciat, quo se vertat: quamvis enim paucis diebus post Saturnalia celebrarentur, statum tamen diem non habebant; eo quidem pacto, quo quamvis hyeme edi consuevissent, nullus tamen certus dies eis erat definitus. Formula, qua solebant a Prætore concipi, hæc erat. Die. non. I. populo Romano Quiritibus. compitalia. erunt. quando. concepta. fuerint. nefas.

v.147 *Diva cavenda Bona est*. Iisdem Kalendis Maiis sacra erat Bonæ Deæ, ut auctor etiam vetus scriptor Cincius primo Saturnalium. Hanc Græci Γυναικείαν dixere: Latinis est sane Dea polynominis. Victima in ejusdem sacrificio sus erat prægnans: illud vero *Damium* appellatum. Vide caussam in Festo. De sacerdotibus Bonæ Deæ tres aut quattuor vidi lapides in Thesauro inscriptionum. Mihi sit fides. *(a)*

v.152 *Oculos exosa viriles*. Plutarchus in C. Cæsare de templo & domo, in qua quotannis sacra fiebant (ea sæpe fuit aut Consulis, aut Prætoris, teste eodem:) Ἄνδρα δὲ προσελθεῖν οὐ θέμις, οὐδ' ἐπὶ τῆς οἰκίας γενέσθαι, τῶν ἱερῶν ὀργιαζομένων. Adeundus Tullius de Aruspicum responsis, ni grave est.

v.153 *Leniter acclivi jugo*. Vide ut explicat ædem Bonæ Deæ subsaxanæ, de qua cum antiquis Publius Victor regione 12. Fuit & ejusdem alia in Aventino: sed de hac sub saxo constituta aperte nunc loquitur.

v.154 *Crassorum nominis heres*. Malo ex priscis libris, *Clausorum nominis heres*. Hæc Appia illa Claudia probatæ pudicitiæ femina.

v.156 *Livia restituit*. Octaviani Augusti conjux.

v.158 *Postera quum roseam*. VI. Nonas Maii spirat ventus cui nomen Argestes.

v.160 *Frigidus Argestes*. Sic legendum, non ut ridicule cum Marso, *Agrestis*. Tu vide quid boni ex hac lectione possit elici præter nugas. Hunc ventum scribit Plinius lib. 18. flare ab occasu solstitiali, sed occidentali latere Septemtrionis: ideo frigidus. Ejusdem meminit lib. 2. *Ab occasu*, inquit, *æquinoctiali Favonius, ab occasu solstitiali Chorus, Zephyrum & Argestem vocant*. Aristoteles περὶ Κόσμου: Ἀργέστης μὲν, ὁ ἀπὸ τῆς θερινῆς δύσεως, ὃν τινες καλοῦσιν Ὀλυμπίαν. οἱ δὲ Ἰάπυγα. Idem ergo Olympias, Argestes, Japyx, & Chorus, immo & Chaurus. Vitruvius lib. primo cap. 6. *Inter Faunonium & Septemtrionem Chorus, quem plures vocant Chauram* hunc. Aristoteles videtur adscribere in numerum τῶν ἰδαγενῶν. ecce in his: Ζέφυρος οἱ ὅπι ἰδαγενής, καὶ ὁ Ἀργέστης καλούμενος.

v.161 *Candidaque a Capreis*. An potius legendum, ut in meo infimæ vetustatis, *a Calabris*?

v.162 *At simul inducent*. Hic noster, sui oblitus, posuit statim post solis occasum Hyadum ortum: scribere debuisset, matutinum. Plinius: VI. *Nonas Maii Cæsari Suculæ matutino oriuntur*, & VIII. *Idus Capella pluvialis*. Ætius, licet uno die ortum anticipet: Μηνὶ ἀρτεμισίῳ ὅ ἐστι Μαΐῳ α', Ὑάδες ἅμα ἡλίῳ ἀνατολῇ ἐπιτέλλουσι.

v.163 *Hyadas Graecus ab imbre vocat*. *(b)* Nostri *Suculas*, Græci a pluvia appellant. Tyro Libertus apud Noctes Atticas lib. 13. cap. 9. in quo A. Gellius ἀναςρολογητὸν se vel puero ostendit. *Adeo*, inquit, *veteres Romani litteras Graecas nesciverunt, & rudes Graecae linguae fuerunt, ut stellas, quae in capite Tauri sunt, propterea Suculas appellarint, quod eas* Ὑάδας *Graeci vocant; tamquam id verbum Latinum Graeci verbi interpretamentum sit: quia Graece* ὕες, *sues Latine dicantur*. *Sed* Ὑάδες, *inquit*, οὐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν,

---

(a) *Diva cavenda &c.* Hæc est caussa, quæ affertur a Festo. *Damium Sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonæ Deæ, dictum a contrarietate, quod minime esset* δημόσιον, *idest publicum. Dea quoque ipsa* Δαμία, *& Sacerdos ejus* δαμιάς.

(b) *Hyadas &c.* Earum nomina recitat Hesiodus

Phacola, sive Coronis, & hinc formosa Cleja,
Phaeoque, Eudoreque implexis crinibus auro,
Quas Nymphas Hyadas mortales nomine dicunt.

Sed alii plures, alii pauciores recensent, aliaque aliorum judicio earum sunt nomina. Consule Mythologos. Quod vero Bacchum nutrierint, qui & Hyas dictus, Hyadibus nomen factum fuisse aliqui prodidere; quamvis quod pluviam ferant, imbresque excitent ex communi poetarum opinione crediderim, ita fuisse appellatas. Has ideo tristes dicit Horatius Od. lib. 1. od 3.
Eorum signa Navigantibus certissima teste Euripide in Jone.

. . . . . . *Hyades navitis clarissimum*
Signum dedere . . . . . .

Filiæ Atlantis, sicuti & Plejades, ideo esse perhibentur, quod Atlas primus omnium & stellas, & earum vim, ingeniumque notaverit, ut auctor est Pausanias in Boeoticis, & apud Polosum commorans rerum cœlestium naturam suspexerit, inspexeritque altius earum ὑσίαν, quæ terris clauduntur. De Atlante earum Patre pluribus erudite disserit Natalis Comes Mythol. lib. 4 cap. 7. qui nobis, aliqua ad hunc locum afferenda, suppeditavit.

ὕειν, *ita ut nostri opici putaverunt, sed ab eo quod est* ὕειν *appellantur: nam & quum oriuntur, & quum occidunt, tempestates, pluvias largosque imbres cient*. Hæc quidem Tyro; unde Statius in Silvis de hoc sidere:

Non tantis Hyas inserena nimbis
Terras obruit, aut soluta Plias.

v. 166 *Pars Bacchum nutrisse putat*. Ex Pherecyde & aliis vide quod restat mythici apud Hyginum Fabularum capite CXCII. illum nostri Ovidii intimum; scribit de eo Svetonius in libello de illustribus Grammaticis: *Præfuit Palatinæ bibliothecæ: nec eo secius plurimos docuit: fuitque familiarissimus Ovidio Poetæ, & C. Licinio Consulari Historico: qui eum admodum pauperem decessisse tradit, & liberalitate sua, quoad vixit, sustentatum*.

v. 175 *Cominus ire feras*. In antiquo, *leas*; pari phrasi Propertius:

Aut celer agrestes cominus ire sues.

v. 177 *Præda cruenta lea*. Glossæ, *lea*, λέαινα.

v. 182 *Mater ades florum*. Eodem tempore Florales ludos Romani iterabant. Relege quæ diximus sub finem mensis Aprilis ad illa, *Exit & in Majas festum Florale Kalendas*: & quæ scripsimus superiori notula.

v. 188 *Circus in hunc exit*. Sed huic impudiculæ proprius. Plures Romæ Circi; notum: sed unus Floræ dictus in regione VI. Sextus Rufus in eadem: *Circus Floræ, templum Floræ, templum Salutis, templum Serapeum*. Fatetur & P. Victor. Hic igitur ludi per id tempus editi; quis addubitet? erant vero venatorii, & mansuetorum animalium; hinc noster paullo post a Dea quæritat:

Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leænis
Imbelles capræ, sollicitusque lepus?

Horum congressio voluptatis fuit, & incruenta. Sæpe tibi occurret in Valerii Martialis Epigrammatis. Alios etiam ludos iisdem festis datos reperio. Svetonius in Galba: *Honoribus ante legitimum tempus initis, Prætor, commissione ludorum Floralium, novum spectaculi genus, elephantos funambulos edidit*. Mehercule ἀξιοθαύματον.

v. 188 *Clamataque verba theatris*. (a) Ex his collige, & in circo lusum, & scena lasciviente. Ad hanc pertinet theatrum, in quo vulgi licentia, & a piissimis toties detestata impudicitia. Arnobius lib. 7. *Existimatur tractari se honorifice Flora, si suis in ludis flagitiosas conspexerit res agi, & migratum a lupanaribus in Theatra*. Πορνεῖον locum diceres, in quo editi ludi Scenici: nec fallor. Audi Justinianum Novella c. 5. ubi decernit septem Consulum πρόδους · de quinto, Καὶ πέμπτην, scribit, τὴν ποίησει πρόοδον τὴν ἐπὶ τὸ θέατρον ἄγουσαν, ἣν δὴ πόρνας καλοῦσι. ἔνθα τοῖς ἐπὶ σκηνῆς γελωτοποιοῖς ἔσται χώρα, τραγῳδοῖς τε καὶ τοῖς ἐπὶ τῆς θυμέλης χοροῖς, θεάμασί τε παντοδαποῖς, καὶ ἀκούσμασι ἀνειμένον ἐστὶ τὸ θέατρον. Ceterum scio, in aliis editionibus legi, *clamataque palma*. Utraque pertinet ad morem, quoties in scena aliquid actum, quod omnes plausu excepissent; tunc clamabat theatrum in lætitiæ, & approbationis signum. De quo jam plura litterati.

v. 195 *Littera Græca sono*. X. mutatum in F. a Χλωρὶς factum *Flora*, ut a χλόος *flos*; utraque tamen vox recepta Latinis. Vetus Plinii codex lib. 36. cap. 5. *Romæ Praxitelis opera sunt Chloris, Triptolemus, Ceres in hortis Servilianis*. In vulgatis est, *Flora, Triptolemus*.

v. 198 *Narrare modeste*. Ita meus & quamplurimi habent; ut sit *modeste* adverbium: non tamen minus egregie. Duo apud me veteres, *modestæ*, tertio casu: hoc est, mihi non fastosæ.

Rep-

(a) *Clamataque &c. Scena lasciviente*, Carolus ait: Lasciviente autem? immo spurcidicis, obscœnisque versibus perstrepente. Adeo ut videatur sibi Plautus rem fecisse magnam, & singularem, atque adeo ejusmodi, ut sponte sua posset, vel honestissimos spectatores ad audiendum allicere, quod Fescennina a Captivis summoverit. Ita enim ille sub finem Prologi.

Profecto expediet Fabulæ huic operam dare,
Non pertractate (al. prætextate) facta est,
neque item ut ceteræ.
Neque spurcidici insunt versus immemorabiles.
Hic neque perjurus leno'st, nec meretrix mala,
Neque miles gloriosus . . . . .

v.199 *Repperit illa Deum*. Nupsit enim Zephyro. Inde, Chlorin, & Zephyritim, συνώνυμα, scribunt viri docti: quibus nominibus sentitur etiam Arsinoe Philadelphi uxor. Vide caussam apud Adrianum Turnebum libro 1. Adversariorum cap. 7. *(a)*

v.203 *Erichthea præmia ferre domo*. Orithyan, Erichthei Regis filiam. Herodotus in Polymnia: Βορῆν δὲ, κατὰ τὸν Ἑλλήνων λόγον, ἔχει γυναῖκα Ἀττικὴν, Ὠρείθυιαν, τὴν Ἐρεχθῆος. ea in posterum Atheniensibus pro Dea culta; mox idem: Ἢ καὶ πρὸ τῶν, ἐθύοντό τε καὶ ἐπικαλέοντο τόν τε Βορῆν καὶ τὴν Ὠρείθυιαν, τιμωρῆσαί σφι, καὶ διαφθεῖραι τῶν βαρβάρων τὰς νέας, ὡς καὶ πρότερον περὶ Ἄθων.

v.205 *Præmia ferre*. Præmium pro præda. Ne tibi novum, en testimonium Tibulli:

. . . . *Aut rapta præmia veste petat*:

Hinc Nonnio *præmiatores*, sunt prædatores.

v.216 *Pictis incinctæ vestibus Horæ*. Ad rem spectat pars Cyprii Poematis: cujus auctor sive Stasimus, sive Hegesias, parum refert; hæc verba:

Ἵματα μὲν χροῒ ἕστο τά τε αἱ Χάριτές τε καὶ Ὧραι
Ποίησαν, κ᾽ ἔβαψαν ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν,
Οἷα φοροῦσ᾽ Ὧραι, ἔν τε Κρόκῳ ἐνθ᾽ ὑακίνθῳ,
Ἔν τ᾽ ἴῳ θαλέθοντι, ῥόδου τ᾽ ἐνὶ ἄνθεϊ καλῷ,
Ἡδέϊ, νεκταρέῳ, ἔντ᾽ ἀμβροσίαις καλύκεσσιν
Ἄνθεσι Ναρκίσσου καλλιρρόου, δῖ᾽ Ἀφροδίτα
Ὥραις παντοίαις τεθυωμένα ἵματα ἕστο.

v.222 *Prima Therapnæo*. In medio vetustissimo, *Prima ego Amyclæo*. Claudianus de Hyacintho: *Tu natus Amyclis*. Utraque lectio dicit Laconicum puerum: nam Ἀμύκλαι καὶ Θεράπναι oppida sunt Laconica. Adi Cosmographos.

v.223 *Scripta querela suo*. Αἶ αἶ lugentibus aptæ syllabæ in foliis inscriptæ, ob interitum amasii Apollinis: sive sint illæ τοῦ Αἴαντος, si verum ex Ajacis sanguine editum, ut scribit Columella. Inde de hoc flore duplex fabula Plinio lib 21. cap. 11. Hic flos Græcis ἶρις & ξίρις. Ῥωμαῖοι δὲ, inquit Dioscorides, γλαδίολον καλοῦσι. Ὑάκινθος genericum videtur nomen, qui plures comprehendit hyacinthi species: ex his forte una gladiolus; hic tantum has lugubres notas repræsentat: & lilio similis, ut describit noster in Metamorphosi. Siculi dicunt *spatulilla*, Hispani, *lirio* cum r: nam lilium illis dicitur *açuçena*. Radix capillata est arundinis illi similis. Plurimis rebus usui est: non ignorant mulierculæ.

v.226 *Quid Crocon aut Acin*. Ita cusi & MSS. omnes: at ex Vaticanis alii præferunt, *aut Attin*.

v.227 *De quorum per me vulnere*. Legas, si vis, *per me sanguine*. Quæ editio in multis. Suspecti mihi qui habent, *per me munere*.

v.228 *Per nostras editus artes*. Flora fuit; quæ mœstæ Junoni, ob natam Minervam ex mariti vertice sine ope conjugis, florem ostendit in Achaja: quo tacto, Juno sine viro fecunda Martem peperit. Id tetigit Festus in Gradivi etymo: *Vel ut*, inquit, *alii dicunt, quia gramine sit ortus*.

v.235 *Attulit? exposuit*. Malo præsenti tempore, *exponit*, auctore codice veteri.

76 Tar-

(a) *Repperit &c.* Hæc Turnebus: *Arsinoen Philadelphi uxorem Ægyptii consecrarunt, Veneremque, & Zephyritin appellarunt; eique templum in Zephyrio ædificarunt, eamdem, ut Zephyri uxorem, Chlorin vocarunt: Neminem enim fere latet Chlorin uxorem Zephyri a Poetis dici, quæ & Flora latinis est*. Et non ita multo post locum Stephani recitat allato ante Callimachi Disticho: *Et Zephyrium Promontorium Ægypti, a quo Venus & Arsinoe Zephyritis, ut Callimachus vocat*. Hippiam etiam Hesychii testimonio dictam fuisse narrat, quod in Cœlo equum habuisse diceretur.

v.243 *Tartareos excutiamque sinus*. Loquendi modus creber ethnicis, quum omnem lapidem moturos ajebant. *(a)*

v.244 *Vox erat in cursu*. Adhuc Juno loquebatur; quum nescio quid volentis aliqua proferre notavit in Floræ vultu: ac ne tum quidem hæc verbum adjecit.

v.250 *Tibi missus ab arvis*. Credo verius, *mihi missus ab arvis*.

v.252 *Qui dedit hunc*. Scribe, impellente libro nostro, *Cui dabat hunc*.

v.252 *Sterilem quoque tange juvencam*. Tauram. Festi Abbreviator: *Tauras vaccas steriles dici existimabant hac de caussa, quod non magis, quam tauri pariant*. Ipsa auctoris verba fere tota adrosa.

v.255 *Tangitur; & tacto*. Mala manus quæquumque sic scripsit, legendum, *Tangit, & intacto*; ut supra, *intacto viro*.

v.257 *Fitque potens voti*. Idem est ac voti compos, ut supra in 3.

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Femina lucentes portat ab urbe faces.

v.258 *Habeto dixit in urbe locum*. Ac si Martis opera Floralia instituta. Res ridicula.

v.261 *Flore semel læso* Hæc germana scriptura, non illa, *Flore simul læso*.

v.261 *Pereunt viciaeque, fabaeque*. Ita scribendum, non *vitiae*, cum Marso: qui vere natus malo litterarum.

v.262 *Lentes, advena Nile, tuae*. Quas Poeta *Pelusiacas* vocat in Georgicis. *(b)*

v.263 *Condita cellis*. Ἐν τοῖς οἰκίοις.

v.270 *Mella meum munus*. Bene Plinius: *Verum hortis, coronamentisque maxime alvearia & apes conveniunt*.

v.271 *Et thyma grata voco*. Subdit idem statim: *Harum ergo caussa oportet serere thymum, apiastrum, rosam, violas, lilium, cytisum, fabam, ervuiliam, cunilam, papaver, conyzam, casiam, melilotum, melissophyllum, cerinthen*.

v.276 *Dic, Dea, respondi*. Ita omnino legendum. Vitiose quidam codices, *respondit*.

v.276 *Ludorum quae sit origo.(c)* Scribet, Ædiles Plebis, qui dicti L. Publicius Malleolus, & M. Luc. Malleolus quum plurimos locupletes agros Populi Romani occupasse animadvertissent,

---

(a) *Tartareos &c.* Juno apud Virgilium eodem fere utitur loquendi modo, ostendens, nihil inausum se, nihil intentatum relicturam.

Ast ego magna Jovis Conjux, nil linquere inausum,
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea? Quod si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est?
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

(b) *Lentes &c.* Recte
Lentes advena Nile tuæ
Pelusium enim, unde & Pelusinæ lentes dicuntur, urbs est prope orientale Nili Ostium, quamvis frequentes sint in Ægypto.

(c) *Ludorum &c.* Ergo si multatitia pecunia Florales ludi celebrari cœpere, commentitia, fictaque sunt, quæ de Flora Meretrice, deque scripto ab ipsa bonorum herede populo Romano litteris prodidit Lactantius lib. 1. 12. Videre enim Floræ sacra vel ipsa Romuli tempora, & religionem hanc Romam allatam fuisse a Tatio Sabinorum Rege, tam verum est, quam quod verissimum. Quid quod hinc conficere licet multo ante Romuli tempora Floram a Sabinis cultam fuisse? Confirmat hæc, refragaturque Lactantio testis omnium locupletissimus Marcus Varro de L. L. 4.10., ubi Tatium cum Romulo congressurum Opi, Floræque vovisse narrat. Quid si Flaminis Floralis originem obscuram esse idem tradit lib.6.? Huc accedit, quod argentei nummi a L. & M. Publiciis Malleolis ejus anni Ædilibus, quo Floralia celebrata sunt, caput genii P. R. præ se ferunt, qui locupletes agrum publicum occupantes reos fecit, multamque indicant figura arietis, vel ovis. Quid est igitur, quod florales ludos multatitia pecunia, Lactantio assentantes, per id tempus actos fuisse, inficiemur?

tiffent, ad populum reos adduxiffe; ex quo factum, ut peculatus damnarentur. Mulctatitia illa pecunia ad clivum fternendum, & Florales ludos, quos numquam Roma viderat, deputata.

v.283 *Populi depafcere faltus*. Ex quibus tantum olim ille vectigal emungebat. Plinius: *Etiam nunc in tabulis cenforiis pafcua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet; quia diu hoc folum vectigal fuerat*. Adde, fi placet, & quia novi vectigalis nomen femper odio fuit. *Saltus* vero vocabant, ubi erant paftiones, auctore Fefto Pompejo. Unde *faltuarii paftores* Jurifconfulto in L. 8. D. De fundo inftruct. & inftr. legat. Scias etiam, eumdem effe, populi faltum, & fcripturarium agrum. Feftus: *Scripturarius ager publicus appellatur, in quo ut pecora pafcantur certum æs eft: quia publicanus fcribendo conficit rationem cum paftore*. Inde *fcriptura*, quod pendebant. Plautus Truc.

Nam adverfum legem, a me ob meam fcripturam pecudem
Accepiffet. . . . .

v.289 *Mulctam fubiere nocentes*. Ad id promulgata poftea lex Thoria. (a)

v.291 *Mulcta data eft ex parte mihi*. Ex ea tunc tibi ædes extructa juxta Circum maximum, & inftituti proprii ludi. De æde Tacitus Annali 2. *Iifdem temporibus*, id eft, anno Urbis DCCLXIX. *Deum ædes vetuftate aut igni abolitas, cœptafque ab Augufto, dedicavit: Libero, Liberæque, & Cereri, juxta Circum maximum, quas A. Poftumius Dictator voverat: eodemque in loco ædem Floræ, ab Lucio, & Marco Publiciis Ædilibus conftitutam*. Obibant id munus hi anno Urbis DXIII. Confules erant, quos refert Paterculus libro primo: *Torquato Semproniogue Confulibus Brundufium coloniis occupatum, & poft triennium Spoletium: quo anno Floralium ludorum factum eft initium*. Sed obferva, quod unus Paterculus alterum ex Confulibus illius anni facit Torquatum; Caffiodorus, & Tabulæ Græcæ, volunt fuiffe C. Claudium Centhonem: de M. Sempronio Tuditano omnes conveniunt.

v.293 *Parte locant clivum*. Hæc mihi proba lectio; non illa, *Parte locant clivi*.

v.294 *Publiciumque vocant*. Ab auctoribus. Marc. Varro lib.4. de L. L. *Clivus Publicius, ab Ædilibus plebei Publiciis, qui eum publice ædificarunt. Simili de cauffa Publilius vicus, & Cofconius vicus, quod ab his viris dicuntur ædificati*; & Feftus: *Publicius clivus appellatur, quem duo fratres, L. M. Publicii Malleoli Ædiles Plebei* (ita legendum omnis ratio poftulat, non *curules*) *pecuariis condemnatis, ex pecunia, quam ceperunt, munierunt, ut in Aventinum vehicula venire poffint*; fic emendat Jofephus Scaliger ultima hæc, *vehiculi Velia venire poffint*: at Vinandus Pighius, *vehicularii Vehiæ venire poffint*; hæc Ofcis plauftrum erat onuftum, tefte eodem Fefto.

v.295 *Negavit*. Eo igitur tantum anno illi exhibita. Sed florum damnis iram oftendit, & longa oblivia: nam per 66. annos folidos iterum Floralia fua non vidit; diuturna fane paufa. (b)

v.297 *Feftis gaudemus, & aris*. Lucianus in Icaromenippo: Οἱ δὲ θεοί, ὡς Ὅμηρός που λέγει, καὶ αὐτός, οἶμαι, καθάπερ ἐγώ, πάλαι τεθεαμένοι, οὔτε σῖτον ἔδουσιν, οὔτε πίνουσιν αἴθοπα οἶνον, ἀλλὰ τὴν ἀμβροσίαν παρατίθενται, καὶ τοῦ νέκταρος μεθύσκονται· μάλιστα δὲ ἥδονται, σιτούμενοι τὸν ἐκ τῆς θυσιῶν καπνόν, αὐτῇ κνίσῃ ἀνηνεγμένον, καὶ τὸ αἷμα δὲ τῶν ἱερείων, ὃ τοῖς βωμοῖς οἱ θύοντες περιχέουσιν.

v.302 *Suftinuiffe manum*. Id eft, *continuiffe*. Seneca in Hercule Oeteo:

. . . . *Parce verberibus precor,*
Megæra, parce, fuftine Stygias faces.

v.305 *Refpice Theftiaden*. Meleagrum Theftii ex Althæa matre nepotem. Quid tritius hac fabula? v.307 *Ea-*

(a) *Mulctam &c.* Legis Thoriæ auctor Sp. Thorius Trib. Pl. Hac cautum, fi qua Appiano fides lib. 1. bell. Civ. ne deinceps agri dividerentur, fed poffefforibus in iis relictis, vectigalia pro iis penderentur. Legunt aliqui apud Appianum *Borium*, fed perperam. Si qua tamen fides Tullio, Lex hæc ejus carminis minime fuiffe videtur. Ita enim in Bruto c. 36. *Sp. Thorius fatis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum, vitiofa, & inutili lege vectigali levavit*; tantum enim abeft, ut poffeffori vectigalia effent hac lege imperata, ut etiam poffeffor fuerit, & ager publicus vectigali levatus.

(b) *Negavit &c.* Annua facta funt, poft multorum annorum fterilitatem ob verni temporis intemperiem, ut felicius plantæ florefcerent, anno V. C. 580 L. Poftumio Albino, & M. Popilio Lenate Cof.

v. 307 *Eadem Dea vela tenebat*. Idoneum sensum non elicies, ni legas, *eadem Dea tela tenebat*; & est Fanensis, cui placet mala illa editio: sed o quam alienam a mente Poetæ sententiam colligit!

v. 309 *Coluisse Dionem*. Hæc Hesiodo, & Homero Veneris parens; unde Arnobius: *Dionæa Venus proles, viri mater familias Troici, atque intestini decoris publicatrix*; sed hic pro filia est, ut apud Papinium 5. Achilleidos de Paridis judicio:

. . . . . . *Sed solam nimium vidisse Dionem*.

v. 310 *Diripereris equis*. Vide quam supra mortale ingenium depingat hanc mortem Annæus Seneca Actu 5. in Tragœdia, cui nomen Extincti. *(a)*

v. 313 *Fierem manifesta doloris?* Ut populo ostenderem, qua pœna affecta ob ludorum prætéritionem.

v. 326 *Sed mihi nulla fuit*. Sivi grandini, ventis, tempestatibus suum cursum: hoc verum, non averti, quod potui; inde supra, *Excidit officium tristi mihi*.

v. 327 *Convenere patres*. Anno Urbis DXXC. L. Postumio Albino, & M. Popilio Læna Consulibus: horum jussu quotannis incœpta exhiberi Floralia; quumque cura ludorum pertineret ad Ædiles plebejos, spectaculum edidit Ædilis unus ejusdem anni C. Servilius C. filius Casca. Nummus vetus testatur, in cujus superficie Floræ effigies, in altera hæ notæ, C. SERVILIVS C. F. FLORAL. PRIMVS.

v. 329 *Consul cum Consule ludos*. In manuscripto, *Consul cum Consule latos Postumio ludos*. Rectius cusi: facilis fuit transpositio litterarum.

v. 330 *Persolvere mihi*. Sic prisci: alii, *rite vovere mihi*. *(b)*

v. 331 *Quare lascivia major*. Nudatæ tunc in scena mimæ, teste Seneca. Et quid non actum impudentius sub Floræ clypeo? Ælius Lampridius de Heliogabalo: *Hieroclem vero sic amavit, ut ejusdem inguina oscularetur; quod dictu etiam verecundum est, Floralia sacra se asserens celebrare*. Adegere ea festa, ut e theatro semel aufugeret Cato, nec denuo exinde viseret. Valerius Maximus lib. 2. cap. 10. *Eodem ludos Florales, quos Messius Ædilis faciebat, spectante, populus, ut mimæ nudarentur, postulare erubuit: quod quum ex Favonio amicissimo sibi una sedente cognovisset, discessit e theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret: quem abeuntem ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem jocorum in scenam revocavit*. Dixi *denuo*: nam Catonis ejusdem postea prodiit liber, ut fatetur vetus Auctor, ad Magistratum serio scriptus in Floralia. Natus sane vir ille ad coercitionem morum verus fuit Censor. Vere olim populus in ipsiusmet statuæ titulo: Ἐπιγράψειν, inquit Plutarchus, οὐ τὰς στρατηγίας, οὐδὲ τὸν θρίαμβον τοῦ Κάτωνος, ἀλλ' (ὡς ἄν τις μεταφράσειε τὴν ἐπιγραφὴν) ὅτι τὴν Ῥωμαίων πολιτείαν ἐγκεκλιμένην καὶ ῥέπουσαν ἐπὶ τὸ χεῖρον, τιμητὴς γενόμενος, χρησταῖς ἀγωγαῖς καὶ σώφροσιν ἐθισμοῖς καὶ διδασκαλίαις εἰς ὀρθὸν αὖθις ἀποκατέστησε.

v. 335 *Sutilibus coronis*. *(c)* A suendo sic dictæ; de his capiendus Tertullianus in Pallio: *Vetus jam Hydræ Centaurorumque sanguis pumice speculi excludebatur*, cave aliter legas, *insul-*

(a) *Diripereris &c.* Apud Senecam actu 4. Hippoliti mors ita depingitur

Præceps in ora gnatus implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus, & quanto magis
Pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.
Sensere pecudes facinus, & curru levi
Dominante nullo, qua timor jussit, ruunt.
. . . .
. . . .
. . . .
Late cruentat arva, & illisum caput
Scopulis resultat, auferunt dumi comas,
Et ora durus pulcra populatur lapis,
Peritque multo vulnere infelix decor: (tæ,
Moribunda celeres membra pervolvunt ro-
Tandemque raptum truncus ambusta sude
Medium per inguen stipite ejecto tenet,
Paullumque domino currus affixo stetit:
Hæsere bijuges vulnere, & pariter moram,
Dumque rumpunt: inde semianimem secant
Virgulta, acutis asperi vepres rubis,
Omnisque truncus corporis partes tulit.

(b) *Quare &c.* Ob id, quod de Catone a V. Maximo narratur, claudens Epistolam lib. 1. Epigrammaton M. V. Martialis sic ludit.

Nosses jocosæ dulce quum sacrum Floræ,
Festosque lusus, & licentiam vulgi,
Cur in Theatrum Cato severe venisti?
An ideo tantum veneras, ut exires?

(c) *Sutilibus &c.* Fateor me lectionem ejus loci e Pallio Tertulliani depromti, quæ Carolo nostro mirifice probatur, non intelligere, clariorem manes ejus, & planiorem ni reddiderint. Interea igitur dum apertior fit, legam cum aliis: *Vetus jam hydræ, Centaurorumque sanguis in sagittis pumice speculi excludebatur, insultante luxuria &c.*

insultante luxuria, ut post monstra transfixa coronam forsitan fuerent. Hæ sunt Hesychio ῥάμματα ἀοιδαί. Græcis ῥάμμα futura: unde ῥαπτὰ dixere iidem carmina disiecta, & sparsa in unum, veluti consuta; qualia fuere illa Homeri olim, ut vult Pindari Scholiastes ad Nemeonicas.

v. 335 *Pinguntur tecta*, Scriptus, *cinguntur tecta*.

v. 337 *Ebrius incinctis*. Scribe, *incinctus philyra conviva capillos.*

v. 337 *Philyra conviva capillis*. Primo monendum, imperite ab aliquibus scribi *Philyram* cum littera majuscula. Multis exemplaribus inest hæc menda a magistellis, qui philyram dicunt hic esse feminæ corollariæ nomen; haud dubie delirant. Philyris antiqui utebantur pro lemniscis in coronarum plexione. Esto contentus uno Plinii loco: *Inter corticem, ac lignum tenues tunicas multiplici membrana, e quibus vincula tiliæ vocantur: tenuissimæ earum philyræ, coronarum lemniscis celebres, antiquorumque honore.*

v. 338 *Vertitur arte meri*. Huc pertinent antiqui versiculi.

Οἶνος γὰρ τ' ἐφίηκε πολύφρονα περ μάλ' ἀεῖσαι,
Καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καί τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκε.

v. 339 *Ad durum limen amicæ*. *Durum limen* alibi dixit *inimica claustra*; quæ pessulo clausa noctu amatores excludebant: ipsi tunc ea soliti unguentis ungere. De quo more capienda moneo Lucretii ista lib. 4. (*a*)

At lacrumans exclusus amator, limina sæpe
Floribus, & sertis operit, postesque superbos
Ungit amaracino, & foribus miser oscula figit.

v. 340 *Cantat*. Glossæ veteres ad illud Auli Persii Satyra 5. (*b*)

. . . . . *Dum Crysidis udas*
Ebrius ante fores extincta cum face canto.

Udas fores, quas amatores solent ungeunto perfundere, & ante januam earum noctem vigiliis & cantu transigere. Ejusmodi cantilena Latinis *occentatio*: unde, *ostium occentare*.

v. 342 *Nec liquidæ juncto flore*. Mancus sensus, ni rescribas, *Nec liquidæ vinclis flore*; hoc est coronatis.

v. 347 *Scena levis decet hanc*. Uno verbo, argumenta magodiæ, & mimica vilitas.

v. 348 *Illa cothurnatas*. Κόθορνος calceus erat tragicus; ut soccus, comicus; hinc illud:

Nil

(a) *Ad durum &c.* Durum limen, difficilem januam, dicebant amantes, qui Dominæ postibus solebant conviciari, nisi aditus ad nocturnos amores daretur. Hos non vino modo, & unguentis spargebant, verum etiam floridis sertis ornabant, ut facilius possent, additis precibus, exorare. Apud Latinorum Poetarum flosculos, eliciasque Ovidium, Tibullum, Propertium hæc, & id genus alia sæpe invenies. Tib. lib. 1. El. 2.

Janua difficilis dominæ, te verberet imber,
Te Jovis imperio fulmina missa petant.
Janua jam pateas uni mihi victa querelis
&c.

Propertius lib. 1. El. 16.

Victa meis nunquam janua muneribus.

Idem ib.

Et mihi non desunt turpes pendere corollæ.

Tib. 1. 2.

Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, quum posti florida serta darem.

Elegantissimum arbitror locum Senecæ 3. de ira: *Nunc ille, qui intra jacet, felix, fortunatusque est, & beati hominis, ac potentis judicat indicium, difficilem januam.*

(b) *Cantat &c.* Occentare apud veteres erat adversus aliquem obstrepere, convicium facere. L. L. XII. Tab.

SI QUI CARMEN OCCENTASSIT, QUOD ALTERI FLAGITIUM FAXIT, CAPITAL ESTO.
SI QUI PIPULO OCCENTASSIT &c.

Adde Festum. *Occentassint, antiqui dicebant, quod nunc convicium fecerint, dicimus: quod id clare, & cum quodam canore fit, ut procul exaudiri possit; quod turpe habetur, quia non sine caussa fieri putatur: inde cantilenam dici, quia illam non cantus jucunditatem puto.*

Hinc ostium occentare, & ad fores occentare in malam partem, utrumque apud Plautum Curc. & Merc.

Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.

Græcis aliquando sunt ἐμβάδαι. Epictetus cap. 20. Τραγικὰ προσωπεῖα, ἐμβάδας καὶ τὸ σύρμα, ὡς καὶ γελωτοποιοί. Quales fuerint, explicat Lucianus in Anacharsi: Τραγῳδοὶ ἀποδύματα ἔχουσι βαθέα καὶ ὑψηλά, χρυσαῖς δὲ αὐταῖς τῶν ἐσθῆτα ποικίλων. idem alibi, ut hanc altitudinem adsignificaret; Καὶ προσωπεῖον ἀποθέμενος. ἢ καταβὰς ἀπὸ τῆς ἐμβάτης.

v. 351 *Non est de tetricis.* Non est, inquit, ex illis severæ & caperatæ frontis; unde de Tragœdiæ cultu bene noster in libris ineptiarum: *Fronte comæ torva*; hoc est, tetrico aspectu; de quo nec mœsto nec hilari, sic laudavit Calpurnium Pisonem Annæus Lucanus in Panegyrico:

Talis inest habitus, qualem nec dicere mæstum
Nec fluidum, læta sed tetricitate decorum
Possumus: ingenitæ stat nobilitatis in illo
Pulcher honos, & digna suis natalibus ora.

v. 353 *Dum floreat, uti.* Hoc idem pluribus eleganter, ut solet, expressit primo Amorum Elegia 7. Formæ semel vetulæ ludibrio sunt: &, ut alter ajebat, si quæstui operam dabant, esuriunt velut senescentes aquilæ in templorum fastigiis. Hac comparatione usus Epicrates in Antilaide: cujus fragmentum, quæso, vise apud Athenæum lib. 13. cap. 4.

v. 355 *Vestes Cerealibus albæ.* Dixit in iv.

Alba decent Cererem, vestes Cerealibus albas
Sumite: nunc pulli velleris usus abest.

v. 356 *Sic est hæc cultu versicolore decens?* Glossis *versicoloria* sunt ποικιλόχροα. Vestis versicolor Græcis ἀνθινὴ ἐσθὴς, ut ποικίλη. Sed cur in Floralibus hæc gestari solita? ipsemet, inquit paullo post esse in caussa, quia flores varii etiam coloris. Luxuriosis olim proprius hic habitus. Unde forte in his festis receptum puto, quia ad meretrices celebritas pertinebat. Ἀνθινὰ Athenis ipsa gestari solita, nescio an in Urbe. Suidas: Νόμος Ἀθήνησι, τὰς ἑταίρας ἀνθινὰ φορεῖν. hæc eadem lata olim nostris Syracusis. Athenæus lib. 12. cap. 4. Φύλαρχος δ' ἐν τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκοστῇ τῆς ἱστοριῶν φησὶν, ὅτι παρὰ Συρακουσίοις νόμος ἦν τὰς γυναῖκας μὴ κοσμεῖσθαι χρυσῷ, μὴ δ' ἀνθινὰ φορεῖν, μὴ δ' ἐσθῆτας ἔχειν πορφυρᾶς ἐχούσας παρυφὰς, ἐὰν μή τις αὐτῶν συγχωρῇ ἑταίρα εἶναι κοινή. Hoc scio, antiqua lege Romæ matronis vetita; de qua Livius lib. 34. *Tulerat eam C. Oppius Tribunus plebis, Q. Fabio & T. Sempronio Consulibus, in medio ardore Punici belli, nequa mulier plus semiuncia auri haberet, nec vestimento versicolori uteretur.* Versicolor, & varius color in vestibus idem. Hinc colligo, quod de pallio lenonis comici hæc Donatus: *Leno pallio varii coloris utitur.* Hoc idem ἀνθινὸν dicitur a Polluce: Πορνοβοσκοὶ δὲ χιτῶνι βαπτῷ καὶ ἀνθινῷ, περιβολαίῳ ἐνδέδυνται. Βαπτὸν aliquando quoque Græcis pro ἀνθινοῦ Vide Hesychium.

v. 360 *Ut rosa missa solet.* Mensas olim floribus ornatas, in deliciis fuisse, notum. Sed mentiar, ni noster adludit ad sparsionem, quæ de tecto & desuper fiebat; cujus exemplum en in Svetonio de Nerone: *Cœnationes laqueatæ, tabulis eburneis versatilibus, ut flores ex fistulis, & unguenta desuper spargerentur.*

v. 361 *Lumina restabant.* Hoc monitum vult sub finem, ludos diurnos etiam per noctem continuasse veteres, & facibus accensis. Dubius est in caussa; sed verisimilem putat, quod voluptatum illecebris aptissima videatur licentia nocturna.

v. 379 *Nocte minus quarta.* v. Nonas Centaurus fertur in ortum: eodem tempore, & Columellæ, & Rhapsodo illi sub nomine Ptolemæi a Leonico edito.

v. 381 *Pelion Æmoniæ.* Describit ubi, & quales erant Chironis ædes. Sed de his sic fusius elegans Statius primo Achilleidos:

. . . . *Domus ardua montem*
Perforat, & longo suspendit Pelion arcu.
Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas;
Signa tamen, Divumque tori, & quem quisque sacrarat
Accubitu genioque locus monstratur: at intra
Centauri stabula alta patent, non æqua nefandis
Fratribus. Hic hominum nullos experta cruores
Spicula, nec truncæ bellis genialibus orni,
Aut consanguineos fracti crateres in hostes;
Sed pharetræ insontes, & inania terga ferarum.

En etiam, ut laudat virum a justitia cum nostro Fastographo.

v.386 *In lyricis detinuisse modis*. Ipse Achilles apud Euripidem:

Ἐγὼ δ' ἐν ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου τραφεὶς,
Χείρωνος, ἔμαθον τοὺς τρόπους ἁπλοῦς ἔχειν.

& Statius loco citato, solitum, inquit, Chironem jam senem

Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas:
Aut monstrare lyra veteres Heroas alumno;

hoc est, Achilli.

v.387 *Venerat Alcides*. Vide Hyginum libro 2. Poet. Astronomicon.

v.391 *Philyrius Heros*. *Philyrejus* omnino legendum.

v.395 *Auderent tangere setis Vellus*. Leonis spolium.

v.399 *Traxitque e corpore ferrum*. Veteres omnes libri, *traxitque e vulnere ferrum.*

v.401 *Lectas Pagasæis collibus herbas Temperat*. Jam notasti supra, hunc Medicinæ etiam operam dedisse; imo fertur magni illius Archiatri præceptor, ut patet ex Tarquitio apud Lactantium, & ex Hygino; hic: *Æsculapium & Achillem nutrisse existimatur*. Huc spectat quod in Sphæra barbarica scripsit Manilius, sub hoc fere signo nasci qui tractet artes medicas: sed pro veterinis. *(a)*

v.405 *Sanguis Echidnæ*. Ἐχίδνης, unde ἐχίδιον, parva viperula. Vide Suidam.

v.407 *Stabat ut ante patrem*. Hæc, & quæ sequuntur, edocent quantus debeatur magistris amor, & honor.

v.414 *Bis septem stellis*. Hygino sunt XXIV. præter stellas hostiæ, quam supra aram tenens immolare videtur.

v.416 *Nox aptum tertia tempus erit*. III. Nonas Lyra oritur ortu acronicho, Aetio pridie: Μηνὶ τῷ αὐτῷ δ' Λύρα ἑσπερία ἐπιτέλλει, καὶ ἀπαιολὴ ἀὴρ ἱκανῶς.

v.418 *Media parte videndus erit*. Pridie Nonas altera pars Scorpii occidit cosmice. Columella: *Pridie Nonas Majas Nepa medius occidit*. Nepam pro Scorpione usurpat, ut Manilius, & alii. Glossæ, *nepa*, σκορπίος. *(b)*

v.419 *Hinc ubi protulerit*. VII. Idus Majas sacris Lemuralibus triduum impendebatur.

v.421 *Nocturna Lemuria*. Glossæ, *Lemuralia*, ἑορταὶ τῆς ἱερᾶς. Sunt qui legant τῆς Ἄκκας, sive τῆς Ἀττίας. Nil mutandum, o Critici; idque Zosimi locus aperte evincit lib. 4. de Valentiniano: Ἐπεὶ δὲ καὶ νόμον εἰσφέρειν ἐγχείρει ποιήσασθαι, ἀφ' οὗ ἱερὰς ὥσπερ ἀρξάμενος, τὰς νυκτερινὰς ἐκώλυε θυσίας ἐπιτελεῖσθαι. Cui Larum, nisi Lemuralibus nocturna sacra factitata? sane hoc nomine certum est comprehendi & bonos & noxios genios. *(c)*

v.423 *Annus erat brevior*. Proponit hic veterem hunc ritum a Romulo institutum umquam omissum; licet Numa additum anno Februarium, totum placandis defunctis & lustrationibus addixerit.

v.425 *Sua dona ferebant*. Unde Feralia dicta illa mense Februario. Noster ibidem: *Hanc, quia justa ferunt, dixere Feralia lucem*.

143 *Nox*

(a) *Lectas Pagasæis &c.* De Æsculapio Lactantius lib. de falsa religione, & canino lacte nutritum, & Chironi traditum artem ab ipso medendi doctum fuisse scribit. Et Pindarus Pith. Od. 3.

Velim Chironem Philliriden &c.

. . . .

. . . .

Qualis existens nutriit olim
Filium suavem incolumitatis
Membris vegetæ Æsculapium
Heroem omnigenorum propulsatorem morborum.

Vide etiam Nem. od. 3.

(b) *Media parte &c.* Sed dubitat Festus Caperne sit, an Scorpius in voce *Nepa*, ut ad ejus Fragmentum Paullus: *Nepa Afrorum lingua sidus, quod cancer appellatur, vel ut quidam volunt, Scorpius.* Plautus: *Recessim dabo me ad parietem* (Cas. 2. 8. 7.) *imitabor Nepam*.

(c) *Nocturna &c.* Porph. ad eum Horatii locum Epist. 2. lib. 2. v. 98.

Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos Lemures, portentaque Thessala vides?

umbras esse arbitratur hominum post interitum errantes, a Remo quasi Remures dicti, mutata, ut docet Ovidius hoc eodem libro v. 48. aspera litera in lenem, unde Lemures dicti sunt. Umbram enim Fratris Romulus placare quum vellet, Lemuria instituit. Fabas in sacris noctu projicientes putabant, se umbras posse illas domo deturbare. Docet noster Naso hoc eodem lib. v. 335.

v.429 *Nox ubi jam media est*. Addit qua noctis hora hæc ἐναγίσματα fiebant. Μάχλω quoque νύκτα lib. 3. Apollonius observat ad Magica; sed quartam suspicatur aptissimam Auctor anonymus, nec temere: sic enim dividit horas nocturnas: Ἐν πρώτῃ τῆς νυκτὸς ὥρᾳ δαίμονες αἰνοῦντες θεὸν, ἐπὶ ἀδικοῦσιν, ἐπὶ κολάζουσιν. ἐν δευτέρᾳ ὀφείλει στοιχειῶσαι ἀποτελέσματα εἰς δράκοντας, καὶ πῦρ. ἐν πέμπτῃ διέρχονται δαίμονες ἐν τοῖς μνήμασι, ἐν ᾗ ὀφείλει ἐνεργεῖν ἐπὶ μαγικῶ, καὶ γοητικῶ παντὸς πράγματος. ἐν ὀγδόῃ ἀποτέλεσμα στοιχείων καὶ παντοίων φυτῶν. Invenio tamen passim apud veteres, quovis tempore noctis magos similia sacra operatos de die etiam, dummodo locus, in quo illa agenda, fuisset tenebris obsitus.

v.432 *Vincula nulla pedes*. Forte, ne hypodema quidem in tacitis sacris, vel tantillum rumoris excitaret; an quia, quod verius, moris erat magis nudo pede sacra sua peragere, ut apud Senecam Medea:

Secreta nudo nemora lustravi pede

& apud Maronem illa, *Unum exuta pedem vinclis*; ind Horat. testatur vidisse

Canidiam pedibus nudis, passoque capillo.

v.433 *Signaque dat digitis*. Sed cum strepitu, præter opinionem Jacobi Gutheri in libro de Jure manium: non enim vult, qui sacra facit, ut umbra sibi penitus tacito occurrat; clare hoc sensus innuit.

v.433 *Medio cum pollice junctis*. Libri veteres, *juncto*. Quidquid sit, est crepitus ille qui fit manibus nostro ævo in quavis saltatione, sive comica, sive rustica, digito scilicet medio adeo presse juncto cum pollice, ut lapsus in palmam strepitum edat. Hunc vero superstitiosum ritum, ne umbra accedat ante jactum fabarum, præter nostrum, non habeo qui mihi astruat. Fœde vero peccat vir alter doctus, qui locum de pressione pollicis intelligit, quæ apud antiquos favoris index; sicut ejusdem versio, negationis. Alter & alter mos jam pridem excussus a Criticis.

v.435 *Fontana perluit unda*. Ante quodvis sacrum præcedebat χέρνιψ quem hæc latent?

v.436 *Vertitur*. Quia omne purgamentum trans caput jaci solitum; nam respicere illud vetitum. Apulejus: *Luna decrescente lavato eum, & te ipsum qui facis, ante limen extra domum prima nocte: & herbam incende aristolochiam; & suffimigato eum. Redite ad domum; & ne post vos respiciatis, resolvistis eum*. Quid clarius? & non præcipit idem Orpheus, cum (a)

Μηδὲ, inquit, μεταστρέφεσθαι, ἐπεί κ' ἀπὸ νοσφὶ τράπηθι·
Ἀλλ' αἰεὶ προτέρω εἰς ἀτραπὸν ὄσσε φέροντες.

Vide meum Siculum Ἰδυλ. 4. Homerum Ὀδυσ. κ. Æschylum in Χοηφόροις, & Scholiastem.

v.436 *Et nigras accipit ore fabas*. Festus Pompejus: *Fabam nec tangere nec nominare Diali flamini licet; quod ea putatur ad mortuos pertinere: nam & Lemuralibus jacitur larvis, & Parentalibus adhibetur sacrificiis; & in flore ejus luctus litteræ apparere videntur*. Varro de Vita populi Romani; *Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu; ac dicunt se Lemures extra januam ejicere*. (b)

v.436 *Accipit ore fabas*. Fallor; an purior e Vaticanis petita lectio? *accipit ante fabas*.

151 *Hæc*

(a) *Vertitur &c.* Sed ante Apulejum superstitionem hanc, ritumque rejiciendi februa trans caput in confluentem non respicienda elegantissime indicavit Virgilius Eccl. 8. v. 101.

Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti,
Transque caput jace, ne respexeris.

Hoc autem, didicit Virgilius a Theocrito Idil. 29., qui ἐράκλισκος.

Sub Auroram aliqua ex Ancillis collectum cinerem
Projiciat bene omnem, ad fluvium ferens
In petras præruptas, in ventum secundum,
statimque redeat
Non respectans. . . . .

(b) *Et nigras accipit &c.* Larvis lemuralibus fabæ jaciebantur, parentalibus sacrificiis adhibebantur; in earum flore luctus littera apparere videtur. Docemur hæc a Festo ex Varrone. Plin. *Ob hæc Pithagorica sententia damnata, ut alii tradidere, quoniam mortuorum animæ sint in ea. Qua de caussa parentando utique assumitur. Varro & ob hæc Flaminem ea non vesci tradit*,

v. 439 *Hac novies dicit*. Forte quia hic numerus in magico isto sacro necessarius. Ipse 13. Metamorphosi:

Et purgate nefas novies mihi carmine dicto.

v. 441 *Temesæa æra*. Non quod hæc vis insita huic Tempseo metallo; sed quia nobile illud Tempsæ apud scriptores. Dixit vero *Temesæa* Græcatius, ut alibi in Medicamine faciei, & Papinius in Silvis: Latinis est Tempsa, quæ Græcis Τεμέση. Strabo lib. 6. Ἀπὸ τῆς Λάου πρώτη πόλις ἐστὶ τῆς Βρεττίας Τεμέση, Τέμψαν δ' οἱ νῦν καλοῦσιν. Vide apud eumdem quæ sequuntur de conditoribus, de metallis, si tamen lubet. (a)

v. 441 *Concrepat æra*. Æris tinnitum aptum ad spectra solvenda credidit vetustas. Sophron in Mimis: Κύων βαΰξας λύει τὰ φάσματα, ὡς καὶ χαλκὸς κροτηθείς. notat & Theocriti Scholiastes: Τὸν χαλκὸν ἐπῆδον ἐν ταῖς ἐκλείψεσι τῆς σελήνης, καὶ ἐν τοῖς κατοιχομένοις, ἐπειδὴ ἐνομίζετο καθαρὸς εἶναι, καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων· διόπερ πρὸς πᾶσαν ἀφοσίωσιν, καὶ ἀποκάθαρσιν αὐτῷ ἐχρῶντο, ὅθεν χαλκοῦ ἦχος οἰκεῖος τοῖς κατοιχομένοις. φησὶν Ἀπολλόδωρος Ἀθήνησι τὸν ἱεροφάντην τῆς κόρης ἐπικαλουμένης ἐπικρούειν τὸ καλούμενον ἠχεῖον, καὶ παρὰ Λάκωσι βασιλέως ἀποθανόντος εἰώθασι κρούειν λέβητα. Observa illa sub initium, καὶ ἐν τοῖς κατοιχομένοις; & respice ad hodiernum morem.

v. 447 *Plejade nate mone*. Ἀποστροφὴ ad Mercurium, ut sibi pandat Lemuralii nominis originem.

v. 457 *Visa est assistere lecto*. Ut indicet, non quidem apparuisse Remi umbram, sed visam ex somni elusione: licet vere vinis mortalibus apparere animæ possint; his paria illa Maronis: (b)

In somnis ecce ante oculos mæstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus.

Idem hic alibi de umbra Creusæ finxit. Sed licet observare, quod de errabundis animis sibi suasit cæca vetustas. Lucianus in Philopseude: Ὁ δὲ, ὅρα, ἔφη, ὦ Εὐκράτης, μὴ τοῦτο φησὶ Τυχιάδης, τὰς τῶν βιαίως ἀποθανόντων μόνας ψυχὰς πλανᾶσθαι, οἷον εἴ τις ἀπήγξατο, ἀποτμηθεὶς τὴν κεφαλὴν, ἢ ἀνεσκολοπίσθη, ἢ ἄλλῳ γέ τῳ τρόπῳ τοιούτῳ ἀπῆλθεν ἐκ τοῦ βίου, τὰς δὲ τῶν κατὰ μοῖραν ἀποθανόντων οὐκέτι. Adlusit ergo noster ad magicam hanc vanitatem: nam Remus, ut legis, biothanata morte functus.

v. 468 *Perdidit*. Mitior nempe fuit ferinus animus humano; huic par dictum Bianoris, quo conclusit celebre Epigramma super Arionis fabula:

Κτεινόμεθ' ἀνθρώποις, ἰχθύσι σωζόμεθα.

v. 469 *Animam per vulnera reddas*. Precatur interfectori simile mortis genus. Fuit ethnicorum sententia, animæ a corpore sejunctæ remanere potestates sensitivas. *Fertur enim*,

(a) *Temesæa &c.* Eumdem, ac apud Ovidium hujus vocis usum video apud alium latinum Scriptorem. Statius Achill. 1. enumerans gentes, quarum pro suis quæque opibus, ac facultatibus Græcis Bellum in Trojanos molientibus auxilia parabat, sic cecinit:

. . . . . . *Concussasque erigit Urbes:*
Æra domant Temesæ; quatitur Navalibus ora
Euboïs, innumera resonant incude Mycenæ.

(b) *Visa est &c.* Umbras eorum, qui occisi essent, quique justam sepulturam minime habuissent, in somnis viventibus adfuisse crediderunt veteres. In somnis oratum a Patroclo fuisse Achillem, ut corpus suum sepulturæ mandaret, colligimus ex Homero Il. 13. 71. Lepide id confirmat Tranio apud Plautum Most. 2. 2. v. 58.

. . . . . Tr. *'st, Tace ausculta modo,*
Ait venisse illum in somnis ad se mortuum.
Theurop. *Nempe ergo in somnis?*
Tr. *ita: sed ausculta modo:*
Ait illum hoc pacto sibi dixisse mortuum
. . . .
. . . .
. . . .
. . . . Tra. *Sed ecce, quæ ille inquit:*
Ego transmarinus hospes sum Diapontius,
Hic habito. Hæc mihi dedita est habitatio.
Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit,
Quia præmature vita careo. per fidem
Deceptus sum, hospes hic me necavit, isque me
Defodit insepultum clam ibidem in hisce ædibus
Scelestus auri caussa.

enim, scribit Plato de Legibus Dialogo 9. (omitto Græca) *interfectum hominem, qui libere vixit, interfectori proximo statim post mortem tempore irasci; ac propter violentam mortem terrore turbationeque plenum, maxime, si viderit interfectorem inter suos more solito vivere, ipsum, ejusque actiones, vim ad hoc suppeditante memoria, cunctis viribus terrere atque turbare*. Exempla passim tibi occurrent: Orestes & Nero exagitati a parentum umbris, a Marianis animis Sylla, a Cleonice Pausanias: & alia.

v. 476 *Effugit umbra manus*. Homerus Iliade ψ.

Ὣς ἄρα φωνήσας ὠρέξατο χερσὶ φίλῃσιν,
Οὐδ' ἔλαβε· ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνὸς
Ὤιχετο τετριγυῖα.....

v. 478 *Uterque ferunt*. Faustulus, & Acca.

v. 481 *Aspera mutata est in lenem*. R. in L. a Remuria pronuntiatum Lemuria. Græci sunt, qui distinguunt δασέα, & ψιλὰ γράμματα.

v. 483 *Animas dixere silentum*. Glossæ, *Lemures*, νυκτερινοὶ δαίμονες.

v. 485 *Illis clausere diebus*. Vide nos de caussa in Feralibus ad illud,

Di quoque templorum foribus celentur opertis,
Thure vacent aræ, stentque sine igne foci. (a)

v. 487 *Nec viduæ tedis*. Plutarchus, post multa de hac consuetudine expensa, Οὐ γαμοῦσιν οὖν, inquit, ἐν τῷ Μαΐῳ, περιμένοντες τὸν Ἰούνιον, ὅς ἐστιν μετὰ τὸν Μάϊον.

v. 492 *Inter se nulla continuata die*. Nam hi sex continuis diebus. Primus, tertius, quintus sacri sunt Lemuralibus; hinc capies vetus Kalendarium, in quo sic illa notantur:

A. LEM. N
B C.
C. LEM. N.
D. NP. LVD MART IN CIRC.
E LEM. N.

v. 493 *Quorum si mediis*. Incidebant media Lemuralia in v. Idus Majas, ergo in idem tempus occasus Orionis, non VI. ut scribit Gregorius Bersmannus: cujus error aperte venit ex non intellecto Pentametro nuper illustrato. Aliorum futiles interpretationes non scribam, ne chartam frustra inquinem.

v. 493 *Bæoton Oriona*. Ex patria. Nicander in Theriacis:

Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον Ὠαρίωνι.

v. 496 *Mercuriusque vias*. Tres etiam Varino sunt; sed hic pro Mercurio ponit Ἀπόλλωνα Palæphatus, Servius Homeri Scholiastes, ut Naso. Sed de hac fabula variæ sententiæ priscorum. Vide Partherium in Amatoriis affectionibus, Brusonium, Nicandri, Lycophronis, Arati Scholiastas, Hyginum, & apud eumdem Istrum, & Aristonicum.

v. 501 *Nec tempora longa supersunt*. Jam nox, inquit, adventat.

v. 503 *Addidit & vultum verbis*.)

...... *Super omnia vultus*
Accessere boni, nec iners pauperque voluntas. (b)

Dixit in Metamorphosi de Baucide, & Philemone, apud quos Jupiter & Mercurius diverterant.

170 *Ni-*

(a) *Illis &c.* Caussam indicat lib. 2. n. 218. Ut arcerentur ab aspectu funesto: addit se legisse statuas Deorum in viis positas, si illac funestum aliquid esset transferendum, panno velari consuevisse.

(b) *Addidit &c.* Habitum scilicet faciei ita compositum, ut animi studium, ac voluntatem, quo erat hospites excepturus, significaret. Hic autem faciei habitus, & compositio vultus, quæ dicitur, in utramque partem sumi potest in bonam, & in malam. Hinc latinum proverbium: *Vultu sæpe læditur pietas*, nempe perversa, contumacique totius oris conformatione. Reverentia enim, ac pietas erga parentes tam facile violari potest, ut non re modo, ac verbo, sed etiam ipsis oculis, vultuque lædatur. Bonus igitur senex Hyreus *addidit & verbis vultum*, voluntatis indicem, quæ una, teste Seneca *benefic.* 9. apud homines ponit beneficium.

v. 505 *Nigro deformia fumo*. Ostendit pauperem & unam boni senecionis casulam; & forsan aliud, nondum cognita fumi emissaria.

v. 506 *In hesterno stipite parvus erat*. Sic explicat; quod Græci uno verbo Ζώπυρον. In textu veteri, *in extremo stipite*; non displicet.

v. 507 *Flammas excussit ab aura*. Non reprobo lectionem; sed mihi sedet etiam illa ex antiquis, *flammas exsuscitat aura*; qua locutione usus in Metamorphosi:

Inde foco tepidum cinerem dimovit, & ignes
Suscitat hesternos, foliis & cortice sicco
Nutrit, & ad flammas anima perducit anili.

v. 509 *Minor inde fabas*. Quid ponat præter legumina? Hæc apud veteres invenies in victu pauperum, aut Philosophorum. Nunc vide, quæ pararit hospitibus in Metamorphosi Hyreo paullo ditior Philemon;

Quodque suum conjux riguo collegerat horto
Truncat olus foliis, furca levat ille bicorni
Sordida terga suis nigro pendentia tigno;
Servatoque diu resecat de tergore partem
Exiguam, septamque domat ferventibus undis.

Ne te, sodes, abstineas a reliquis.

v. 510 *Et spumat testa*. In aliis, *testu*. Utrumque receptum. Varro: *In testu caldo coquebatur*. Petronius: *Quum animadverto Enotheam cum testo ignis pleno venientem.*

v. 517 *Primis diffuderat annis*. Juvenalis: *Capillato diffusum Consule potat*. Vinum veteres ætate æstimabant; quis ignorat? hinc optimi, amariores calices. Seneca Epistola 64. *Quomodo in vino nimis vetere ipsa nos amaritudo delectat*. Hoc vitium in vino: seu melius, quum illis delicium longum temporis spatium caussabat. Galenus Θεραπ. μεθ. ιβ'. Μὴ μέντοι πικροὶ γ' ἔστωσαν ὑπὸ παλαιότητος οἱ οἶνοι. Idem Περὶ ἀντιδ. α'. Καλοῦσι δὲ οἱ ἀπὸ τούτων οἴνοι παλαιοῦσθαι, τὸ μεταβάλλειν ἑτοίμως εἰς τὴν τοιαύτην ποιότητα τῶν παλαιουμένων. θερμότης δ' ἐστὶν αὕτη μετὰ τοῦ ξηραίνειν σφοδρῶς, ὕστερον δὲ καὶ πικρότης. Ex eodem discimus veterem illum morem, in eisdem amphoris ætatem vini scriptam; quem & tritus ille locus Petronii expressit: *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, in quibus pictatia erant affixa cum hoc titulo*: VINVM OPIMIANVM ANNORVM CENTVM. *(a)*

v. 517 *Diffuderat annis*. Diffusum vinum est κατεσταμνισμένος.

v. 519 *Lino celantibus ulvam*. In Metamorphosi de lecto Philemonis:

. . . . . *In medio torus est de mollibus ulvis.*

v. 522 *Terra rubens crater*. Vas vinarium erat figulinum.

v. 522 *Pocula fagus erat*. Ex poculo etiam ostendit curtam Hyrei supellectilem. Seneca in Hercule Oeteo:

Pectora pauper secura gerit;
Tenet e patulo pocula fago.

v. 523 *Si*

(a) *Primis diffuderat &c.* A vino veteri ad fabulas comicas similitudinem lepide assumsit Plautus in Prol. Cas. v. 5.

Qui utuntur vino vetere sapientes puto,
Et qui libenter veteres spectant fabulas,

& ad poemata Horatius, ut ostendat non, ut vina tempore, ita poemata bona fieri, sed optimo ingenio, assiduoque studio, & exercitatione, acrique judicio Scribentis Epist. 1. lib. 2. v. 34.

Si meliora dies ut vina poemata reddit,
Scire velim pretium chartis quotus arroget annus.

Consuetudinem hanc vini ætatis signandæ, præter Galenum, & Petronium, indicat eleganter Juvenalis Sat. 4. v. 34.

.... *Cujus* (vini) *patriam, titulumque senectus*
Delevit multa veteris fuligine testæ.

Inscribebant etiam, quo Consule diffusum fuisset, quem morem festive attingit Horatius Carm. lib. 3. Od. 8. v. 9.

Hic dies anno redeunte Festus
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.

v. 523 *Si quid fert impetus ora*. Meo est, *si quid fert impetus, opta*.

v. 532 *Pudor est ulteriora loqui*. Corium juvenci minxere; at Euphorion: Λαβόντας οὖν οἱ θεοὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ γηθέντες αὐτοῖ βοὸς βύρσαν ἀπεσπέρμηναν εἰς αὐτήν. Hoc, puto, sibi vult Naso. (*a*)

v. 535 *Quia sic genitus*. Ἐκ τῶ ὄρου.

v. 535 *Vocat Uriona*. Omnino sic legendum, non *Oriona*; ut adhuc multi.

v. 536 *Littera prima sonum*. Ου scilicet verterunt in ο: diversa tamen sentit Strabo, qui de Oreo monte scribit lib. 10. Δοκεῖ δὲ καὶ ὁ Ὠρείων ἐνταῦθα τραφῆς, ὅπου ὀνομασθῆναι.

v. 541 *Scorpion immisit tellus*. Aratus:

> Ἡ δὲ οἱ ἐξ αὐτῆς ἐπετείλατο θηρίον ἄλλο,
> Νήσου ἀναῤῥήξασα μέσας ἑκάτερθε κολώνας,
> Σκορπίον . . . .

v. 545 *Sed quid & Orion*. Fictio poetica de cita Orionis & siderum immersione, ut dies illa illucescat, qua Cæsar Octavianus in foro a se structo templum Martis Ultoris consecravit. Hanc esse suspicor, quæ notatur in veteri Kalendario IV. Idus Majas: NP. LUDI MARTI IN CIRC.

v. 552 *In Augusto conspicienda foro*. Ipsemet Princeps in suo monumento Ancyrano: ULTORIS TEMPLUM, FORUM AUGUSTUM, ET TEMPLUM APOLLINIS IN SOLO MAGNAM PARTEM : : : : : : (in hoc semiexeso loco scribendum putat maxumus ille Musarum sacerdos Lipsius, A ME EMPTO) FECI. Svetonius in eodem: ubi & votum, & quæ in caussa, & annum etiam habes. *Publica*, inquit cap. 29. *opera plurima exstruxit, ex quibus vel præcipua, forum cum æde Martis Ultoris, templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Jovis in Capitolio. Fori exstruendi caussa fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius, necdum perfecta Martis æde, publicatum est; cautumque ut separatim in eo publica judicia & sortitiones judicum fierent. Ædem Marti bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat. Sanxit ergo, ut de bellis triumphisque hic consuleretur Senatus: provincias cum imperio petituri, hinc deducerentur; quique victores redissent, huc insignia triumphorum inferrent*. De Ædituo hujus templi mentio in hoc lapide antiquo:

D. M.
T. PIAVIO AVG. LIB.
LIBERALI ÆDITVO
MART. VLTORIS
CLAVDIA EXOCHE
CONJVGI.
BENEMERENTI ET
SIBI FECIT.
VIXIT ANNIS LVII.

v. 553 *Est*

(a) *Pudor est &c.* Tripater dicitur a Lycophrone, quod tribus Diis satus. Candaonem Boeoti dixere, postea Oriona.

Bovem coronatum gravis coquus draco
Cædet tripatris ense olim Candaonis.

Historiam universam, cujus partem attingit Carolus, ab Eupharione depromtam huc libet deducere: *Hyreus Neptuni, & Alcyones filius, quæ una fuit e filiabus Atlantis, aliquando in Tanagra civitate Boeotiæ habitavit. Quum vero benignus esset adversus hospites, Dii quoque dicuntur in ejus hospitium accessisse. Jupiter autem, & Neptunus, & Mercurius ab illo liberaliter tractati, ejusque benignitate delectati proposuerunt, ut quodcunque liberet, peteret. Hic quum adhuc esset sine filiis, filium poposcit. Tum vero Dii pellem mactati bovis sibi capientes in ipsam semen profuderunt, jusseruntque illam sub terram occultare, neque ante decimum mensem aperire: quibus mensibus peractis natus est Urion, qui ita vocatus est, quod quasi minxissent Dei: at vero propter devitandam turpitudinem vocis, postea dictus fuit Orion*.

v. 553 *Est Deus est ingens*. Optima membrana, *Et Deus est ingens*. hæc Germana lectio.

v. 553 *Et opus*. Docta sane sequens caussa. Sed forsan & adeo magnifice struxit, ut parentis etiam mortui desiderium aliqua in parte adimpleret; de quo Svetonius Jul. cap. 44. *Tam de ornanda instruendaque urbe, item de tuendo, ampliandoque imperio plura ac majora in dies destinabat: in primis Martis templum, quantum nusquam esset, exstruere, repleto, & complanato lacu, in quo naumachiæ spectaculum ediderat*.

v. 556 *Bella movere decet*. Et quid, nisi hoc illa superius præfati Historici adsignificant? *ut de bellis, triumphisque hic consuleretur Senatus*. Idem antea in Capitolio agi solitum. Appianus in Punicis: Ἡ δὲ βουλὴ καὶ πρὶν ἐς τὸν πόλεμον ὁρμῶσά τε καὶ προφάσεως ζητοῦσα, πόλεως ὀχυρᾶς οὕτω καὶ ἐπικαίρου γενομένης, ἐξέσεισέ τε τὴν γνώμην, καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον (ὅπερ εἰώθασι περὶ πολέμου σκοπεῖν) συνελθοῦσα, ἐψηφίσατο, Καρχηδονίοις πολεμεῖν.

v. 559 *Operis fastigia summi*. Ergo Martis signum positum etiam in templi trichoro (solitum hoc in ædificiis sacris Romanis. Vitruvius: *Ornantque signis fictilibus, aut æreis inauratis earum fastigia*; imo hodiernis statuam illius, cui templum consecratum in ipso fastigio, collocare) hinc, inquit, videt operis summi fastigia, fores cum spoliis hosticis, statuas, quæ in utraque fori porticu erant. Fastigium Græcis αἰετὸς, αἴτωμα, τρίχωρον, πτερὸν. πτερύγιον. Eustathius Iliade α: Ἰστέον ὅτι ἐκ τοῦ αἰετοῦ τοῦ ζώου καὶ μέρος τι τοῦ ναοῦ, οὐ μόνον αἴτωμα ἐλέγετο, ἀλλὰ καὶ αἰετὸς καὶ μέρος δὲ τὸ ἐοικέναι φασὶ πτέρυξιν αὐτοῦ. Aristophanes in Avibus. (a)

Εἶτα πρὸς πύργοισιν, ὥσπερ ἐν ἱεροῖς οἰκήσετε.
Τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας, ἐρέψομεν πρὸς αἰετόν.

Interpres: Διὰ τὸ ἐν τοῖς ναοῖς αἰετώματά τινες γὰρ τῶν ἱερῶν στέγας, πτερὰ δὲ αὐτοὺς καλοῦσιν, ὥς φησιν Ἴων ἐν Ἀγαμέμνονι. Inde δίπτερος ναὸς, ædes, quæ uno, & altero erat fastigio.

v. 561 *Diversæ tela figuræ*. Hostium spolia; arma scilicet fabricata ex more devictarum gentium. Hæret menti, suspicor, illud Svetonii: *Sanxit ergo inter alia, ut provincias cum imperio petituri hinc deducerentur; quique victores redissent, huc insignia triumphorum inferrent*. (b)

v. 563 *Hinc videt Æneam*. Idem auctor imaginum nomina non recenset: *Statuas*, inquit, *omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit*. Adde his insignes Apellis tabulas, de quibus Plinius: *Mirantur Romæ Castorem, & Pollucem cum Victoria, & Alexandro Magno; item Belli imaginem, restrictis ad terga manibus, Alexandro in curru triumphante: quas utrasque tabulas divus Augustus in fori sui partibus celeberrimis dicaverat simplicitate moderata*.

194 *Hinc*

(a) *Operis fastigia &c.* Ornamenta hæc vel aerea, vel fictilia ἀκρωτήρια dicebant quasi fastigiorum fastigia. Ornabantur autem (ut Noster ait) vel Deorum simulacris, vel signis victoriam, honorem, atque id genus alia repræsentantibus. Quum Calpurnia (ut narrat Plutarchus) adjunctum ἀκρωτήριον decreto Senatus Cæsaris ædibus velut ad ornamentum, & amplitudinem per quietem imaginata esset collabi, lamentata est. Ornaverat autem Senatus ædes Cæsaris, cui ut Deo plura decreverat, signis iisdem, quibus Deorum Templa ornari solebant. Vitruvius Aedium ipsarum fastigia, seu barycæ essent, seu barycephalæ, sive humiles, sive latæ, earum fastigia fictilibus signis, aut aereis inauratis ornari consuevisse confirmat. 3. 2. Videtur Spartianus trichoron dicere, & ornatum fastigium, de quo sermo est, significare in Pescen. Nig. c. 12. *Domus ejus hodie visitur in campo Jovis, quæ appellatur pescenniana, in qua simulacrum ejus in trichoro constituit.*

(b) *Diversæ tela &c.* Ex æde Martis per id tempus ad Portam salutarem deducebantur, qui erant in provincias abituri; illic autem clientum, amicorumque salutatio fieri consueverat. Id autem cum magna dignitate, ac majestate gerebatur. Tum vero maxima erat ejusdem majestatis admiratio, quum ad nobilem, celebremque nomine, virtute, ac fortuna hostem iturum consulem prosequebantur. Victoribus autem redeuntibus, antequam ad id Templum Martis ab Augusto constitueretur, Senatus in æde Bellonæ dabatur, ubi postquam de rebus a se gestis disseruerant, postulabant, ut triumphantibus Urbem inire liceret. Vide Liv. lib. 42. 49. & lib. 26. 21.

v. 565 *Hinc videt Iliaden*. Describit qualis erat Romuli statua, gerens scilicet super humeros Acronis spolia, Ceninensium Ducis. Nota historia.

v. 566 *Acta subesse viris*. Ostendit quamque imaginem suum ἔλεγχον habuisse rerum gestarum; indicem quem vocat Tibullus in Panegyrico ad Messalam; Historici plerumque titulum. Livius lib. 8. *Vitiatam memoriam falsis imaginum titulis reor, dum familia ad se quaque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio trahunt*. & lib. 10. *Cujus imaginis titulo consulatus censuraque & triumphus æquo animo legitur: si auguratum aut pontificatum adjeceritis, non sustinebunt legentium oculi*.

v. 567 *Prætextum nomine*. Id est insignitum; & bene: nam templo etiam ornamento erat inscriptum nomen tanti Principis. *Prætextum* est Latinis quidquid adsutum ad ornamentum: unde sic dicti vestium limbi, clavi, fasciæ. Glossæ, παρυφή, *prætextum*. At de voce Græcanica Pollux. Αἱ δὲ περὶ τὰς ὤας παρυφαὶ καλοῦνται πέζαι καὶ πεζίδες, καὶ περίπεζα τὰ ὑπὸ παρυφασμένα.

v. 571 *Astanti milite justo*. Lege ex antiquis, *instanti milite justo*.

v. 573 *Si mihi bellandi*. Inemendata exemplaria habent, *pellendi*. Male.

v. 574 *Nomen utrumque paro*. Patris & Pontificis maximi.

v. 579 *Nec satis est meruisse*. Ex prædictis sumit ansam dicendi de alio templo ejusdem cognominis ab Augusto in Capitolio extructo, ob recepta signa Romana a Parthis jam cum dedecore Imperii retenta. Nec dubium, duo Romæ fuisse templa Martis Ultoris, quum & in nummis totidem diversæ ichnographiæ appareant: sed de æde hæc Dio lib. 54. Ἀμέλει καὶ θυσίας ἐπ' αὐτοῖς, καὶ νεὼν Ἄρεως τιμωροῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ κατὰ τὸ τοῦ Διὸς τοῦ Φερετρίου ζήλωμα, πρὸς τὴν τῶν σημείων ἀνάθεσιν, καὶ ψηφισθῆναι ἐκέλευσε, καὶ ἐποίησε. (a)

v. 580 *Signa retenta manu*. Quæ M. Crasso ademerant. Hæc Phraates, qui nihil eorum, quæ pactus fuerat, perfecisset, veritus ne bello ab Augusto peteretur, anno Urbis conditæ DCCXXXIII. signa militaria misit, & captivos omnes, paucis demtis; quod se ipsos pudore moti interemerant, aut in Parthia occulte remanserant. Ea Augustus, quasi bello aliquo Parthum vicisset, accepit; jactabundus, quod in præliis res amissas citra ullum certamen recuperasset. Videsis plura apud Vellejum, Florum, Orosium, Horatium, & alios.

v. 581 *Et campis, & equis*. Nolo ad hæc alium habeas interpretem præter Dionem Cassium lib. 30. Τῇ δὲ, inquit, δὴ ὁπλίσει, καὶ τῷ τῶν πολέμων διακεχειρίσθαι τοιάδε χρῶνται· ἀσπίδι μὲν οὐδὲν νομίζουσιν· ἱπποτοξόται δὲ καὶ κοντοφόροι, τὰ πολλὰ κατάφρακτοι στρατεύονται. πεζοί τε, ὀλίγοι μὲν, οἱ ἀσθενέστεροι· τοξόται δ' οὖν καὶ ἐκεῖνοι πάντες εἰσίν. ἔκ τε γὰρ παίδων ἀσκοῦνται, καὶ ὁ οὐρανὸς ἥ τε χώρα αὐτοῖς συναίρεται πρὸς ἀμφότερα· αὐχμηρά τε γὰρ πεδιὰς ὡς πλεῖστα οὖσα, ἄριστα ἵππους τρέφειν ἐστὶ, καὶ ἐπιτηδειοτάτη καθιππεύεσθαι.

v. 583 *Crassorum funera genti*. Hoc etiam noster tetigit peregregie in Arte:

Parthe dabis pœnas: Crassi gaudete sepulti;
Signaque barbaricas non bene passa manus.

Ultor

(a) *Nec satis &c.* Quod minime dubium mi Carole esse, dictitas, a gravissimis viris in dubium, nec temere revocatur. Ajunt vel jurati Dionis locum exscribentium inscitia interturbatum sic esse restituendum: *templum Jovis Ultoris, ad instar illius Jovis Feretrii in Capitolio, quo signa ea militaria suspenderentur, decerni jussit, ac deinde perfecit*. Ponunt præterea nihil quicquam ex eo confici, quod in nummis veteribus varia existat ejus Templi forma; id non inde fieri, quod duo fuerint templa, sed quod expressa pro nummorum varietate varia templi facie, quæ multiplex erat, varia etiam ejus forma videretur; evenisse hinc, ut in aliis nummis columnæ sex existerent cum signis militaribus, in aliis vero quatuor viderentur cum Marte ferente signa. Ceterum in nummis omnibus (quod non levis momenti est) *Martis Ultoris* titulum semper legi. Ovidii versum ex optimorum Codicum fide ita esse legendum

Rite Deo templumque datum, nomenque bis ulto,

non vero *bis ultor*; Consulendum esse Heinsium.

His, atque aliis argumentis hinc inde assumtis, ridiculum esse constituunt aliud templum Jovis Ultoris quærere præter illud, de quo mentio fit a Svetonio, nihilque certi conjici posse ex Ovidio, quo bis Ultoris Jovis ædem alteram ab Augusto Romæ positam fuisse confirmetur.

Ultor adest, primisque ducem profitetur in annis:
Bellaque non puero tractat agenda puer.

v. 589 *Ille notas veteres.* Nam per 32. annos folidos poliri non valuit hæc macula in armis Romanis.

v. 593 *Victos quoque porrigis arcus.* Adde ad horum illuftrationem nummos Augufto cufos; in quorum fuperficie Parthus genuflexo figna Romana manu porrigens, in altera fuofmet arcus, & pharetras cum his litteris: CÆSAR AVGVSTVS SIGNIS RECEPTIS DE PARTHIS. *(a)*

v. 597 *Sollemnes ludos Circi.* Ergo eodem die ludi in Circo Marti fiebant: nec aliud fibi volunt notæ illæ, quas fupra citavi e Kalendario veteri. Jurarim Jovem lapidem, illos quos olim vovere Confules in bello contra Cæfaris percuffores, quotannis poftea exhibitos. Dio lib. 48. fub finem anni DCCLXXIV. Καὶ τοῦ αὐτοῦ τούτου χρόνου τό, τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὀνομασμένον ἐς τὴν πόλιν ἐπωχετεύθη, καὶ ἡ πανήγυρις ἡ ἐπὶ τῷ πολέμῳ τῷ πρὸς τοὺς σφαγέας εὐχθεῖσα ἀπὸ τῶν ὑπάτων ἐποιήθη, τά τε τοῖς ἱππικοῖς ἀνδράσιν ὀνομασμένα προσήκοντα οἱ ποντίφικες, ἐπειδὴ μηδεὶς ἐκείνων παρῆν, ἐπετέλεσαν. Reperitur qui legat, *ludos circum*; fed is λογολέσχης ille Antonius Fanenfis.

v. 600 *Ubi ante Idus.* III. Idus Majas Πλειάδες oriuntur heliace.

v. 601 *Non dubiis auctoribus.* Agit de his quos ipfemet vidit: nam Columellæ incipit æftas die nona menfis, Ptolemæo decimaquinta, frufto veteris Kalendarii vigefima fecunda; ex eo hæc verba: *(b)*

ÆSTAS EX XI. K. MAII.
IN. X. K. AVGVST.
DIES LXXXXIIII.

Sed adverte, quod ibi aut menfium nomina falfo fculpta, aut XI. *Kalendas Maii* eft hujus menfis dies vigefima fecunda; ut ejufdem Augufti dies, X. Kal. Auguft. nam dementia eft cogitare voluiffe, aliquem initium æftatis conjicere in diem vigefimam primam Aprilis, quum ver alicui bipartitur.

v. 603 *Idibus ora prior.* Pridie Idus Tauri caput oritur ante folis ortum.

v. 605 *Præbuit, ut taurus.* Quid de hoc fenferit hiftoriæ Græcæ parens, fupra notavi. Feftus: *Alii eam a prædonibus raptam, & nave, quæ Jovis tutelam, effigiem tauri, habuerit.* Vulgatos codices amo; nec aliter legendum cenfeo. *Tutela* eft pictura aliqua numinis in puppe, a qua nomen naves accipiebant, *tauri effigies* parafémon; quod in prora.

v. 607 *Læva retinebat amictus.* Iifdem pæne verbis Lucianus in Dialogo Ζεφύρου καὶ Νότου: Ὡς δὲ παρ᾽ ἐγεύετο, δρομαῖος μὲν ὁ Ζεὺς ὥρμησεν ἐπὶ τὴν θάλατταν, φέρων ἐπὶ τὴν θάλατταν, οἱ-

(a) *Victos quoque &c.* Nihil Nofter ad verfum

Rite Deo templumque datum, nomenque Bifultor;

Neque enim vidit MSS, in quibus (ut ad num. 200. ex Heinfiana recenfione narravimus) *Bifulto* non incommode legitur. Ii fiquidem, qui templum alterum Romæ *Marti Ultori* extitiffe inficiantur, nunquam cognomen *Marti Bifultori* factum fuiffe fuo quafi quodam jure contendunt.

(b) *Non dubiis &c.* Varro (cujus certe fcripta Nafo videre potuit) conjicit æftatem in diem feptimum Idus Majas; ita enim rationes putat. Primum veris effe in Aquario, æftatis in Tauro, Autumni in Leone, hyemis in Scorpione: *Quum vero* (rationes ipfas fic confert) *uniuscujusque horum quatuor fignorum dies tertius, & vicefimus quatuor temporum fit primus, efficitur, ut ver dies habeat nonaginta unum, æftas nonaginta quatuor, autumnus nonaginta duos, hyemis octoginta octo.* His ita computatis divifionem ad dies Civiles Rom. fic redigit, ut primi verni temporis extent ad feptimum Idus Februarias, æftivi ad feptimum Idus Majas, Autumnales ad tertium Idus Sextiles, Hyberni ad tertium Idus Novembreis. Quæ vero temporibus fubtilius difcretis obfervanda effe cenfet, cognofcere fi in animo tibi eft (neque enim neceffum nos effe ducimus calculorum omnium ad rem hanc fubtiliore enumeratione a Varrone propofita pagellam implere) lege, quæ ab ipfo differuntur lib. 1. cap. 28. de R.R.

φέρων αὐτὴν, καὶ ἐσείχετο ἱματίων. ἡ δὲ πάνυ ἐκπλαγεῖσα τῷ πράγματι, τῇ λαιᾷ μὲν εἴχετο τοῦ κέρατος, ὡς μὴ ἀπολισθάνῃ, τῇ ἑτέρᾳ δὲ ἀνεμούμενον τὸν πέπλον ξυνεῖχε. Aperte hic πέπλος ἐπίβλημα est, non ἔνδυμα: nam si primum, ad corpus presse hæsisset, non læva gestasset, ut pallium, quod nomine amictus continetur. Apud Græcos πέπλος & usum præbuit pallii, & tunicæ. Pollux: Καὶ ἐπίβλημα καὶ χιτὼν, πέπλος· ἔνδυμα δέ ἐστι διπλοῦν τὴν χρείαν, ὡς ἐνδύνειν τε καὶ ἐπιβάλλεσθαι. καὶ ὅτι μὲν ἐπίβλημα ἐστὶ τεκμήραιτ' ἄν τις ἐκ τοῦ τῆς Ἀθηνᾶς πέπλου. ὅτι δὲ καὶ χιτὼν, ὅταν εἴπῃ Ξενοφῶν, περιεκατερρήξατο τὸν ἄνωθεν πέπλον. διαφαίνει γὰρ τότε καὶ τὰ στέρνα. Ἐπιβλήματα vero, quæ & περιβλήματα: hæc & Latini etiam dixere *circumjecta*. Varro lib. 4. de L.L. *Amictus est dictus amjectum, id est circumjectum: a quo etiam, quod vestes se involvunt, circumjectum appellant; & quod amictui habent purpuram circum, vocant circumtextum.*

v. 610 *Sic fueras aspicienda Jovi.* Tunc illi cura erat tranare Oceani fluctus.

v. 615 *Sine cornibus ullis.* Metamorphosis:

Jamque Deus posita fallacis imagine tauri
Se confessus erat, Dictæaque rura tenebat.

v. 619 *Phariam dixere juvencam.* Iisdem, illam Inachi filiam.

v. 621 *Tunc quoque priscorum.* Iisdem Idibus scirpea simulacra in Tiberim e ponte jacta. Dionysius Halicarnassensis libro primo: Τὰ δὲ καὶ μέχρις ἐμοῦ δρᾶν ἐπετέλουν Ῥωμαῖοι δρῶντες ὅσον τι μικρὸν ὕστερον ἐαρινῆς ἰσημερίας, ἐν μηνὶ Μαΐῳ, ταῖς καλουμέναις εἰδοῖς, διχομηνίδα βουλόμενοι ταύτην εἶναι τὴν ἡμέραν.

v. 621 *Virgo simulacra virorum.* Intellige Vestalem: non tamen una aderat, sed omnes, & cum his Pontifices, & Prætores, aliique mystæ. Ipsus Halicarnassensis: Ἐν ᾗ προθύσαντες ἱερὰ τὰ κατὰ τοὺς νόμους οἱ καλούμενοι ποντίφικες, ἱερέων οἱ διαφανέστατοι, καὶ σὺν αὐτοῖς αἱ τὸ ἀθάνατον πῦρ διαφυλάττουσαι παρθένοι, στρατηγοί τε καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν οὓς παρεῖναι ταῖς ἱερουργίαις θέμις, εἴδωλα μορφαῖς ἀνθρώπων εἰκασμένα, τριάκοντα τὸν ἀριθμὸν, ἀπὸ τῆς ἱερᾶς γεφύρας βάλλουσιν εἰς τὸ ῥεῦμα τοῦ Τιβέριος, Ἀργείους αὐτὰ καλοῦντες. Habes numerum de scirpeis simulacris; & aliud certum, falso legi in antiquis codicibus Varronianis: *Argei fiunt ex scirpeis. Simulacra sunt hominum 24., & quotannis a ponte sublicio a sacerdotibus publice jaci solent.* Adde numeris 6. alios: licet non repellat priscam editionem Galliæ suæ flos Hadrianus Turnebus.

v. 622 *Roboreo ponte.* Hic, ut vidisti, est *sublicius*: sic dictus a sublicis. His tantum sine ære aut ferro stetit diutius suffultus: inde ξυλίνην γέφυραν nominat Plutarchus. Scio etiam, Græcos vocasse ἱεράν: forte *quod eo*, inquit Varro, *sacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiebant.* An ipse vere sacer habitus a populo? Dionysius lib. 3. Ἣν ἄχρι τοῦ παρόντος διαφυλάττουσιν· ἱερὰν εἶναι νομίζοντες· εἰ δέ τι πονήσειεν αὐτῆς μέρος, οἱ ἱεροφάνται θεραπεύουσι, θυσίας τινὰς ἐπιτελοῦντες ἅμα τῇ κατασκευῇ πατρίους. (a).

v. 623 *Post decies senos.* Sexagenarios; antiqua & propria vocula *casnares*. Varronis Sexage; *vix effatus erat, quum more majorum ultro casnares arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant. Casnar* est Festo senex, sed Oscorum lingua.

v. 626 *Fatidici dicta fuisse senis.* Illa ipsamet verba:

ΣΤΕΙΧΕΤΕ ΜΑΙΟ ΜΕΝΟΙ ΣΙΚΕΛΩΝ ΧΑΤΟΥΡΝΙΑΝ ΑΙΑΝ
Η Δ' ΑΒΟΡΙΓΕΝΕΩΝ ΚΟΤΤΥΝ ΟΥ ΝΑΣΟΣ ΟΧΕΙΤΑΙ
ΑΙΣ ΑΝΑΜΙΦΘΕΝΓΕΣ ΔΕΚΑΤΗΝ ΕΚΠΕΜΨΑΤΕ ΦΟΙΒΩ
ΚΑΙ ΚΕΦΑΛΑΣ ΑΔΗ ΚΑΙ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΠΕΜΠΕΤΕ ΦΩΤΑ.

v. 629 *Do-*

(a) *Roboreo &c.* Invenio tamen apud Plinium sine aere aut ferro restitutum post bellum Etruscum a Porsena illatum: quum enim in ejus dissolutione salus staret imperii solo Coclite hostium impetum in Ponte sustinente, nec sine multo labore abrumperetur, ita refectus est, ut sublicæ facile evelli in posterum, reponique possent. Sed Plinium ipsum audiamus: *Cyzici & buleuterion vocant ædificium amplum, sine ferreo clavo, ita disposita contignatione, ut eximantur trabes sine fulturis, ac reponantur. Quod item Romæ in ponte sublicio religiosum est, posteaquam Coclite Horatio defendente ægre revulsus est.* XXXVI. 15. An vero sacer esset, non video quid sit, quod Carolus dubitet: quum pars, quæ aut vitium fecisset, aut collapsa esset, non posset nisi cæsa victima a Pontifice instaurari. Quod assentiuntur Dionysio Philologi fere omnes.

v. 620 *Donec in hæc venit.* Hic mitius oraculi mentem interpretatus, omnemque ἀνθρωποθυσίαν ab Italia rejecit. Sed quæ cursu ævi non redeunt? Trita & vulgata est sub aliquibus Cæsaribus extispicio puerilis victimæ. De antiqua plura vide, si vacat, apud Eusebium lib. 4. τῆς Προπαρασ.

v. 630 *Leucadio sacra peracta Deo.* In meo, qui vix legi potest, adeo tineis adrosus, *Leucadio ut sacra peracta Deo*; ad verum. Strabo lib. 10. Ἦν δὲ καὶ πάτριον τοῖς Λευκαδίοις κατ' ἐνιαυτὸν ἐν τῇ θυσίᾳ τοῦ Ἀπόλλωνος, ἀπὸ τῆς σκοπῆς ῥιπτεῖσθαι τινὰ τῶν ἐν αἰτίαις ὄντων, ἀποσκοπῆς χάριν, ἐξαπτομένων ἐξ αὐτοῦ παντοδαπῶν πτερῶν, καὶ ὀρνέων, ἀνακουφίζειν δυναμένων τῇ πτήσει τὸ ἅλμα· ὑποδέχεσθαι δὲ κάτω μικραῖς ἁλιάσι κύκλῳ περιεστῶτας πολλοὺς, καὶ περισώζειν εἰς δύναμιν τῶν ὅρων ἔξω τὸν ἀναληφθέντα. (a)

v. 633 *Pars putat, ut ferrent.* Sententiam hujus loci ullam expedies sine Nonio Marcello? *Quum in quintum* ille ait, *gradum pervenerant atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi, atque expediti, & otiosi: ideo in proverbium quidam putant venisse, sexagenarios de ponte dejici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.* His adde Festum in hæc verba: *Exploratissimum illud caussæ est, quo tempore primum per pontem cœperunt Comitiis suffragium ferre, juniores conclamavere, ut de ponte dejicerentur sexagenarii: quia nullo publico munere fungerentur; ut ipsi potius sibi quam illis deligerent imperium.* idque ex Sinnio Capitone etiam firmat. Inde lux Ciceroni venit primo Rhetoricorum: *Pontes disturbat, cistas dejicit*; & his quoque alibi: *Nempe tu & populum suffragiis & magistratum concilio privasti, quum pontes disturbasti*, & trecentis scriptorum locis. (b)

v. 637 *Mediis caput extulit undis.* Libri vett. *medio caput extulit alveo.* Rescribas ut placet.

v. 639 *Hac loca desertas.* Multa hujus narratiunculæ extant apud Festum in voce *sexagenarios*, sub initium loci; cujus partem tempus edax absumpsit.

v. 646 *Tunc mihi nomen erat.* Nondum in meas aquas immersus Rex Tiberinus. Noster in 4.

Quumque patris regnum post hunc Tiberinus haberet,
Dicitur in Tuscæ gurgite mersus aquæ.

v. 650 *Et comites.* Herculis scilicet. Vetus habet, *at comites.* Si attendis, verius: nam Herculi animus erat ulterius progredi, non vero comitibus.

v. 655 *Mittite me in Tiberim.* Nam κακῶς mortuus putabatur apud Græcos in aliena terra situs; inde Sophoclea Electra Orestis cineres in manibus vasculo inclusos tenens:

Ὅπως, inquit, θανὼν ἔκειτο τῇ τόθ' ἡμέρᾳ,
Τύμβου πατρῴου κοινὸν εἰληχὼς μέρος.
Νῦν δ' ἐκτὸς οἴκων κἀπὶ γῆς ἄλλης φυγὰς,
Κακῶς ἀπώλου σῆς κασιγνήτης δίχα.
Κοὔτ' ἐν φίλαισι χερσὶν ἡ τάλαιν' ἐγὼ
Λουτροῖς ἐκόσμησ', οὔτε παμφλέκτου πυρὸς
Ἀνειλόμην ὡς εἰκὸς ἄθλιον βάρος.
Ἀλλ' ἐν ξένῃσι χερσὶ κηδευθεὶς τάλας,
Σμικρὸς προσήκεις ὄγκος ἐν σμικρῷ κύτει.

v. 656 *Pulvis inanis eam.* Prius cremari volebant: non mirum; mandabant ex more suæ gentis. Lycophronis interpres: Ἔθος ἦν τοῖς ἀλλαχοῦ τῆς πατρίδος τεθνηκόσι καίειν, καὶ τὴν τέφραν αὐτῶν ἐν χρυσοῖς ἢ λάρναξι, καὶ ἀμφιφορεῦσι εἰς τὴν πατρίδα κομίζειν, ὅπερ ἐγίνετο ἐν τῷ ψ τῆς Ἰλιάδος καὶ ἐπὶ Πατρόκλῳ καὶ Ἀχιλλεῖ.

v. 659 *Tibe-*

(a) *Leucadio &c.* Ergo Romanis mos fuit, qui & Leucadiis, qui ad pacem, veniamque poscendam, & Apollinis Numen placandum ex eminenti montis vertice fontem aliquem quotannis dejicere consueverunt. Sed id luculunter Strabo, a quo hujusce consuetudinis testimonium Carolus hoc loco petit.

(b) *Pars putat &c.* Depontanos etiam Sexagenarios hos senes publicis muneribus vacantes dictos fuisse refert Festus in *Depontani.*

v. 659 *Tiberi jactatur imago*. Ex manuscriptis, & meis omnibus antiquis legas, *in Tiberim*.

v. 661 *Hactenus ut subiit vivo*. Duo optimi ex iisdem, *Hactenus & vivo subiit*.

v. 663 *Clare nepos Atlantis*. Apostrophe ad Mercurium, quum de æde eidem sacra, & sacrificio sit acturus.

v. 665 *Superis, imisque Deorum*. Parissime Horatius Oda 10. libro primo:

. . . . Superis Deorum
Gratus, & imis.

v. 669 *Templa tibi posuere patres*. Iisdemmet idibus, sub annum post Romam conditam CCLVIII. Livius lib. 2. *Eodem anno Signia colonia, quam Rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum iterum deducta est, Romæ tribus una, & viginti factæ, ædes Mercurii dedicata est Idibus Maiis*. Per id tempus etiam collegium mercatorum institutum. Idem paullo post: *Certamen Consulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii ædem*. (Consules erant Appius Claudius Regillensis, & P. Servilius Priscus: sed populus dedicationem ædis dedit M. Lectorio Primipili Centurioni) *Senatus a se rem ad populum rejecit. Utri eorum dedicatio jussu populi data esset, eum præesse annonæ, mercatorum collegium instituere, sollemnia pro Pontifice jussit suscipere*; id est Mercurialium. Sic dicti Sodales illi. Cicero in Epistola ad Fratrem: *M. Furium Flaccum equitem Romanum, hominem nequam Mercuriales, & Capitolini de Collegio ejecerunt*. Sed quid supprimam, quod sentio? non memini legisse Pontificem pro principe hujus sodalitatis, sed Magistrum, ut habuit vetus illud collegium Saliorum. Vide hunc lapidem: (a)

L. STATTIO II. PHILEROTI MAGISTRO
MERCVRIALI ET AVGVSTALI,
NOLÆ ET DIERNÆ ƆL. RVFÆ VXORI,
ET L. STATTIO LL. AMPLIATO, EX
TESTAMENTO I. STATTI
PHILEROTIS.

v. 669 *Spectantia Circum*. Sed maximum ibi locant prisci Topographi; Mercurii unum, de quo noster. Ædiculas, aras, & alia ille habuit per urbem loca sibi consecrata.

v. 671 *Te, quiqumque suas*. Mercatores, negotiatores, qui quæstum faciebant aut permutandis pecuniis, aut fœnerandis: his adde ementes a præfatis, ut statim venderent; qui sordidi olim crediti. Lege cum cura doctissimum Carolum Sigonium in libris de Antiquo jure civium Romanorum. Hinc Mercurius, cognomine *Negotiator*, legitur in priscis ruderibus, ut in hoc: (b)

MER-

(a) *Templa &c.* Advertendum tamen, quod Romæ Mercatorum Collegium erat, in Provinciis Negotiatorum conventum fuisse. Horum enim discrimen in hoc positum, ni fallor me legisse memini, quod Mercatores Romæ Domicilium, & Familiam habuerint, Negotiatores vero in Provinciis, qui Romam fere nunquam nisi census caussa veniebant. Neque tamen vetitum Mercatoribus, ut lucri gratia per aliquot menses in Provinciis diversarentur.

(b) *Te quiqumque &c.* Quod genus Mercaturæ sordidum, quod vero non vituperandum sit, elegantissime docet Tullius Offic. 1. cap. 42. ubi de artificiis, & quæstibus, qui liberales habendi, qui sordidi, quæ accepit, enarrat. *Mercatura autem, si tenuis est, sordida putanda est, sin magna, & copiosa multa undique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda. Atque etiam si satiata quæstu, vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, sic ex ipso portu se in agros, possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est Agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius*. Cetera, quæ de quæstu sordido, de artibus non probandis, deque honestis disputat, vide ibi: ita enim luculenter singula proponuntur, ut navaturus esse operam videaris, legeris.

MERCVRIO NEGOTIATORI
SACRVM
NVMISIVS ALBINVS
EX VOTO.

v. 673 *Est aqua Mercurii*. Hoc solum testimonio probant viri docti, extra portam Capenam via Appia aquam fuisse ita nuncupatam; qua populus, qui negotio & quæstui operam dabat, his Idibus lustrari solitus.

v. 675 *Huc venit incinctus tunica*. Cingulo; e quo marsupium auri monetalis propendebat. Hic vetus mercatorum habitus. (*a*)

v. 678 *Dominos sunt habitura novos*. Plautus Captiveis: *Vult te novus herus veteri domino operam dare*.

v. 680 *Fallere voce preces*. Non sedet: legas, *dicere voce preces*; ut habent multi Codices.

v. 682 *Præterita perfida verba die*. Non male: an rectius, ut in aliis, *præterita perfida verba fide?* non servata, temerata.

v. 684 *Non audituri nomina vana Jovis*. Vetus scriptura, *Non audituro numina vana Jovi*.

v. 685 *Sive Deum prudens*. Nam id majus crimen. Antiqui apud Macrobium primo Saturnalium, de his qui opus aliquod feriis agebant: *Præter multam ille*, inquit, *affirmabant, eum qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere; prudentem expiari non posse, Scævola Pontifex asseverabat*.

v. 689 *Da modo lucra mihi*. Hinc apte Agorastocli apud Plautum respondet Milphio servus in Pœnulo: (*b*)

Ag. *Ecquid amare videor?* Mi. *damnum, quod Mercurius minime amat.*
Ag. *Namque, Ædepol, lucrum amare nullum amatorem addecet.*

v. 691 *Poscentes risit ab alto*. Nostro inest præsenti tempore, *poscentes ridet ab alto*.

v. 692 *Se memor Ortygias*. Observa sales mei Nasonis. Furti vero crebra mentio fit a Græcis; unde Homerus jure hunc vocat in hymnis ἀρχὸν φιλητῶν: quippe fraudes primus commentus, & lucra illicita. Diodorus Siculus βιβλιοθήκης lib. 5. Φασὶ δ' αὐτὸν ἐ μέτρα καὶ σταθμὰ καὶ τὰ διὰ τ (sic manuscripti) ἐμπορίας κέρδη πρῶτον ἐπινοῆσαι, καὶ τὸ λάθρα τὰ τῶν ἄλλων σφετερίζεσθαι.

v. 695 *Cum totidem de mense dies*. Quot facta Herculis: ergo xv. Kalendas nostro Sol in Geminis; in eamdem conjicitur a Columella.

v. 699 *Phoeben Phoebesque sororem*. Phœben, & Elairam; unde Propertius libro primo Elegia 2.

Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe,
Pollucem cultu non Elaira suo.

Harum proci antiqui, Idas, & Lynceus frater: cum quibus postea certamen initum.

v. 700 *Tyndaridæ fratres*. Homerus in Hymnis:

Κά-

(a) *Huc venit &c.* Fœneratorum habitum brevissime describit, locumque ubi considebant indicat Horatius lib. 1. ep. 1.

. . . . *Hæc Janus summus ab imo*
Perdocet, hæc recinunt juvenes dictata, senesque
Lævo suspensi loculos, tabulamque lacerto.

(b) *Da modo &c.* Se invocari solitum ad lucrum faciendum, opesque congerendas a Mercatoribus, aliisque qui pecuniam haberent in quæstu expressius significat Mercurius ipse apud Pla. in prologo Amphitr. v. 1.

Ut vos in vostris vultis mercimoniis
Emundis, vendundisque me lætum lucris
Afficere, atque adjuvare in rebus omnibus;
Et ut res, rationesque vestrorum omnium
Bene expedire vultis, peregrique, & domi,
Bonoque, atque amplo auctare perpetuo lucro
. . . .
. . . .
Nam vos quidem id jam scitis concessum, & datum
Mihi esse ab Diis aliis, nunciis præsim, & lucro.

Oppianus de Piscat. III. 9.

Mercuri, tu mihi, patrite, præstantissime filiorum
Jovis, lucrosissimum inter homines ingenium
Ostende.

Κάστορα κ̔ Πολυδεύκει ἀείδεο μῶσα λίγεια
Τυνδαρίδας. . . . . .

v. 700 *Ille pugil.* Hac arte callebat Pollux; hic apud Apollonium:

Τῷ κέν μοι τὸν ἄριστον ἀποκρινάντες ὅσον ὁμίλῳ
Πυγμαχίῃ στήσασθε. . . . . .

v. 709 *Trajectus Lynceo Castor ab ense.* Theocritus in Dioscoris ait, Lynceum a Castore interfectum; Apollodorus lib. 3. βιβλιοθήκης, Castorem ab Ida, a Polluce Lynceum. (a)

v. 709 *Lyceo.* Pro Lyncejo: ut Cephea Meroes, pro Cepheja, & paria.

v. 713 *Vixque est Jovis igne repulsus.* Belle Theocritus:

Ἠ' τὰν ὄγε στάλαν Ἀφαρηΐου ἐξανέχουσαν
Τύμβῳ ἀναρρήξας ταχέως Μεσσάνιος Ἴδας
Μέλλε κασιγνήτοιο βαλεῖν σφετέροιο φονῆα·
Ἀλλὰ Ζεὺς ἐπάμυνε, χερῶν δέ οἱ ἔκβαλε τυκτὰν
Μάρμαρον, αὐτὸν δὲ φλογέῳ συνέφλεξε κεραυνῷ.

v. 721 *Ad Janum redeat.* XII. Kalendas Junias Agonalia Urbs iterabat. Hoc die notantur hæc festa in veteri Kalendario: nam illud, *hoc quoque tempus habet*, quod induxit interpretes ut dicerent XIV. Kalendas, intelligendum quod etiam mense Majo denuo fiant. De etymo ad Januarium te Naso meus rejicit; vide & ibi nostri laboris plura.

v. 724 *Nocte sequente.* XI. Kalendas Canis nostro oritur.

v. 725 *Proxima Vulcani lux est.* X. Kalendas Tubilustrium erat; de quo Varro lib. 5. de Lingua Latina: *Tubilustrium appellatur, quod eo die in atrio sutorio sacrorum tubæ lustrantur*; idem Festus: in quo semirosæ litteræ in parte Varroniana probant. Lustrum vero agna factum. Idem *Tubillustria dies appellabant, in quibus agna tubas lustrabant.* addit: : : : : : : : *is tubos appellant* nam *tubi* in sacris solum dicebantur; observat Varro lib. 4. *Tubæ a tubeis, quos etiam nunc ita appellant tubicines sacrorum.* Quid etiam *tubus* Latinis, quid *atubus*, non hic disserendi locus. Ἄπαγε hunc miscellaneum populum. (b)

v. 725 *Quam Lustria dicunt.* Mavult θαυμάσιος ἀνὴρ, *Tubilustria dicunt.* Assentior libens.

v. 728 *Quattuor inde notis.* (c) Sequens Maji dies, id est IX. Kalendas, sic notatur in Ka-

---

(a) *Trajectus &c.* Facit cum Apollodoro Pausanias in Messeniis. Sed monumentum aliud in quo Castoris, Pollucisque laudes, ac decora celebrarentur sequutum fuisse Theocritum censet Vir eruditissimus Joannes Ventimiglia in διάσκουρις cap. 37. num. 2. Per ea enim tempora pro Urbium, ac Gentium varietate variæ etiam erant historiæ. Ceterum Linceus hic Persei pronepos veterum Messeniorum omnium fortissimus fuisse perhibetur.

(b) *Proxima &c.* Ergo Tubilustrium in Anno Romano, ut dictum est lib. 3. n. 191. bis celebrabatur. Minervæ semel mense Martio, Vulcano semel mense Majo. Sed videris, ut cum Nostro, aliisque eruditis Viris Ovidianum versiculum sic legas

Summa dies e quinque tubam lustrare canoram
Admonet, & forti sacrificare Deæ.

Tubam canoram, vel *Tubas canoras* omnino legendum, non vero *tuba canora*. Decepti enim aliqui lectione ipsa, Tubis Urbem eo die lustrari consuevisse censuerunt, quod a vero abhorrere videtur: Urbe enim feralibus sub finem Februarii lustrata, qui credi potest mense Aprili sacrum idem fuisse instauratum? Ipsæ igitur tubæ sacrorum in atrio sutorio agna lustrabantur, ut Varro de L.L. 5.3.

(c) *Quattuor &c.* Locus hic Macrobium, aliosque decepit, qui ad Kalendas Junias Regifugium distulerunt. Non viderunt boni homines, inter quos Panvinus, hic nullam Regifugii mentionem fieri, sed litterarum, quibus licere Regi Sacrificulo in Comitium ire judicabatur, significationem exquiri. Dubitat enim Poeta num hæ litteræ Q. R. C. F. ita sint interpretandæ, ut inde morem sacrorum, an Sacrificuli Regis fugam conjiciamus. Sacrificulo enim, qui neque in magistratu esse poterat, neque cum Populo agere, hoc tantum die in comitium ire licebat, cursimque sacrificium peragere, quo peracto, e comitio statim se proripiebat. Possunt igitur hæ litteræ & hanc Kalendarii formulam exprimere. Quando REX COMITIAVIT FAS, & aliam QUANDO REX COMITIO FUGIT. Dies

Kalendariis, Q. R. C. F. Anceps Poeta de interpretatione, hinc ait: *Vel mos sacrorum, vel fuga Regis inest*. Docte reddidisti litterulas, vel renuente Onuphrio Panvinio in Commentariis ad Fastos Consulum: qui ausus scribere, te ignarum, vel incertum, quid hæ notæ significarent. Ille hercule ignarulus. Sciendum, Regi sacrorum neque Magistratum gerere, neque verba ad populum habere fas illi fuisse: propterea in Comitium ire non licebat nisi hoc die, qui notatus est in Kalendariis. Itabat enim in Comitium sacrificii caussa: quo properanter patrato, fuga se e Comitio eripiebat. Hinc per breves quattuor litteras Q. R. C. F. interpretantur alii, QVANDO REX COMITIAVIT FAS: quidam, QVANDO REX COMITIO FVGIT. De more Plutarchus in libello τῶν Κεφαλαίων: Ἐςι γοῦν, ἐν ἀγορᾷ θυσία πρὸς τῷ λεγομένῳ Κομιτίῳ πάτριος, ἣν θύσας ὁ βασιλεὺς, κατὰ τάχος ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς. Quid clarius ad Poetæ mentem? ut nos docuit illustris Scaliger in Notis ad Festum. Quæso, mi Lector, abstine te ad hunc locum commentariis Marsi, & Antonii Fanensis; aut para exertum cachinnum.

v. 730 *Cui templum luce sequente datum*. Hoc est VIII. Kalendas. Jam liquidum, hanc publicam esse Primigeniam. Vide omnino quæ notavimus ad illud 4. Fastorum:

Qui dicet, Quondam sacrata est colle Quirini
Hac Fortuna die Publica, verus erit.

Vovit hanc Primigeniæ ædem se Consule P. Sempronius anno Urbis conditæ DXLIX. Livius lib. 29. *Consul principio pugnæ, in Brutiis adversus Annibalem, ædem Fortunæ Primigeniæ vovit, si eo die hostes fudisset: composque ejus voti fuit, fusi ac fugati Pœni, supra quattuor millia armatorum cæsa*. sed eadem post decennium dedicata. Idem lib. 34. *Ædem Fortunæ Primigeniæ in colle Quirinali dedicavit Q. Martius Ralla Duumvir ad idipsum creatus: voverat eam ædem decem annis ante Punico bello P. Sempronius Sophus*. Ceterum quid sibi velit hoc Primigeniæ ὀνόμασμα, gratum tibi erit ex hisce Dionis Cassii lib. 42. Αἷμά τε ἐξ ἐργαστηρίου σιτοποιοῦ προχυθὲν ἀφίκετο πρὸς ναὸν ἕτερον Τύχης, ἣν ἐκ τοῦ πάντα τι τε ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς, καί τε κατόπιν καὶ ἐφορᾶν καὶ ἐκλογίζεσθαι, χρῆναί τινα μηδὲ ἐπιλανθάνεσθαι ἐξ ὧν οἷός τε ἐγένετο, καὶ ἱδρύσαντο καὶ ἐπικάλεσαν, τρόπον τινὰ ἐκ διαφυγόντων Ἐλπίσι. Vide qua aperantologia voculam unam expresserit. *(a)*

v. 731 *Hanc ubi dives aquis*. Eodem VIII. Kalendas Aquila oritur vesperi.

v. 732 *Grata Jovis*. Legendum indubitato, *Grata Jovi*.

v. 733 *Auferet ex oculis veniens*. VII. Arctophylax heliace fertur in occasum; & VI. heliacus Hyadum ortus.

CARO-

---

hic celebrabatur & quarto Kalendas Aprileis, & Nono Kalendas Junias. Festus tamen videtur etiam in VI. Kalendas Martias conjicere: quod enim Verrius eo die *Regifugium*, idest Tarquinii fugam signari dixerat, eum reprehendit, & hoc ipso die fugam Regis Sacrificuli sese e Comitio proripientis designari confirmat. Ecce tibi restituta Festi verba, quæ nunc sunt. *Regifugium dies notatur in Fastis* VI. *Kal. Mart. ut ait Verrius, ita dictus, quia eo die Rex Tarquinius Roma fugerit, quod falsum esse arguit Cincius in libro Fastorum, & Tullius de feriis, qui Saliares virgines, & Salios adesse dicunt Regi Sacrorum, quum facit Sacrificium in Comitio, quo facto statim fugit: quod verum cognoverit esse, qui legerit Fastis dies tales, quales notantur sic*. Q. REX. C. F.

(a) *Cui templum &c*. Fortunæ Primigeniæ templum posuerat multo ante Servius in Capitolio, ut narrat Plutarchus, ubi de Fort. Rom. Adscribunt se Plutarchi testimonio complures investigatores reconditæ eruditionis, veterumque monumentorum, præstantissimi. Non advertit Carolus ex aliquorum sententia ly *sophos* ex Sempronii nomine esse expungendum, quod in Censura, & Consultatu ab eodem Livio Tuditanus appelletur: Veruntamen id ipsum non placet Glareano, qui *Consul* legit, non vero *Tuditanus*.

CAROLI NEAPOLIS ANAPTYXIS CUM ADDITAMENTIS AD PUBLII OVIDII NASONIS *Fastorum Lib. VI.*

v.4 A*Gitante calescimus illo.* Apte Plato in Dialogo Ἴων & Socratis: Κοῦφον γὰρ χρῆμα ποιητής ἐστι, καὶ πτηνόν, καὶ ἱερόν, καὶ οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται καὶ ἔκφρων, καὶ ὁ νοῦς μηκέτι ἐν αὐτῷ ἐνῇ. (a)

v.12 *Præceptor arandi.* Non Musas; quas vidit Hesiodus. Docuit hic agrorum culturam; unde illa Propertii:

Tu canis Ascræi veteris præcepta Poetæ,
Quo seges in campo quo viret uva jugo.

v.13 *Ascræas cum sequeretur oves.* Ascra, hujus patria. Strabo lib. 9. Ἐν δὲ τῇ τῶν Θεσπιέων ἐστὶ καὶ ἡ Ἄσκρη κατὰ τὸ πρὸς Ἑλικῶνι μέρος, ἡ τοῦ Ἡσιόδου πατρίς. Ibi fuit vati ovium cura. Ad hanc adspiciens Symmachus in Epistolis: *Ut ille pastor*, inquit, *Hesiodus*, *quem poetica lauru camœnalis familia coronavit*; intelligit hos versus in Theogonia:

Καί μοι σκῆπτρον ἔδον, δάφνης ἐριθηλέος ὄζον,
Δρέψασθαι θηητόν· ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
Θείην, ὥστε κλείοιμι τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Licet in his baculum ex lauro, non coronam innuat sibi traditam a Musis; ῥάβδον scilicet, quo in manibus Poetæ sua carmina pronuntiabant.

4 *Nec*

(a) *Agitante &c.* De perdifficili quæstione hac, quæ in sapientissimorum virorum scholis sæpe extitit, *num scilicet divino quodam furore Poetæ abripiantur*, gravissime loquutus est pro singulari doctrina, qua maxime excelluit, atque acri paratoque ad omnia judicio Vir eruditissimus Jo: Antonius Viperanus de Poet. lib.1.cap.3. In eo decipi videntur sapientissimo Viro Democritus & Plato, quod Poeticæ vim omnem furore quodam metiantur, artificiumque repudient. *Nullum enim*, inquit, *usum ars si præstat, cur traditur? siu præstat, cur negligitur?* Ut recte videat, quid sibi censendum sit, utitur Horatiano illo

. . . . . *Nec studium sine divite vena,*
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice

Artem igitur multum habere adjumenti confirmat, *quod certa quædam sit dicendi, agendi, faciendi, inquirendi ratio, via, dux, & comes, quæ hominem errare non patitur*, atque id ipsum quod Natura impertitur, neque arte ulla comparatur, melius multo, pulchriusque fieri doctrina: Optima sæpe ingenia sua vi, impetuque quodam compulsa a recta identidem abducta esse, quæ profecto nunquam errassent, si artis præceptionibus usa fuissent: Videri igitur necessum esse, ut ad optimam Naturam artificium accedat: si vero cum natura & arte exercitatio styli Opifex. & magistrorum omnium magistra optima conjungatur, solere inde præclarum aliquid, ac prope divinum existere.

v. 14 *Nec quas Priamides*. Notum, de quibus fuit Paridis judicium in Ida monte.

v. 16 *Ex illis fuit una*. Juno videlicet, & soror & simul mariti conjux.

v. 17 *Quæ stat in arce Jovis*. In maximo templo Capitolino: in quo tria delubra, medium Jovis, dextrum Minervæ, lævum Junonis.

v. 25 *Nomine nomen habet*. Macrobius primo Saturnalium, ex duobus antiquæ & reconditæ doctrinæ viris: *Junius Majum sequitur, aut ex parte populi, ut supra diximus, nominatus: aut, ut Cincius arbitratur, quod Junonius apud Latinos ante vocitatus, diuque apud Aricinos Prænestinosque hac appellatione in fastos relatus sit; adeo ut, sicut Nisus in commentariis Fastorum dicit, apud majores quoque nostros hæc appellatio mensis diu manserit, sed post, detritis quibusdam litteris, ex Junonio Junius dictus sit*. Reliqua quæ sequuntur, vana sunt & ridicula.

v. 30 *Quondam Saturnia Roma est*. Terentius Varro de colle Capitolino: *Antiquum oppidum in hoc fuisse Saturniam scribitur; ejus vestigia etiam nunc manent tria: quod Saturni fanum in faucibus: quod Saturnia porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam, quod post ædem Saturni in ædificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti*. (a)

v. 34 *Pellex dare nomina mensi?* Pellicem vocat Majam Atlantis filiam, quæ suo Jovi concubuit; & jure.

v. 42 *Caussa duplex iræ*. Ganymedis raptus, adeo toro nostro exitialis; formæ vero judicium Paridis. Hi homines uterque Trojani: a quibus Romani originem deducunt.

v. 42 *Raptum Ganymeda*. Tres M. SS. *rapto Ganymede dolebam*. Ita & in meo legitur.

v. 45 *Currus & arma loco*. Notum hoc ex Marone.

v. 46 *Pæniteat Sparten*. Tres sibi cariores urbes. Ipsamet apud Homerum Iliade δ:

Ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες,
Ἄργος τε, Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη.

v. 54 *Centum celebramur in aris*. Ὑπερβολικῶς. Revera multa erant in Urbe Junonis fana, luci, delubra, aræ, ædes, ædiculæ sub cognomine Caprotinæ, Jugæ, Juliæ, Lucinæ, Matutæ, Martialis, Monetæ, Sororiæ, Sospitæ, Reginæ: & adhuc aliquot me fugiunt.

v. 57 *Suburbani dant mihi munus idem*. Qui sunt in oppidis agri Romani, seu, ut melius dicam, qui in urbicaria degunt regione; quæ ad centesimum usque lapidem extendebatur. Cassiodorus in Formula urbanæ Præfecturæ: *Ditioni tuæ non solum Roma commissa est, quamvis in illa contineantur universa, verum etiam intra centesimum milliarium potestatem te protendere, antiqua jura voluerunt; ne tantæ civitatis judicem muralis agger includeret, quum Roma omnia possideret*. Urbicaria igitur & suburbicaria regio, est ille tractus qui urbi circumjacebat, & ab Italia separabatur: nam inter annonariam regionem nullo modo urbicaria includebatur; hæc etiam *Romana* nuncupatur in veteri inscriptione, nec certe diversa:

POLLIO JVLIO CLEMENTIANO
SVBVENTORI CIVIVM
NECESSITATIS AVRARIÆ,
DEFENSORI LIBERTATIS,
REDONATORI VIÆ POPVLI,
OMNIVM MVNERVM RECREATORI,
VNIVERSA REGIO ROMANA
STATVAM COLLOCAVIT,
CVRANTE CL. PLOTIANO.

16 In-

(a) *Quondam &c.* Non desunt tamen scriptores gravissimi, inter quos Dionys. p. 11. qui narrent comites Herculis ex Hispania redeuntis, castellum ibi, ubi Saturnia fuisse dicitur, Saturno ædificasse, quod ab infenso Jove exercitus, expulsusque, ibi consedisse perhiberetur. In p. vero 1. hæc literis prodidit idem Dionys. *Quin & universa ora, quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic Deo, & a cultoribus Saturnia vocata, ut licet videre in Sybillinis carminibus, & aliis oraculis a Diis editis*.

v. 58 *Inspice quos habeat*. Leges, inquit, mensem Junonium in Fastis municipalibus, Aricinis, Laurentinis, Lanuvinis, Tiburtinis, Prænestinis, nec cum harum urbium auctoribus ullum mihi sanguinis vinculum. De fastis Prænestinis non silebo illud, publicatos olim ab insigni libertino Verrio Flacco. Libellus de Illustribus Grammaticis: *Statuam habet Præneste in inferiore fori parte contra hemicyclum, in quo fastos a se ordinatos & marmoreo parieti incisos publicarat*. Emendent ut volunt locum Critici, ego calculum numquam addam.

v. 59 *Lanuviumque meum*. Ibi illi fuit ædes, lucusque summæ religionis: illuc Romani, Republica afflicta, confugiebant. Livius lib. 22. *Præ quibusdam urbis angustiis mandatum*, inquit, *ut Junoni Reginæ in Aventino, & Junoni Sospitæ Lanuvii majoribus hostiis sacrificaretur*, & lib. 21. *Et donum ex auro pondo* XL. *Lanuvium Junoni paratum est: & signum Matronæ Junoni in Aventino ædificaverunt*.

v. 62 *Junonisque leges tempus*. Amplectere editionem prisci typi, *Junonale leges tempus*.

v. 66 *Non ego, si toto*. Insurgit primo pro se Hebe, sive Juventas; & memorat antiqua officia conjugis in urbem collata: secundo, juvenum caussam tuetur; nam scripsit Macrobius: *Junius Majum sequitur, aut ex populi parte, ut supra diximus, nominatus*; hoc est, juniorum.

v. 80 *Et dote paterna*. Ipse de eodem Caco in primo operis, ubi describit Herculis & hujus congressum:

. . . . . . Patrias male fortis ad artes
Confugit, & flammas ore sonante vomit.

v. 81 *Populum digessit ab annis*. In seniores, & juniores.

v. 84 *Pugnare paratior illa est*. Ratio apud Plutarchum in libello, An seni sit gerenda Respublica: Πάνυ μὲν οὖν, ὦ ἑταῖρε. τοὺς γὰρ Ἄρεος θεράποντας ἡβᾶν πρέπει καὶ ἀκμάζειν, οἷα δὴ πόλεμον πολέμοιό τε μέρμερα ἔργα διέποντας.

v. 85 *Bellum suadet*. Bonum hoc, sed an germanum: negat meus liber, qui præfert, *bellum suadeat, illa gerat*.

v. 90 *Longas Concordia lauro*. Hæc, repulsa utraque Dea, nescio an docte, & scite, probat a junctis, Romulo, & Tatio Sabinorum Rege, mensem Junium sic dictum, quasi Unium, sive Jungium.

v. 91 *Placidi numen opusque Ducis*. Augustus hic, an Tiberius? utrique sane laus propria. Sed cur te celem hanc mentem? malim Tiberium; quum & scribant de eo Historici, & noster in primo sub finem, templum huic Divæ posuisse.

v. 99 *Pergama*. Troja scilicet, ruinam passa ob judicium Paridis.

v. 100 *Dea Cardinis hæc est*. Hinc cuidam ex antiquis *Cardinea* hæc dicta, sive *Cardea*: prius, inquit noster, nominata *Crane*; quasi dicas, ni fallor, κρανεών. nam statim sequitur: (a)

Rura sequi jaculisque feras agitare solebat.

Hujus festum, ut vides, erat Kalendis Juniis: eamdem diem in sequentibus dat templo Junonis Monetæ, templo Martis extra portam Capenam, templo Tempestatis, quibus vetus Kalendarium IV. Nonas his notis, A. F. MART. CAR. MONET.

28 *Tibe-*

(a) *Dea Cardinis &c.* Factum video a Junio Bruto Carnæ Deæ in Cælio monte post pulsos Tarquinios UT JECINORA ET CORDA QUÆQUE SUNT INTRINSECUS VISCERA SALVA CONSERVARET. Formulam expressam a Macrob. Lib. I. cap. 12. refert Vir eruditissimus Barnabas Brissonius de Form. lib. I. Fit hinc, ut a carne dicta esse videatur. Sed de Nomine ipso verumne fuerit apud Veteres, an non, dubitant Philologorum aliqui, verumtamen ejus Deæ mentio fit apud Augustinum, Tertullianum, aliosque, quos consule; neque enim eos præsentis est loci, ociique numerare. Cursim hæc scripseram, quum in eumdem Macrobium incidi, succurritque statim, quod eodem capite prodidit, *pulte Fabaria, & larido huic Deæ factum fuisse, quod vires corporis his rebus maxime roborentur, ideoque Kalendas Junias Fabarias vulgo vocatas fuisse*. Quid censendum, viderint alii; ad me quod attinet malo fere semper tacere, quam aut aliquid negare temere de re, quæ a viris doctissimis in controversiam vocatur, aut audacter quicquam confirmare.

v.104 *Tiberino lucus Hilernæ.* Nihil mutandum censeo. Tres apud me veteres habent, *Tiberinæ lucus Hilernæ lucus Hilernæ*: ac si sensus, prope lucum Hilernæ adsidet alius, quo Pontifices sacra ferunt. Sed similes labeculæ in hoc textu interspersæ a sciolis aliquot, qui Tiberino hic substantivo modo dici posse sibi non persuadebant: his bardis scribam exempla. Propertius: (a)

Hac quondam Tiberinus iter faciebat.

& noster in 4.

. . . . , *Qua se Tiberinus in altum*
Dividit, & campo liberiore natat.

Moneo etiam, varias esse Hilernæ γραφὰς in vulgatis & antiquis: alii scribunt, *Helerni*, alii, *Hilerni*. Onuphrius Panvinius vir magnus in Urbis Topographia, regione 13. scribit:

ÆDICULA HYLERNÆ,
LUCUS HYLERNÆ.

In Sexto Rufo & P. Victore nulla mentio voculæ.

v.106 *Cranen dixere priores.* Ita legi supra, & ex meo. Duobus est, *Granen*; vulgato pessime, *Grameu*.

v.112 *Huic aliquis juvenum dixisset.* Deest particula: pro, si dixisset.

v.117 *Invenienda loco.* Vetus liber, *invenienda modo*.

v.125 *Occupat amplexu.* Hui, hui, tu ille Janus, de quo Augustinus 7. Civitatis divinæ? *De Jano non mihi facile quidquam occurrit quod ad probrum pertineat; & forte talis fuit, ut innocentius vixerit, & a facinoribus & flagitiis remotius.* (b)

v.126 *Jus pro concubitu.* Erat illud, ut a foribus & omni limine noxia & infausta omnia depelleret, tum nocturna spectra, tum alia infesta: ea vis insita erat spinæ albæ, quam Janus ei dederat; hinc introducit striges quondam illam abegisse, quæ Procæ infantis faciem in cunis laniarant. Interim tu legito genus volucrum tam belle & presse descriptum; sed prius quæ sit hæc alba spina..

v.129 *A foribus noxas.* Dioscorides de Rhamno: Λέγεται δὲ καὶ κλάδους αὐτῆς, θύραις ἢ θυρίσι προστιθέμενα, ἀποκρούειν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας. Rhamnus & alba spina synonyma. Glossæ veteres, *spina alba*, βάτος, ῥάμνος. Græci tamen, & Latini passim miscent & confundunt albam spinam, ὀξυάκανθον, λευκάκανθον, aquifolium, παλίουρον, λευκὴν, ἄκανθαν. Quod observandum duxi, omnibus spinarum generibus veteres noxarum pellendi vim ingenitam credidisse: nam & aspalato (arbor est alba cum spinis) eamdem tribuunt potestatem. Excerpta Γεωπονικῶν lib. 15. Ὁ κουράλιος λίθος κείμενος ἐν τῇ οἰκίᾳ φαντάσματα φθόνον καὶ ἐπιβουλὴν ἐλαύνει τὸ αὐτὸ ποιοῦσι καὶ αἱ ῥίζαι τῆς ἀσπαλάθου. De aquifolia Plinius: *In domibus & villa sata, veneficia arcet.* Et sic alii de reliquis quas prædixi.

v.130 *Non quæ Phineia mensis.* Tangit hic Harpyjas, quæ cibos & mensas Phinei fraudarunt. Nota fabella. His, inquit, sunt striges haud multo dissimiles.

v.133 *Canities pennis.* Vere nescitur quæ sit hæc avis; & incerta, ut fatentur omnes. Q. Sere-

---

(a) *Tiberino &c.* Hac de re aliqua dicta sunt ad v. 67. lib. 1.
Tum quoque vicini lucus celebratur Averni
Ubi *Helerni* legendum putat Heinsius, ex codicibus vero veteribus *Hilerni*, *Elerni*, aut *Ilerni*, ex Ursini veterrimo *Alerni*, ex Farnesiano non multæ fidei *Hilernæ*, quod in plures vulgatas editiones irrepsit. *Helerni* itaque censet legendum hoc eodem loco cum Ambrosiano & duobus aliis. Quæ Onuphrius Panvinius de HYLERNÆ ÆDICULA, & regione Urbis XIII. videndum attente cavet, qua fretus auctoritate dixerit.

(b) *Occupat &c.* Hui quid est Carole, quod tanta admiratione capiaris? De hoc non facile B. Augustino quicquam occurrit, *forte talis fuit, ut innocentius vixerit, & a facinoribus & flagitiis remotius.* Quidni? Comparate id si dicitur, non simpliciter. Neque enim in hoc ad libidinem profligata omnia, & perdita, ut in Diis ceteris, neque hunc ceteris innocentius vixisse, & a flagitiis remotius inficiandum est, quod ea forma captus, quæ Phebo pudenda minime esset, cuique amantia verba juvenum aliqui dicerent, semel se amatorio furto obstrinxerit, quod Diis fere omnibus familiarissimum erat. Caussam sub Dei imagine optimi viri libuit mihi dicere, de quo hæc Leo Cafell. de prim. Ital. colon. *Hoc regnante omnium domus religione, ac sanctitate fuerunt munitæ; iccirco divini honores illi sunt decreti, & ob merita introitus, & exitus ædium consecrati.*

Q. Serenus pullis plumis eam vestit: ni caussa epitheti sit volucris nocturnus incessus.

v.134 *Nocte volant*. Statius lib. 2. Thebaidum:

Nocturnaque gemunt striges . . . .

& Lucanus libro primo:

Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur.

v.134 *Puerosque petunt*. Huc pertinent illa Isidori: *Hæc avis vulgo amma dicitur, ob amando parvulos: unde & lac præbere dicitur nascentibus*; quid hoc? gerræ. Vespertilio tantum ex avibus mammas habet.

v.139 *Stridere nocte solent*. Isidorus: *Strix nocturna avis habens nomen de Sono vocis: quando enim clamat, stridet*. Ab eodem etymo dicitur & Græcis κιρχνὺς, καὶ κιςχνὺς ἀπὸ κιςχω, καὶ κιςχάω. inde & *rauca* illa est Senecæ Tragico in Medea. Hujus stridorem pro infausto & malo omine habuerunt veteres: iidem exsectis ejusdem visceribus ad veneficia usi; idque colligo ex ipsomet Cordubensi in Tragœdia citata Actu 4.

v.140 *Seu carmine fiunt*. An detur lycanthropia, haud nostrum inquirere: sed passim legitur apud Ethnicos, ut Apulejum, & alios, de quadam vetula. Noster in libris nequitiarum:

Hanc ego nocturnas suetam volitare per umbras
Suspicor, & pluma corpus anile tegi.

Isidorus: *Striges, mulieres volaticæ*; & Festus: *Striges, maleficis mulieribus nomen inditum est; quas etiam volaticas vocant*. Hinc ad opprobrium nos Itali aniculis dicimus, *Pare una striga*. Glossarium, *Striga*, λωτζυγων, ἢ γυνὴ φαρμακίς. Sed *volaticæ* dictæ, ob metamorphosin in animal volatile. Alioquin volatica ars est quæ ad augures spectat. Hoc verbo, si bene memini, usus Tertullianus sub Pallii finem: *Et Sophista*, inquit, *& Medicus, & Poetæ, & qui musicam pulsat, & qui stellarem conjectat, & qui volaticam spectat, omnis liberalitas studiorum quatuor meis angulis tegitur*; id est, sub pallio quadrangulari.

v.141 *Naeniaque in volucres*. Nænia hic non carmen lugubre, sed verba quæ concipiebantur ad lycanthropiam. Quodvis dictum priscum sæculum dixit *naenium*. Protritum illud, *Sorex indicio suo periit*. Ita appellat Plautus in Bacchidibus.

v.141 *Falsa figurat anus*. Ita noster. Liber vetus quidam, *saga*, alius, *marsa*. Utraque lectio ad verum; sed ultimam retineo. Horatius Epodon libro ad Canidiam:

Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsa dissilire naenia.

Vide ad hæc veteres & hujus ævi nostri Scholiastas. (a)

v.142 *In thalamos venere Procae*. Proca ille Rex Albanus; sed purum fictum.

v.157 *Cruda bimestre tenet*. Solita illa plerumque elixa Diis offerri. Servius: *Reddi exta dicebantur, quum probata & elixa arae superponebantur: & alibi, quae nonnumquam abluta, elixa etiam ipsa reddebantur*. Sed nec quod tangit Ovidius, est mos inauditus. Arnobius lib. 7. *Aversionibus stomachorum numina laborant? ut ad expellenda fastidia saporum varietas quaeratur? ut modo bis assa, modo cruda ponantur, semicocta modo, & semicruda?* & lib. 2. *Quum, Romulo Pompilioque regnantibus, percocta plane & madida cremarentur Diis exta, nonne Rege sub Tullo semicruda capistis & leviter animata porrigere, prisca observatione contemta?* Hoc tamen sacro nec cruda puto postea aræ cremanda imposita; quia sub dio, ut vides, ea locat, quæ rapere volaticas illas credebat: unde jubet ne præsentes exta respiciant; ut præcipit ille in Lemuralibus lib. 5. post jactum fabarum, ut legumen, umbra sibi ipsi, legat.

v.160 *Pro fibris sumite fibras*. Λοβὸς τοῦ ἥπατος, Græci dicerent. Hujus vero divortia notat Hesychius vocasse aruspices πύλας; eaque accurate solita ab iisdem inspici. O infa-

(a) *Falsa &c.* Ultimam retinet etiam Heinsius licet *Maga* non rejiciat. Marsa Epitheton maxime proprium. Hæc enim natio veneficiorum, & incantationum peritissima habebatur; quod hæc a Marso Circe filio didicisse crederetur. Illud certum vim tantam magicam eorum carmina in serpentes habuisse, ut eos possent medios disrumpere. Lucill. apud Non. Marc. 3. 69.

Jam disrumpetur medius, jam ut Marsus colubras
Disrumpit, quum venas extenderit omnes

Insaniam! bene ille: *Occidebatur pecus, ut quod vivum nihil scierat, divinaret occisum; & loqueretur e fibris mortuum, quod numquam locutum fuerat ore.*

v.161 *Hanc animam vobis.* Alieni fati vicariam. Videtur alludere ad eos, qui sponte mortem pro alio obibant: Græcis ἀντίψυχοι dicti. *(a)*

v.162 *Prosecta sub aere ponit.* Sunt, quæ nostri aliter dixere proficias, & præficias, sive proficia, exta secta jam in exiguas miculas. Glossæ exponunt, θυμάτων ἀπαρχαί. Festus: *Prosicium, quod prosecatum, porricitur.* His opponuntur, quæ vocat Arnobius, *solida animantium viscera.*

v.165 *Qua lumen thalamis.* Huc vere pertinent illa Dioscoridis, quæ supra citavi e lib. primo cap. 121. Λέγεται δὲ καὶ κλάδους αὐτῆς, θύραις ἢ θυρίσι προστιθέμενα, ἀποκρούειν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας.

v.166 *Nec aves cunas violasse.* Fuere & alia antidota adversus has. Scita carmina apud Festum, quibus soliti Græci illas avertere. Juvit etiam allium puero annexum, & utrique brachio hyenæ viventis oculus erutus. Sed de allio Q. Serenus:

> *Præterea si forte premit strix atra puellos*
> *Virosa immulgens exertis ubera labris;*
> *Allia præcepit Titini sententia recti,*
> *Qui veteri claras expressit more togatas.*

Hic Titinius est ille prænomine C. qui fabulas togatas scripsit. *(b)*

v.168 *Pinguia cur illis.* De sacrificiis, quæ Divæ Carnæ fiebant ita Macrobius primo Saturnalium: *Hanc*, inquit, *Deam vitalibus humanis praeesse credunt. Ab ea denique petitur, ut jecinora, & corda, quæque sunt intrinsecus viscera, salva conservet. Et quia cordis beneficio, cujus dissimulatione Brutus habebatur, idoneus emendationi publici status exstitit, hanc Deam, quæ vitalibus præest, templo sacravit: cui pulte fabaria, & larido sacrificatur; quod his maxime rebus vires corporis roborentur.* Naso referet ad frugales antiquorum mores, & cibos. *(c)*

v.169 *Mistaque cum calido farre.* Hæc puls fabaria, seu fabata, de qua supra Macrobius. Unde *fabataria* dicta vasa, quibus hujusmodi cibus conditus infundebatur. Mentio horum apud Ælium Lampridium in his de Heliogabalo: *Barbas sane mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro nasturtiis, apiastris, & facelaribus, & fœnogræco exhiberet plenis fabatariis, & discis.* Sed hic *fabatarium* pro quolibet amplo vase. Revertor ad pulmentarium ex faba, & farre, quod puto Græcis ἔτνος dictum existimasse doctissimum Dalecampium: nam hoc verbum in versiculo Mnesimachi apud Athenæum vertit, *ex faba fressa pultem.* Nescio, an docte: nam ἔτνος est nomen genericum adsignificans quodvis pulmentarium ex leguminibus confectum. Unde Athenæus lib. 9. vocat ἐτνηρὸν ἕψημα, jusculum ex istis paratum: imo ibi nominatim exprimit ex piso, faba, lente, & araco. Solus Aristophanis Scholiastes scribit eo nomine intelligi ἀθάραν, decoctum etiam ex pisis, seu phaseolis.

v.173 *Tuta fuere suis.* Nihil his frequentius postea in cœnis prisci sæculi, imo ante cœnam: nam ad gustationem & ἐπίτομα, ut ita loquar, illis usum. Vide Macrobium 3. Saturnalium. Seneca in Epistolis: *Dii boni, quantum hominum unus venter exercet? Quid, tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis judicas facere, etiam si præsentanei non fuerunt? Quid, tu illam æstivam nivem non putas callum jecinoribus obducere? Quid, illa ostrea, inertissimam carnem, cæno saginatam, nihil existimas limosæ gravitatis inferre?*

51 Quam

(a) *Hanc animam &c. Hanc animam vobis &c.* Huic formulæ similis alia esse videtur lib. 4. v. 665. qua pro *victima animæ* ponitur,
Morte boum tibi, Rex, Tellus placanda duarum,
Det sacris animas una necata duas.

(b) *Nec aves &c.* Hujus Titinii loco utitur Servius in 4. Æneid. v.346. ostendens *capessere* idem esse aliquando ac *ire*,
Lucius domum se capessit: hic amor, hæc Patria est.
Enumeratur a V. C. Jo: Alberto Fabricio inter Poetas Veteres, quorum fragmenta Stephanorum Collectanea, ac Theodori ab Almeloveen complectuntur.

(c) *Pinguia &c.* Hæc, quæ alio a Macrobio referuntur, attulimus jam ad num. 27.

v.174 *Quam prabet Jonia dives*. Ignoti Latinis, inquit, erant attagenes; dixit, *Jonicos*: non quod in reliquis Asiæ provinciis rarus hic ales; sed quia Jonicus sapore reliquos Asiaticos longe superabat. Martialis:

> *Inter sapores fertur alitum primus*
> *Jonicarum pastus attagenarum.*

Hieronymus ad Salvinam: *Procul sint conviviis tuis phasides aves, crassæ turtures, attagen Jonicus, & omnes aves quibus amplissima patrimonia avolant*. Attagen nos ex Græco habemus; Latinis est *rusticula*, sive *gallina rustica*. Glossæ, *gallina rustica*, ἀτταγήν. Nota vero, quod Græcis pluraliter non ἀτταγῆνες, ut nobis attagenes, sed ἀτταγᾶς, receptum discimus ex Athenæo lib. 9. De corpore, & penna hujus alitis hæc Alexander Myndius: Μικρῷ μὲν μείζων ἐστὶ πέρδικος· ὅλος δὲ κατάγραφος τὰ περὶ τὸ νῶτον, κεραμοῦς τὴν χρόαν, ὑποπυῤῥίζων μᾶλλον. (a)

v.175 *Nec, quæ Pygmæo*. Gruibus, & cygnis oculos consuebant, & in tenebris ad victum saginabant. Plutarchus περὶ Σαρκοφαγίας: Ἄλλοι γεράνων ὄμματα καὶ κύκνων ἀποῤῥάψαντες καὶ ἀποκλείσαντες ἐν σκότει πιαίνουσιν, ἀλλοκότοις μίγμασι καὶ καρυκείαις τισὶν αὐτῶν τὴν σάρκα ὀψοποιοῦντες. (b)

v.176 *Nihil in pavone placebat*. Strattis in Pausania:

> Οὓς βόσκεθ' ὑμεῖς ἕνεκα τῶν οἰκυπτέρων.

Scripsit de pavonibus, de horum numero, in Urbe Roma: tantus ille; qui ad quid, nisi ad palatum? hæc cecinisse Antiphanem comicum in Tychone credidit Athenæus lib. 14.

> Τὸν ταὼν μὲν ὡς ἅπαξ τις ζεῦγος ἤγαγεν μόνον
> Σπάνιον ὂν τὸ χρῆμα· πλείους δ' εἰσὶ νῦν τῶν ὀρτύγων.
> Χρηστὸν ἄνθρωπον δέ γ' ἄν τις ἕνα μόνον ζητῶν ἴδῃ,
> Ὄψετ' ἐκ κείνου πονηροὺς πέντε παῖδας γεγονότας.

v.179 *Sextis quiqunmque Kalendis*. Si numeres Kalendas a Januario, hæ Juniæ erunt 6. Frequens loquendi modus Jurisconsultis. Celsus in L. Liber. 59. §. Si ita. De hered. instit. *Titius, si intra tertias Kalend. navis ex Asia venerit, heres esto*. Ulpianus in L. prima. §. Si qui. De verb. oblig. *Si ita interrogatus, Intra Kalend. quintas? responderit, Dabo Idibus; non obligatur*. Sed observa Junias ob hujusmodi esum dictas *fabarias*. In Kalendario Constantini magni prima dies mensis Junii sic notatur, FABARICI. (c)

v.181 *Arce quoque ex summa*. Nullus est sensus: scribe, *Arce quoque in summa*.

58 Ex.

(a) *Quam &c.* Hæc inter aves in pulvere volutabiles refertur ab Aristotele Hist. Anim. 9. 49. quod gravior corpore quum sit, minus altivola esse possit: hæ autem terrestres in pulvere volutantur; Paullo major perdice est, ejus dorsum variis notis distinguitur, color fictilium, licet magis subrubescat, ut laudatus Alexander Myndius. Ab Aristophane suavissimæ carnis esse dicitur.

(b) *Nec, quæ &c.* Grues aves dicit Ovidius gaudentes Pygmæo sanguine, ex iis, quæ narrantur, huic genti infensas fuisse, coegisse eam sæpe arma capere, & illo, ubi pullos educabant, expeditionem facere. Placet (mirum quantum!) Heinsiana lectio ex Ursini, Vossii, & ex uno Vatic. Cod.

Nec Latium norat, quam prabet Jonia dives,
Nec, quæ Pygmæo sanguine gaudet, avem.

(c) *Sextis &c.* Non possum me continere, quin libere dicam, quod sentio. Tantum abest, ut quæ a Macrobio, & ab iis, qui in Macrobii sententiam ivere, contemnenda esse videantur de Carna, quæ alibi dicta sunt, ut quum eorum aliquid vel ipse Ovidius ex veterrimo instituto, ac superstitione olfecerit, cogatur confiteri sacrum Deæ ex faba & farre factum, a qua viscera conservarentur:

Huic lædi viscera posse negant.

Ipso enim die, quo Carnæ faba, & farre fieret, qui ederet, ejus viscera morbo defendi posse putabant. Libet integrum distichon repetere.

Quæ duo mixta simul sextis quicunque Kalendis
Ederit, huic lædi viscera posse negant.

v.181 *Ex voto memorant*. Hujus nec verbum quidem in Plutarcho, sed tantum de diruta Manlii domo; quasi hanc ob caussam in ejusdem area a Senatu ædem Monetæ collocatam. (a)

v.183 *Ante domus Manli fuerat*. Livius lib. 7. *Inter ipsam dimicationem ædem Junoni Monetæ vovit: cujus damnatus voti quum victor Romam revertisset, Dictatura se abdicavit. Senatus Duumviros ad eamdem ædem pro amplitudine Populi Romani faciendam creari jussit. Locus in arce destinatus, quæ area ædium M. Manlii Capitolini fuerat.*

v.187 *Vixit, ut occideret*. Ut illud de se exule in Tristibus;

Integer hunc potui nuper bene reddere vitam;
Exul ut occiderem nunc mihi vita data est.

v.187 *Damnatus crimine regni*. Ob id saxo Tarpejo dejectus: locusque idem in uno homine, & eximiæ gloriæ monimentum, & pœnæ ultimæ fuit. (b)

v.189 *Lux eadem Marti festa est*. Iisdem Kal. Juniis Marti litabant extra portam Capenam, ubi templum habebat. Id in Livio lego: *Quum omnes extra portam Capenam ad Matris ædem convenire juniores armatos jussisset*; & idem hoc loco: *Semitamque saxo quadrato ad Martis ædem Capena porta straverunt*; & hoc alio: *Viam Censores sternendam a porta Capena ad Martis templum locavere*. Ex quo ultimo elicio verum illud docti viri, nullum templum Martis in horris adjacentibus portæ Capenæ (ibi quidam unum constituebant) reperisse; sed ulterius in via Appia, & longe a mœnibus, a quibus ad templum spatium aliquod sternendi extaret; de quo toties Livius. Hæc ædes a Lucio Sulla Felice restituta, aucta, ac supra centum columnas imposita; postea diruta precibus Stephani Pontificis Maximi, quum jussu Gallieni ibi cogeretur sacrificare. Lege latius tanti viri miraculum in Baronio anno Christiano CCLX.

v.190 *Tectæ porta Capena viæ*. (c) An Appia est *via tecta*, hoc est, lapide strata, quæ a porta

(a) *Ex voto &c.* Multo ante conditam Monetæ ædem in area domus Manlii, aliam in Arce huic ipsi consecratam fuisse conjicimus ex illis Tullii verbis de Divin. 1. 45. *Scriptum est a multis, quum terræmotus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, vocem ab æde Junonis ex arce extitisse, quocirca Junonem illam appellatam Monetam*. De alia item Æde in Monte Aventino condita mentio fit a Val. Max. lib. 1. cap. 8. Ne gravea sit Valerio ipso ejus rei historiam audire. *Captis a Furio Camillo Veiis, milites jussu Imp. simulacrum Junonis Monetæ (Reginam dicit Livius) quod ibi præcipua religione cultum erat, in Urbem translaturi, sede sua movere conabantur, quorum ab uno per jocum interrogata Dea, an Romam migrare vellet? velle se, respondit. Hac voce audita, ludus in admirationem versus est: Jamque non simulacrum, sed ipsam cælo Junonem petitam portare se credentes, læti in ea parte Aventini Montis, in qua nunc Templum ejus cernimus, collocaverunt.*

(b) *Damnatus &c.* Comitia centuriata habita fuere, de Manlio judicium quum fieret, in Campo Martio non jam, sed in luco Petilino extra Portam Flumentanam: quum enim e Campo Arx conspici posset, oraretque ipse singulos, ac universos, ut Capitolium, quod jam defenderat, intuerentur, atque ita de se judicarent, manusque tendens ab hominibus ad Deos preces averteret, nullus esse poterat in animis beneficio præoccupatis crimini locus. Qua propter in Petelino, unde in Capitolium conspectus esse non poterat, concilium Populi indictum est. Manlii mortem pestilentia consequuta quum esset, nullaque ejus caussa appareret (vide Romanorum hominum superstitionem) sermones in vulgus dispersi: *Violatum Capitolium esse sanguine servatoris, nec Diis cordi fuisse pœnam ejus oblatam prope oculis suis, a quo sua templa erepta e manibus hostium essent.* Hæc Livius lib. 6. c. 20.

(c) *Tectæ &c. Rectæ*, quod in tribus veteribus legit Carolus, quasi jure suo expungit Heinsius, quod via Recta Campi Martii locum hic habere non videatur. Ita etiam emendat versiculum Martialis lib. 3. epigram. 5. v. 5. reponitque *Tectæ*.

Protinus hunc primæ quæsitum i limine Tectæ
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille Lares.

Sed bona tanti Viri pace non possum mei lectionem improbare

Protinus hunc adeas, primique in limine tecti
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille Lares.

porta Capena incipiebat ? an nostro inhærebis Codici, in quo *dextre?* (ac si bivium extra portam fuisset, dextraque via templum istud positum) an tribus veteribus, in quis est *recta?* Quæ via Romæ sita prope Flaminiam. Martialis lib. 8.

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus a recta Flaminiaque recens.

Seneca in Apocolocyntosi hujus etiam meminit: *Trahit*, inquit, *capite obvoluto, ne quis eum posset agnoscere, per campum Martium, inter Tiberim & viam rectam.* Sed, sodes, elige γνῶσιν e duabus prioribus, quæ magis sedeat, hanc rejice: nam porta Capena prorsus aversa est a recta & Flaminia.

v.191 *Meritam delubra fatemur.* Tempestatis ædem ajunt votam a M. Marcello, qui bello Punico secundo Syracusas vicit, ab Oceani periculo liberato, quum in Corsicam & Sardiniam navigaret. Situs ædis fuit in Appia etiam extra portam Capenam, ut illa Martialis.

v.194 *Tunc oritur.* Eisdem Kalendis ostendit ortum totius Aquilæ vespertinum: cui adstipulatur Culumella, & Plinius.

v.195 *Postera lux.* IV. Nonas Hyades oriuntur heliace.

v.197 *Mane ubi bis fuerit.* Pridie Nonas Junii Bellonæ ædes consecrata in circo Flaminio versus portam Carmentalem. In hac dabatur Senatus Legatis exterarum nationum, quas in urbem admittere nolebant, item Ducibus e bello revertentibus. Livius de M. Marcello e Sicilia victore redeunte lib. 16. *Ejusdem æstatis exitu M. Marcellus e Sicilia provincia quum ad urbem venisset, a C. Calpurnio Prætore Senatus ei ad ædem Bellonae datus est*; & sexcentis locis.

v.199 *Tusco Bellona duello.* In eo castra hostium ab Appio capta, immo direpta, præda ingens, parta, & militi concessa, septem millia & trecenti occisi, duo millia & centum viginti capti. Victoriæ hujus mentio exstat in hoc lapide, in quo plura Appii gesta; quæ sparsim per hæc quatuor disticha leguntur.

APPIVS CLAVDIVS
CENSOR. COS. BIS DICT. INTERREX III.
PR. II. ÆD. CVR. II. Q. TR. MIL. III. COMPLVRA
OPPIDA DE SAMNITIBVS CEPIT,
SABINORVM ET TVSCORVM EXERCITVM
FVDIT, PACEM FIERI CVM PYRRHO
REGE PROHIBVIT, IN CENSVRA VIAM
APPIAM STRAVIT, ET AQVAM IN
VRBEM ADDVXIT, ÆDEM BELLONÆ
FECIT.

v.201 *Appius est auctor.* Habes hoc ex lapide: cui subjungo istace Livii lib. 10. *Dicitur Appius in medio pugnæ discrimine, ita ut inter prima signa manibus ad cælum sublatis conspiceretur, ita precatus esse: Bellona, si nobis hodie victoriam duis, ast ego templum tibi voveo.*

v.201 *Pyrrho qui pace negata.* Hic Pyrrhus Epirotarum Rex suppetias Tarentinis dedit, indicto eis a Romanis bello: ipse in Italiam venit anno Urbis conditæ CDLXXIII. sibique junxit Samnites, Lucanos, Brutios. Vastavit multam Italiæ partem; deinde a Romanis petiit pacem eo pacto, ut oppida jam victa fas esset ei retinere: negatum hoc Appii cæci stimulis. Eutropii Breviarium: *Pax displicuit; remandatumque Pyrrho a Senatu est, eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse.* Epitome Liviana lib. 13. *Cyneas, Legatus a Pyrrho ad Senatum missus, petiit, ut componendæ pacis caussa Rex in Urbem reciperetur: de qua re quum ad frequentiorem Senatum referri placuisset, Appius Claudius, qui propter invaletudinem oculorum jam diu a consiliis publicis abstinuerat, venit in curiam; & Sententia sua tenuit ut id Pyrrho negaretur.* Is postea victus, & ex Italia pulsus anno Urbis conditæ CDLXXVIII.

v.202 *Multum animo vidit*. Tunc enim captus utroque oculo, imo & surdus id temporis esse cupivit; ne quosdam in Senatu audiret ad fœdam pacem inclinantes. Plutarchus in Pyrrho, de Claudio, qui hæc locutus in Curia: Πρότερον μὲν (ἔφη) τὴν περὶ τὰ ὄμματα τύχην ἀνιαρῶς ἔφερον, ὦ Ῥωμαῖοι· νῦν δὲ ἄχθομαι, πρὸς τῷ τυφλὸς εἶναι, μὴ καὶ κωφὸς ὤν, ἀλλ' ἀκούων αἰσχρὰ βουλεύματα καὶ δόγματα ὑμῶν, ἀναφέροντα τῆς Ῥώμης τὸ κλέος. (a)

v.204 *Est ibi*. Vetus: *Est ubi*. (b)

v.204 *Parva columna notæ*. Optime: nam vere parva, & columella. Festus Pompejus: *Bellona dicebatur Dea bellorum: ante cujus templum erat columella, quae bellica vocabatur; supra quam hastam jaciebant, quum bellum indicebatur*; & Publius Victor in regione 9. *Aedes Bellonae versus portam Carmentalem; ante hanc aedem columna index belli inferendi*.

v.205 *Belli praenuntia mitti*. Idque ecce clarius e Dione de M. Antonino in Marcomannico bello: Ταῦτα τε εἶπε, καὶ τὸ δόρυ τὸ αἱματῶδες παρὰ τοῦ Ἐνυείου ἐς τὸ πολέμιον δῆθεν χωρίον (ὡς γε τῶν συγγιγνομένων αὐτῷ ἤκουσα) ἀκοντίσας, ὡρμήθη. (c)

v.207 *Altera pars Circi*. In reliqua parte Circi Flaminii erat ædes Herculis Magni Custodis: nec umquam hæc fuit, ut blaterat Fanensis, in Circo maximo, qui in regione 11. in ea sane hæc exstabant sacra Herculi ædificia, templum Herculis Victoris, in foro Boario; ædes Herculis Olivarii ad portam Trigeminam; ædicula Herculis Triumphalis in Circo: non invenies certe aliquam cognomento *Custodis*; sed tantum in Circo Flaminio. Fragmentum veteris Kalendarii: HERCVLI MAGNO CVSTODI IN CIRCO FLAMINIO. Auctorem hujus templi fateor me ignorare: nam si in Circo Flaminio unum tantum fuit Herculis templum, hoc certe constitutum a Fulvio Nobiliore: nec factum monitu Sibyllino; quod repugnat his Ovidii. Si duo, ut patet ex Topographia urbica Onufrii Panvinii, bellum erit cum Sexto Rufo, & P. Victore, qui tantum unum nominant in Circo: sed in horum exemplaribus multæ lacunæ. Et ego certe suspicor, duo in eodem fuisse, hanc ædem Herculis Custodis a Senatu extructam jussu carminis Cumani; alteram a Fulvio, postea restauratam a Philippo Augusti vitrico: de qua noster sub metam hujus Libri.

v.210 *Sylla probavit opus*. Nullus mihi nec vetus nec novus scriptor, qui hoc probet. Tantum istud de Sylla in Plutarcho inveni: Ἀποθύων δὲ τῆς οὐσίας ἁπάσης ὁ Σύλλας τῷ Ἡρακλεῖ δεκάτην, ἑστιάσεις ἐποιεῖτο τῷ δήμῳ πολυτελεῖς. Sed τὸ *probavit* accipio eo sensu, quo veterem hunc lapidem:

M. MA-

(a) *Multum &c.* Multorum animos suavis, blandæque orationis illecebris deliniverat adeo Cineas quidam a Pyrrho de pace componenda Orator missus, ut partem Senatus in sententiam tracturus esset nisi gravi oratione Appius pacem dissuasisset. Verumtamen ipse Patrum Auctoritatem, gravissimique Consilii dignitatem, & amplitudinem admiratus, *Regum sibi illum consessum visum fuisse*, palam dictitabat.

(b) *Est ibi &c.* Hexametrum distichi hujus sic legitur ab Heinsio

Prospicit a Templo &c.

ex fide duorum Codicum Ursini veterrimi, & Patavini: sic autem ipse secum putat. *Summus Circus pars anterior Circi, quid ergo prospicit a tergo? Si de tergo areæ accipis, legi debet respicit, prospicere enim a tergo nemo dicitur, si de tergo templi interpretaris, peccas in historiam. Area enim hæc ante ædem Bellonæ erat, ut ex Festo in Bellona, & Pub. Victore in regione* IX. *diximus*. Sed qui nostram retinent non intelligunt *a tergo Ædis Bellonæ, sed a tergo Circi*, hoc est a tergo convexæ extremitatis Circi, in qua Ædes Bellonæ; & sic non inepte summus dicitur: convexa enim hæc extremitas prima cernitur non quidem ingressis in circum, sed iis, qui in area essent.

(c) *Belli &c.* Consul humiliori columnæ huic insistens, (neque enim depressior cum esset, inniti poterat) hastam in eam partem contorquebat, ubi vel Rex erat, vel Gens, cui bellum esset indicturus.

M. MANILIVS M. F.
L. TVRPILIVS L. F.
DVOMVIR,
DE SENATVS SENTENTIA
ÆDEM FACIENDAM COERA
VERVNT, EIDEMQVE
PROBAVERE.

v.211 *Sancto, Fidione referrem*. Hic Deus præcipue cultus a Sabinis: & Fidius, & Sabus, & Sanctus, & Semipater vocatus. Sed puto diversum Sanctum a Sabo; ex quo Sabinos nomen accepisse, M. Cato in Originibus tradit his verbis: *Nomen esse impositum ex Sabo Divi Sanci Gentilis filio*. Idem quoque Silius innuere videtur in VIII.

Ibant & læti: pars Sanctum voce canebant
Auctorem gentis; pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas: qui de patrio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Sic legit & citat hos versiculos Aldus Manutius in Quæsitis. Sed mallem ibi non *de patrio* legere, sed *de proprio*. Quomodo enim de Sancti patris nomine dixit Sabinos Sabus, ac non de suo potius, quum hoc Sabini etymon flagitet? Mens sane Poetæ fuit, ut existimaret a Sancto originem Sabinos, sed a Sabo nomen traxisse: Sanctus enim fuit primus Sabinorum Rex, si Augustino fides adhibenda lib. 18. de Civitate Dei: *Sabini Regem suum primum Sancum, seu, ut alii, Sanctum, retulerunt in Deos*; sic legendum, non corrupte *Xantbum*, vel *Xantbium*. Relatus ergo in Deorum synodum a Sabinis, immo a Romanis. Justinus Martyr locum in Urbe designat, ubi illi statua erecta, cum inscriptione & titulo Sancti Dei; ejus verba sunt in secundo pro Christianis Apologetico: Ὃς ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος διὰ τῆς τῶν ἐνεργούντων δαιμόνων τέχνης δυνάμεις ποιήσας μαγικὰς ἐν τῇ πόλει ὑμῶν βασιλίδι Ῥώμῃ, Θεὸς ἐνομίσθη, καὶ ἀνδριάντι παρ' ὑμῶν ὡς Θεὸς τετίμηται· ὃς ἀνδριὰς ἀνεγήγερται ἐν τῷ Τίβερι ποταμῷ, μεταξὺ τῶν δύο γεφυρῶν, ἔχων ἐπιγραφὴν Ῥωμαϊκὴν ταύτην, SIMONI DEO SANCTO. Ubi *Simoni* nescio quomodo scriptum pro *Semoni*. Tertullianus quoque simile mendum habet, si mendum vocari potest, in Apologetico: *Quum Simonem magum statua, & inscriptione Sancti Dei inauguratis*; nam I. pro E sæpe in inscriptionibus antiquis usurpatum. Sed fere *Semoni* in pervetustis memini legisse; ut in hac:

SANCO SANCTO SEMONI DEO FIDIO SACRVM
DE CVRIA SACERDOTVM BIDENTALIVM
RECIPERATIS VECTIGALIBVS.

& in ista: SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRVM SEXTVS POMPEIVS S. P. F. COL. MVSSIANVS QVINQVENNALIS DECVRIO BIDENTALIS DONVM DEDIT.

v.212 *Au tibi Semipater*. Josephus Scaliger mallet, *Au tibi Semo pater*. Non suadet Inscriptio Reatina:

SEMIPATRI SANCO.

v.215 *Donarunt æde Sabini*. Hi ergo populi templi auctores. O si verum! Sed vereor ne verior Dionysius lib.9. qui scribit, Spurium Postumium Consulem dedicasse anno Urbis conditæ CCXCVIII. ultimum vero Tarquinium exstruxisse; gloriam tamen inscriptionis Postumio ex S. C. concessam; verba ejus hæc sunt: Ἐν δὲ τῇ πόλει τὸν νεὼν τοῦ Πίστιος Διὸς Σπόριος Ποστούμιος ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων καθιέρωσε, μηνὸς Ἰουνίου ταῖς καλουμέναις νόνναις, ἐπὶ τοῦ Ἐνυαλίου λόφου, κατασκευασθέντα μὲν ὑπὸ τοῦ τελευταίου βασιλέως Ταρκυνίου, τῆς δὲ κομιζομένης παρὰ Ῥωμαίοις ἱερώσεως οὐ τυχόντα ὑπ' ἐκείνου. τότε τῇ βουλῇ δόξαν, ὁ Ποστούμιος ἔλαβεν αὐτοῦ τὴν ἐπιγραφήν. Forte ob odium in Tarquinios.

v.217 *Nostris diuturnior annis Filia*. Hujus nomen non legi: hoc teneo, ex ea nepotes Ovidium habuisse; idque ipsomet attestante in Tristibus:

Filia me mea bis prima fecunda juventa,
Sed non ex uno conjuge, fecit avum.

Tangit filiæ διγαμίαν.

v.225 *Donec ab Iliaca*. Usque ad XVII. Junii diem. Festus: *Stercus ex æde Vestæ XVII. Kalendas Julias defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini: qui locus clauditur porta Stercoraria; tantæ sanctitatis majores nostri esse judicaverunt*. In veteri Kalendario scribitur hæc dies, Q. ST. DF.

v.226 *In mare Tibris aquis*. Cui credam, Festo, Varroni, an nostro? Illi ajunt, delatum in locum certum, imo hunc porta clausum ad venerationem: Naso vult jactum in Tiberim. Hæreo

v.227 *De-*

v.237 *Detonso crinem depectere buxo*. Sic legas. Detonsus est rasilis. Inepte libri duo, *detonsum crinem*. His ego diebus Flaminicæ Diali vetitus concubitus, ungues ferro secare, capillum depectere: quod ei etiam præcipue non fas per id tempus quo ad Argeos itabat, ut xv. & xvi. Kalendas Apriles; noster mense Martio:

Itur ad Argeos (qui sint, sua pagina dicet)
Hac, sicut memini, praeteritaque die.

Lex Flaminica: CVM EAT AD ARGEOS, NEQVE CAPVT COMITO, NEQVE CAPILLVM DEPECTITO. (a)

v.218 *Ferro subsecuisse licet*. Diebus licitis segmina subter arborem siliquam terra operiebantur. Vide leges Flamini & conjugi impositas ex libris Sacerdotalibus apud A. Gellium lib. 10. cap. 15. (b) v.230 Per-

(a) *Detonso &c. Detonso* non displicet pro *rasili*: Rasilis enim sumitur non pro eo tantum, quod radi potest, sed etiam pro eo quod politum, lævigatumque est. Ovid. 8. Metamorph. v. 318.

Rasilis huic summam mordebat fibula vestem.

Probaretur mihi maxime Heinsiana lectio *Non mibi dentosa* &c. nisi *dentosa* vox esset insolentior, pro qua *dentata* reponitur, quæ lectio, ob litterarum mutationem, non precario, sed per vim detorta esse videtur.

(b) *Ferro &c.* Eas in commodum Lectoris huc attulimus: *Capillum Dialis, nisi qui liber homo est, non detondeto.*

Unguium Dialis, & capilli segmina, subter arborem infelicem (siliquam alii legunt*) terra integunto.*

Equo Dialem Flaminem vehi, religio esto.

Italia ne egreditor.

Noctem unam manere extra Urbem nefas esto.

Jurare Dialem fas nunquam esto.

Annulo solido ne utitor, casso, pervioque utitor.

Ignem e Flaminia, nisi in sacrum, efferri, jus ne esto.

Funebres tibias ne audito.

Locum, ubi bustum est, ne ingreditor. Cadaver ne attingito.

Funus tamen exsequi, ne Religio esto.

Classem procinctam extra Pomerium ne videto.

Vinctus, si ædes ejus introjerit, solvitur; vincula per impluvium in tegulas subducuntur, atque inde foras in viam demittuntur.

Nodum in apice, in cinctu, nllave in parte ne habeto.

Qui ad verberandum ducitur, si ad pedes ejus supplex procubuerit, eo die verberari, piaculum esto

Capram, & carnem incoctam, hederam, & fabam neque attingito, neque nominato

Propaginem e vitibus altius protentis ne succidito

Pedes lecti luto tenui circumlito, de eo lecto trinoctium ne decubito, neve alium cubare finito, apud ejus lecti fulcrum capsula cum strue, aut ferro ne esto.

Dialis quotidie festatus esto.

Sine apice sub dio ne esto: Sub tecto enim uti libet, & non pridem a Pontificibus constitutum. Marsurius prodidit Gellio teste ceremoniarum aliquot ei gratiam factam fuisse. Sed alias persequamur.

Farinam fermento imbutam ne attingito.

Tunicam intimam nisi in locis tectis ne exuito; id cautum ne sub coelo in oculis Jovis nudus esset.

Nemo super Flaminem Dialem in convivio præter Regem Sacrificulum accumbito.

Uxorem si amisit, Flaminio decedito.

Ejus matrimonium, nisi morte, ne dirimitor. Verba Prætoris ex edicto perpetuo de Flamine Diali, & Sacerdote Vestæ hæc sunt. SACERDOTEM VESTALEM, ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA JURISDICTIONE JURARE NON COGAM. Solus album Galerum habebat, ut refert idem Gellius ex Testimonio Varronis R.R. Div. lib. 2. vel quod maximus esset, vel quia Jovi immolata hostia albato fieri necesse esset. Harum legum aliquot caussas inquirit Plutarchus, quem consule in Problemat. & Quæst. Roman. quæst. 109. Videris etiam apud ipsum non licuisse Flamini Diali antiquitus aut magistratum petere, aut capere, ne aut a sacris avocaretur, aut multa contra Religionem facere cogeretur.

Ministros patrimos, matrimosque esse oportebat. *Flaminius camillus* (hæc Festus) *puer dicebatur ingenuus, patrimus, & matrimus, qui flamini Diali ad sacrificia praministrabat.*

Flaminia dicebatur Sacerdotula, quæ Flaminicæ Diali praministrabat, eaque patrima, & matrima erat, idest patrem, matremque adhuc vivos habebat. Idem.

v.230 *Perpetua sit mihi lege datus*. Quid istud est? ergo divortium Flaminicæ vetitum fuit; ita: nam univira & unicuba esse debebat. Ad hunc ritum Tertullianus exhortatione ad castitatem: *Monogamia apud Ethnicos in summo honore est, ut & virginibus legitime nubentibus univira pronuba adhibeatur, & si auspicii initium est. Item in quibusdam Sollemnibus, & Auspiciis, ut prior sit univiræ locus. Certe Flaminica non nisi univira est; quæ & Flaminis lex est*. Dixi supra, *univira*; forte melius, *univiria*. Sed utraque vox ad verum. nam primæ accommodo vetustum hunc lapidem: RENATVS VOLVSIE JVSTE MATRI CARISSIMÆ, OMNIVM FEMINARVM SANCTIORI VNIVIRÆ; secundæ, Trebellii Pollionis ista, de Calpurnia Titi conjuge: *Fuit*, inquit, *sancta, & venerabilis femina de genere Censorinorum, id est Pisonum* (lege *Cesonianorum*; qui umquam Pisones Censorini?) *quam majores nostri univiriam Sacerdotem inter sacratissimas feminas adorarunt*.

v.233 *Tertia post Nonas*. VII. Idus Arctophylax occidit mane.

v.235 *Ludos in gramine campi*. De his ita Festus: *Piscatorii ludi vocantur, qui quotannis mense Junio trans Tiberim fieri solent a Praetore urbano pro piscatoribus Tiberinis: quorum quaestus non in macellum pervenit, sed fere in aream Volcani: quod id genus pisciculorum vivorum datur ei Deo pro animis humanis*.

v.238 *Æra recurva*. Γναμπὰ quoque ἄγκιστρα, dixit Homerus in Oydssea.

v.239 *Mens quoque numen habet*. Post infelicem illam Romanorum cladem ad lacum Trasymenum.

v.239 *Delubra videmus Vota*. Suasu Decemvirum. Post inspectos libros Fatales, ædem vovit Attilius Prætor, dedicavit T. Octacilius Crassus. Vide Livium lib 22. & 23.

v.241 *Leto Consulis*. C. Flaminii. (*a*)

v.245 *Mediis sex lucibus Idus*. Ostendit quo die consecrata: hoc est, eodem VII. Idus. In Kalendario statim post hunc legitur: MENTI IN CAPIT. Puto verius, & credo, nostro haud dubie alio sibi mentem, quum hæc scriberet: nam VII. Idus adsignificavit supra in illis, *Tertia post Nonas*. Quod si eodem fuit dies consecrationis, superfluum sane hoc iterum uno disticho adnotare: idcirco suspicor, VI. Idus his duobus versiculis exprimere voluisse, non VII. ut ex iisdem colligo.

v.247 *Tibi nunc operata resolvimus ora*. V. Idus erant sacra Vestalia, ut monent Kalendaria; de festo M. Varro lib. 5. *Dies Vestalia, ut virgines Vestales Vestae sacrificent*. In Kalendario Constantini Magni, VII. Idus VESTA APERIT: V. Idus VESTALIA: XVII. Kalendas Julias VESTA CLVDITVR. Prima, & ultima verba capio de penu Vestali: qui, quum Vestalium dies aderat, aperiri solitus; claudi puto post illa præterita. Vide an ad hanc mentem hic Festi Pompeii locus: *Penus vocatur locus in aede Vestae intimus tegetibus septus: qui certis diebus circa vestalia aperitur*.

v.255 *Dena quater memorant*. Annus erat 40. Urbis conditæ.

v.256 *Quum flammae custos*. Non placet liber in quo, *Dum flammae custos*.

v.256 *Æde recepta Dea est*. Veteri inest, *Urbe recepta*. Credo, & faveo vulgato Codici, non isti: nam sequitur, hanc ædem *Regis opus placidi*; id est, a Numa templum conditum. (*b*)

v.256 *Recepta Dea est*. Et ubi antea sacra hæc Vestæ? Ilium certe habuit primitus; postea ab Ænea Lavinii constituta: inde in Albam longam transtulit Ascanius, Numa vero in Urbem. Sed Alba haud remansit sine sacris. Vetus interpres ad illud Satyrici,

Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorem:

Romanos, ait, Tullo Rege movere ea sacra, & transferre voluisse, sed magnam lapidationem

---

(a) *Leto &c. Letho C. Flaminii*, inquit Carolus: cur non Paulli Æmilii? hic certe Consul ea clade Romanorum ad Cannas cecidit, quæ omnium maxime & attonitos facere Romanos debuit, & gravissimum Afrorum metum eorum animis incutere.

(b) *Æde &c.* Video varios varia ad hunc locum afferre, ac suam quemque lectionem pro virili parte tueri. Sed, ut vere dicam, ita in nostra cohærent secum omnia, ut nullo pacto possim ab ipsa recedere. Si libet, adi variorum adnotationes a B. Cnippingio collectas, & quæ ibi proponuntur ab Heinsio lib. 6. v.258.

nem de cælo factam; & jussos ex libris Sibyllinis Pontifices ex S. C. sacra Albæ renovare. Fuerunt quoque & Tiburi Virgines Vestales; sed puto post translationem Romanam, non antea; hæc quidem inscriptiones testantur:

SAVFEIAE ALEXANDRIAE
VV. TIBVRTIVM
CAPLATORES TIBVRTES.
altera:
C. SEXTILIVS
VV. TIBVRTIVM
LIB. EPHEBVS
HERCVLANEVS AVGVSTALIS.

v.260 *Lento vimine textus erat*. Hic in ipsa nova æde, ni fallor, postea servatus eadem religione qua vetus illa Romuli casa: & hunc puto Festi *penum*; nam idem de eo supra · *Tegetibus*, inquit, *septus*.

v.261 *Qui sustinet atria Vestæ*. Atrium erat ubi illæ degebant. Plinius: *Virgines quum vi morbi atrio Vestæ coguntur excedere, matronarum curæ custodiæque mandantur*. Illud igitur fuerat pars regiæ, quam *parvam* alicubi vocat, hic *magnam*.

v.263 *Quæ nunc manet*. Rotunda scilicet est: nec alia dicitur fuisse antiquæ ædis forma; monent id passim prisca numismata.

v. 267 *Terra pilæ similis*. Quis non trahat huc illa Festi Pompeii, licet protrita? *Rotundam ædem Vestae Numa Pompilius Rex Romanorum consecrasse videtur; quod eamdem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit, eamque in pilae formam esse, ut sui simili templo Dea coleretur*. (*a*)

v.276 *Stat globus*. Significat illam solidam Archimedis sphæram. Solidæ opponitur κοιλωτῇ, quæ intus aerem non claudit.

v. 277 *Tantum secessit ab imis Terra*. In ejus, inquit, medio puncti instar hærebat tellus. Scias illam e vitro fabricatam: ut id perspici posset, motus etiam ipsi cælestes, siderum ortus, & occasus, mentitus Signifer, simulacra Cynthia, ut cum Claudiano loquar. Salve magne Archimedes patriæ nostræ decus, ingenium supra humanum; heu! ubi jam insignia Sicula illa capita? videtur hodiernum cælum prorsus aliud ab antiquo. Ubi Theocriti, ubi Lysiæ, & quorum plerumque scripta nobis ætas invidit? Dabimus ante biennium, si Deus volet, Bibliothecam Siculam, ut mireris, quos viros ea tellus emiserit; imo ut lugeas, quas gemmas orbis amiserit.

v. 280 *A pluvio vendicat imbre tholus*. Græci hujusmodi templum dicerent ναὸν θολοειδῆ; sic apud Athenæum lib. 5. Ναὸς Ἀφροδίτης θολοειδὴς. Tholi forma est οὐρανοειδής: propterea scripsit Dio lib. 53. Pantheum, quod Romæ condidit Agrippa, θολοειδὲς ὂν τῷ οὐρανῷ προσεοικέναι. Inepte Marsus, ut solet, θόλον vult esse testudinem; quum hæc eadem, quæ Græcis χελώνη. (*b*)

v. 281 *Cur sit virginibus*. Duplicem assignat caussam, cur Vestæ virgines inserviant. Prior est, quod inter sorores tantum ipsa remanserit viri impatiens · altera, quod Vesta sit eadem cum igne, a quo nihil generatur. Cicero duas alias retulit: *Vestæ colendæ*,

(a) *Terra &c.* Quis ad alteram Distichi partem, & versum sequentium non trahat illud ejusdem Ovidii Metamorph. lib. 1.?

Nec circumfuso pendebat in aere Tellus
Ponderibus librata suis: nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Aamphitrite.

(b) *A pluvio &c.* Servius ad illud Virgilii Æneid. 9. v. 407.

Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendique tholo, aut sacra ad fastigia fixi,

Tholus, inquit, *proprie est veluti scutum breve, quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt, ad quod dona suspendi consueverunt: quæ tamdiu dona dici poterant, quamdiu non profana fierent, sicuti in libris sacrorum refertur. Bene autem venatorem inducit Numen invocare sylvarum. Alii tholum dicunt genus fabricæ Vestæ, & Panthære. Alii tectum sine parietibus columnis subnixum. Ædes autem rotundas tribus Diis dicunt fieri debere Vestæ, Dianæ, vel Herculi, vel Mercurio.*

da, inquit, *virgines praesunt, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis, & sentiant mulieres in natura feminarum omnem castitatem pati.*

v. 284 *Semine Saturni.* Hesiodus in Theogonia:

Ῥείη δ' αὖ δμηθεῖσα Κρόνῳ τέκε φαίδιμα τέκνα,
Ἱστίην, Δήμητρα, καὶ Ἥρην χρυσοπέδιλον,
Ἴφθιμόν τ' Ἀΐδην, ὃς ὑπὸ χθονὶ δώματα ναίει.

& Orpheus:

Ἑστία ἀθανάτοιο Κρόνου θύγατερ βασίλεια.

v. 290 *Corpora nulla vides.* Veriorem sententiam hic noster sequutus. Placuit enim Sophis quibusdam, ignem nostrum, & elementarem sua quoque creare animalia; in quorum numero recenseo Senecam: *Ignis*, hic inquit, *qui omnia consumit, quaedam etiam creat: & quod videri non potest simile veri, animalia igne generantur.* Aristoteles lib. 5. Historiarum enarrat naturam quorumdam animalculorum, quæ in nive, & in igne generantur in Cypriæ insulæ fornacibus ærariis: eadem quoque Strabo commemorat. Quæ nugæ semper mihi visæ: nam quæ potior ratio est, quod in hisce, non in aliis similia ζῷα generentur? in 9. quoque idem inquit Philosophus, auctores quosdam esse, qui clorionem avem ex incendio nasci putent, sed ipse meram fabulam censet; imo manifeste testatur, ex hoc nostro igne nullum omnino creari animal: Πῦρ, ait, οὐδὲν γεννᾷ ζῷον, οὐδὲ φαίνεται συνιστάμενον πυρουμένοις οὔτ' ἐν ὑγροῖς, οὔτ' ἐν ξηροῖς οὐδέν; in eo tamen generari non negat: quod Seneca fatetur; & facit ad hoc ignem agentem, quum ait, *quædam etiam creat*. Non scripsit id Philosophus: diversum est πῦρ γεννᾷν & γεννᾶσθαι ἐν πυρί.

v. 298 *Par Graii nominis.* Nam Ἑστίαν Græci dicunt ἀπὸ τοῦ ἑστάναι.

v. 301 *Hinc quoque vestibulum dici reor.* Primorem illam domus partem a Vesta, hoc est igni: nam in vestibulo erat focus. Sed de etymo hujus voculæ aliud sentit Nonnius, aliud Varro, hoc Ovidianum nemo. Servius: *Vestibulum, ut Varro docet, etymologiæ non habet proprietatem, sed fit pro captu ingenii.* (a)

v. 301 *Unde precamur, Quæ famur.* Legendum sic hoc reliquum carminis:

. . . . . . *Inde precando*
Dicimus, o Vesta, quæ loca prima tenes.

v. 303 *Olim scamnis considere.* Athenæus lib. 9. Ὅθεν οὐκ ἦν κατακλίνεσθαι παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ἔθος, ἀλλὰ δαίνυνθ' ἑζόμενοι, ὁ δ' εἰς μέσον αἴνων; & Isidorus ex libris Varronis, de vita Populi Romani: *Majores nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt a Laconibus, & Cretensibus*; sed mos ille abiit, tantum retentus in militia. (b)

v 303 *Scamnis longis.* Hæc, si memini, alibi dixit *cava*. Compacta ergo tribus tabulis, aut quattuor, si subtus aliam habebant in arculæ formam. Usi hac voce Græcobarbari sæpicule; sed raro iisdem litteris: nam σκαμνίον, καὶ σκαμνίον scribebant.

113 *An-*

(a) *Hinc quoque &c.* Miror fuisse, qui ex eo Vitruvii loco 6. cap. 18. ubi vestibulum simul cum atrio, peristylio, Tablinoque nominat partem domus æque, ac enumeratas, esse conficerent, neque intelligerent vestibulum cum iis domus partibus complexum fuisse Vitruvium, in quibus omnibus esse licebat, quæque advenientibus, vel non vocatis paterent. Ita enim idem Vitruvius lib. 5. c. 7. *His, qui communi sunt fortuna, non necessaria magnifica vestibula, nec tablina, neque atria, quod hi aliis officia præstant ambiundo, quæ ab aliis ambiuntur.* Loca hæc igitur aperta, atque omnibus adeunda. Ceterum in adventantium commodum vestibulum ante ædium januam constitui solebat, ne in via essent, neve in ipsius domus ædibus. Locum autem ante fores fuisse aperte docet Cicero in Oratione pro Cæcin. cap. 12. *Quæro, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines, & armati non modo limine, tectoque ædium tuarum, sed primo aditu, vestibuloque prohibuerint, quid acturus sis?*

(b) *Olim &c.* Mirum quantum inter se discrepant libri veteres! Duos si excipias, in quibus: *Unde precando Adfamur Vestam* reliqui nihil boni. Scribendum videtur Heinsio

. . . . *Inde precantes*
Præfamur Vestam, quæ loca prima tenes
Vel . . . . *inde precamur*
Præfati Vestam.

Ut vere dicam nostram omnibus antepono

. . . . . . *Inde precando*
Dicimus, o Vesta, quæ loca prima tenes.

v. 305 *Antiquæ sacra Vacunæ*: Hæc Dea multis visa; quæ otio, & vacantibus præesset: sed Varroni libro primo Rerum divinarum Minerva est. *Quod ea maxime hi gaudent, qui sapientiæ vacant*. Annua sacra Romæ habuit, ut vides, & templum in quo illa factitata. Adi Urbis Topographos. (*a*)

v. 307 *Aliquo de more vetustas*. An rectius meus codex, *aliquid de more vetusto*?

v. 308 *Pura patella*. Purum omne aptum sacrificiis: sed vere, purum hic nihil aliud quam detersum, Persius Satyra 3.

. . . . . . *Purum, & sine labe salinum*.

Plautus in Amph. Actu 4. Scena 3.

Tu purgari jusseras vasa, ut rem divinam faceres.

& in Captiveis:

Vasa tibi pura appararier ad rem divinam cito.

Hinc verbum *purare*, pro purgare, passim Varroni, & Catoni usitatum.

v. 309 *Panis dependet asellis*.(*b*) In honorem Vestæ hoc tempore asini molitorii coronabantur a pistoribus. Inter caussas recenset fabulosam quamdam, quæ apud Lactantium quoque exstat his verbis: *Lampasceni asellum Priapo quasi in ultionem mactare consueverunt: quum enim hic Deus Vestæ dormienti vim inferre conaretur, asinus intempestivo clamore eam excitavit. Hinc libido insidiatoris detecta. Apud Romanos eumdem asellum Vestalibus sacris in honorem pudicitiæ conservatæ panibus coronant*. Quod attinet ad formam panis, quæ asinario collo imponebatur, in modum coronæ fuisse existimo; veluti olim distribuit populo Romano Aurelianus Imperator, ut testatur Flavius Vopiscus: *Non prætermittendum videtur, coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siliginei vocantur, & singulis quibusque donasse; ita ut siligineum suum quotidie toto ævo suo, & unusquisque reciperet, & posteris suis dimitteret*. Hæ coronæ sunt, quas Valentinius, & Valens in Lege 5. Codicis Theodosiani De annonis civicis, & pane gradili, vocant *buccellas*. βουκ... hoc verbum Græce reddit Constantinus Porphyrogenitus. Soli Siculi hanc vocem hodie retinent, qui materna lingua hujusmodi panes dicunt *buccellatos*. Castellani vocant *rosquillas*.

(a) *Antiquæ &c.* Vacunam Turnebus Antiquorum numen obsoletum, & ridiculum fuisse censet, Deamque Vacantium, & Ociolorum. Numen ejus præterea vacuos calumnia & maledicto eos reddidisse, qui in ejus tutela essent, conjicit ex Ausonio

Totam trado tibi simul Vacunam,
Nec jam post metues ubique dictum

Fanum ejus (nam Sabini Deam hanc in honore habuerunt) vetustate pene consumtum. Fit hinc, ut putre dicatur ab Horatio, qui curis vacuus epistolam lib. 1. post ipsum Fusco Aristio scripserat.

Hæc tibi dictabam post Fanum putre Vacunæ;
Excepto, quod non simul esses, cetera lætus.

(b) *Panis &c.* Quoniam *de pane gradili* fit hic sermo, libet pauca dicere in gratiam studiosorum juvenum. *Panis gradilis* sicut & *dispensatorius*, quem & *fiscalem* a *fisco* dixere, ad annonam civicam pertinebat. Dicebatur autem *gradilis*, quod in gradibus ad evitandum turbæ irruentis impetum a distributoribus, ne frequenti populo opprimerentur, dispensabatur. Digladiantur inter se Philologi quærentes, ubinam hi essent gradus: quum enim in usu haud semper fuerit distributio hæc, disputant a quo, & cujus rei gratia fuerint antea constructi. Alii putant fuisse in pistrinis; eosdem censent alii, qui congiario populo dando, aeri distribuendo, missilibusque spargendis inserviebant. Sunt qui e gradibus Amphitheatri munera hæc populo divisa fuisse censeant. Sed ut ab omni rixa, & litenos expediamus, libenter in eorum sententiam imus, qui (quum Constantini liberalitate non Romæ tantum, sed etiam Constantinopoli annonæ civicæ distributio hæc fieret) in foro Romano, ut & Constantinopolitano hos gradus collocant. Favent his verba Legis 5 Cod. Theod. de anno. civ. & pane gradili: *Clementia nostra deputabit, in quo nunc emitur loco, propriis gradibus erogandum*: quum autem in Foro emeretur, confici facile potest, populo per gradus diviso distributionem in Romano, & Constantinopolitano Foro factam fuisse. Largitionem certe pecuniæ e Basilica, quæ in Foro esset, factam fuisse docet Jos. Orig. XIX. 1. *Dabatur occasio præcipitandi in forum e fastigio Basilicæ, nummos inde aureos, & argenteos spargentem populo*.

las. Quo nomine apud eam gentem intelligitur & circulus e panno in coronæ modum aptatus epomidi, quam gestant collegiorum alumni. Redeo ad eum conjectaneum, quod cave putes e cortinis Phœbeis. Mentio quoque apud Aristophanem in Pluto alterius e panibus coronæ, forte his multis filo perforatis contextæ; sic infit quædam ibi, quæ inducitur:

. : . . . Κ'αγὼ γ' ἀναδῆσαι βέλομαι
Ε'υαγγέλιά σ' 'εν κριβανωτῶν ὁρμαθῷ
Τοιαῦτ' ἀπαγγείλαντα . . . .

v. 312 *Sunt sua sacra*. Veteres plerumque, *sunt stata sacra Deæ*. (a)

v. 313 *Focus ipse parabat*. Olim, inquit, furnus farri torrendo inserviebat, at pani coquendo ipsi foci cineres. Merito ergo pistores festum agunt Vestæ focorum Dominæ.

v. 316 *Versat asella*. Ipsa quoque sertis redimita; & laboribus vacua significat, quantum potest, debitum numini cultum.

v. 322 *Nemo vocarat, adest*. Silenus creditus musca dialium conviviorum.

v. 325 *In opacæ vallibus Idæ*. Fingit festum in Phrygia apud dilectos Cybelæ colles; supra Naso:

Dindymon & Cybelen, & amœnam fontibus Iden,
Semper & Iliacas mater amavit opes.

v. 327 *Pars brachia nectit*. Statius primo Achilleidos:

Hosne inter simulacre choros, & brachia ludo
Nectere nate grave est? . . .

quod *implicare manus*, dixit alicubi Propertius. (b)

v. 334 *Scisse sed ipse negat*. Nam grave illi visum, turpe aliquod concepisse in ipsam, si dici potest, pudicitiam; idem Priapus in Catalectis:

Licebit ipsa sic pudicior Vesta.

v. 343 *Solita est mactare Priapo*. Hinc carmen illud incerti auctoris:

Lampsaceos melior non imbuet hostia cultros. (c)

v. 344 *Apta asini flammis*. Male; & bene vetus, *Hinc asini flammis*. Et nota ex his, hujus exta quotannis oblata aræ Vestali.

v. 345 *Quem tu Diva memor*. Risit in Lactantius: *Et quid turpius*, scripsit, *quid flagitiosius, quod si Vesta beneficio asini virgo est? aut Poeta fabulam finxit*; de nostro Publio loquitur.

v. 347 *Nomine quam pretio celebratior*. Silere potius hæc debuit noster quam dictis prætexere; nam parum aut nihil spectant ad ritus, & sacra Vestalia. Fungar ego meo munere. Romani aram in Capitolio Jovi Pistori erigi curarunt, sed modicam, quum soluti obsidione Gallica ob simulatum panis jactum in hostium stationes; hoc quid tritius in Historia? sed eadem aram dicata muta præteriit.

v. 348 *Discant Pistoris*. Discrepant membranæ veteres: aliæ scripturam hanc probant; aliæ habent, *Dicam Pistoris*. (d)

v. 353 *Quæ*

(a) *Sunt sua &c. Sunt stata sacra Deæ*. Veretur Heinsius, ut ferri possit. Recitat locum ejusdem Nasonis lib. 2. Fast. v. 527.

Curio legitimis nunc Fornacalia verbis
Maximus indicit; nec stata sacra facis.

(b) *Pars &c.* Quod etiam *restim ductare* dicebant Donato teste Ad Terentiani illius Demea in Mitionem Fratrem convicium

Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
Mit. *Cur non?* Dem. *& nova nupta eadem hæc discet?* M. *scilicet*.
D. *Tu inter eas restim ductans saltabis?* M. *probe*.

Censet enim Donatus id genus saltationis fuisse, quum puer, & puellæ consertis manibus choream saltando ducerent. Id ipsum confirmat & Athenæus lib. 14. Petulantioris etiam, ac lascivioris comicæ saltationis genus Pollux, ad quod Terentianum hoc refert, sed bona tanti viri pace Donato libentissime assentior.

(c) *Solita est &c.* Male feriati hominis culpa Distichon huc irrepsisse gravissimo virorum emunctæ naris judicio munitus confirmat Heinsius.

(d) *Discant &c.* Libr. veterum alii *Discant pistores*, vel *Dicant*, alii *Discant pistoris*. Heins. *Dic jam*, vel *discite*.

v. 353 *Quæ sit fortuna malorum?* Lege, si placet, ex nostro codice, *quæ sit fortuna meorum.*

v. 361 *Ærata per atria.* Lipsius in Electis rescribendum censet, *cerata per atria*; non ego, qui non cereos solum, sed & æreos legi thoraces illos antiquorum; idque ex duobus locis Papinii: quorum uni vir ille mendam inesse credit; in alterum non incidit.

v. 361 *Picta Veste.* Clare subdit hanc fuisse triumphalium; de eadem Ausonius: *Namque iste habitus ut in pace Consulis est, sic in victoria triumphantis.* Prodeat & Plinius lib. 8. cap. 48. *Apud Homerum*, inquit, *pictas vestes invenit; unde & triumphales natæ.* Purpura in triumphali miscetur auro; sed antiquitus nullum in ea. Dionysius de Romulo triumphante: Τελευταῖος δὲ ὁ πομπῆς αὐτὸς ἐπορεύετο, ἐσθῆτα μὲν ἠμφιεσμένος ἀλουργῆ, δάφνῃ δὲ κατεστεμμένος τὰς κόμας. En simplicem ἀλουργίδα: cujus postea quum Auctores meminere, addiderunt χρυσόπαστον. Plutarchus de Paulo Æmilio: Ἀλουργίδα χρυσόπαστον ἀμπεχόμενος. Appianus vero hanc dixit, Πορφυρᾶν ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένον.

v. 362 *Triumphales senes.* Hi sunt, quos θριαμβικοὺς ἄνδρας appellat Plutarchus in Camillo, quum narrat hanc Urbis calamitatem.

v. 363 *Transferri pignora Vestæ.* Idem in Camillo: Τὸ δὲ πῦρ τῆς Ἑστίας αἱ παρθένοι μετὰ τῶν ἱερῶν ἀρπασάμεναι ἔφυγον. Lege & quæ sequuntur.

v. 379 *Quodquumque est solidæ Cereris.* Quidquid frumenti habetis molæ subjcite.

v. 389 *Jaciunt Cerealia dona.* Disce verum e Livio libro 5. Decadis primæ. (*a*)

v. 390 *Scutaque longa sonant.* Ut signet Gallicana. Diodorus de hac gente: Θυρεοῖς χρῶνται ἀνδρομήκεσι, πεποικιλμένοις ἰδιοτρόπως. Livius: *Scuta longa, ceterum ad amplitudinem corporum parum lata, & ea ipsa plana, male tegebant Gallos.*

v. 392 *Ponitur ara Jovi.* Alia tunc eidem ob hanc caussam & in Capitolio posita cognomento *Soteris*. Animadverti ex Servio a VIII. magni Operis. (*b*)

v. 393 *Forte revertebar.* In meo est, *Forte revectabar.*

v. 394 *Nunc Nova juncta foro est.* Prope hanc Novam erat sacra illa Vestalis ædes. Livius lib. 5. *Eodem anno M. Cæditius de plebe nuntiavit Tribunis, se in Nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ vocem noctis silentio audiisse clariorem humana, quæ Magistratibus dici juberet, Gallos adventare.*

v. 395 *Nudo descendere vidi.* Caussam positi calcei censet ex antiqua necessitate in eos annos perdurasse (nam olim ad templum euntibus paludes aliquot transeundæ) non ex numinis reverentia: ad quam respexit etiam apud antiquos nudipedis incessus.

v. 399 *Hoc ubi nunc fora sunt.* Sic liber. plerumque omnes, *Hæc ubi.*

v. 400 *Redundanti aqua.* Tres apud me veteres membranæ, *redundatis fossa madebat aquis.*

v. 401 *Siccas qui sustinet aras.* Quorum erant hæ aræ in lacu Curtii? nescio, nisi *aras* Poeta dixit pro *aram*; ut toties in hoc Opere, templa pro templum: istud est haud dubie; & illam Saturni significat P. Victor in regione 8. *Ara Saturni in lacu Curtii.* Ad nugas interpretum quis te mittat?

v. 404 *Nil præter salices.* Tibullus:

At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulla per vada linter aqua.

His subjungo verba Varronis, quæ mire huc faciunt, licet subobscure (differit de Aventini collis etymo:) *Ego maxime*, inquit, *ab advectu: nam olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus. Itaque eo ex urbe qui advehebantur ratibus, quadrantem solvebant: cujus vestigia, quod ea qua tum itur* (probo scripturam Scaligeri) *Velabrum, & unde ascendebant ad Rumam, Nova via: lucus, & sacellum larum. Velabrum dicitur a vehendo. Velaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt.*

v. 406 *Ebria verba jacit.* Propertius: *Mutæ jace verba favillæ.*

v. 408 Cepe-

(a) *Jaciunt &c.* Hæc Liv. lib. 5. Dec. 1. c. 48. *Induciæ deinde cum Romanis factæ, & colloquia permissu imperatorum habita, in quibus quum identidem Galli famem objicerent, eaque necessitate ad deditionem vocarent, dicitur avertendæ ejus opinionis caussa multis locis panis de Capitolio jactatus esse in hostium stationes.*

(b) *Ponitur ara &c.* Arce nempe ab illa Gallica obsidione liberata, qua Romani in summa caritate fame pæne consumti lora, soleasque aqua madefactas, frictasque igne comedere cogebantur.

v. 408 *Ceperat amne Deus*. Quum non erat nomen hoc Vertumni: qui sic dictus ab amnis cursu mutato. Vide ejusdem Aurelii Propertii Elegiam 2. lib. 4. (a)

v. 413 *Valeas anus optima, dixi*. Videtur Tibullianum illud:

Vive diu mi dulcis anus, proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.

v. 419 *Signum cæleste*. Τὸ ἄγαλμα Παλλάδος. Ferunt hoc fuisse ligneum veteres Grammatici: Παλλάδιον ἦν ζῴδιον μικρὸν ξύλινον, ὃ ἔλεγον εἶναι τετελεσμένον, φυλάττον τὴν βασιλείαν τῆς Τροίας.

v. 419 *Cæleste Minervæ*. Hoc signum vetustas credidit nulla mortali elaboratum industria; inde dictum διοπετὲς Clemens Alexandrinus, Ἐν τῷ λόγῳ προτρεπτικῷ πρὸς Ἕλληνας: Πολλοὶ δ' ἂν τάχα που θαυμάσειαν, εἰ μάθοιεν τὸ Παλλάδιον, τὸ διοπετὲς καλούμενον. Quo nomine donata ab eadem simulacra antiquissima, quorumve auctores incogniti: ut illud Dianæ Ephesiæ, quod Græcis quoque διοπετές: quia forte ἀχειροποίητον. Quod verum e Plinio lib. 12. capite primo: ubi Mucianum merito deridet, qui artificem hujus statuæ nominat. Signum vero stantis, an sedentis effigie conspiceretur, res adhuc incerto. Strabo tamen lib. 13. auctor est, Palladium, quod sua ætate Ilienses habebant, rectum stetisse: unde colligit, non esse primum illud antiquorum Iliensium, hoc enim sedisse probat ex Homeri versu Iliade ζ. ubi peplum jubet.

Θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν. . . . .

Sed de his, qui legebant, ἐπὶ γούνασιν, agentes caussam Iliensium, en ejusdem auctoris judicium: Καὶ οἱ τὴν προσῳδίαν δὲ ἐκβιαζόμενοι, γούνασιν, ὡς θυάσιν ὁποτέρως ἂν δέξωνται ἀπεραντολογοῦσιν. Si igitur vera ait Strabo, & Romanum Palladium erat antiquissimum Iliense, necesse erat ut vides, etiam sedisse.

v. 421 *Vidi templumque locumque*. Fragmina scilicet, & templi rudera: nam ante Ovidii natalem a Fimbria incensum. Appianus in Mithridatico: Ἐσελθὼν δὲ τοὺς ἐν ποσὶ πάντας ἔκτεινε, καὶ πάντα ἐνεπίμπρη, καὶ τοὺς πρεσβεύσαντας ἐς τὸν Σύλλαν ἐλυμαίνετο ποικίλως, οὔτε τῶν ἱερῶν φειδόμενος, οὔτε τῶν ἐς τὸν νεὼν τῆς Ἀθηνᾶς, ὡς αὐτῷ νεῷ καταφυγόντων. sed fortassis postea refectum. Ibi autem semper asservatum signum aliquod Minervæ, certo certius: nam Strabo lib. 13. ut vidisti, agit de Palladio suæ ætatis.

v. 431 *Seu genus Adrasti*. Et Diomedem & Ulyssem utrumque simul opinatur. Clemens in Protreptico: Ὁ Διομήδης καὶ Ὀδυσσεὺς ἱστοροῦνται μὲν ὑφελέσθαι ἀπὸ Ἰλίου, παρακαταθέσθαι δὲ Δημοφῶντι, ἐκ τῶν Πέλοπος ὀστῶν κατεσκευάσθαι, καθάπερ τὸν Ὀλύμπιον ἐξ ἄλλων ὀστῶν Ἰνδικοῦ θηρίου. Hinc Statius Papinius in Epicedio ad patrem, vocat Palladium *furtum Diomedæum*.

v. 433 *Auctor in incerto est*. Nam alii volunt, raptorem fuisse Demophontem, & ob furtum occisum ab Agamemnone. Hoc vero scitu dignum, centumvirale judicium Athenis tunc primum & ad hanc caussam institutum. Harpocration: Ἔσχε δὲ τὸ δικαστήριον τὴν τοῦ Παλλαδίου ἐπωνυμίαν, καὶ οἱ δικασταὶ τὴν τῶν Ἐφετῶν ἐκλήθησαν, Ἀγαμέμνονος μετὰ τῶν Ἀργείων σὺν τῷ Παλλαδίῳ προσενεχθέντος Ἀθήναις ἐξ Ἰλίου, Δημοφῶν ἁρπάζει τὸ Παλλάδιον, καὶ πολλοὺς τῶν διωκόντων ἀναιρεῖ· Ἀγαμέμνων δὲ δυσχεράνας δίκην, τὸν ἁρπάζοντα αἰτεῖ, καὶ συνίσταται τὸ κριτήριον ἐπὶ πεντήκοντα δὲ Ἀργείων, οὓς Ἐφέτας ἐκάλεσαν, διὰ τὸ ἀμφοτέρων ἐφεθῆναι αὐτοῖς τὰ τῆς κρίσεως. Vide Eustathium, & Apostolium.

v. 433 *Res est Romana*. Non adeo certe id proferas; nam, pro, quot urbes Palladia Iliaca sibi vindicarunt! ecce apud Strabonem lib. 6. Πολὺ δ' ἐστὶ μυθῶδες τὸ τοιαῦτα ποιεῖν ἐξ Ἰλίου κεκομισμένα ξόανα ὅσα φασὶν οἱ συγγραφεῖς· καὶ γὰρ ἐν Ῥώμῃ καὶ ἐν Λαουινίῳ καὶ ἐν Λουκερίᾳ, καὶ

(a) *Ceperat amne &c.* Hæc igitur in Propertii Vertumniana

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Tuscus ego, Tuscis orior, nec pœnitet inter
Prælia Volscinos deseruisse focos.
Hac me Turba juvat, nec Templo lætor eburno:
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postbac ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus;
Seu quia vertentis fructum percepimus Anni,
Vertumni rursus credidit esse sactum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis;
Et coma lactenti &c.

καὶ ἐν Σκαιαῖς Ἰλίου Ἀθηνᾶ καλεῖται, ὡς ἐκεῖθεν κομισθεῖσα. Καὶ τὸ τῶν Τρωάδων δὲ τόλμημα, περιφέρεται πολλαχοῦ, καὶ ἄπιστον φαίνεται, καὶ περὶ δυνατὸν ὄν.

v. 435 *Quo tempore Vesta Arsit*. Contigit incendium hoc anno Urbis DXII. Q. Lucatio & A. Manlio Consulibus. Arsit iterum Vestæ templum sub Commodo Bradua secundum & Aproniano Consulibus, quum fere tota urbs corruerat: tunc flammis consumtum templum Pacis illud clarum, ædificiaque pæne innumera; de qua strage fuse Herodianus libro primo. Qui scriptor in hoc ibi lapsus, quod incendium Vestæ sub Commodo prrmum, non secundum putarit; quum dicat expresse Palladium, ex quo in Italiam advectum, hac vice tantum mortali oculo visum: Ἐπενεμήθη καὶ, inquit, τὰ πλεῖστα τῆς πόλεως καὶ κάλλιστα ἔργα. ὅτε καὶ τοῦ τῆς Ἑστίας νεὼ καταφλεχθέντος ὑπὸ τοῦ πυρὸς, γυμνωθὲν ὤφθη τὸ τῆς Παλλάδος ἄγαλμα (ὃ σέβουσί τε καὶ κρύπτουσι Ῥωμαῖοι) κομισθὲν ἀπὸ Τροίας, ὡς λόγος, ὃ τότε πρῶτον καὶ μετὰ τὴν ἀπ' Ἰλίου εἰς Ἰταλίαν ἄφιξιν, εἶδον οἱ καθ' ἡμᾶς ἄνθρωποι. & lib. 5. quum dementiam Elagabali recenset, in domum hujus Principis scribit ejusdem jussu Palladium translatum, quod immotum extiterat, præterquam quum templum conflagravit sub Commodo, quasi non alias Vestæ ædes incensa; hæc verba: Ἔπαιζε δὲ γάμους οὐ μόνον ἀνθρωπείους, ἀλλὰ καὶ τῷ θεῷ, ᾧ ἱεράτευε, γυναῖκα ἐζήτει. καὶ τό τε Παλλάδος τὸ ἄγαλμα, ὃ κρυπτὸν καὶ ἀόρατον σέβουσι Ῥωμαῖοι, εἰς τὸν ἑαυτοῦ θάλαμον μετήγαγε, καὶ μὴ κινηθὲν ἐξ ὅτουπερ ἦλθεν ἀπὸ Ἰλίου (εἰ μὴ ὅτε περὶ κατεφλέχθη ὁ νεὼς) ἐκίνησεν οὗτος, καὶ πρὸς γάμον δῆ ἐς τὴν βασίλειον αὐλὴν τῷ θεῷ ἀνήγαγε.

v. 437 *Sancti sceleratis ignibus ignes*. Sic lusit in istomet casu Manilius lib. 4

. . . . . *Raptisque ex ignibus ignem,*
Cedentemque viro flammam, qui templa ferebat.

v. 439 *Demisso crine ministræ*. Hic locus luci est iis qui dubitant, an Vestales comam aluerint. (a)

v. 441 *Provolat in medium*. Divinitus quasi missus: nam pridie ei evenit quod in his scribit Valerius Maximus libro primo cap. 4. de Auspiciis: *Quum Metellus Pont. Maximus Tusculanum peteret, corvi duo in os ejus, adversum veluti iter impedientes, advolaverunt: visque extuderunt, ut domum rediret. Insequente noctu ædes Vestæ arsit: quo incendio Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium incolume servavit*. Quis hæc crederet? vel duo, vel nemo, nisi ipsa fides referret.

v. 443 *Fatalia tollite flammis*. Lege, me judice, *palmis*.

v. 448 *Non adeunde viro*. Nam vetitus maribus ingressus in adyta Vestæ; quis hæc nescit? Appianus libro primo Belli civilis, ubi de morte Asellii Prætoris: Ποιοί τε τῶν διωκόντων, ἐς τὰς παρθένους αὐτὸν ἡγούμενοι καταφυγεῖν, ἐσέδραμον ἔνθα μὴ θέμις μὴ ἀνδράσιν. Ibi erat ignis, Palladium, & alia arcana urbis præsidia; hac formula junctim hæc omnia invocabant; lapis priscus urbicus:

SÆCVLO FELICI
PHISIAS SACERDOS ISIDI SALVTARI
CONSECRATIO.
PONTIFICIS VOTIS ANNVANT DII ROMANÆ
REIP. ARCANAQVE VRBIS PRÆSIDIA ANNVANT,
QVORVM NVTV ROMANO IMPERIO REGNA CESSERE.

v. 451 *Factum Dea rapta probavit*. Imo & jure Senatus: nam, præter alios titulos honorum, concessum, ut curru veheretur ad curiam; quantivis pretii res apud Romanos. Testatur hoc marmor antiquum sculptum in ejus elogium; attende qui vir, & quantus fuerit.

L. CÆ-

(a) *Demisso crine &c.* Capilli, quum initiarentur, detondebantur, quos Loto Arbori suspendebant, quæ capillata ideo dicebatur teste Plinio XVI. 44. Universe tamen censet Festus *capillatam*, vel *capillarem* arborem dictam, cui capilli suspenderentur. Ceterum comam Vestales aluisse non ex hoc Ovidiano loco modo, verum & ex eo confici potest, quod earum capilli in spiras plexi & divisi, vittisque illigati in cervices dependerent. Prud. in Sym. II 04.

Perfundant quia colla comis bene, vel quia cingunt
Tempora tænialis:

Neque enim promissi diffundebantur, sed vittis compositi suspendebantur.

L. CÆCILIVS LF. METELLVS
PONT. MAX. COS. II. DICTATOR MAG. EQ.
XV. VIR AGRIS DANDIS, QVI PRIMVS
ELEPHANTOS PRIMO PVNICO BELLO DVXIT
IN TRIVMPHO, PRIMARIVS BELLATOR,
OPTIMVS ORATOR, FORTISSIMVS IMPERATOR,
AVSPICIO SVO MAXVMAS RES GESSIT,
MAVVMO VSVS HONORE, SVMMA SAPIENTIA:
MAXVMVS SENATOR PARTAM EX ÆQVO
PECVNIAM MAGNAM SINGVLIS LIBERIS RELIQVIT,
CLARISSIMVS IN CIVITATE FVIT. TRIBVTVM
EI VT, QVOTIENS IN SENATVM IRET, CVRRV
VEHERETVR AD CVRIAM: QVOD A CONDITO
ÆVO NVLLI ALII CONTIGIT.

Pulcra igitur repenſa; ſed juvit uterque oculus amiſſus. Ad hujus cæcitatem alluſit Seneca de Providentia: *Deteſtabilis*, inquit, *erit cæcitas, ſi nemo oculos perdiderit, niſi cui eruendi ſunt. Itaque careant luce Appius & Metellus*; & lib. 4. Controverſiarum: *Habes Veſta duplex Pontificis tui meritum: ſervavit ſacra, nec vidit*; ſaltem in reditione: nam in itione qui potuit abſque viſu tollere? nec valuit ignis in ipſo ingreſſu eum ſubito excæcare. Hoc certum, luminibus in ea flamma captum; qua de cauſſa ſacerdotium illi negatum. Sic Lex jubebat; quæ ea: SACERDOS INTEGER SIT; cui ſic reſpondet idem Seneca: *Lex integrum ad animum refert, non ad corpus. Lex æſtimari hoc voluit, quum quis peteret, non quum haberet ſacerdotium*. Lege Declamationem integram, ſi avidus Metellianæ juſtitiæ.

v. 453 *Sacro ſub Cæſare flammæ*. Vide beneficia collata ab Auguſto in Veſtales apud Svetonium libro primo cap. 21.

v. 457 *In illa Conditur*. Sic puniebatur probrum virginis Veſtalis. Juvenalis interpres: *Hæc virginibus Veſtæ pœna fuit decreta: ſi vitiatæ fuiſſent, vivæ in parietibus ſtruebantur, aut ſub terra obruebantur*.

v. 458 *Veſtaque numen idem eſt*. Appoſite Euripides:

Καὶ Γαῖα μῆτερ, Ἑςίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι.

v. 459 *Tum ſibi Callaico*. Eodem Veſtalium die, anno urbis DCXVIII. D. Junius Brutus ſexaginta Gallæcorum millia, qui Luſitanis ex Oceani montibus auxilio venerant, aſpero, & difficili bello oppreſſit: unde Callaici cognomen rettulit. Adi Strabonem, Livium, Florum, & alios. Sed heus! meus liber habet, *Tum ſibi Gallæco*; an male? non hercle. Vellejus Paterculus lib. 2 *Gallæci cognomen meruit*. Hos populos dicunt Hiſpani hodie *Gallegos*. (a)

v. 463 *Suoſque Perdidit*. Relege me in v. ad templum Matris Ultoris: illud in Capitolio poſitum.

v. 467 *Demuntur aſellis*. Verius libri veteres, *dementur aſellis*.

v. 469 *Delphina videbimus, inquit*. Statim poſt Veſtalia, & ante Matralia, ut vides, hoc eſt IV. Idus, facit Delphini ortum veſpertinum; idem ſentit Columella.

v. 471 *Jam Phryx a nupta*. III. Idus erant Matralia, ſacra matris Matutæ: eodem die Kalendario veteri, & Conſtantiniano.

v. 474 *Thebanæ reddita liba Deæ*. Offerebantur illa in his ſacrificiis. M. Varro: *Libum, quod libaretur priuſquam eſſet, ut erat, coctum. Teſtuatium, quod in teſtu caldo coquebatur; ut etiam nunc Matralibus id faciunt matronæ*. Sic in vulgatis codicibus exſtat hic locus: at ita mutat, & expungit Scaliger: *Libum, quod libaretur, priuſquam eſſent, coctum*; ego vero in hunc modum: *Libum, quod libaretur ut erat, priuſquam eſſet coctum*. Varro enim inquit id eſſe libum, quod in ſacrificiis dabatur, antequam igni admoveretur; teſtuatium autem, quod coquebatur in teſtu, & ſacris Matutæ interveniebat: ac ſi in reliquis crudum oblatum. Nec libum fieri poterat aliter niſi in teſtu. Cato capi

(a) *Tum ſibi &c.* Non diſplicet *in hoſte*. *Tum ſibi Callaico Brutus cognomen in hoſte*: ita Liber Urſini, & Zulichemianus.

capite LXXV. *Libum hoc modo facito: Casei* P. II. *bene disterat in mortario: ubi bene distriverit, farinæ siligineæ libram, aut, si voles tenerius esse, selibram similaginis solum eodem indito, permisceto que cum caseo bene: ovum unum addito, & una permisceto bene: inde panem facito: folia subdito; in foco caldo sub testu coquito leviter.* Quare autem tostum in his sacrificiis dari mos fuit, explicat hisce postea, licet ficte:

> *Hospita Carmentis fidos intrasse penates*
> *Diceris, & longam deposuisse famem.*
> *Liba sua properata manu Tegeæa sacerdos*
> *Traditur, & subito cocta dedisse foco.*
> *Hanc quoque liba juvant festis Matralibus: illa*
> *Rustica sedulitas gratior arte fuit.*

v. 487 *Servi templa dedisse manus.* Hac ipsa die a Servio Tullio matri Matutæ ædes sacra dicata, postea, captis Veiis, a M. Furio Camillo refecta; nec alia Plutarchi mens in ejus Vita: Πρῶτον μὲν, inquit, εὐχὰς ἐποιήσατο τοῖς θεοῖς, ἐπὶ τῷ πολέμῳ τέλος ἔνδοξον λαβόντα τὰς μεγάλας θέας ἄξειν, καὶ νεὼν θεᾶς ἣν μητέρα Ματοῦταν καλοῦσι Ῥωμαῖοι, καθιερώσειν. sic enim Livius lib. 5. *Ludos magnos ex Senatusconsulto vovit Veiis captis se facturum, ædemque Matutæ matris refectam dedicaturum, jam ante ab Rege Servio Tullio dedicatam.* Hanc iterum reperio restitutam anno DXLI. Q. Fulvio Flacco Appio Claudio Pulcro Coss. Idem lib. 25. *Creati sunt Quinqueviri muris, turribusque reficiendis: & Triumviri bini, vini sacris conquirendis, donisque persignandis; alteri reficiendis ædibus Fortunæ, & matris Matutæ intra portam Carmentalem, sed & Spei extra portam, quæ priore anno incendio consumtæ fuerant.* Vetus Sigonii liber habet, *Fortunæ, & Martis*; ut suspicandum videatur viro doctissimo, ne vox *Matutæ* efficta sit ab iis qui *matris* pro *Martis* legerunt. Sed jurarem falli Sigonium; nam in regione VIII. ubi porta Carmentalis, habeo ædem matris Matutæ, & Fortis Fortunæ, utramque in foro Boario. Neque in ea Urbis parte extat aliqua Martis ædes, ut videmus in accuratissimis Topographis, præter templum unum cognomine *Ultoris*, cujus minime fieri mentio hic potest; nam illud ab Augusto multo postea dedicatum. Approbo igitur vulgatam lectionem, quæ hoc uno etiam firmari potest argumento, quod alibi eædem ædes junctim a Livio nominantur: *L. Stertinius*, inquit lib. 33. *ex ulteriore Hispania, ne tentata quidem triumphi spe, quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit: & de manubiis duos fornices, in foro Boario ante Fortunæ ædem, & matris Matutæ; unum in maximo Circo fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit*; id factum anno DLVII. L. Furio Purpureone, & M. Claudio Marcello Coss.

v. 480 *Arcet enim.* Immo unam admittit; quam iterum matronæ pugnis cæsam a templi limine ejiciunt. Plutarchus præfato loco: Ταύτην ἄν τις ἀπὸ τῶν δρωμένων ἱερῶν μάλιστα Λευκοθέαν νομίσειεν εἶναι. καὶ γὰρ θεράπαιναν εἰς τὸν σηκὸν εἰσάγουσαι ῥαπίζουσιν, εἶτ᾽ ἐξελαύνουσι caussa, & fabula nota. Mos is haud dubie petitus e Græcia: nam Chæroneae Bœotiæ urbe ritum hunc observatum memini legisse; quem & suggerit idem in libello τῶν Κεφαλαίων: Τὴν δὲ δούλην Ἕλληνες Αἰτωλίδα γένει φασὶν εἶναι, καλεῖσθαι δὲ Ἀντιφέραν. διὸ καὶ παρ᾽ ἡμῖν ἐν Χαιρωνείᾳ πρὸ τοῦ σηκοῦ τῆς Λευκοθέας ὁ νεωκόρος λαβὼν μάστιγα, κηρύσσει, μὴ δοῦλον εἰσιέναι, μὴ δούλην, μηδ᾽ Αἰτωλὸν μηδ᾽ Αἰτωλήν. Dixit, παρ᾽ ἡμῖν, quia Chæronea ipsius patria.

v. 483 *Arserat obsequio.* (a) Hæc breviter tota fabula. Ferunt, usta Jovis opera Semele, Dionysium ex incenso fere utero a Mercurio sublatum; infantulum statim Ino excepit, & nutrit: id quum graviter Jovis conjux tulisset, quod natum ex pellice educandum accepisset, fecit, ut Athamas, vir Inus, furore percitus Learchum filium occideret: tum uxor, arrepto Melicerta, ob Athamantis timorem, in mare proximum se cum filio projecit. Hinc post varios casus in Latium adducta, ibi a Nicostrata, Evandri parente, comiter accipitur; & una cum filio ab incolis Arcadibus in Deorum numerum referuntur, muta-

(a) *Arserat obsequio &c.* Matutam tamen a latinis dictam, quæ Leucothea, & Ino a Græcis appellata, invenio apud Tullium Tuscul. 1. 12. *Quid Ino Cadmi filia, nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetur a nostris?* Priscianus nomen *matutinus* a Matuta deductum esse, & Auroram tunc significari, docet.

mutato nomine Inus in Matutam, Melicertæ in Portunnum. Græci dixere matrem Λευκοθέαν, filium Παλαίμονα, sed post immortalitati donatos.

v. 483 *Accipit Ino Te puer*. Apollonius Argonauticon lib. 4. Bacchi nutricem facit quamdam nomine Matrin, Aristæi filiam: sed aliter, & cum Nasone, Orpheus in Hymniis:

Λευκοθέαν καλέω Καδμηΐδα δαίμονα σεμνὴν,
Εὐδύνατον, θρέπτειραν ἐϋστεφάνου Διονύσου.

v. 496 *Mittit in alta lugo*. E petra Moluride; vide Attica Pausaniæ.

v. 499 *Nondum Leucothee*. Per mare ergo vehitur mortalis adhuc illa Ino, & nondum relata in Deos, verso primo nomine in Leucothean. Homerus Odyss. ε.

Τὸν δὲ ἴδεν Κάδμου θυγάτηρ Καλλίσφυρος Ἰνὼ
Λευκοθέη, ἣ πρὶν μὲν ἔην βροτὸς αὐδήεσσα,
Νῦν δ' ἁλὸς ἐν πελάγεσσι θεῶν ἐξέμμορε τιμῆς.

Aspexit item ad hanc apotheosim Propertius lib. 2. in Elegia illa de Cynthiæ naufragio:

Quæ tum ego Neptuno, quæ tunc cum Castore fratri,
Quæque tibi excepi tum Dea Leucothee.

v. 501 *Semele Stimulene vocetur*. De loco Semeles vetus memoria est in Sexto Rufo regione XI. & in hoc antiquo marmore:

DIIS MANIBVS
M. CÆCILIO SP. F. SVO RVFO
SOLIARIO AB LVCO SEMELES
EX TESTAMENTO EJUS
CALVISIA ZOSIME ET
M. CÆCILIVS CALIPPVS
HEREDES FECERE.

v. 501 *Stimulene vocetur*. Ego tibi adfirmo scribendum, *Stimelene*, ex melioribus membranis. (a)

v. 513 *Puerumque revellere*. Eædem habent, *avellere*.

v. 522 *Te quoque vexat? ait*. Belle: nam uterque patiuntur Junonis flagellum. In omni Herculis laude addunt illud Poetæ, *Quamvis obstante noverca*.

v. 531 *Matralibus illam*. Apponenda post Matralibus bipuncta, ex optimis codicibus; & *illa* legendum. Illa scilicet cito parata liba Ino gratiora fuere quovis nectare. (b)

v. 533 *Venientia fata resigna*. Eadem Carmentam rogat, quæ sibi & filio sint ventura, vaticinetur.

v. 544 *Jus erit omne tuo*. Vide Festum Pompejum in *claudere*.

v. 545 *Quem nos Portunum*. Vetus nostra membrana habet, *Portumnum*. Quis nunc erit hac de re arbiter? nemo: adeo ex effatu prisco inveniet receptam utramque scripturam. Sic Vertunum leges, & Vertumnum, Neptunum, & Neptumnum, & similia.

v. 545 *Sua*

(a) *Stimulene &c.* Heinsius laudat vetustiores Cod. in quibus *Stimulene*: hujus Deæ mentio fit a D. Augustino de Civitate Dei (quod vidit etiam Heinsius) vocatque *Stimulæ lucum* Juvenalis Scholiastes ad Sat. 2. Mutat præterea nec *vocetur*, nec *vocatur*, nec *vocatus* legit, sed *dicatus*, ac versiculum ita reponit,

Lucus erat, dubium Semelæ, Stimulane dicatus.

(b) *Matralibus &c.* Lapsus jure videtur Heinsio Carolus noster, quod male interpungit, atque *illa*, idest *liba* legit hoc pacto,

Nunc quoque liba juvant festis matralibus: illa
Rustica sedulitas gratior arte fuit.

Ut vere dicam quo pacto hæc componi possint non video: *Illa cito parata liba*, cui voci alterius versiculi respondent? quocum verbo cohaerent? Satius multo erat dicere *illa rustica sedulitas*, ita saltem cum sequentibus præcedentia convenirent. Ursini exemplar *arte* expungit, & reponit *ante*.

v. 545 *Sua lingua Palæmona dicet*. Idem in 4. Metamorphosi:

Annuit oranti Neptunus; & abstulit illis
Quod mortale fuit, majestatemque verendam
Imposuit, nomenque simul faciemque novavit:
Leucotheaque Deum cum matre Palæmona dixit.

v. 557 *Pia mater adoret*. Nam ipsa parum fortunata parens, felicior matertera; vidit id etiam Plutarchus in libello τῶν Κεφαλαίων: Διὰ τί αἱ γυναῖκες τῇ θεᾷ ταύτῃ τοῖς μὲν ἰδίοις τέκνοις οὐκ εὔχονται τἀγαθά, τοῖς δὲ τῶν ἀδελφῶν; πότερον ὅτι φιλάδελφος μέν τις ἡ Ἰνὼ καὶ τὸν ἐκ τῆς ἀδελφῆς ἐτιθηνήσατο· ἡ δὲ περὶ τοὺς ἑαυτῆς παῖδας ἐδυστύχησεν; Habes, in matris Matutæ sacris liba tosta offerri solita, ancillas ab ejus templo repulsas; pro quibus matronæ eo festo precabantur. Mos alius restat, quem ex eodem rescribo ex vita Camilli: Καὶ δρῶσι περὶ τὴν θυσίαν ἃ ταῖς Διονύσου τροφοῖς, καὶ τοῖς διὰ τὴν παλλακὴν πάθεσι τῆς Ἰνοῦς προσέοικε. (a)

v. 561 *Memorant dixisse, Rutili?* Eodem die festo matris Matutæ anno Urbis DCLXIII. P. Rutilius Lupus in bello Marsico occisus. Unus Florus ex omnibus Historicis falso scribit, L. Cæsarem, non Rutilium in ea pugna occubuisse; præter multos Vellejus Paterculus lib. 2. *Tum varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum duo Romani Consules, Rutilius atque deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur.* Bene *deinde*; nam hic Cato in alio prælio anno sequenti (tunc fuit illius Consulatus) occisus: superiori enim Rutilius collegam habuit L. Cæsarem, Cato vero Cn Pompejum Strabonem; testes Tabulæ Græcæ & Capitolinæ. Caussa, & principium hujus belli quod fuerit, vide latius in Appiano libro primo Bellorum civilium: ubi & scribit Rutilii multorumque illustrium virorum cadavera in eo conflictu cæsa Romam delata, quo sepulcro mandarentur. Scripsit ex antiquissimis hoc bellum L. Sisenna, vir Prætoriu : hujus historia sæpe citatur a Nonnio; hominis doctrina summe laudatur a Tullio: *Sisenna*, hic inquit, *ejus amicus omnes adhuc nostros scriptores, nisi forte qui nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit*. Hoc opus amissum, ne nunc quidem sustinent litteratores.

v. 562 *Marso consul ab hoste cades*. Miror cur potius Marso, non Lucano, non Venusino dixerit: quum, præter Marsos, Malini, Vistini, Maruceni, Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompejani, Venusini, Japiges, Lucani, Samnites, & aliæ propinquæ gentes contra urbem Romam consurrexerint. Magis bellum ipsum *Marsicum* a scriptoribus nominatum; ita hac de re Strabo lib. 5. Μαρσικὸν δὲ ὠνόμασαν τὸν πόλεμον, ἀπὸ τῶν ἀρξάντων τῆς ἀποστάσεως, καὶ μάλιστα ἀπὸ Πομπηδίου. Hic ex illis unus qui præfuit Italico exercitui cum T. Afranio, Vetio Catone, & aliis: quos si vis, adi Appianum præfato libro. Ait igitur, a Marsis belli auctoribus denominatum. Acquiescerem, ni aliter Epitome Liviana, quæ initium hujus tumultus Picentibus adscripsit. Nec ejusdem opinionis Vellejus, qui in hæc verba lib. 2. *Quum id malum in universa Italia ab Asculanis esset (quippe Servium Prætorem, Fontejumque legatum occiderant) ac deinde a Marsis exceptum, in omnes penetrasse regiones*. Unde igitur impositum nomen hoc *Marsicum* huic bello? ita inscribitur, quod non minimum, in Fastis Capitolinis. Verum certe suspicor Strabonem: & credam hac vice potius exoticis quam Latinis. Diodorus Siculus: Ὁ Μαρσικὸς πόλεμος ἐκ τῶν ἀρξάντων τῆς ἀποστάσεως ὀνομάσθη.

v. 563 *Flumenque Toleni*. Sic scriptus hic omnis apud Orosii quædam, & Freculfi exemplaria, ubi de hac clade: in aliis, *Teloni*. (b) 189 *Proxi-*

(a) *Pia mater &c.* Morem hunc in eorum gratiam, qui græce nesciunt, narrare latine libet. Servam ad Templum deductam incusso colapho ejiciebant, sororumque filios, ut suos inter brachia gestantes circum sacrificia discurrebant Liberi nutrices imitantes. Ino enim Semeles soror, ac proinde Bacchi matertera sublatum infantem ex utero matris pene incenso a Mercurio nutriendum, educandumque susceperat, munusque, quod postea nutricum ejusdem Liberi fuit, per summam caritatem, ac diligentiam obiverat.

(b) *Flumenque &c. Flumenque Telonum* meo quidem judicio, elegantius, ut Horatiana illa,

Quid debeas, o Roma, Neronibus
Testis Metaurum flumen, & Asdrubal
Devictus. Carminum lib. 4. Od. 4. v. 37.
Aut Flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus. Poet. v. 18.

Legunt alii

. . . . *Flumenque Tolenum*
Purpureo mixtis sanguine fluxit aquis.

Alli alia; & Cod. fere omnes variantur.

v. 565 *Proximus annus erat*. Id est DCLXIV. Timeo immanem procbronismum.

v. 566 *Didius hostiles*. De Tito Didio mentio crebra in bello Marsico. Fuit unus ex Prætoribus L. Sexto Cæsari annexis. Appianus libro primo: Ὑποςράτηγοι τοῖς ὑπάτοις συνεπεμφθησαν τοὺς τότε ἀρίστους, ὑπὸ μὲν Ῥουτιλίῳ Γναῖον τε Πομπήϊον, τὸν πατέρα Πομπηΐου τοῦ Μάγνου παρονομαθέντος, καὶ Κοΐντον Καιπίωνα, καὶ Γάϊον Περπένναν, καὶ Γάϊον Μάριον, καὶ Οὐαλέριον Μεσσάλαν· ὑπὸ δὲ Σέξτῳ Καίσαρι Πόπλιον Λέντλον, ἀδελφὸν αὐτοῦ Καίσαρος, καὶ Τίτον Δίδιον, καὶ Λικίνιον Κράσσον, καὶ Κορνήλιον Σύλλαν, καὶ Μάρκελλον ἐπὶ τοῖσδε. Vellejus lib. 2. in Atavi sui digressiuncula: *Tantam hoc bello Romanis fidem præstitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompejos cum L. Sulla oppugnaret, Cosamque occuparet*. Felix hucusque T. Didius, ni victus in primis tribus conflictibus belli Italici; in quibus superati semper Romani exercitus: sed id tum ex eo parum constat, quod hi congressus ante Rutilii mortem initi: ipse vero, ut ait noster, proximo anno post Rutilium ab hostibus profligatus; neque is tam homunculus, ut ejus reticeri debuerit; immo fatalis hic Romani imperii successus. Unde suspicor loqui Nasonem de strage, quam Didius accepit a Sertorio juxta Bætim in Hispania, cujus meminit Plutarchus in eodem: Δίδιον δὲ, τὸν ἄρχοντα τῆς Βαιτικῆς, περὶ τὸν Βαῖτιν ἐτρέψατο, δισχιλίους ἀποκτείνας Ῥωμαίων. Sed hæc fuit anno DCLXXIII. totoque decennio, ni fallor, decipitur Ovidius. Fatemur, ni illa, *Proximus annus erat*, ab aliena manu esse arbitremur; at vera, *Annus erat decimus*. (a)

v. 567 *Lux eadem* (quæ Matralium) *Fortuna tua est*. Non illius cognomento Seiæ, ut blaterat Fanensis; non Fortis, in quo allucinatur Bersmannus (nam hujus festum, & mentio fit a nostro, paullo post VIII. Kalendas Julias) sed Virilis; cujus auctor etiam Servius Tullus. Dionysius lib. 4. Ταῦτα κατεργασάμενος ἐν ἀρχῇ τε καὶ κατὰ πολέμους, καὶ ναοὺς δύο κατασκευασάμενος Τύχης, ᾗ παρὰ πάντα τὸν βίον ἔδοξεν ἀγαθῇ κεχρῆσθαι, τὸν μὲν ἐν ἀγορᾷ τῇ καλουμένῃ βοαρίᾳ, τὸν δ' ἕτερον ἐπὶ ταῖς ᾐόσι τοῦ Τιβέριος, ἣν ἀνδρείαν προσηγόρευσεν, ὡς καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων καλεῖται. In hac erat simulacrum ligneum istius Principis, sed velato toga capite: hoc quam ob caussam, multis differit.

v. 568 *Quis latet æde togis?* Nec reprobo veterem editionem, *quis latet iste togis?* (b)

v. 573 *Arsit enim magna*. Sic vulgo creditum. Plutarchus in libello περὶ τῆς Ῥωμαίων Τύχης: Ὥστε καὶ σωμάτιον δοκεῖν αὐτῷ τὴν τύχην, διὰ θυρίδος τινος ὀνειρώδη κατα- βαίνουσαν εἰς τὸ δωμάτιον, ἣν νῦν Φενεστέλλαν πύλην καλοῦσιν.

v. 576 *Unde Fenestralis*. Moneo in alio legi, *Unde Fenestellæ*. De hac lege quæ scribit idem fusius ἐν Αἰτίοις, & judicium præstantissimi viri Onuphrii Panvinii in Urbe Roma.

v. 593 *Regia res scelus est*. Dictum impium: & fere par vulgato illi Atrei apud L. Annæum Senecam in Thyeste, Actu 2.

. . . . *Sanctitas, pietas, fides*
Privata bona sunt; qua juvat Reges eant.

v. 595 *Talibus instructus*. Ita tres Vaticani: totidem, *Talibus instinctus*. Elige quos velis. Livius: *Tarquinium*, inquit, *instinctum muliebribus furiis*.

v. 598 *Socero rapta*. Οὐ κατὰ νόμους.

v. 605 *Vadis, an expectas*. Addit Halicarnassensis: Ἡ δ' ἐκταραχθεῖσα, καὶ ἀπὸ τῆς πο-

(a) *Didius &c.* Confirmant etiam recentiores Critici, qui acri studio, ac diligentia res Romanas in unum quasi corpus ex optimis quibusque Scriptoribus collegerunt: Sertorii enim felicitati (ut ferunt) Mars ipse belli paruisse visus est. Unde ei licuit facile, quæ de Cerva a Diana sibi donata, deque antecepta futurorum cognitione disperdebat, rudibus, imperitisque nationibus venditare. Hic igitur parvis copiis ingentes Romanorum exercitus *Didii*, Cottæ (& per Quæstorem Herculejum, Domitii) Manlii, Thoraniique, Metelli Procos. legati profligavit. Metellum ipsum eo adegit, ut L. Lollius auxilium ei e Gallia Narbonensi ferre cogeretur, Domitiusque fuerit e citeriore Hispania cum copiis arcessitus. Ne igitur, Neapolim haud sese facile expedire potuisse, dictitet Heinsius. Neque enim altera lectio, quæ verior ipsi videtur *Annus erat decimus* omnino improbanda, quum multa in hanc sententiam satis probabiliter argumentetur.

(b) *Quis latet &c. Quis latet iste togis?* Hanc sequitur Noster, nos libentius quatuor libr. aliam *Quid latet iste togis?*

ποδῶν τὸ βάθρον ἁρπάσασα, βάλλει τ᾽ ὀξυκόμον. Βάθρον τῶν ποδῶν dixere uno verbo Græci ὑποπόδιον, Poetæ, θρῆνυν, & θράνον: hi, Homerus in Iliade, & Aristophanes in Pluto. Barbari ποδαρούλιον, & σουππίδιον. His voculis utitur, ni fallor, Nicetas de Rebus post excidium urbis.

v. 605 *Pretium pietatis amarum?* Habent libri prisci *iniquum*: sed illud proprium magis, *amarum*; est grave, molestum. Eodem sensu legitur *amara sarcina* apud Valerium Maximum: *Tamquam amaram sarcinam celeriter abjecit*.

v. 607 *Sceleratus ab illa Vicus*. Varro lib. 4. de L. L. *Prope hunc*, (egerat de Cyprio) *vicus Sceleratus dictus a Tullia Tarquinii Superbi uxore; quod, ibi quum jaceret pater occisus, supra eum ut mitteret carpentum mulio, jussit*. Dionysius lib. 4. ipsum vicum Κύπριον (seu rectius Ὄλβιον, licet idem sit: ita tamen lego, ut sequar veteres editiones) ait nominatum. Dissentit a Varrone & Livio: id postea vidi animadversum a πολυμαθεστάτῳ Frid. Sylburgio.

v. 618 *Prima pudoris erit*. Id est, pudere illud antiquum videndi sceleratæ filiæ vultus, ob quod caput toga operuit; tunc primum a signo ponetur, quum detectum apparebit; hic verus sensus. Quid elicias ex interpretum vulgo nisi deliria? (a)

v. 620 *Movere preces*. Heus! Servius Tullius habitus ut Deus, & numen aliquod? nunc primum audio.

v. 622 *Septimus urbe fuit*. Non unus aut duo codices, sed plerique habent, *sextus in urbe fuit*. Sublatum dissidium, si numeres Tatium; ut Solinus in Polyhistore.

v. 623 *Signo tamen ille pepercit*. In ipso incendio non exarsit Tullii effigies: non marmorea, sed lignea, ut mireris. Dionysius lib. 4. Ἐν δὲ τῷ ναῷ τῆς Τύχης ὃν αὐτὸς κατεσκεύασεν, εἰκὼν αὐτοῦ κειμένη ξυλίνη κατάχρυσος. (istud mihi suspectum, & tibi erit, si sedulo hæc Livii examinas e lib. 40. de æde Pietatis in foro Olitorio: *Eam ædem dedicavit M. Acilius Glabrio Duumvir, statuamque auratam, quæ prima omnium in Italia statua aurata est, patri Glabrioni posuit*:) ἐμπρήσεως γενομένης, τῶν ἄλλων πάντων διαφθαρέντων, μόνη διέμεινεν οὐδὲν λωβηθεῖσα ὑπὸ τοῦ πυρός. καὶ ἔτι νῦν ὁ μὲν ναὸς καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα ὅσα μετὰ τὸν ἐμπρησμὸν εἰς τὸν ἀρχαῖον κόσμον ἀπετελέσθη, φανερά ἐστιν ὅτι τῆς καινῆς ἐστι τέχνης· ἡ δὲ εἰκὼν, οἵα πρότερον ἦν, ἀρχαϊκὴ τὴν κατασκευήν. μένει δὲ ἔτι σεβασμοῦ τυγχάνουσα ὑπὸ Ῥωμαίων, & Valerius: *Possunt & illa miraculorum loco poni, quod deusto sacrario Saliorum, nihil in eo præter lituum Romuli integrum repertum est: quod Servii Tullii statua, quum ædes Fortunæ conflagrasset, inviolata remansit*. In basi hujus statuæ scripta puto aliqua de primordio, & fine Servii Tullii, ni fallor: & alia illa, de qua sic idem Maximus lib. 3. cap. 4. *Ad summam, aut unde processerit, aut quo pervenerit, statuæ ipsius titulus abunde testatur, servili cognomine, & regia appellatione perplexus*.

v. 624 *Mulciber ipse tulit*. Fragmentum prisci marmoris:

VOLKAN MILIT.
SIVE MVLCIBERO.

v. 625 *Pater Tulli Vulcanus*. Narratur hæc etiam fabella ab Historicis: sed olim plebeis animis credita ex successu in illis flammis. Hujus verus pater fuit princeps quidam vir in Corniculi expugnatione occisus.

v. 634 *Flammeus hæsit apex*. Res nota: quod & finxit Maro Mantuanus in Ascanio.

v. 635 *Te quoque magnifica*. Eodem IV. Idus Junias templum Concordiæ Virilis dedicatum a Livia prope ejusdem nominis porticum, sive in porticu, ut volunt Topographi: in martyrema, suspicor, Concordiæ maritalis; nam subdit:

. . . . *Quam caro præstitit illa viro*.

Augu-

(a) *Prima pudoris &c.* Ut candide dicam, quod sentio, eum hic pudorem intelligi puto, qui custos est modestiæ, ac moderator cupiditatum. Hanc enim quasi pœnam diem illum consecuturam esse, Fortuna denunciat, quo tecti simulacri velamen ponetur. Prima enim universæ positi pudoris lux illa erit, qua opertum toga Tulli caput aperietur. Statim quasi concludens hæc subjicit.
Parcite (igitur) *matronæ vetitas attingere vestes*.

Augustum enim sibi devinxit hac arte. Dio Cassius : Ὅτι αὐτή τε ἀκριβῶς σωφρονοῦσα, καὶ πάντα τὰ δοκοῦντα αὐτῷ ἡδέως ποιοῦσα, καὶ μήτε ἄλλο τι τῶν ἐκείνου πολυπραγμονοῦσα, καὶ τὰ ἀφροδίσια αὐτοῦ ἀθύρματα μήτε διώκουσα μήτε αἰσθάνεσθαι προσποιοῦσα.

v. 637 *Ubi Livia nunc est Porticus*. Hanc περίπατον vocavit Strabo lib. 5. quam scriptores Græci fere omnes στοάν. Ἴδοι δ', inquit, καὶ τὸ Καπιτώλιον, καὶ τὰ ἐνταῦθα ἔργα καὶ τὰ ἐν τῷ Παλατίῳ, καὶ τῷ τῆς Λιβίας περιπάτῳ: ῥᾳδίως ἐκλάθοιτ' ἂν τῶν ἔξωθεν. Sane credibile in ea statuas adaptatas toto pæne orbe selectas : quin antiquissimas tabulas habuerit, non addubito ; testis erit fidus, & oculatus Ovidius noster libro primo Artis:

> *Nec tibi vitetur, quæ priscis sparsa tabellis*
> *Porticus auctoris Livia nomen habet.*

Hic fere fuit proprius harum porticuum ornatus : Athenis fuit celebris illa, quæ prius dicta Πεισιανάκτειος ; postea, a varietate picturarum parietibus incrustata, ἡ Ποικίλη. Diogenes Laertius in Zenone lib. 7. Ἀνακάμπτων δὲ ἐν τῇ Ποικίλῃ στοᾷ, τῇ καὶ Πεισιανακτίῳ καλουμένῃ, ἀπὸ δὲ τῆς γραφῆς τῆς Πολυγνώτου, Ποικίλῃ, διετίθετο τοὺς λόγους. Pinxit in ea Polygnotus Marathoniam pugnam, ut observavimus in Æmilio Probo in Miltiade : *Namque huic Miltiadi, qui Athenas, totamque Græciam liberavit, talis honos tributus est in porticu, quæ Pœcile vocatur, quum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem Prætorum numero prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites, præliumque committeret*. Lege si Plutarchum in Cimone, Pausaniæ Attica, Aristidis Scholiastem.

v. 638 *Immensæ tecta fuisse domus*. Purgandus hic locus a foriis Pauli Marsi, & Antonii Fanensis, sed meo peniculo. Has ædes faciunt, quas in via sacra habitavit Julius Cæsar, relicta suburra : addunt, ab Augusto postea dirutas, & in area porticum Liviam ab eodem exædificatam ; non video quo sensu, quo auctore hæc effutiunt : noster hic agit de superba illa domo Vedii Pollionis, quam defunctus Augusto legavit. Dio Cassius lib. 54. Τοιοῦτος μὲν δή τις ὁ Πωλίων ὢν ἐπελεύτησεν· ἄλλοις τε πολλοῖς πολλὰ, καὶ τῷ Αὐγούστῳ πάνυ τοῦ κλήρου συχνὸν μέρος, καὶ τὸ Παυσίλυπον, τὸ χωρίον τὸ μεταξὺ τῆς τε Νεᾶς πόλεως καὶ τῆς Ποτιόλων ὂν, καταλιπών. τῷ τε δήμῳ περικαλλές τι ἔργον οἰκοδομηθῆναι κελεύσας. ὁ οὖν Αὔγουστος τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐς ἔδαφος, προφάσει τῆς ἐκείνου κατασκευῆς, ὅπως μηδὲν μνημόσυνον ἐν τῇ πόλει ἔχῃ, καταβαλὼν, περίστῳον ᾠκοδομήσατο, καὶ οὐ τὸ ὄνομα τὸ τοῦ Πωλίωνος ἀλλὰ τὸ τῆς Λιουίας ἐπέγραψε. τοῦτο μὲν οὖν ὕστερον ἐποίησε. Ideo Svetonius lib. primo cap. 29. ubi enumerat Augusti ædificia : *Quædam*, inquit, *etiam opera sub nomine alieno, nepotum scilicet, & uxoris, fecit, ut porticum, basilicamque Lucii, & Caii, item porticus Liviæ, & Octaviæ, theatrumque Marcelli*. Dedicata hæc Liviana anno Urbis DCCLXIV. Vide Dionem lib. 56.

v. 644 *Totque suas heres*. Τὸ *heres* nostros Scholiastas induxit, ut de bonis Julii Cæsaris, quorum aditio ad Octavianum pertinebat, carmen exponerent : ac si lege cautum foret, ne Principi a privato hereditas aut legatum mandari posset. De Augusto hæc legimus in Svetonio cap. 66. Quoties ei aliquid relictum ex ignoti testamento, capere quidquam non sustinuisse: at legata, vel partes hereditatum a quibusquumque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concessisse ; aut, si pupillari ætate essent, die virilis togæ vel nuptiarum cum incremento restituere consuevisse. O magnum Principem !

v. 645 *Sic agitur censura*. Censor ergo per id tempus Augustus, quo domum Pollianam solo æquavit. Supputemus. Mors, & legatum Vedii incidit in annum DCCXXXIX. M. Livio Druso, & L. Calpurnio Pisone Coss. Augusto post reditum Syriæ, qui fuit anno DCCXXXV. Præfectura morum cum Censoria potestate (notum, illum æque Censoris nomen, ac Dictaturam refugisse) ad quinquennium decreta. Dio Cassius : Ἐπιμελητής τε τῶν τρόπων ἐς πέντε ἔτη προσκληθεὶς διαχειροτονηθη, καὶ τὴν ἐξουσίαν τὴν μὲν τῶν τιμητῶν ἐς τὸν αὐτὸν χρόνον, τὴν δὲ τῶν ὑπάτων, διὰ βίου ἔλαβεν. Clare ergo vides, anno legati Polliani populi moribus Cæsarem præfuisse. (a) Sed ne te turbet idem Historicus supra præfato loco, quum de eversa illa domo & Liviana porticu, Τοῦτο μὲν, inquit de Augusto, οὖν ὕστερον ἐποίησε, ut

(a) *Sic agitur &c.* Potestate quidem censoria imperarunt Cæsares, in qua fuerat Augustus, sed nomen tamen ipsum non assumsere eo nisi forte die, quo censum agerent. Fit hinc, ut in historia Aug. censuræ mentio pene obsoleverit. A Flaviis quidem acceptum, sed post Domitiani tempora nullum in publicis Cæsarum monumentis locum habuit.

ut putes in alium annum translatam; quum ille Censoria potestate jam uti non posset. Scias, peracto eo quinquennio, a Senatu decennium aliud decretum. Hinc colligo, quod censum ter egerit. Svetonius lib. 2. cap. 27. *Recepit & morum, legumque regimen æque perpetuum. Quo jure quamquam sine censuræ honore, censum tamen populi ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus.* Potestatem hanc sequuti Principes non recusarunt: eamque Domitianus recipit cum antiquo Censoris nomine. Fasti Consulares: IMP. CÆSAR DOMITIANUS AUGUSTUS P. M. TR. POT. XI. XII. COSS. XVI. CENS. P. P. P. Cassius noster lib. 53. Τὴν γὰρ δὴ τιμητείαν ἔλαβον μέν τινες καὶ τῶν αὐτοκρατόρων κατὰ τὸ ἀρχαῖον, ἔλαβε δὲ καὶ Δομιτιανὸς διὰ βίου· οὐ μέντοι καὶ νῦν ἔτι τοῦτο γίγνεται. τὸ γὰρ ἔργον αὐτῆς ἔχοντες, οὔτε αἱροῦνται ἐπ' αὐτὴν, οὔτε τὴν πρόσκλησιν αὐτῆς, πλὴν ἐν ταῖς ἀπογραφαῖς, κτῶνται. Habes hic quid sub Commodo ad ævum Alexandri Severi observatum: quod tempus ad finem operis magnus hic vir sibi vendicat; quod rebus, quum gererentur, interfuerit, & uti gestas viderat, memoriæ mandarit.

v. 648 *Invicto sunt data templa Jovi.* Adeo rara memoria, immo nulla hujus templi apud patres nostros; ut credam, *invictum* pro epitheto hic positum, non pro cognomine: sub quo ædes revera sacrata. Et bene meus codex perantiquus scribit *invictum* littera minuscula. Fit igitur hic mentio de templo aut Jovis Sponsoris, ut Latialis; sed hoc divinare est. (*a*)

v. 649 *Et jam Quinquatrus.* De majoribus diximus in Martio sub finem: de minusculis Varro lib. 5. de L. L. *Quinquatrus minusculæ dictæ Juniæ Idus ab similitudine majorum: quod tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniunt ad ædem Minervæ.* Festus Pompejus: *Minusculæ Quinquatrus appellabantur Idus Juniæ; quod is dies festus erat tibicinum qui Minervam colebant.* Corrupte apud Plutarchum in libello τῶν Κεφαλαίων legitur: Διὰ τί ταῖς Ἰανουαρίαις εἰδοῖς συγκεχώρηται διὰ τοῖς αὐληταῖς τὴν πόλιν ἐσθῆτας γυναικείας φοροῦντας, omnino emenda, διὰ τί ταῖς Ἰουνίαις εἰδοῖς. In nemine reperimus tale quid celebratum mense Jannario.

v. 649 *Narrare minores.* Ita in Panathenæis apud Athenienses lego majora & minora: sed hæc non agnoscit Scholiastes Aristophanis; quod miror; ad hunc,

Καὶ σοὶ τὰ μεγάλ' ἡμεῖς Παναθήναι' ἄξομεν,

ista notat: Οὐχ ὡς καὶ μικρῶν ὄντων τοῦτο φησὶν, ἀλλ' αὔξων τὴν χάριν. Iterum miror; nam clare Harpocration: Διττὰ Παναθήναια ἤγετο Ἀθήνησι, τὰ μὲν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, τὰ δὲ διὰ πενταετηρίδος, ἅπερ καὶ μεγάλα ἐκάλουν. Anonymus in argumento Midianæ Demosthenis: Διάφοροι παρ' Ἀθηναίοις ἤγοντο ἑορταὶ, ἐν αἷς ἦν τὰ Παναθήναια, ἅπερ ἦν διπλᾶ, μικρά τε καὶ μεγάλα· καὶ τὰ μὲν μεγάλα κατὰ πενταετηρίδα ἐτελεῖτο· τὰ δὲ μικρὰ, κατὰ τριετηρίδα. Lis hæc ambigua horum scriptorum, an annua fuerint minora, an triennalia; aliis linquo: satis superque evagatus sum extra meas oleas.

v. 652 *Quid toga longa volunt?* Hac lectione quid melius potest esse, aut certius? & optimus quidam historiæ Romanæ vindex pol adulterat, qui sic legit, *quid stola longa*; ne forte abiret a Plutarcho; cujus ista: Ἐτύγχανον δὲ οἱ πολλοὶ διὰ τὴν παννυχίδα καὶ τὸν πότον ἐν ἐσθῆσιν ἀνθιναῖς καὶ γυναικείαις ὄντες. ὡς οὖν ἐπείσθησαν ὑπὸ τῶν ἀρχόντων καὶ διηλλάγησαν, ἐνομίσθη ἡμέραν ἐκείνην οὕτως ἀμπεχομένους, σοβεῖν διὰ τῆς πόλεως. *Stola* visum igitur illi rectius quam *toga*: quæ virorum, inquit, propria. Stola sane vestis matronalis, cur negem, teste Vulpiano in L. Vestis. D. De auro & arg. leg. *Muliebria sunt, inquit, quæ matris familias caussa comparata sunt, quibus vir non facile uti potest, veluti stolæ, pallia, tunicæ.* Ita est. Sed & toga etiam antiquitus vestis feminea. Varro de Vita P. R. *Praeterea quoque in lecto togas aute habebant: ea enim olim fuit commune vestimentum; & diurnum, & nocturnum, & muliebre, & virile.* Cur ergo, indignante omni membrana, emendem scripturam, quæ feliciter defendi potest? imo *longam* addidit, ut has matronales adsignificaret: nam viriles haud erant trans crura prodigæ; muliebres ad talos usque demissæ.

v. 657 *Cantabat fanis:* Vetus inscriptio:

TI-

(*a*) *Invicto sunt &c.* In Hexametro decem cum Vossiano Cod. legunt ducere. Heinsio probatur, quod etiam veterum Poetarum testimonio confirmat. Ipse libentissime legit *quam ducere possis*.

TIBICINES ROMANI
QUI SACRIS
PUBLICIS PRÆST. SUNT.

Spondaulas intelligit M. Victorinus de Spondeo: *Dictus a tractu cantus qui per longas tibias in templis a supplicantibus editur: unde spondaulæ appellantur qui hujusmodi tibias inflare consueverunt.*

v. 657 *Mæstis tibia funeribus.* Uberrime & optime de hoc more jam viri docti: addo hos τυμβαύλας dici a Dione Chrysostomo Oratione 49. Ἔφη δέ τις τῶν ὀλίγῳ πρότερον φιλοσόφων ἢ φαύλων, τὸν Ἰσμηνίαν τοῦτο μάλιστα ἀγανακτεῖν, τὸ καλεῖσθαι αὐλητὰς τοὺς τυμβαύλας. Ad verbum expressit Apulejus primo Florid. quum eosdem vocavit *monumentarios ceraulas*, usitata vocula auctori: quæ restituenda in eodem, in libello de Deo Socratis; hæc ille de sacris barbaricis: *Barbara autem gaudent strepitu Cymbalistarum Tympanistarum, & Choraulorum.* Lege omnino, *Ceraularum.*

v. 659 *Tempusque sequutum.* Fuit annus urbis CCCCXLI. M. Valerio P. Decio Coss. Per id tempus collegium tibicinum prohibitum a Censoribus Appio Claudio & C. Plautio in æde Jovis vesci. *Quod traditum*, inquit Livius, *antiquitus erat*; & Valerius: *Quondam vetiti in æde Jovis, quod prisco more factitarunt, vesci.* Sed haud hæc prima caussa urbici discessus; alia præcesserat, quæ sequitur.

v. 661 *Adde quod Ædilis.* Huic scilicet honori sublato, eumdem Appium Claudium ea tempestate qua Ædilitatem agebat (exercuit hanc anno CDXI. cum P. Cornelio Aruina) tibicines damnoso quodam edicto irritasse, quo sumtus funebres coarctavit, & in duodecim tabulas præscriptum reduxit: statuitque, ne quis plures quam decem ex iis in exequiis adhiberet. Hinc scriptor de viris illustribus, *epulandi decantandique jus tibicinibus ademisse* unum Claudium, refert cap. 34. Vinandus Pighius inter hoc & superius distichum multa desiderari censet: quibus Poeta cecinit præcipuam caussam, quare exsulatum tibicines sponte abierint; fallitur: quid enim hæc significant, *Dulcis erat mercede labor?* ac si diceret, Præmium antiquitus, levasse laborem; quod præmium? nisi jus vescendi in æde Jovis, quod postea illis ereptum. Quæ expositio si Pighio non sedet; & suspicatur intelligenda de numero tibicinum coarctato; superflua sane ista: *Adde quod Ædilis.* Supponendum igitur, ac si duo ista carmina non essent: nam hic numerus diminutus jus ademtum præcesserat. Quid aliud sibi vult τὸ *jusserat?* Bene jam sequitur, *Exsilio mutant urbem.* Nec mutilus est ullo modo sensus.

v. 662 *Artifices solos.* Ij pariter & Græcis τεχνῖται: commune nomen musicis, thymelicis, & histrionibus.

v. 663 *Exsilio mutant urbem.* Sed ἀνωμάλως. Livius lib. 9. *Tibur uno agmine abjerunt: adeo ut nemo in urbe esset qui sacris præcineret.* Valerius: *Tibur irati se contulerunt.*

v. 664 *Quodam tempore Tibur erat.* Queritur hic aperte de suo, quod tam distans ab urbe Roma. Similem dolorem expressit Ruffino libro Pontico I. (a)

> *Quid referam veteres Romanæ gentis, apud quos*
> *Exsilium tellus ultima Tibur erat?*

v. 665 *Quæritur in scena.* Baburrus ille Marsi legit, *Quæritur in cœna.* Ad quæ? *Tibi-*

(a) *Quodam tempore &c.* Levissima quidem pœna præsertim in ea Cœli aspiratione, quæ & jucundissima & saluberrima mihi fuit in ea Urbe annum ipsum commoranti. Ardeo amore ejus loci, ubi nihil quod ad honestam delectationem, nihil quod ad voluptatem, atque adeo ad firmam valetudinem facere potest, deesse visum est. Miror Romanis hominem turpissimum M. Claudium perditissimum Appii clientem, ejusque libidinis ministrum flagitiosissimum eo exulatum petere passos esse, ubi purissimo ejus loci spiritu inquinatissima hominis vita aleretur. Non sine animi indignatione aliqua, in Liviana Historia hæc mihi legere contigit Dec. I. lib. 3. c. 59. *Claudius assertor Virginis, die dicta damnatus, ipso remittente Virginio ultimam pœnam, dimissus Tibur exulatum.*

Tibicines, inquit, *postquam abierunt, quærebantur in conviviis; & non inveniebantur.* Demus, sodes, perbello Grammatico perbellum bolum: sitque καταπάτταξ Strepsiadis Aristohanei.

v. 667 *Servus erat quidam.* Duo Vaticani, *Servierat quidam.* Ergo jam erat libertus: sic ordo postulat; nam ad quid illa? *Longo tempore liber erat.* Plutarchus: Ἀνὴρ ἀπελεύθερος κρύφα τοῖς ἄρχουσιν ἐπηγγείλατο κατάξειν αὐτούς. Livius vult restitutos Legatorum opera: *Legatos*, inquit, *Tibur miserunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti, primum accitos in curiam, hortati sunt ut reverterentur Romam: postquam perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum eos aggrediuntur. Die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum caussa invitant: & vino, cujus avidum ferme genus est, oneratos sopiunt; atque ita in plaustra somno victos conjiciunt, ac Romam deportant: nec prius sensere quam plaustris in foro relictis, plenos crapulae eos lux oppressit. Tunc concursus populi factus; impetratoque ut manerent, datum, ut triduum quotannis ornati cum cantu, atque hac, quae nunc sollemnis est, licentia per urbem vagarentur: restitutumque in aede vescendi jus iis qui sacris praecinerent.* Triduum ait eis licitum fuisse tali habitu per Urbem uti. Falso Plutarchus supra scripsit, τὴν ἡμέραν ἐκείνην.

v. 672 *Nuntius ore venit.* De hac re simulata hæc quoque Plutarchus retulit: Εἶτα ἐξαίφνης ὁ ἄνθρωπος ἐμβαλὼν λόγον ὡς τοῦ πάτρωνος ἐπιόντος αὐτῷ, καὶ ταραττόμενος, συνέπεισε τοὺς αὐλητὰς ἀναβάντας ἐφ' ἁμάξας δέῤῥεσι κύκλῳ περικαλυπτομένας, εἰς τὸ Τίβουρ κομίζεσθαι· τοῦτο δ' ἦν ἀπάτη.

v. 674 *Auctor vindictae.* Instrumentum hic pro libertate. Βινδίκτα ἡ ῥάβδος, inquiunt Græci Jurisconsulti; qua supra servi caput imposita, a Prætore manumittebatur.

v. 678 *Scirpea lata fuit.* Lego, *Sirpea lata fuit.* Sirpare veteribus, pro colligare, Græcis πλέκειν. Ergo *sirpea* colligatum τὸ πλέγμα. Tegiticula igitur quædam e vimine contexta circa plaustrum erat (hoc supra Plutarchus facit pellibus circumquaque contectum) sudibus munita, ut expanderetur, ne aliquid decideret. *Capsum* Latinis. Isidorus: *Capsum, carruca undique contexta.* Hinc hujusmodi caspa a πλέκειν, Græcis πλέγμα. Hesychius: Πείρινθος, πλέγμα τὸ ἐπὶ τῆς ἁμάξης τὸ πλινθίον τὸ ἐπιτιθέμενον τῇ ἁμάξῃ τετράγωνον. Eustathius: Πείρινθα, exponit πλινθίον ἐπὶ τῆς ἁμάξης ἐν ᾧ τὰ φορτία ἐπιτίθενται, ἐκ ῥιπῶν πλεκόμενον. Docet idem, id esse κάνναθρον apud Xenophontem.

v. 683 *Claudius ut posset.* Variant & scripti, & cusi: in quibusdam, *Callidus ut posset*; in aliis, *Cautius ut posset.* Sed mihi istorum ullus nec probus, nec fidus; & Pighio adsentior, qui scribit, *Plautius ut posset.* Hic collega fuit Appii Claudii, ut diximus: quem verisimile operam dedisse, ut tibicines levatis gravaminibus in integrum restituerentur; non Appium Claudium, qui tibicines non semel offenderat, quidpiam illis indulsisse. Adverte obiter, Nasonem hic facere unum e Censoribus auctorem reditus; quum Livius scribat, *Ejus rei religio tenuit Senatum, Legatosque Tibur miserunt, ut darent operam ut hi homines restituerentur.* (a)

v. 688 *Contra collegae.* Appii Claudii.

v. 688 *Jussa redisse sui.* Hoc placuit Plautio; ne populus haud unanimi amborum consensu in urbem restitutos animadverteret: non quod uni eorum psephismata collegæ rescindere potestas adempta. Passim videmus, ut Censorum alter e Senatu aliquem ejiciat, retineat alter: tribu alter moveat, vetet alter; exemplum in Livio lib. 40. sub finem: *Censores fideli concordia Senatum legerunt. Princeps lectus est ipse M. Æmilius Lepidus Pontifex Maximus; tres ejecti de Senatu: retinuit quosdam Lepidus a collega praeteritos.* Hinc quorumdam Censorum concordia pro re singulari notata ab Historicis; ut illa Q. Fulvii Flacci, & L. Postumii Albini; de qua idem lib. 42. sub initium: *Concors & e Republica Censura fuit: omnes, quos Senatu moverunt, quibusque equos ademerunt, aerarios fecerunt, & tribu moverunt: neque ab altero notatum alter probavit.*

v. 699 *Va-*

(a) *Claudius ut &c.* Heinsius assentitur Pighio legenti *Sanatum* non vero *Senatum*, irridetque Vossium, quem prima longa syllaba numero repugnans offendit. Nugari adjicit Festum a quo *sanates* tanquam *sanatæ mentis* dicuntur. De re hac tui erit judicii statuere optime lector, *Senatum* certe ferri non potest; qui enim Senatus falli potuit, quo auctore in Urbem, Antiquis Scriptoribus testibus locupletissimis, reducti sunt?

v. 699 *Valeas mea tibia, dixi.* Nil aliud hic *valeas* quam Græcum ἔῤῥε, seu χαῖρε: quod usurpatum a Melanippide in hoc etiam Palladis dicto: Τὰ μὲν Ἀθάνα ὄργανα ἔῤῥι- ψέ τε ἱερᾶς ἀπὸ χερὸς, εἶπέ τε, ἔῤῥετε αἴσχεα σώματα λύμα· ἐμὲ δ' ἐγὼ κακότατι δίδωμι. (a)

v. 701 *Inventam Satyrus.* Pro Marsya fuit ex his unus, noster in Metamorphosi de iis qui luxerunt ejus mortem: *Et Satyri*, inquit, *fratres*. Hyginus: *Quas tibias Marsyas Oeagri filius pastor, unus ex Satyris, invenit: quibus assidue commeletando sonum suaviorem in dies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharæ cantum provocaret.* Sic non mirum ut scribat Fulgentius, eum pictum cum cauda porcina: qui forma ficta & omnis Satyrorum κέρκος.

v. 702 *Afflatam sensit habere sonum.* Inde doctior, geminas tibias inflavit. Primus fistulam πολυκάλαμον, sive σύριγγα, invenisse dicitur; capistrum etiam, quo tibicines os sibi substringebant; de quo Scholiastes Aristophanis, & alii.

v. 704 *Modo concipit auras.* Totam hanc artem mire expressit elegans quum voluit Cyprianus in libello de Spectaculis: *Alter*, inquit, *cum choris & cum hominis canora voce contendens, spiritu suo, quem de visceribus suis superioribus nitens hauserat, tibiarum foramina modulans; nunc effuso, & nunc intus recluso, nunc certis foraminibus emisso, atque in aerem profuso, item in articulos sonum frangens, loqui digitis elaborat, ingratus artifici qui linguam dedit.*

v. 705 *Provocat & Phœbum.* Sed victus.

v. 706 *Cæsa recesserunt a cute.* Pependit illa Celænis. Herodotus de hac lib. 7. Ἐν τῇ δὲ ὁ τοῦ Σιληνοῦ Μαρσύεω ἀσκὸς ἐν τῇ πόλι ἀνακρέμαται· τὸν ὑπὸ Φρυγῶν λόγος ἔχει ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἐκδαρέντα ἀνακρεμασθῆναι.

v. 709 *Tertia nox veniet.* Erit tertia, si includas Idulim; nec alia mens Nasonis: nam Hyadum ortum conjicit in diem, qua stercus ex æde Vestæ defertur in Tiberim; id sollemniter actum a veteribus XVII. Kalendas Julias. *Thyene* una Hyadum: cujus mentione indicat earum ἐπιτολήν. Sic legendum manifeste liquet, non ut in plurimis, *Dodona Dione.* Quos sequutus Fanensis, scripsit meras nugas.

v. 711 *Hæc est illa dies.* Lege nos paullum supra ad illud,

Donec ab Iliaca placidus purgamina Vestæ
Detulerit flavis in mare Tibris aquis.

v. 714 *Cras veniet vestris.* XVI. Kalendas. Vetus parapegma, sed die sequenti: *Favonius cum Austro spirat, Orionis humeri apparent.*

v. 715 *At pater Heliadum.* Eadem luce cum Sole Orion simul emergit: non est cur ambigas, an agat de ortu cosmico.

v. 717 *Nam duo sunt.* Erasi sunt ab uno codice & optimo hi versiculi: & sane non sunt admodum necessarii; quidquid sit, fax illis inerit ex his Auctoris incerti ad Arati Phænomena: Τούτων δὲ ὁ μὲν ἐστι μετέωρος, καὶ φανερώτερος ἡμῖν, ὁ δὲ οὐχ ὁρᾶται ὑφ' ἡμῶν. καὶ καλεῖται ὁ μὲν ἀπὸ φανερὸς, καὶ Βόρειος. ὁ δὲ ἀπὸ ἀφανὴς, καὶ Νότιος. (b)

v. 719 *Validos lacertos.* Καρτερὸν dixit virum Aratus.

v. 719 *Plores Hirea lacertos.* Hipparchus: Καὶ ὁ μὲν ἀστὴρ ἀνατέλλει ὁ ἐν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ, ἔχοντος δὲ ὁ ἐν τῷ δεξιῷ ποδί.

v. 720 *Continua Delphin.* XV. vesperi Delphinus totus apparet.

v. 721 *Vol-*

(a) *Valeas mea &c.* Fabellam hanc festive narrat V. C. T. Faber eleganti ad Palladem Minervam Jambo, quod, gratum me facturum spero studiosis Latinarum Venerum, ac deliciarum hominibus, hic si perscripsero.

Cerebri liquor paterni, Pallas Attica,
Mellis medulla, sanguen, & succus Jovis,
Quæ nec Deam, nec feminam Matrem cies;
Te, Diva, merito Vates sapientem vocant,
Quæ olim tumentes quum videres bucculas,
Nitidosque ocellos nimio tendi spiritu,
Irata in undas tibiam projeceris.
O bene, quod illam nigris merseras aquis!
Bene, quod volueras esse nullam tibiam.
At qui profundo sustulit mersam vado,
Debebat ille consuta gula emori;
Debebat ille Marsyæ fatum oppetens,
Siccasque arenas tabo irrorans viscerum,
Pellem boanti præbuisse tympano:
Tantum illa doctis tibia concinnat mali.
Salve itaque, o Pallas, unici germen Jovis:
At vos perite, vos perite, tibiæ.

(b) *Nam duo &c.* Distichon *Nam duo sunt &c.* Expungitur omnino ab optime editis: assentitur Heinsius, qui de eo ne verbum quidem, ut video in meo Hezelviriano cum ejus castig. & adn.

v. 721 *Volscos Æquosque fugatos*. Eodem xv. anno Urbis cccxxii. A. Postumius Tubertus insignem victoriam adeptus in Algido ex expugnatis uno tempore Æquorum Volscorumque castris. Adi Livium.

v. 723 *Clarus Tyburte*. Malim, *Tuberte*, ut scribunt Fasti Capitolini: meo est, *Tiburte*.

v. 724 *Vectus es in niveis*. Meminit & triumphi Diodorus Siculus libro xii.

v. 724 *Postume victor equis*. Duo apud me veteres, *postmodo victor equis*.

v. 725 *Jam sex & totidem*. xiii. Kalendas Sol transit in Cancrum.

v. 728 *Aventina Pallas in arce coli*. Priscum lapidem tibi inseram de hac æde Minervæ; sed heu in parte vetustas nobis obfuit! nam fere totus rosus; fragmentum est marmoris Tiburtini eruti in ruinis Dianii Aventiniensis:

LAPIS AUSP. S. Q. CÆCILIO METELLO
PONT. MAX. SOLLEMNI CUM
PRECATIONE PAL. POP. ROM. CONJECTUS
IN FUNDAMENTA PORTICUS MINER.
AVENTINENS. AB LATER. COLL.
VIC. ARMILUSTR. DE
IN NUNC D. AUGUR. AUSPI.
TEMPLUM CONSECRA.
M. CASCELL. Æ. CVR.

v. 729 *Jam tua Laomedon*. xii. Kalendas erat Summani sacrum: eodem die in fragmento veteris Kalendarii, in quo tantum pars Maji & Junii his litteris, CC. SVMMANO AD CIRC. MAX. Topographi hunc *Ditem patrem* appellant. Sextus Rufus regione xi. *Ædes Ditis patris*. P. Victor in eadem: *Circus maximus, qui capit loca* cccxxv. xii. *carceres, alias portas, templum Mercurii, ædes Ditis patris*. Hinc vetus inscriptio: PLUTONI SUMMANO ALIISQUE DIS STYGIIS; & in fragmentis Fratrum Arvalium, mactant SUMMANO PATR. VERB. ATROS II. Nigra pecus inferis immolabatur.

v. 731 *Quisquis is est*. Creditus ergo umbrarum pater, & noctis præses: sic ejus apparitiones fictæ eodem tempore. Lapis: HÆC NOCTU SUMMANO VISO ADMONITA. Glossæ de fulminibus: Κεραυνοβόλιον ἡμερινόν, *fulgur dium*: κεραυνοβόλιον νυκτερινόν, *Summanum*. (a)

v. 732 *Pyrrhe timendus eras*. Anno secundo belli Tarentini. Sed cultus antiquior, & a Tatio Rege, ut volunt prisci Annales apud M. Varronem.

v. 733 *Hancquoque cum patriis*. Eodem 12. nocte ineunte oritur Ὀφιοῦχος. Stolide ait Bersmannus 21. Junii. Non ea mens Nasonis; Columella id voluit: cui mane occidit; & est indicium tempestatis.

v. 736 *Et gemino nexas*. Ex schedographia.

v. 736 *Porrigit angue manus*. Primo sinistram. Hipparchus: Καὶ πρῶτοι μὲν ἀστέρες ἀνατέλλουσι τοῦ ὀφιούχου οἱ ἐν τῇ ἀριστερᾷ χειρί, ἀλλὰ μὴν καὶ οἱ ἐν τῷ ὄφει κείμενοι· ἔσχατος δὲ ὁ ἐν τῷ δεξιῷ ποδὶ αὐτοῦ δ' ὁ β' ἀπὸ δύσεως.

v. 737 *No*—

(a) *Quisquis is &c.* Cæcitatem re vera deplorandam eorum temporum videtur innuere S. Augustinus de Civ. Dei 4. 23. quum enim in tanto Deum hunc honore haberent, ut impensius, ac religiosius colerent quam Jovem ipsum, quod summus manium esset, ut aliqui tradunt, Plutoque Summanus diceretur, huicque nocturna fulmina tribuerentur, obsolevit adeo Numen ejus post extructum insigne Jovis Templum, ut nomen ipsum negligentia exoleverit. Sed ipsum Augustinum audiamus. *Sic apud ipsos Roman. legitur. Romani Vet. nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quam Jovem, ad quem diurna fulmina pertinebant. Sed postquam Jovis Templum insigne, ac sublime constructum est, propter ædis dignitatem sic ad eum multitudo confluxit, ut vix inveniatur, qui Summani nomen, quod audire jam non potest, se saltem legisse meminerit.*

v. 737 *Notus amor Phædræ*. Hoc μυθολόγημα nihil moror. Vide Hyginum lib. 2. Poet. Astron. *(a)*

v. 748 *Glauci manibus illa prius*. Hunc etiam vult vitæ redditum ab Æsculapio: quod factum a Polyido scribit Apollodorus; quem omnino vide lib. 3. Bibliotheces sub initium.

v. 752 *Ter verba salubria dixit*. Apulejum in Apologia ita scribentem non legistis? *Veteres quidem medici, etiam carmina remedia vulnerum norant; ut omnis vetustatis certissimus auctor Homerus docet: qui facit Ulyssi de vulnere sanguinem profluentem sisti cantamine; nihil enim quod salutis ferendæ gratia fit criminosum est*. Misereamur cæculi ethnici.

v. 754 *Dictynna recessus*. De hoc cognomento Dianæ adi Diodorum Siculum βιβλιοθήκης lib. 5. quæ & Βριτόμαρτις dicta.

v. 755 *Virbius ille lacu*. Inde Flamen Virbialis; cujus ex omnibus antiquorum scriptis solum meminit marmor vetus Romanum: *(b)*

PRÆF. JUVEN.
EQVO PUBLICO
ADIECTO IN. V. DECVR.
ORNATO MILITIÆ
PRÆF. COH. AFRICÆ
FLAMINI VIRBIALI.
AUGURI ÆDILI.
AUGUSTALI Q. Q. IUVENUM.

v. 761 *Quod facit, ipse vetat*. In duobus Vaticanis, *quod vetat, ipse facit*. Utram scripturam mavis, per me tibi libet: semper idem sensus, dummodo puncta mutes. *(c)*

v. 762 *Non ego te quamvis*. IX. Kalendas occubuit ad lacum Thrasimenum C. Flaminius Consul clade insigni: ob spreta auspicia putarunt illi cæci; ideo hæc Cæsari modo commendat. Arnobius lib. 4. non in auspicia, sed in Pelloniam suam ita lusit: *Et ubi, quæso, jam dudum Pellonia hæc fuit, quum apud furculas Caudinas decus publicum subjugatum est, quum apud lacum Thrasimenum sanguinei cucurrere fontes?* & post pauca his paria: *Dormiebat, stertebat, aut, quod vilia facere consueta sunt capita, in hostilia castra desugerat?*

v. 767 *Postera lux melior*. VIII. Kalendas Syphax ille a Scipione Africano secundo præ-

---

(a) *Notus amor &c.* Inter hoc Distichon, & sequens obrepserat aliud, quod jure expunxit Heinsius: neque enim eo laboratum est opere, ut ex Officina Ovidiana exisse credendum sit. Sed eccum.

Non impune pius Juvenis Troezena petebat,
Dividit obstantes pectore Taurus aquas.

Patronum tamen habuit Naugerium, neque summotum est Ursini Codice, ac duobus optimis Patavinis.

(b) *Virbius ille &c.* Miror sequentis versus *At Lachesis, Clothoque dolent sua fila teneri* lectiones Nostrum non vidisse. Alii enim libri pro *Lachesis Limemos* reponunt *Limens* alii, alii *Limeneus*, & *Clymenes* alii, fit hinc ut sic emendet Heinsius.

At Clymenus, Clothoque dolent, hæc fila reneri.

Clymenum autem Plutona dici, putat paucis ante se notum fuisse; Caussam vero Epitheti capit ex Auctore Etymologici, confirmatque Epitheton ipsum Anthologiae epigrammatis duobus: horum utrumque est lib. 3. alterum est *Anytes*, alterum vero εἰς Ὀρφέα. Sed vide quæ disputat ipse Heinsius ad ver. 757. lib. 6. Fast. *Reneri* vox alias in Latio audita. Albinov. ad Liv. de morte Drusi

Sunt rata non ulla fila renenda manu.

κλύμενος autem (latine *clarus*) nil mirum si is dicendus Deus sit, & audiat de se magnifica, quem terrarum, divitiarumque omnium Dominum fuisse putarunt.

(c) *Quod facit &c. In duobus Vaticanis*, Noster inquit, quod vetat ipse facit. *Utram scripturam mavis per me tibi licet.* Non æque utraque in promtu est. Hæc enim, ut cuivis attentius paullo advertenti facile apparet: *Propter te, fieri quod vetat, ipse facit* clarior multo, & planior quam altera *Propter te fieri, quod facit, ipse vetat*.

prælio diruttus; tertio victus & captus a C. Lælio, & Massinissa Rege: nec multo post, Cyrta regni caput, Sophonisba uxor, & regia familia, anno Urbis DL.

v. 768 *Hasdrubal ipse suis*. Id fuit antea, anno Urbis DXLVI. C. Claudio Nerone, & M. Livio Salinatore Coss.

v. 771 *Fortunæ fortis honores*. Nam sunt eodem VIII. Kalendas Julias. De hac celebritate M. Varro lib. 5. de L. L. *Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullio Rege, quod is Fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense*.

v. 774 *In Tiberis ripa*. *Secundum Tiberim*, ait Varro; nimirum ultra flumen: nam Fortis Fortunæ templum situm in Transtiberina regione; vel ex eo patet, quod Naso subdit vel ponte vel navicula illud adeundum.

v. 779 *Plebs colit hanc*. Inde ad olitores Columella:

Et celebres Fortis Fortunæ dicite laudes.

v. 780 *Et ex humili sceptra tulisse loco*. Sed idcirco Plutarchus Fortunam cognomine μικρὰν, ὡς βραχεῖαν, inquit, καλοῦσι, sacrasse commemorat; multaque ibi fana scribit a Servio eidem exstructa: attamen illud Fortis Fortunæ silentio præterit, nisi includat in his, Καὶ ἃ ἄν τις ἐπιχώρια τῆς ἄλλας ἐπωνυμίας. in libello vero περὶ Τυχ. ejus meminit, vertitque Φόρτιναν.

v. 781 *Serva quia Tullius ortus*. Ex captiva Ocrisia Ocriculana: unde Manilius in Apotelesmatico vocat hunc Regem *de capto sanguine*.

v. 785 *Zona latet tua nunc*. Eodem VIII. Kalendas, subdit & VII. etiam latere: VI. ergo heliace oritur; Aetius vult VII. id est die 25. verba sunt: Μηνὶ τῷ αὐτῷ κε΄ Ὠρίων ἑῷος ἄρχεται ἀνατέλλειν· εἶτα δὲ τροπαὶ θεριναί. καὶ ἀκολουθεῖ σφόδρα ὁ ἀὴρ πρὸ τριῶν ἡμερῶν.

v. 788 *Tempus solstitiale die*. Non VIII. Kalendas, & eodem die festo Fortis Fortunæ ut male sensum & verba flexit cæcior Tiresia Fanensis: nam manifesto solstitium eodem die Naso facit, quo exortum Orionis, ut Aetius, & alii; Plinius tamen exortum hujus sideris scripsit ut noster, VI. Kalendas; locus exstat lib. 18. cap. 28. sed solstitium capite præcedenti ejusdem libri 8. Kalendas. Columella lib. 11. cap. 2. octavo, & septimo, & sexto Kalendas Julias solstitium fieri reliquit. Nescio an ipse ita vere sentiat, an hic varias antiquorum parapegmatum opiniones referat.

v. 789 *Lucifero subeunte*. V. Kalendas dicata Larum, & Jovis cognomento Statoris ædes; res protritæ.

v. 794 *Templa, Quirine, tua*. Loquitur de antiquo illo templo, quod statim Romulo posuerunt in colle Quirinali, post relata Julii Proculi: illud postea sex supra septuaginta columnis ornavit Cæsar Octavianus, iterumque dedicavit. Vide Dionem lib. 54.

v. 795 *Cras est natale Kalendis*. Relinquit vacuum diem unum: & sumus, inquit, in ultima mensis luce; qua refecta ædes Herculis Musarum: cras erunt Kalendæ Juliæ. Explicui Nasonis implicatam mentem. Josephus Scaliger in Notis ad Eusebii annum MDCCCLXXIII. male capiens versiculum hunc de Julii Cæsaris natali, sic emendavit,

. . . . . *Cras est natale Camænis*.

Errat in eo etiam, quum rationem reddens, *Notum*, inquit, *Camænas in æde Herculis consecratas ad portam Capenam*. Nemo sanæ mentis hæc probet: nam situs ædis fuit in regione IX. *(a)*

v. 797 *Quis vox addixerit isti*. Est & vetus scriptura, *Quis vos adduxerit illuc*. *(b)*

v. 799 *Clari monimenta Philippi*. Tacet antiquum templi auctorem, & nominat juniorem. Antiquus fuit Fulvius Nobilior; de quo sic Eumenius Rhetor in Oratione de Scholis Cluvensibus apud Galliæ Præsidem habita: *Ædem Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Censoria fecit, non modo id sequutus, quod ipse litte-*

(a) *Cras est &c.* Explicuit Noster Nasonis implicatam mentem, *quod relinquit Ovidius vacuum Diem unum, & sumus*, inquit, *in ultima mensis luce*; ita etiam implicatam Ovidii mentem quasi marte suo explicans Crispinus hæc reponit. *Vacuam reliquit diem Naso, atque, inquit, sumus in ultima mensis luce*. O ingenium hominis vere felix! quod ejus ingenii similitudine, quo Noster laudatur, in eadem vestigia fere semper incurrit.

(b) *Quis vos &c.* Est alia lectio fortasse omnium optima, quam habent sex, septem codices *Quis vos adjunxerit isti*.

litteris, & summa Poetae amicitia duceretur; sed quod in Graecia quum esset Imperator, acceperat Herculem Musagetem esse, id est comitem, ducemque Musarum: idemque primus signa novem, id est omnium Camoenarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi nominis consecravit; quia mutuis operis, & praemiis juvari, ornarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, virtus Herculis voce Musarum. Habes primum. Habeas secundum: is fuit Philippus Augusti vitricus, qui jam vetustate collapsum restituit: tale nihil apud antiquos; promtum exemplum Svetonii in Augusto: *Multaque a multis exstructa sunt, sicut a Marcio Philippo aedes Herculis Musarum, a L. Cornificio aedes Dianae, ab Asinio Pollione atrium Libertatis*; qui omnes non auctores horum aedificiorum, sed refectores. Philippus tantum tunc nova opera Herculis aedi adjunxit porticum, de qua Martialis lib. 5. Epigrammatum:

Vites censeo Porticum Philippi;
Si te viderit Hercules, peristi.

v. 800 *Martia casta genus.* Haec illa eadem, quae summe dilexit nostri conjugem; de ista ipse in Ponto libro primo:

Hanc probat & primo dilectam semper ab aevo:
Est inter comites Martia censa suas;
Inque suis habuit matertera Caesaris ante:
Quarum judicio siqua probata, proba est.

v. 802 *Nobilitate fuit.* Membrana vetus, *nobilitate sua est.* Nescio quam eligam: nam scriptura una dicit extinctam, altera superstitem. Ex citato supra loco vix elici potest, nec ex hoc alio in eodem Ponto lib. 3. eleg. prima ad Maritam:

Hoc domui debet, de qua censeris, ut illam
Non magis officiis quam probitate colat.
Cuncta licet facias, nisi eris laudabilis uxor,
Non poterit credi Martia culta tibi.



CAROLI NEAPOLIS

Ad suam Anaptyxin

INDEX ACCURATUS.

Primus numerus Librum denotat, secundus Versus.

A

Ar-

B

Belli

C

Ad ſuam Anapt. Index.

Con-

Deus

E

G

Genii

Ad suam Anapt. Index.

Iu-

Ma-

Næniæ

Ad suam Anapt, Index.

N

O

Pe-

Q

R

Remus

S

FINIS.



